
1
6
65








PARAPHRASIS

In Vniuersum

ARISTOTELIS ORGANVM

Cum Quæstionibus, & Adnotationibus ad loca obscuriora.

Auctore ANTONIO SCAYNO *Salodiensi*.



BERGOMI, Typis Comini Venturæ. cIↃ IↃ IC.

Librum hunc pro mandato mihi munere ad noui Indicis Regulas examinaui. nihil habet, quin tuto prælo commissus emitti in lucem possit.

Iosephus Bãnotius Theologus, Rector Seminarij Berg.

Idem asserit F. Zacharias Bergomellus Ord. Carmelit.

Io. Baptista Eps Bergomi. } *Imprimatur*.
Fr. Pius Lug. Inquisitor. }

PERILLVSTRI

Atq; in omni genere doctrinarum eruditissimo viro

IOANNI VINCENTIO PINELLIO

Antonius Scaynus Felicitatem.

DVo grauiditatis & conceptus genera reperiri scripsit in Conuiuio Plato; alterum corporum, vnde corporei filij ex coniunctione maris & fœminæ procreantur; alterum vero mentium, vnde mentis partus ex intellectus fœcunditate gignuntur: & quamuis Diuinus ille Philosophus constanter affirmet, vtriusq; generis fœtus a proprijs genitoribus ardenter amari, ita postulante natura, vtpote participes, imo vero portiones quasdam paternæ substantiæ; non dissimulanter tamen innuere visus est, maiori caritatis affectu diligi fœtus animi quàm corporis; & id quidem optimo iure. Vt enim intellectus animam (vt ita dicam) vegetantem dignitate lon-

ge superat, ita rationi consentaneum est, vt quorum effectrix mens ipsa fuit, ij maiori quoq; studio diligantur, quàm quos vegetatiua illa facultas effinxit, tum etiam quia maiori labore magisq́; diuturno, fœtus animi quàm corporis perficiantur. Etenim non est dubium, quin res eo cariores esse soleãt, quo maiore fuerunt partę labore. Præterea cum amor parentum erga filios corporum cõiunctione progenitos, in duas veluti partes, masculum scilicet & fœminam distribuatur, mentis vero partus idem totus & integer in vnius animi genitoris gremio ac sinu colligatur, inde fit vt qua ratione virtus in seipsam collecta potentior est quàm virtus diffusa, eadem etiam amor animi genitoris erga proprios fœtus intensior sit amore parentum in filios corporum satu procreatos. Accedit etiam quòd cum certißimi sint de proprijs fœtibus ij qui eos animo conceperunt atq; formarunt, non ita certi sint (saltem quod ad patres attinet) qui eos ex fœminæ coniunctione a se procreatos existimant; qua ratione Homerus Telimachum inducit de patre Vlisse ita loquentem, vt omnem eius rei certitudinem referat in vnius matris assertionem, inde consequitur, vt maiori animi affectu mens illa genitrix proprios fœtus diligere compellatur, de quorum procreatione falli non potest, cum ea tota ab ipsa sine vlla dubitatione dependeat.

Deniq; & illa ratio plurimum vigens addi posse videtur, quòd vis ac neruus paterni amoris erga filios, potißimũ consistit in ea cogitatione ac spe, quam parentes animo conceperunt, fore, vt etiam postquam excesserint e uita, adhuc tamen victuri sint in filijs, tanquam scilicet in viua quadam & expressa sui ipsorum imagine, atq; ita sint diuturno æuo hominum memoria fruituri, vt erudite scripsit Callistratus grauis iuris consultus. At vero nemo sani iudicij dubitare potest, quin fœtus ex intellectus fœcunditate producti, eius conditionis sint, vt vitam non modo in longißimos annos, sed etiam in multa secula repositam habeant, ad memoriam fere totius posteritatis, vt infinita propemodum et præclara exempla testantur, cum e contra naturalis hominum vita exiguo temporis spatio concludatur, ita vt profecto mentis filij multo digniores sint, qui a parentibus ardentius diligantur, a quibus

uitæ

vitæ non diuturnitatis modo, sed cuiusdam æternitatis fructum sperare possint, cum aliorum filiorum vita (si cum precedentium æuo conferatur) etiam si ad multos annos producatur, breuissima sit futura.

Ex his facile intelligi potest, cum patres corporei fœtus tam anxij sint, tantoq; studio curam filiorum suscipiant (vt experientia docet) soliciti de ipsorum securo statu, cum & illis prouidere soleant de viro aliquo non solum & amore erga ipsos, & prudentia insigni, verum etiam apud omnes magnæ authoritatis, & qui eos ex animo tueatur; multo maiori ratione mentem parentem, & fatorem animum de hac re solicitum esse debere.

Quapropter cum recens iste partus, quem ego mente conceperam, qualemcunq; mihi Deus author bonorum omnium largiri dignatus est, graui meo studio ac diuturno labore formatus, nunc primum in lucem hominum sit proditurus, tanquam ex vtero matris sui ipsius maturitate iam excussus, vt certe eum amplius continere non potuerim, illa me cura valde solicitum tenuit, cuius potissimum tutelæ eundem committere possem, qui & me syncere diligeret, & magnæ esset præsertim apud graues & eruditos viros existimationis. In ea vero cogitatione cum sæpe animus defixus esset, Tu præ cæteris occurristi, Perillustris & eruditissime Pinelli, a cuius authoritate futurum putaui, vt partus iste meus primum vitalem spiritum hauriret, quo & foueri, & non obscurus diutissime viuere posset, si eum in tuam tutelam benigne susciperes; Tu inquam, ad quem tanquam ad oraculum quoddam frequens concursus habetur; non solum ex Italiæ ciuitatibus, sed etiam ab exteris remotissimis regionibus, apud quas scientia omnis in precio sit, & artes liberales. Neq; vero Te solum priuati homines doctrinæ & eruditionis amatores vndequaq; conueniunt, sed Principes etiam viri, quibus populi sunt regendi. Quippe cum præter librorum in omni facultate suppellectilem, quæ tibi & vberrima & lectissima est, maxime singulari quadam & accuratissima diligentia tua vniuersales etiã veluti annales commentariosq; collegeris, rerum in omni genere celeberrimarum, ac scitu dignissimarum, ex quibus pre-

clara vitæ documenta, & salutaria regendi præcepta depromi poßint; non immerito illi, vt dixi, principes viri non minus iusti Aestimatores quàm obseruatores iudicij tui amicitiã tuam valde expetierunt, tecumq; agere varijs occasionibus peroptarunt; cuius rei memoria recens est. Cum enim æstate præterita nonnulli Illustrißimi Cardinales Patauium accessissent, nullius rei se magis auidos & solicitos demonstrarunt, quàm vt tecum familiariter agerent, & tuo iucundissimo colloquio fruerentur, te ipsum intra tuas ipsius ædes honorifice inuiserent, & sua ipsorum præsentia cohonestarent.

Mitto quòd nobiles iuuenes & e præclaris parentibus, nominis tui celebritate commoti, ex longinquis etiam regionibus Patauium commigrarint, continuiq; commigrent, vt te, quem fama nouerant, agnoscant aspectu, seq; in tuam familiaritatem insinuantes, in via studiorum, quæ professuri sint, & tuta & facili dirigantur tuis prudentissimis monitis atq; consilijs, quos omnes pro tua singulari humanitate peramanter amplecti atq; foueri numquam desistis. Illud vnico verbo attigisse sufficiat (coactis propemodum infinitis ex immenso fere spatio in perexiguum gyrum) neminem reperiri in aliqua facultate siue artium liberalium, siue scientiarum præ cæteris excellentem, cui tu non sis ex litteris tuis, & ex celebritate nominis tui maxime cognitus, quiq; te summo non habeat in honore.

Hę me rationes omn[illegible] tanquam præclara tuæ spectatissimę virtutis testimonia imp[illegible]runt, vt opus hoc, quod nunc in lucem prodit, tutelæ tuæ committerem. Quibus accedit vetus, quæ mihi tecum intercedit amicitia a me puro semper affectu animi culta, tum etiam admotus abs te mihi stimulus vehementer, cum me superiore anno tuis cohortationibus excitaris, ne varias meas lucubrationes, quas tecum communicaueram, diutius suprimerem, sed in apertam hominum lucem proferrem.

Illud quidem dißimulare non possum, opus istud non sine graui labore diuturnoq; studio a me absolutum: sic enim postulauit ratio subiectæ materiæ, quam explicandam suscepi, abstrusißima cum sit, & a rebus peculiaribus, quæ sub sen-

ſum cadere poßint, penitus ſeparata: talia vero abſq; operoſo improboq; labore facilia redigi nullo modo poßunt: in quem ego potißimum ſcopum omnes ingenij mei neruos intendi, vt non immerito ad ſignificandam harum ſpeculationum difficultatem, quidam acri ingenio, (id vero D. Auguſtino adſcribitur) acute dixerit, quòd ſola Logica eum diſcipulum effecißet, egentem ſcilicet præceptore, qui eam ſibi explicaret. Vtrum autem id aſſecutus ſim quod optaui, ut materiam hanc obſcuram & inuolutam, e tenebris in apertam lucem eruerem, & explicatam proponerem, experientur in primis iuuenes hoc opere attente perlecto; iudicabunt autem uiri docti, quorum ego iudicio, & ſolido & ſyncero iſtud ipſum opus libenti animo ſubijcio, te tamen iudice precipuo eodemq; tutore.

CAPITA EORVM

Quæ ante Isagogicum lib. Porphyrij de quinque vocibus continentur.

Capita eorum quæ in libro Prędicamentorum continentur.

De

Ap-

Capita eorum quæ continentur in libro Perihermenias.

Capita eorum, quę in libro I. Priorum Analyticorum continentur.

Capita eorũ quę in lib. 2. Prior. Analytic. continentur.

Capita eorum quæ in lib. 1. Post. Analyt. continentur.

per

Summa eorum quæ continentur in lib. 2. Post. Analyt.

Quæ

Summa eorum, quę continētur in lib. 1. Topic.

Sum-

Summa eorum quæ continentur in lib. Elench.

INDEX
Rerum notabilium, quæ in hoc opere continentur.

A

B

C

D

E

Elen-

I

L

M

N

O

P

R

S

ċta

T

V

FINIS.

pag.	Errata	ſic corrigito.
6	Acceptis	Praacceptis
23	ita eſt communi	ita eſt cõmune vt in hoc communi
34	Diſtinguitur qđ prius	Diſtinguũtur quod prior
42	referunt	referre
43	erunt ipſum	erunt ad ipſum
46	poſſidetur	poſtulabat
55	Defuerit	defluxerit
55	Denotatum	Denotatur
63	qualitatis	qualitas
77	aduerſus qui	aduerſus eos qui
79	num enim	non enim
80	aduerſa	adnexa
93	æſtus	iuſtus
96	prima	propria
102	magis quod	magis illud quod
108	autem	artem
108	ędificãt & caluos	ędificare & calceos
118	ſenſum	ſeorſum
118	& communis	eſt cōis
121	malus an	malus Socrates & bonus an
131	aliquid que	aliquid eorum quæ
134	aptetur quantũ	aptetur in quantum
148	futuro	pręterito
139	niuerſales ſicut	vniuerſales ſi ſicut
141	expoſitum	oppoſitum
141	contraditione	contradictorie
147	ſemper	ſemper tempus
150	στοιχεῖν	στοιχεῖον
155	& non	& ad hanc non
159	ſunt de	ſunt hę
160	conuenit	concernit
165	ὅροα	ὅροι
175	quam &	quę &
177	ſuppoſitis	ſupponitis
178	neceſſarium	neceſſariarum
178	vt tractatu	in tractatu
191	eſt M	eſt N
196	ſubſtantiuum	ſubſtantiam
198	at ſyllogiſmum	ait ſyllogiſmum
210	contingens	contingenti
213	pręcepta	pręaccepta
223	æquiens	angulus
225	vel de	vel ad
226	quando	quomodo
230	ad ſecundum	at ſecundum
237	& ſi	& hi
241	imbellis	imbecillis
242	reuolutionem	reſolutionem
245	obliquo	in obliquo
248	aĩaduertimus	animaduerſionem
251	quo	ex quo
253	eſt poſitę	expoſitę
254	pręcedentibus	ex pręcedentibus
264	vnde	vnus
277	ſine	hinc
	medico	medio
281	adnexandũ cõſideratur in	adnexã. cõſideratur enim in
286	εἰδὲν	οὐδὲν
296	nullus	nullius
297	viſum	vſum
	illud	ille
300	compoſiturum	compoſitiuum
304	docebat	docetur
306	vna	vna cum
	prętermiſſa	pręmiſſa
	digitos &	digitos ad
311	perfecta	de perfecta
308	modis	modus
309	omnia	omnis
	quorũ	quorſum
316	dubio	dictio
	cuius	vnius
317	qui	qui a
	ſignificari	ſignificantur
321	vno	ſino
322	προγιγνώσκεται	προγινώσκεται
322	hab tum	habenti
	imputabilis	impermutabilis
323	nonnullum	nonnulli
325	p̄miſsã opinionē	p̄miſſarũ opinionũ
326	ſimplex	ſimpliciter
327	neceſſarium	neceſſariorum
330	διὸ	διό
333	conuenerant	conſueuerant
	hunc	tunc
339	ſit	ſcit
	neceſſaria	neceſſaria concluſio.
357	primum	principium
358	ſeu numero	ſępenumrro
	conſiderarit	conſiderant
359	refecti	reſicti
	plantę	planete
360	tertius	tardius
362	exiſtens	exiſtentem
	vrſus	rurſus
362	ſcit	ſit
363	ſed &	ſed in
	inſtituita	intuitu
368	vltimum	& vltimum
381	habeat	habenti
382	eſt	&
	termini	terminari
385	ſciendo	ſciendo quod
387	ſine	ſcire
394	vnius	cuius
	expectandi	ſpeculandi
397	ſenſum	ſenſus
403	a multo	& multo
403	αγχνεια	φυσικῆς
403	ſpecto	perſpecto
406	verbis	rebus
409	conciliantur	conficiantur
	ſoluta	abſoluta
410	ſic	tum
411	referitur	reperitur
412	numerati	numerorum
413	quàm	quod
414	vt queſtionem	vt ad queſtionem
416	ἑξομένων	ἐχομένων
418	ſit homo	ſit homo B
420	autem vt	autem forte vt
426	eſt aliquid	eſt aliquid ſi
429	in qua	in ea
	Adhuc etiam	Adduci etiam
431	exactionem	exactiorem
	ne autem	nos autem
432	ſententiarum	ſcientiarum
444	quoſq;	quouſq;
450	continenti	continetur
451	venanda quaq;	venãda q̃q; đ finitiõe
453	& quod	& quoad
455	libris aĩalibus	libris de aĩalibus
459	vice	vitę
	ducãt q̃drupes	ducãt quadrupedes
459	definitio	definitioni
460	folia &	folia eſt
461	quid ſit	quòd ſit
463	eandē principi	eadem principia
467	& ſolummodo	eſt ſolummodo
468	ei illuceſcat	ei illuceſcere
468	eos a cæteris	quos a cœteris
469	punctiones	functiones
474	ſit ratiocinãdũ	ſit ad ratiocinãdum

AD TOTIVS ORGANI ARIST. DILVCIDATIONEM

Præfationes maxime Generales.

Quibus Philoſophia terminis diſtinguatur, ad quam capeſſendam Ariſtoteles (vti præcipuus magiſter) eſt adhibendus.

ILlud minime dubium eſt, humanum genus aptum eſſe ad rerum cognitionem, cuius amor, ac ſtudium Philoſophiam peperit. At vero Philoſophia omnis in duas eſt partes diſtributa; In Contemplatricem, cuius propriũ munus eſt veri notitiam ea ratione indagare, & venari, vt animus in ea conquieſcat: & in Actiuam, in qua veri cognitio in eum finem clauditur, vt ad res agendas homo recta ratione dirigatur, atque ita ad bene, beateq; viuendum diſponatur. Rurſus verò hæ Philoſophiæ partes in alia membra ſubdiuiduntur: Nam Contemplatricis trina eſt diuiſio, quemadmodum & rerum, quæ ſoli, propriæq; contemplationi ſubduntur, tria ſunt genera. Rerum etenim aliæ ſunt, quæ a materia, naturaq; ſenſibili penitus ſeiunguntur, Entiaq; Diuina appellantur, quæ viſibilia hæc, ſenſusq; noſtri captum lõgo interuallo exſuperant, vt Deus, & Angeli. Aliæ vero ita materiæ ſunt adnexæ, vt abſq; materia non intelligantur, quemadmodum etiam ſenſu percipiuntur, & res dicuntur naturales; vt Homo, Cęlum, & Terra. Aliæ demum ſunt, media natura incedentes, quæ neq; ſeiunctæ a materia inueniuntur, neq; ſenſus compręhenſionem effugiunt: verum tamẽ ſeorſum a materia conſiderantur vi noſtri intellectus, qui res a rebus ſeiungere ſuapte natura valet; & hæc Mathematica entia (quod in ijs Mathematicorum verſentur diſciplinæ) nuncupantur; vt eſt Circuli, & Quadrati, & aliorũ huiuſmo-

di conſideratio. Quare optima ratione tota contẽplatrix Phi loſophia hoc triplici ſcientiarũ genere diſtributa inuenitur, in Naturalem ſcientiam, in Mathematicã, atq; Diuinam: quæ quidem, vti oĩum eſt ſuprema, ita iure quodam ſuo Sapiẽtiæ nomen ſibi vendicauit; tum quòd in ea de Deo Optimo Maximo agatur (quantum noſtri intellectus fert capacitas,) tum quòd in eadem ampliſſima ſummæq; cõis totius Entis contẽplatio habeatur, cui initia oĩum aliarum ſciẽtiarum innituntur. Rurſus vero, & Actiua philoſophia in tres partes eſt diſtributa. Nam, quemadmodum curã ſuſcipere poſſumus, aut priuatæ noſtræ perſonæ, aut familiæ, aut rerum publicarum, quæ nomen Ciuitatis acceperunt: ita quoq; huiuſce Philoſophiæ, quæ tota in actione eſt poſita, hominemq; ad bene beateque viuendum perducere ſtudet, pars vna Moralis appellata eſt, altera Oeconomica, & tertia Politica, in qua duę priores continentur, atq. perficiuntur. Hinc illud præclare ſtatui poſſe videtur, qui rerum cognoſcendarum, recteq; agendarũ ſtudio ducitur, hunc iure merito Sapientiæ amatorem eſſe cenſendum, a quo ſtudio nomen quoque Philoſophię deductũ eſt: quę omnia, quę ſunt, complectitur, nullisq; clauditur finibus. Ab hac enim & cuiuſuis generis artes methodo aliqua traditæ emanarunt, quarũ ordines, atque regulæ ad maximã omnium Scientiarum reginam ad ipſam nempe Sapientiam ſubalternis tandem ordinibus reducuntur. Hanc vero Craſſa minerua a nobis deſcriptam Philoſophiam multi magno ſtudio ſectati ſunt. Sed qui in ea præcipue excelluerint, adnumerantur inter primos Plato, & Ariſt. quorum quoque extãt multa ab ipſis conſcripta de Philoſophia volumina. Verum Plato cum Philoſophiã Dialogis inſpexerit, ſacraq. prophanis commiſcuerit (vt qui eloquentiæ, & fucatæ, mireq. ornatæ, potius quàm puræ ac ſimplicis doctrinæ æmulator extiterit) idcirco (quod attinet ad hoc ſtudium philoſophandi) iampridem pauciores ſui habet ſectatores: Ariſtoteles vero longe plures: quẽ nos quoq. interim inſequimur: tum, quoniam miro ordine, ac certis quibuſdam legibus totam ſuam tradidit philoſophiam ab oĩ ſermonis lęnocinio remotã, rerũq. naturã proprie attingentẽ: tũ ꝙ ſeorſum ab ipſa, methodum præclariſſimã tradidit, Organi noĩe nuncupatã, qua hominum ingenia tanquã quodam perpẽdiculo cauta, in oĩ doctrinarum genere rite, recteq. progredi, atq. verſari valeant.

Rerum cognitionem tum rudem, tum eruditam, ſeu exactam haberi poſſe.

CVm aũt illius Magiſtri ſemitas ſectari inſtituerimus, qui ordi

ordinis mire studiosus semper extitit, ꝓpterea totis viribus illud nobis est elaborandum, vt aptā docendi viam persequamur: nempe, quæ alijs claritatem, ac lucem afferre queant, ea priori loco tractando, cętera deinceps, vt ita adolescentū ingenia, quo magis liceat, hoc genus doctrinarum facile capessere possint. Qui illud in primis sunt admonendi, vt aīaduertant, eisdem de rebus cognitionē tum rudem, tum etiam eruditā, seu exactam haberi posse. Rudem eam intelligimus, quę natura duce, aliquo ætatis processu, & nullo pene studio adhibito in nobis gignitur, cuius omnes homines, licet alij præclarius, alij obscurius, prout ingenio magis, vel minus valent, participes euadunt. Exacta aūt, seu erudita cognitio ea intelligitur, quæ summo studio, atq. diligentia, nonnisi a paucis, & longo tēporis interuallo acquiritur: quæ etiam, vt consecuta certos suos fines est, ita Methodo, hoc est ordinata quadam via traditur. Sicq. vel Ars, vel Scientia iure quodā suo appellatur: cuius generis notitiā nunc persequimur. Quare ardens, & maxime intentum studiū ab adolescentibus exposcimus, qui his nostris lucubrationibus sunt vacaturi: siquidem non rudem, aut inelaboratā rerum cognitionē sectamur, vt solet vulgus: sed ad ea scripta interpretanda contendimus, quæ magna cū arte, summæq. doctrinæ coniuncta, a pręstantissimo Philosopho sunt contexta: quorū quidē intelligentiā, qui calluerit, haud verendū, quin rem bene suā cū philosophia sit acturus.

De ratione, quam secutus est Aristoteles in Organo componendo, cuius generalis constitutio aperitur.

CVm autem ab Aristotele Philosophiam idcirco elaboratam, apprimeq; digestam esse statuerimus, ꝙ Methodo, id est recta docendi via ab ipso sit tradita, certisq. (ita dixerim) legibus constituta, hinc illud iure statuendū est, qui Sapientię cupidus existat, ei totis viribus incumbendum, vt antequam ad scientias suum studium conferat, illius in primis summæ methodi normā optime percallere studeat, quā seorsum a philosophia cōfectā ab eodē philosopho supposuimus.

Vt vero huius Methodi ortum, seu Fabricā præclarius cōprehendamus, & nō ignoremus, circa quæ versetur, paulò altius oratio nostra est exordiēda. Itaq. illud in primis nō ab re erit aīaduertere, & perpendere, quod ex traditis ab Arist. in lib. 3. de Aīa desumimus; videlicet, Nostrum intellectum, tū demū suas operationes suo more obire, & veluti ad extra ꝓducere, vbi formarū, seu imaginū rerū ipsarū cōpos factus sit, nēpe earū singulæ ita propemodū effectus, quemadmodū in

Libro de An. c

Tabella, in qua prius nihil sit depictum, literarũ characteres imprimuntur. Id aũt quanã ratione, aut qua ope intellectus agens perficiatur, vt alienum a præsenti negocio, missum interim faciemus: & opera, quæ a possibili nostro intellectu ꝓficiscuntur rebus omnibus (vti prædiximus) iã informato, eo consilio persequemur, vt Methodi huius generalis, quã expli candam suscepimus, cõmunis quędã ratio nobis innotescat.

Igitur operum intellectus nostri tria præcipua, atq; notissima sunt genera, eoque ordine inter se disposita, vt Priora, tanquam simpliciora, in posterioribus, quæ magis sunt composita, contineantur. Ac primum quidem illud, ac maxime simplex opus est, quo intellectus noster, de formis, quibus imbutus est, suum profert iudicium, earumq; notiones certis connotat typis veluti signis; quibus (quando homini ad loquendum natura facultatem tradidit) voces simplices significantes æquipollent; quarum vsu (quoniam nobis maxime notæ sunt, & familiares) ea, quæ sunt in Anima, optime repræsentantur.

Secundum vero opus consequens ad hoc primũ illud est, quo intellectus noster notiones simplices ab ipso iam conflatas vel inuicem coniungit, vel segregat, ita quidem, vt ad hoc opus semper aut Verum, aut Falsum consequatur: quare fit, vt etiam sermo Affirmans, vel Negãs, quibus semper aut Veritas, aut Falsitas adhæret, huic intellectiuo operi respõdeat.

Mox ad hæc tertiũ illud, atq; postremum opus intellectus cõsequitur, in quo & simplicium notionum conflatio, seu iudicium, & earumdem quæ dicta est Coniunctio, atq; Disiunctio clauditur; ita tamen, quòd & ijs tertium quid aliud addatur: quum scilicet ex quibusdam manifestis suppositionibus & ex conceptis notionibus conflatis inuicẽ, vel cõiunctis iuxta modum Affirmandi, vel seiunctis iuxta Negãdi modum, intellectus probatione quadã, ipsius propria virtute, ex vno in aliud (ita dixerim) discurrens, in certam quarumdam aliarum notionum intelligentiam, atq; consensum deducitur: quod, quoniam potentiæ dictæ rationalis fit auxilio, iure etiam huic intellectiuo operi sermo dictus Syllogismus est accommodatus, qui ex certis propositionibus constituitur, ad quas semper est consequens aliqua probata conclusio.

Hoc igitur triplici opere intellectus omnis nostra constat cognitio; siue sit illa rudis, cuius antea meminimus, quę oĩbus hominibus, qui vsu non carent rationis, certo ætatis cursu alijs maior, alijs vero minor aduenit; siue sit illa exacta, atq; elaborata cognitio, quæ non nisi longo temporis interuallo, plurimoq;, & assiduo studio a paucis acquiritur: qua quidem

ra-

ratione omnes sciẽtiæ,& facultates,& artes,quæ operi nostri intellectus innituntur, sunt constructæ; dum scilicet posteriores homines ad inuenta priorum lucubrationes proprias addiderũt; atq; vel simplicium terminorum explicationem, vel propositionum manifestationem, quibus verum aliquid asseritur; aut deniq; earum cõclusionum probationem, quæ ex rõcinatione ducitur, ad clariores certioresve notas perduxerunt; prout cuiusque scientiæ,& artis, cęterarumque facultatum intellectiuarum ratio postulabat. Quamobrem, cum in dictis nostri intellectus operibus tum proponendis, tum dilucidandis, atque comprobandis omnis recte tradita doctrina versetur, atque in ijs ipsis tractandis regulæ quædã requirantur, quæ Methodi idcirco nomen acceperunt, quoniã scilicet rectam docendi viam comprehendant; hinc optimo Sapientum cõsilio factum est (præcipuo auctore Aristotele) vt Methodi huius norma generalis, seiuncta a quacumque sciẽdi determinata facultate constitueretur: qua quidem informata si fuerint hominum ingenia, exinde in oĩbus scientijs, atq; facultatibus tum capessendis, tum diiudicandis, tũ eisdem componendis tutius, atque facilius versari queant.

Tria igitur vt nostri intellectus sunt opera, ita quoque, quæ circa hanc Methodum Organi præcepta traduntur, ad tria potissimum capita reducũtur. Nam primo quidẽ loco (quando rerum omnium essentia decem supremis generibus, quæ Prædicamenta appellantur, præclara admodum ratione sit comprehensa) horum omnium generum significationes in primis proponũtur, & explicantur: tum vt rerum omnium, seu notionum numerus nobis generatim pateat (quod non ignorare haud minime est momenti) tum præsertim, vt vocum omnium aliquid significantium communes quidam typi habeantur, qui simplicibus notionibus respondent, quæ conflantur primo opere intellectus.

Neque vero Prædicamentorum tractatio, quæ in hac generali Methodo habetur, eadem est censenda cum ea, quæ extat apud Metaphysicũ. Ibi enim supremus Philosophus decem genera, quatenus Entis sunt participantia, alta quadam indagine eo scopo contẽplatur, vt hinc rerũ explicatissima cognitio sumatur: neq. vocum, quibus rerum omnium notiones exponũtur, vllam per se propriam habet contemplationem. Cõtra vero in hac Methodo non in eum proprie finem decem summa genera considerantur, vt hinc rerũ aliqua exacta notitia habeatur: sed crassa quadã explicatione eo potissimũ consilio traduntur, & ponuntur (de qua re infra disputandi maior erit occasio) vt hinc ingenia humana, regulas de modo

recte sciendi traditas, sectantia vocum omnium communes significationes assequantur: quibus, tanquam quodā perpendiculo, & rem a re, confusa quadam, ac maxime vniuersali cognitione discernere, & in scientijs, atq. artibus percipiendis, tutius, commodiusq. versari possint: ne, dum decem dictorum generum typi, seu notæ (quarum apud omnes facultates communis est vsus) audiantur, in earum intelligentia noster hæsitās intellectus ob cōmunium istarum notionum ignorationē hæreat, & a rerū exacta cognitione capiēda retardetur.

Secundo vero loco agitur de vocibus complexis: dum aperitur, quæ partes requirantur ad Orationem illam construēdam, quæ Verum, aut Falsum continet, & partium ipsarum qui sit cuiusque vsus, atque munus explicatur: simulq; præcepta dantur, quibus verum, aut falsum in omni oratione dignoscere ualeamus: ita tamen, ut in hac parte methodi nulla determinata alicuius rei ueritas tradatur, ut fit in scientijs: sed tantum uniuersalis, & abstracta quædā norma exponitur, qua possit discerni, quibus nam modis, & quando ueri aut falsi compos euadat oratio enunciatiua. Quod quidem munus operationem illam secundam nostri intellectus respicit, que rerum notiones inuicem aut coniungit, aut separat.

Postremo deinde loco in hac generali methodo de Syllogismi ratione tractatur, quibus partibus cōtineatur, & quot modis construi possit, vt hinc præcepta cōia sumantur ad omnem cuiusuis orationis formam tum iudicandā, tum constituendā, in quo aliquid ex alijs præceptis probetur, aut probari videatur: quod quidem munus pertinet ad postremā illam nostri intellectus operationem, qua, ex quibusdā notionibus iam ante in mente constitutis, inuicemq. coniunctis, ipse idē intellectus in aliarum quarumdā notionum manifestationē, atq. comprobationem certo quodam suo discursu progreditur atq. deducitur. Et qm̄ in omni Syllogismo semper verum aliquid, vt verum est, probari intēditur: verum aūt omne aut solum est apparens, quod re vera non verum, sed falsum est: aut est huiusmodi, quod fluxæ, & mobili humanæ opinioni innixum, probationem quandam præ se fert, atq. idcirco mutari, infringiq. facile potest: aut deniq. est verum necessariū, quod rerum naturā insequitur, & immutabile persistit (hęcq. varietas inde prouenit, qm̄ intellectus interdum in notionibus inuicem coniungēdis fallitur, interdum quibusdam suppositionibus innititur ab humano ingenio, mutabiliq. opinione petitis: quandoq. vero illis etiam notionibus insistit, quæ rerum naturam attingunt immutabilem) hinc non solū præclara, sed valde etiam vtili ratione factum est, Consilio sapien-

pientum (penes quos principem locum tenet Arist.) vt, quæ vel ad apparens verum, cum tamen sit falsum, vel ad probabile verum, vel ad verum necessarium proprie conuenirent, ea seorsum a quacunque rerum determinatarum tractatione, in hac communi methodo complecteretur; non eo quidem scopo, vt in ea veri natura circa res ipsas, has vel illas explicaretur, quæ ex fonte Philosophiæ petenda est, nec non a singulis quibusq; facultatibus, & artibus: sed vt ordinis, modique vniuersi, quo cuiusque generis verum astrui posse videtur, communia hinc pręcepta haberentur; Vnde, & emanarunt, tanquam partes præcipuę Organi, tum Scientiæ demonstratiuæ, nempe demonstrationis, atq; definitionis tractatus, ad cuius normam scientiæ omnes constituuntur: tum opus illud loca complectens communium rationum, quæ ex humanis sententijs constituuntur, quibus constat facultas Dialectica: tum illa denique speculatio, quæ deceptionum genera, locaque continet, quibus sub quadam veri apparentis specie, a veritate aberratur: quod genus ratiocinandi Sophistæ, qui Sapientis personam induunt, seipsos, quales non sunt, fingentes; tamquam proprium ipsorum sectantur.

Quamuis aũt Sapiẽtum consilio hæc oĩa fuerint adinuẽta, & in modos prædictos ordinata: attamen non existimandũ, harum rerum ortum, quæ ad vniuersam hanc methodũ ratiocinandi pertinẽt, aut casu euenisse, aut in lucẽ ita prodijsse, vt eius radices, tãquam antea non extarent, sint deinde alicuius industria, quasi de nouo repenteq. productæ. Quæ cogitatio illorum præcipue mentes inuadere posset, qui Arist. aliquando legerunt in sua Prima Philosophia, in antiquos inuehentẽ, eosq. notantẽ tamquam ignaros Dialecticæ, & modi sciendi, quo caruerint: Atqui id quidem aliqua ratione dici posse videtur, non autem tamquam omni ex parte verũ concedendum est. Etenim, si exacta huius methodi spectetur cognitio, quæ certis regulis sit determinata: vtiq. non verendũ est, asserere, eam non semper extitisse: cum paulatim hanc ipsam formari, ac varia hominum industria longo temporis interuallo elaboratam, ad suam tandẽ maturitatẽ deduci oportuerit: quod de oĩbus artibus, ac de ipsamet Philosophia cõtigit: nihil. n. simul inuentum, & perfectũ est. Hincq. locus Aristoteli patuit antiquiores Philosophos redarguẽdi, propterea ꝙ cõis huius methodi, in qua modus sciẽdi traditur, exactam notitiam non callerent: habebant aũt rudem quandam, & ineruditam, quæ omnibus natura comparatur. Homini. n. quis non videt quandã inesse vim rõcinandi, qua cæteris præstat aĩantibus, cum quotidie rusticos, & alios rudes hoĩes ineru-

Libro 1. Met. c. 6.

ditasq. mulierculas, natura quadã duce rõcinãtes audiamus: modoq. vnũ affirmare, modo alterũ negare: hoc falsum, illud verum, hoc bene, aliud male, deductũ in sermone crassa quadã intellectione cõnotare: vt hinc oĩno perspicuũ esse possit, radices huius facultatis, quæ est ratiocinandi, semper extitisse. Et id quidem non immerito; cum Homo sit ea cõditione natus, vt possit ratiocinari; licet deinde in hoc obeundo munere alter altero præstantior euadat; prout quisque a natura aciem ingenij fuerit sortitus præstantiorem, aut in contemplando studium, & exercitationem maiorem adhibuerit. Id quidem, & Aristoteles significauit in libro 1. Elenc. dum ait. *Quocirca omnes etiam idiotæ quodam modo Dialectica, & tentatiua vtuntur: omnes enim quodamtenus intentant, aliquid enunciantes respondere, & hæc sunt ipsa communia: hæc enim & hi nihil minus norunt, & si valde extra dicere videantur: omnes .n. redarguunt; siquidem sine arte eius sunt participes, quod ex arte tractat Dialectica.* Ex quo etiam facile intelligitur, quãdo ex hominum genere alij probe, alij vero inepte ratiocinari deprehenduntur, ideo hinc normam bene ratiocinãdi cõflari, & cõstrui potuisse; quod & circa facultatem oratoriam cõtigisse consimili ratione elegantissime deduxit Aristoteles in Procœmio Reth. dũ ita habet. *Rethorica respondet Dialecticæ: ambæ enim de eiusmodi quibusdam rebus sunt, quæ communes aliquo modo sunt omnium ad cognoscendum, nec vllius scientiæ definitæ. Itaq; omnes vtriusque aliquo modo participes sunt. Siquidẽ omnes quadamtenus, & exquirere ac quæstionem tueri, & defendere, atque accusare conantur. Ac ex vulgari quidẽ multitudine alij temere hæc faciunt, alij propter consuetudinem ex habitu. Quoniam autem vtroque modo contingit, profecto eadem etiam conficere ratione, et via licebit. Quamobrem enim consequuntur, quod volunt, tum qui consuetudine dicunt, tum qui casu causam perscrutari licet: id quod demum omnes artis munus esse concesserint.* Vnde asserendum est, hunc eximium Philosophum pro hac generali Methodo, de qua præfamur, constituenda nihil adinuenisse, quod non esset in rerum natura: sed solum, quæ laterent, detexisse: adeo vt ipse quidem animaduertens, quinam ratiocinandi igniculi cernerentur in homine, qui modi sciendi, qui decipiendi fontes, quæ formæ animi sensus interiores interpretandi, & quæ notionum essent communes significationes; diligenti studio, acerrimoq., quo præditus erat iudicio, hæc omnia perpendens, hęc eadem ad certas regulas redegerit: quibus quicunque essent instructi, in ijsdem excellerent, & longe promptiores, & tutiores in munere ratiocinandi sese præstarent.

Lib. 1. Elen. c. 11.

Qua

Qua ratione Methodus, quæ communis est ad omnes scientias, tum Logica, tum Organum appelletur, ita quidem seiuncta existens ab omni scientia, vt pars Philosophiæ proprie non sit censenda, licet ex ea quodam modo prodierit vti conflata a viris Philosophis.

IAm vero ad eas rationes accedamus, quibus potissimum probari potest, Methodum hãc generalem tum Logicam, tum Organum iure suo nũcupari. Ac Logica quidem, quasi quædam facultas de sermone pertractãs, ἀπο τοῦ λογοῦ deducta merito vocatur: quoniam omnis, quæ hic habetur contemplatio, vocibus sermonem connotantibus innititur. Quod sane optimo institutum est consilio, vt ijs tanquã signis nobis apprime notis, & familiaribus, mentisque nostræ notiones repręsentantibus, ingenia nostra circa ordinem ratiocinandi facilius exerçerentur: iuxta Mathematicorum instituta, qui Theorematum, quæ speculantur, figuras quasdam ad planiorem adolescentum intelligentiam describere consueuerunt. Et id quidem huic Methodo maxime conueniens erat, quæ seiuncta a rerum tractatione (quæ vt sensui subduntur, ita quoque imaginatione, intellectuq; facile percipi possunt) illis tantum notionibus incumbit, quæ Entia rationis nuncupantur. Quæ quidem, quoniam in sola mentis ratione subsistunt, idcirco ab intellectu difficile apprehenduntur: vnde huiusmodi notionum obscuritati, atque difficultati typis, atque signis vocum nobis familiariũ occurrendo, viri sapientes optima ratione consuluerunt: quod quidem in alijs Methodis, in quibus rerum propriæ tractationes habentur, nõ præstatur. Nam etsi in omnibus sciẽtijs perscrutationes, quæ in ipsis traduntur, vocibus omnes explicantur; attamen in ipsis recto itinere allatæ voces ad notiones illas dirigũtur, quarum similitudines in rebusmetipsis, quæ extra Animã subsistunt, sensibus percipiuntur, & inde ad intellectum transmittuntur. Hinc factum, & vt in hac generali Methodo communium notionum significationes sub quadam vocum ratione (quatenus sunt simplices, & incomplexæ) exponerentur, eo scopo nimirum, vt in ipsarum vocum perceptione (quum in Organo nullius rei determinata tractatio habeatur) omnis ista Logicalis (ita dixerim) contemplatio absolueretur, atque comprehenderetur. Hinc etiam, in Oratione enunciatiua voces complexæ perpenduntur, quatenus orationis partes existentes, Nominis, & Verbi, Subiecti, & Prædicati subeunt rationem, in ijsq; veri, & falsi ordo explicatur. Hinc in Syllogismo constituendo eædem cõplexæ voces accipiuntur, qua-

tenus

tenus in ipsa rōcinatione pro medio termino, vel maiori, vel minori ad sequelam inferendā adhibētur. Hinc deniq. propositiones, vt sunt Affirmationes, vel Negationes ex vocibus constitutæ proponuntur, in quibus veri tum necessarij, tum probabilis, tum apparentis (quibus totū Syllogismi genus absoluitur) omnes rationes communes examinantur: vt omnino dicendum sit, sermone vocibusque significantibus, quatenus voces sunt, inniti omnes huius methodi perscrutationes. Ex quo perspicuum fit, quam apte Logicæ nomen huic Methodo fuerit impositum: quod & aliter confirmari potest. Nam, si Arist. complures rationes, quas affert in Philosophia, dum propriam tradidit rerum cognitionem, sæpe numero Logicas idcirco nominauit, quòd ab ipsis rebus exacte declarandis aliquo pacto distarent: quanto igitur magis hi sermones ob subiectam huius methodi materiam Logicæ nomine fuerunt appellandi, cum cuncti in abstracta contemplatione versentur eorum præceptorum, quæ uel ad formam Syllogismorum, uel ad ueri, & falsi ex propositionibus emanatis dijudicationē uniuersalem attinent: uel ad generalem cōium notionum, ipsorum nempe Prædicamentorū explicationem?

Verum huic eidem Methodo Organi quoq. nomen optima ratione est impositum. Nam, cum Organi, seu (vt Latina voce vtamur) instrumenti proprium sit munus, adiumētum illis rebus atq. artibus præstare, quibus inseruit, certe admodum accommodato vocabulo Methodus hæc generalis Logicæ, Organi nomine, nuncupata est, tanquam illud instrumentum, quod magno nobis vsui sit futurum ad omnes scientias, & facultates, & artes, tum dijudicādas, tum cōponēdas.

Non defuerunt aūt, qui hanc eandem Methodū Artis nomine nuncuparunt: quorum opinio nullatenus est acceptanda: si Artis propria Natura attendatur: siquidē (vt patet apud Arist. in lib. 6. Eth.) Ars est quidam habitus animæ rationalis, circa res extra animam conficiendas, quæ & vario modo se habere possunt: veluti ædificare domum, calceos conficere, & alia huiusmodi: quod quidem nil habet cōe cum ijs, quæ in Logica facultate pertractātur. Nemo.n. proprie dixerit, Artis opus esse, explicare notiones decem supremorum generū, quæ appellantur Prædicamēta, aut ꝙ Orationis enunciatiuæ, aut Syllogismi, aut Demonstrationis conditio, & horum omnium ordo aperiatur, quæ oīa in Organo præstantur. Neque etiam proprie ad artis opus attinere dicendum est, ꝙ in Organo ratio tradatur conficiendi Orationem enunciatiuā, uel Syllogismum in genere, aut Demonstratiuum, aut Dialecticū: quando potius est asserendum, hæc omnia sub typis, & regulis

Lib. 6. Eth. c. 3.

lis quibusdam explicari, quatenus prodeunt ab intellectu nostro munia quędam circa ipsum permanentia, & nequaquam ad extra prodeuntia, ut contingit de rebus arte factis. Si autem translati sermonis rationem sequamur, artis nūcupatio huic quoq. methodo Logicali aptari poterit; quatenus dici potest, summa cum arte, id est certis, optimisq. regulis (quibus florere bonæ artes solent) hanc ipsam methodum esse constructam; quod maxime est perspicuum.

Nonnulli quoq. nomē Scientiæ huic eidē Methodo tribuerunt, quod ipsis concedendū est, si Sciētia lata significatione sumatur, pro notitia s. de quacunq. re præcepta, uel extra mētem, uel in mente solum subsistente, iuxta quam sciendi rōnē etiā Grammatica nomen Sciētiæ sibi uēdicaret, cū in ea multa pręcepta tradantur, & doceantur, quæ ad congrue loquendi, atq. scribendi notitiā deseruiunt. Vnde multo magis nomen Scientiæ Organo cōueniret, in quo tā multa, & tam præclara Theoremata traduntur, quæ ad oēm ueri cognitionem seorsum ab ipsis rebus explicatam, ad usum oīum artium, & scientiarū, ad ipsas rite, recteq. tradendas, & contexendas maximā lucē afferunt. At uero si Scientia accipiatur stricto, proprioq; uocabulo, nequaquā Scientiæ nomen Organo conueniet. Verum, quēadmodum Arist. in lib. 7 diuinę Philosophiæ statuit, Definitionē proprie non esse, nisi substantiarū compositarū, & nō aliorū Prædicamentorū, & multo minus earū notionū, quæ extra mentis cogitationē non subsistunt: idq. propterea q̧ essentia rei, quæ per definitionē explicatur, ꝑprie soli substātiæ per se subsistenti conuenit: non itē alijs, quę illi innituntur, & ab ipsa depēdent: concedit aūt latiori modo, & nō proprie, eorum oīum esse definitionē, quorū essentia aliqua oratione explicatur: ita quoq; asserendum vī, q̧ si (vt epxponitur in initio illius partis Organi, quæ Posteriora Analytica inscribitur) scire est causam cognoscere, propter quā res est, & proprie ad ea, quæ sunt extra mentis cogitationē refertur, profecto longe a veritate discedet, qui dixerit Organo Scientię nomen proprie conuenire, cū uniuersum circa ea Theoremata uersetur, quę in sola mentis cogitatione subsistūt, & secundę notiones appellantur ob eā potissimum rōnem, quam postea inferemus. Quòd si aliquis contenderet, in Organo eā saltem notitiā & scientiā contineri, quę ad exactam de Ente rōnis in mente subsistente tractationē pertinet, cū oīa, quę hoc genus Entis concernūt, in ipso pertractētur: nos ex aduerso inferemus, nequaquā in Organo huius Entis naturā, quatenus est Ens, explicari: qđ (ut munus propriū) relinquendū est primo, & diuino Philosopho: qui uniuersi Entis, quatenus Ens, est cō

Lib. 7. Met. c. 4.

Lib. 1. Post. Analist. c. 1.

templator:

tẽplatoria quo deinde primo Philoſopho Artifex,ſeu cõſtructor Organi (qui certe nõniſi vir Philoſophus eſſe potuit) accipiẽs hãc Entis ſpẽm Ens rõnis nuncupatũ, circa ipſum contexit doctrinã certis regulis comprehenſam, in ipſa tradens ea Theoremata,quibus ad omnem cognoſcendi modum,iuxta Ens in mentis cognitione poſitũ inſtruamur,ad omnium artium,atq. ſcientiarũ vſum,quod quidem opus maxime eſt eximiũ,& ad recte philoſophandum ſummopere neceſſariũ.

Quæstio perpaucis diſſoluitur, num Logica ſit nec ne pars Philoſophiæ.

Hinc,& antiqua illa quæſtio,quæ multorum ingenia torſit,num ſub Philoſophia tanquam eius pars ſit reducenda,nec ne Methodus hæc,in qua de modo ſciendi agitur; facile,vt nobis videtur,ex præhabitis lucubrationibus diſſolui poteſt: de qua cum variæ opiniones extiterint,innumeraque propemodum hinc inde ſint cõgeſta argumenta, nos vtilitati iuuenum maxime conſulentes,ita ex Ariſt. ſententia,qui hãc Methodum (vt ſupponunt Græci expoſitores) Organi nomine inſcripſit, modumq. ſciendi in lib. 2. Diuinæ Philoſophiæ nuncupauit, breuiter conſtituimus, ipſam non eſſe Philoſophiæ partem, ſed Organum proprie eſſe cẽſendum, vt quid diſtinctum a Philoſophia ob hãc potiſſimum rationem. Nã, vt earum rerum,quæ ad actiones ſpectant (quod & de artibus nonnullis dici poteſt) quamuis multæ tractationes præclara cum ſpeculatione de illis habeantur,vt patet ex Ethicis, & ex Politicis ſermonibus;hæ tamen proprie ad contemplatricis Philoſophiæ nomenclaturam non referũtur, quoniam ipſarum ſcopus ad vitam bene inſtituendam, & ita ad agendum dirigatur:ita quoque,cum in huius Methodi doctrina, quæ ſane multiplex eſt, in eum finem ſit conſtructa, vt hinc modus, & ordo nobis comparetur, quo ſcientias omnes, & artes, reliquaſque quaſcunq. particulares methodos recte capeſſamus,atq. tractemus,munusq. proprium inſtrumenti id ipſum ſit,vt rebus alijs præſtet adiumentum; idcirco optima ratione factum eſſe dixerimus,vt doctrina ſub methodo Logicali contenta (qua traditur norma perutilis ad omnes facultates,& artes,atque ſcientias tum comparandas, tum diiudicandas, tum etiam componendas) ab vltima ſui notione, atque ſcopo Organum appellaretur: atque ita congruo ordine a Philoſophia certo quodam diſcrimine Logica facultas ſecerneretur. Quandoquidem aliud eſt Philoſophiæ,cęteriſque facultatibus operam nauare, & aliud modum ſciendi pernoſcere atq; tractare. Neque vero illud denegandũ,quin,

Libro 2. Met. c. 3.

quo

quo magis rerum inter se diuersarũ distincta instituitur tractatio, eo etiam luculentior, & exactior nobis rerum omniũ notitia comparetur. Vnde, & optimo sapientissimorum hominum consilio factum est, vt scientiarum, & artium, & omnium facultatum inter se diuersarum diuersa quoq. traderẽtur atq; constituerentur genera. Vnde Aristoteles prope finem lib. 2. Diuinæ Philosophiæ aiebat, Scientiam, & modum sciendi simul non esse quærendum, per *modum sciendi*, hanc Logicalem methodum intelligens Organi officio fungentẽ, quæ sane a scientiarum perscrutatione seorsum est tractanda, atque percipienda.

Libro 2. Met. c. 3.

Qua ratione nonnullæ facultates, quæ etiam Logicæ possunt appellari, ab Organo seiungantur.

SVnt vero & nonnullæ aliæ facultates, quæ, cum de sermone pertractent, Logicæ appellari solent, quæ tamen ab Organo valde sunt seiunctæ; veluti Grammatica, & Ars dicendi ipsa facultas Oratoria, & Poetica imitatrix actionum humanarum: quarum quidem Grãmatica magis simplex, minusq. duabus reliquis permixta est, regulas tradens recte loquẽdi, recteq. scribendi: vtpote facultas illa, quæ quid congruum, quidue incongruum sit in sermone tantúmodo considerat, ad sensus, conceptusq. rerum non pertingens, neq; de affirmandi, aut negandi modis, aut de ratiocinio verbum vllum habens. Et licet hæc ipsa ad omnes artes, atq; scientias explicandas sit necessaria, cum quisq; probatus auctor vsitatam loquendi formam in quocunque idiomate sequi lege quadam teneatur, attamen simpliciter Grammatica fuit appellãda, & non Organum: hoc enim tam excellens, atq. absolutum Organi nomen illi tantum facultati, atque Methodo erat tribuendum, ex qua præcepta sumerentur ad omnes scientias, & artes perficiendas, ad ipsam quoque Grammaticam recta cum ratione constituendam.

Poetica autem facultas rerum particeps est multarum, quę tamen his præcipuis clauditur finibus, vt præcepta statuat actiones humanas recte imitandi ad animos tum recreãdos, tum in primis in omni genere virtutum componendos: eáq. habet de sermone considerationem, vt eum suauem, iucundumq. componat, quo (vt hamo pisces) sic audientes capten tur: De ratiocinio autem nulla tradit præcepta, & orationũ earum, quæ ad passiones animi explicandas, & commouendas inseruiunt, qualis est Optandi, Imperandi, atq. Deprecandi oratio, curam lõge maiorem habet, quàm illius orationis, qua sensus animi internos ita interpretamur, ut in illis aut ve

rum,

rum, aut falsum semper comprehendatur: quorum omnium considerandi ratio ad Organum quàm maxime spectat.

Rhetorica vero & ipsa quoque permixta est. Nã, quamquã in persuadendo uis eius tota sit posita, quod potissimũ mune re argumentandi obtinetur, & suarũ argumentationũ certa præcepta tradat, attamen & multa alia pręter rõnem argumẽtandi contẽplatur, veluti, quę ualeant affectus in animis humanis cõmouere: quę reddant orationẽ tum cõgruam, tum facilem, ornatam, & quę nã priori loco, quę ve posteriori sint agenda: ac deniq. qua facie quoque motu corporis oratio sit habenda ab oratore, & alia huiusmodi, quibus admodũ multiplex, ac permixta euadit Rhetoricæ facultatis contẽplatio, quæ tamen de modo ratiocinandi pręcepta affert, ea fere omnia ab Organo mutuatur. At uero ipsius Organi doctrina, quamuis de sermone, eiusque partibus existat, nullam tamen cõgrui, & incongrui sermonis rationem habet, ut Grammatica: quemadmodum neque perpẽdit, (quæ maximæ curę sunt Poetę, & Oratori) unde nam grauis, aut suauis, aut facilis, aut ornata reddatur oratio. Non .n. hęc exteriora, ac uelu ti corticẽ sermonis Logicę methodus insequitur: sed medullã, interioresque perscrutatur sensus, qui sub oratione teguntur, dum pręcepta tradit de omni ratiocinationum genere struendo: modosq;, & rationes explicat negandi, & affirmandi, iuxta veri & falsi oppositionem: ac uocum deniq; ipsarũ simplicium cõmunes affert conceptiones: quę omnia ad quascunq. scientias, & artes, & facultates, tũ intelligendas, tum construendas communia quędam existunt rudimenta: ex quibus magnum (ut iam præfati sumus) adiumentũ sumitur: licet deinde nullius facultatis propria, definitaque hinc cognitio proueniat: quam tamen in rebus ipsis tractandis illi tantummodo rite, sciteque consequuntur, qui Organi prędicti regulis innixi, studioq. accurato adhibito, hinc bene cautos separare se se ad scientias, & artes capessendas conferunt.

Organi quæ nam sint præcipuæ partes.

ORganum aũt sex pręcipuis partibus continetur, quarum tres magis compositę, reliquę vero sunt simpliciores: Cõpositarumq. partiũ illud est discrimẽ, quo & genera rõcinandi inter se maxime distinguuntur. Nam, cum nobis natura ita sit comparatum, ut rõcinantes interdum (sicuti antea quoq. innuimus) eiusmodi sermonem afferamus, qui rerum ipsarũ intimã naturã permeans, ex quibusdam præacceptis, non solũ ueris, sed ẽt necessarijs suppositionibus, eam nobis scientiam

comparet,quæ sit immutabilis: nonnunquã uero ea argumẽta conferamus ad construẽdas nostras positiones, uel alienas improbandas, quæ probabilitatem, non aũt necessitatẽ præseferant (quod maximè congruũ est euenire,cum ex solis imbecillibus, leuibusq. humanæ opinionis fundamẽtis sint deducta:) sæpe etiã numero rõne utamur Sophistica,hoc est,fucata, & apparenti,ac minime uera rõcinatione: Hinc in maximum humani generis commodum cessit,ꝙ a præclaro Logicæ instrumento facultas illa suppeditaretur,qua triplici rõcinationum genere ingenia nostra, priusꝗ; ad scientias sese applicarent,informarentur Itaq., tũ de Demonstratione, quæ rõcinatio constans ex principijs necessarijs,Principẽ in scientijs locum obtinet: tum de Locis probabilibus,quæ ex humana opinione desumuntur,tũ de Sophisticis Elẽchis libri sunt confecti,qui oẽs huius Organi opere continentur. Nã & rõnes illas Methodo designare, Quæ sint peccantes,& Quibus fallacijs ingenia nostra in sermocinando obuoluantur, certis regulis denotare,ꝗ maxime decens erat:non ut hæc in scientijs adhiberemus, sed vt ab importunis molestijs Sophistarũ nos ipsos eriperemus: quẽadmodu & elegãtes Medici veneni naturã contẽplãtur eo consilio, vt eius bene perspecta ui atq. natura, hinc congruã affectis veneno medicinã parare discãt.

Sunt ꝑterea Organi tres aliæ partes,tribus enumeratis partibus simpliciores,quæ ad tria prædicta genera rõnum antecedunt, eoq. ordine inter se distinguuntur, vt Vni parti primus locus, Alteri secũdus,tertius Tertiæ iure quodã proprio tribuatur. Et vt a posteriori,vti magis composita parte exordiamur,hæc illa pars est,in qua de ordine Syllogistico agitur, vbi forma distincta,& elaborata proponitur,qua cuiuscunq. generis rõnes (veluti charactere quodam varia Tabellarũ genera imprimuntur) constitui possunt: siue Affirmatiuam,vel Negatiuam,siue Vniuersalẽ, aut Particularem positionẽ construere,vel improbare intendamus. Cum aũt Syllogismus orationem mẽtis notiones interpretantem contineat, quæ verum aut falsum complectitur,iure ante Syllogismi tractatum de Orationis genere primo informandus animus erat: vnde liber Perihermenias, seu de Interpretatione ortum habuit. Cumq. in oratione partes quędam in Nomen,& Verbum distributæ contineantur aliquid significantes, rerumque omnium significationes miro quodam artificio in decem suprema genera comprehendantur; ideo ab oratione interpretante ad uocum omnium huiusmodi explicationem ingeniũ nostrum primo erat reuocandum.

Quare sex istis præcipuis,summisq. partibus totum Organi

ni negocium abſoluitur: nẽpe, Prædicamentorum, Orationis ſenſus animi interpretantis, Syllogiſmi in genere, Demonſtrationis, Locorum probabilium, & Sophiſticarum deceptionũ contemplatione. Cęterum, quinam ordo ſit ſeruandus inter poſtremo loco enumeratas partes, in quibus agitur de Scientia demonſtratiua, de facultate Dialectica, atq; Sophiſtica, opportunior deinde ad id diſcutiendum erit locus: cum interim id ſit ſtatuendum, citrà omnem dubitationem Organi primum locum deberi libro Prædicamentorum: huicq. conſequi librũ de Oratione enunciatiua: tertio vero loco Libros illos collocandos, in quibus de Syllogiſmo in genere tractatur, & Priora Analytica, ſeu Reſolutoria nuncupantur.

Quonam modo omnes Organi partes in vnam intentionem, ſeu in eandem ſubiecti communem rationem coeant.

VErum, cum plures Organi partes ſint enumeratæ, iam in quæſtionem verti poteſt, num hæ omnes in vnam cõmunem intentionem, in vnumq; ipſis commune ſubiectum coeant, quod Grãmaticæ, Muſicæ, Arithmeticæ Philoſophiæ de natura, alijsq. methodis vſu venire acceptum eſt. Vt autem de Subiecto prius diſſeramus, cum ad Subiectum, quod in quacunque ſcientia ſupponitur, requiratur, vt ipſum ſit ſimplex, & maxime commune, & aliqua ratione vnum, ad quod reliqua omnia in tractatu contenta referantur, quemadmodum in doctrina librorum Analyticorum cõſtitutum eſt ab Ariſtotele: vtiq. ex Organi partibus enumeratis ſatis difficile eſt ſtatuere, cui nam earum potiſſimum Subiecti communis ratio accommodari queat. Nam in primis quidem nec Syllogiſmo demonſtratiuo, neque Topico, neque Sophiſtico id conuenire cenſendum eſt, quando hæ omnes ſpecies Syllogiſmorum ſunt compoſitæ, & ita differentijs illis inter ſe diſtinctæ, vt vna ſub alia non comprehendatur: Vnde hæ omnes ad Syllogiſmum in genere comprehenſum eo modo referuntur, quo in Philoſophia naturali mixta perfecta, & imperfecta, plantæ, & animalia ad corpus mobile, ſeu ad naturam, tanquam ad proprium eorum genus reducuntur, vti ſpecies, & partes Subiecti generis: non autem in vllo horum vniuerſi ſubiecti naturalis ratio communis clauditur. Quãobrem a ſimili arguendo, cũ & demonſtratiuus Syllogiſmus, & Topicus, & Sophiſticus ſint ſpecies Syllogiſmi in genere accepti, certe ſinguli ad partem quandam Subiecti pertinebunt: non autem ab vllo ipſorum ea Subiecti ratio comprehenditur, quæ ſit communis Organo, vniuerſæq. Logicæ facultati.

Libro 1. poſt Analyt. cap. 7.

cultati.

cultati. Et licet Demonstratio ob suum præstantissimũ sciendi modum alias Syllogismi species dignitate quadam longe antecellat; attamen nec ipsa tanquam commune ipsius Organi subiectum est statuenda; sed ipsam quidem reliquis Syllogismis quadã prærogatiua ob eius præstantiam præcedere ea ratione concedendum est, qua in Philosophia quoque naturali, præcipua potissimaq; est de homine contẽplatio ob præstantem, atq; diuinam, qua prędıtus est, animam intellectiuã; atque ideo in tota scientia de natura primarius in hominis tractatum scopus dirigitur: in quo tamen subiectum, quod commune sit vniuersis rebus naturalibus, minime continetur. Vnde asserere quidem debemus, potissimam totius Organi tractationem in methodo consistere demonstratiua; at non in ipsa claudi communis subiecti, quod conueniat Organo, rationem generalem.

Quamobrem, cum has prædictas omnes ratiocinij species Syllogismus antecedat; idcirco genus earũ iure merito Subiectum commune totius Logici negocij Syllogismo conuenire videretur, cuius species & partes essent tum Demonstratiuus, tum Topicus, tum Sophisticus syllogismus; Quod & nonnulli pręcipui philosophi opinati sunt; illud etiam adijcientes, quòd ad tractatum Syllogismi connectatur, & reuocetur etiam tractatio de Oratione, & de prædicamentis; cum Syllogismus constituatur ex propositionibus, quæ in orationem enunciatiuam, & in terminos ad simplices notiones attinentes resoluuntur. Verum & huic assertioni aduersatur illud idem, quod antea deductum est aduersus species Syllogismi: quæ quoniam ad genus syllogismi vti eius species & partes referuntur, ideo ex ijs nulla in Organo totius subiecti communem rationem sibi vendicare potest: Etenim & Syllogismus acceptus in vniuersum constituitur ex Oratione tanquam ex quodam genere suo: siquidem Oratio multiplex existit, cuius pars, & species est etiam Syllogismus, nempe Oratio syllogistica; vnde in eius definitione accipitur.

Sed & illud consequenter inferendum est, neq; in oratione statui posse vniuersale Subiectum totius Logici negocij; quando & ipsa Oratio ex vocibus significantibus, seu ex communibus omnium generum notionibus constituitur; adeo quod ad Prædicamenta, quæ primum locum tenent in Organo, eo modo se habet Oratio, quo & Dictiones, & Syllabę ad litterarum elementa (ex quibus constituuntur) tanquam earum species referuntur: ita enim & Oratio omnis, vt est significatiua, ad simplices notiones, seu ad voces simplices significantes, vti species ex illis constituta refertur: atq; ideo

& ipsa Oratio vti pars atq; species Organi censenda est: adeo quod neq; in Oratione communis totius Subiecti logici ratio adimpletur. Idcirco Prædicamenta, quæ vsque adeo simplicia, & prima sunt, vt in quidpiam aliud ijs ipsis prius aut simplicius non resoluantur, communis subiecti rationem in tota Logica perscrutatione obtinere viderentur: cum præsertim omnes alias partes Organi antecedãt, & in alijs omnibus inueniantur. Verum, cum Prædicamenta numero decẽ sint, & non vnum, hinc ab vniuersitate, & simplicitate illa Subiecti cadere videntur, quam in proprio cuiusq: rei tractatu requiri iam antea constituimus.

Hinc aliqui moti sunt ad opinandum, quòd Subiectũ totius Logici negocij sit Ens rationis, quod nemo inficiari debet, quando ea omnia, quæ in Organo tractantur, huiusmodi sunt, vt in Animæ rationalis sola comprehensione subsistant, prout infra explicabitur: Vnde Entia quoque rationis merito appellata sunt. Verum etsi id maxime sit conspicuũ omnes scilicet Organi tractationes in Ente rationis cõuenire: attamen illud minime concedendum est ab artifice Logico de Ente rationis, quatenus est Ens, pertractari: id enim muneris iam antea constituimus ad primum Philosophum attinere, qui vniuersum Ens summa sua amplitudine complectens, cuiusq: Entis, vt Ens est, modum atque rationem contemplatur. At Logicus de Ente rationis, quod a primo Philosopho per se, & proprie consideratur, tantummodo explicationes, atq; præcepta tradit, quæ ad omne genus determinatæ cognitionis possint inseruire: adeo quòd Logicus de Ente rationis non ita pertractat, vt eius naturam explicet, quatenus ad ipsum Ens commune genus refertur: sed circa hoc ipsum ita versatur, vt ei inhærẽdo explicationes, atq. præcepta tradat ad normam omnium Methodorum inseruientia. Vnde Entitas Subiecti, quæ Organo conuenit, neque Enti rationis, quatenus Ens est, proprie accommodari videtur.

Itaq: præfationibus iam ante habitis, veluti totius huius Fabricæ fundamentis inhærendo, cum iuxta tria opera nostri intellectus (quorum primũ continet incomplexarum, & maxime communium notionum perscrutationem; secundũ earumdem communionum sub veri, & falsi ratione considerat, ac tertium circa normã, & ordinem penes genus ratiocinandi versatur) totum hoc Logicum negocium ita absolui statuerimus, vt ipsius pars Vna, quæ prima est, primo operi intellectus, Secunda secundo, & Tertia tertio operi respondeat: simulque docuerimus huiusmodi omnes tractatus vocibus communes notiones significantibus inniti, & insidere;

co

eo sane prudenti consilio, vt vocibus, partibusque sermonis, atque ipsi sermoni, qui vt familiaris, ita maxime in promptu nobis est, præcepta notionum, quę in sola animæ ratione atq. comprænhensione consistunt, commodius, faciliusq: exponerentur, atq. comprænhenderentur: Idcirco, primum vnum, ac simplex, ac maxime commune Subiectum, in quod omnes Organi partes ita coeant, vt ipsum ne vna quidem particula effugiat, hoc esse existimaremus, nempe vel communes rerũ notiones modo Logico perceptas, vel (vt explicatius loquamur) voces ipsas, vt communium notionum sunt significantes: ita tamen, vt Analogice, tanquam ad vnum primum, ad ipsam substantiam reuocetur prima Prædicamentorum significatio, a qua reliquæ aliorum Prædicamentorum notiones dependeant, & notificentur. Et hanc quidem fuisse sententiam Aristotelis ex ea diuisione colligere licet, quam ante Prędicamenta tradidit de Complexis, atque Incomplexis vocibus: quas deinde in decem genera rerum in ipsa scilicet generalissima Prędicamenta distinxit: nimirum ita in voces significantes rerum communes notiones hunc in modum complectens Subiectum illud, penes quod omnis Logica tractatio esset constituenda: Quod quidem subiectum eiusmodi erit, quale, & illud, quod Aristoteles in libro 1. Post. Analyt. agens de pręcognitis scientiarum assignauit, tum Arithmeticę, tum Geometricę, dum Geometrię puncta, atque lineas commune Subiectum constituit: Arithmeticæ vero vnitatis, quibus vicissim vtriusque scientię Theoremata omnia innituntur. Neque enim dubitandum est, quin circa voces, eo modo, vti prædiximus, acceptas, tum omnia Prędicamenta, tum vnaquęque Orationis enunciatiuæ propria pars, atque ipsa tota enunciatio, nec non Syllogismi particulæ, ac totus Sillogismus, ipsiusque Syllogismi species omnes vniantur, atque ita vniuersæ huius methodi doctrina explicetur. Quandoquidem Syllogismi omnes in Propositiones resoluuntur: Propositiones autem in Terminos, qui ad Nomina, & ad Verba, & ita ad Voces incomplexas decem Prædicamentorũ reducuntur; Vnde totius Logici negocij commune Subiectum in ipsis Prędicamentis consistere, eo modo vti explicauimus, supponendum est.

Lib. 1. Post. Analyt. c. 8.

Quod vero attinet ad Organi intentionem seu scopum (qui in ijs, quæ ad aliud referuntur, quod artibus omnibus præcipue contingit, præclare a subiecto distinguitur, vt patet de Medicina, in qua de hominis natura sanitatis ergò consideratur) dicendum est, prædictum Organum in ordinem doctrinę reductum, & in eum pręcipue scopum esse directũ;

vt hinc norma generalis circa modum ſciendi deſumeretur: qua deinde ſcientias omnes, & artes, ac cuiuſuis generis facultates facilius, tutiuſque aggredi, atque diiudicare, eaſdemque contexere poſſemus; quod ex Poſterioribus Analyticis potiſſimum petendum eſt. Quemadmodum etiam ad facultatem acquirendam de quacunque re probabiliter diſputādi (quod & ad ſcientiarum principia magis confirmanda deſeruit) libri Topici ad Dialecticam ſpectantes ſunt conſtructi, nec nō libri Elenchorū ad Fallacias Sophiſticarum euitandas.

Et hæc quidem de communi Subiecto totius Logici negocij a nobis conſtituta explicatio, hinc etiam magis confirmari poſſe videtur: quoniam ſi ens rationis (circa quod Logicum artificem verſari communiter ſupponitur) Subiectum in Organo ſtatuatur, oporteret, quòd in aliqua Organi parte ex enumeratis, tanquam prima, & omnibus alijs partibus cōmunis Subiecti ratio conſtitueretur. Vnde redibit ſuperius allata diſputatio, in qua concluſum eſt ob difficultates, quæ militant aduerſus alias omnes Organi partes, ad Prędicamenta denique confugiendum eſſe, vt in ipſis totius Organi commune Subiectum ſeruetur: Verum aduerſus hanc poſitionē (ſi Ens rationis ſimpliciter conſideretur in Logica facultate) id maximopere aduerſatur, quòd Prædicamenta inter Entia rationis, ſeu ſecundarum notionum non proprie conſtitui poſſe videntur, cum vere ſint Entia; quemadmodum & vt Entia ſunt, a primo Philoſopho in Metaphyſica conſiderantur: unde non defuerunt, qui hanc ſententiam tueri profiterentur, Prędicamenta ad Logicum negocium non pertinere: aduerſus quos opportuniori loco ſuſcipienda erit a nobis diſputatio. Interim autem Priora nobis deducta concluſio circa totius Organi commune ſubiectum, ex nunc dictis magis etiam confirmari videtur; vt ad Prędicamenta, quatenus vocibus annectuntur ſignificantibus ſuprema decē genera iuxta communes Entium omnium notiones, Subiecti Logici ratio communis omnibus partibus Organi referatur; ita tamē, vt non ita exactæ regulæ penes commune Subiectum Organi quo ad eius omnes partes ſint expetendæ, quales in partibus ſcientiarum circa commune earum Subiectum ob rationem rerum, de quibus in ipſis agitur, inueniuntur.

IN

IN PORPHYRII LIBELLVM DE QVINQVE VOCIBVS
Præfatio.

In qua perpenditur vnde nam harum vocum origo pendeat, & sub qua ratione hic considerentur.

HIs præhabitis lucubrationibus, quas ad totius Organi dilucidationem plurimo vsui futuras existimamus, iam a Prædicamentis, tanquam a priori,& simpliciori Organi parte (vt patet ex ijs quæ præmisimus) initium sumendum videretur, quod tamen non facimus, vulgatam consuetudinẽ insequentes, quæ iam pridem inualuit, vt in Porphyrij libellum de Quinq; Vocibus ingenia iuuenũ prius exerceatur. Id autem eo ne iure fiat, quoniam ad Organi agnitionem opusculum hoc quàm maxime conferat, an quia ad eiusdem absolutam, perfectamque tractationem omnino sit necessarium, deinceps spectabimus. Nũc Porphyrij scopum preludio quodam explicemus, qui est exponendi, quidnam his Quinq; vocibus significetur, nempe Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidẽti: quibus quidem vocibus, seu notionibus, quodãmodo oĩa cõprehenduntur, quæ nostra amplectimur intellectione, vt patebit ex his, quæ nunc præfari constituimus. Hucque valde optamus, vt dirigant aciem ingenij adolescẽtes, totisque viribus incumbãt ad lucubratiũculam hac nostram studiose assequendam. Cum.n.ijs prodesse quàm maxime studeamus, erit fortasse, vt ex hac nostra cõmentatione, si plene eam perceperint, maximum adiumentum nanciscantur ad totam philosophiam capessendam.

Illud itaq; ante omnia statuimus, quod est verissimum, omnẽ nostram cognitionem trahere ortum a Sensu: quod vnicuique exinde patere potest; quando rebus omnibus, quæ ab intellectu nostro apprehendũtur, ne una quidem ad minimum est, cuius aliquod semper in Sensu uestigium non appareat. Differt autem cognitio sensitiua ab intellectiua in hoc præcipue, quòd Sensus uersatur circa singularia, Intellectus autem circa uniuersalia: ueluti Socratem sensu compræhẽdimus tali, ac tanta extensum magnitudine, hoc vel illo modo coloratũ sui effigiem habentem, & alijs tũ corporis, tum animi uarijs qualitatibus præditum: quæ quidem omnia simul collecta in nullo alio ex hominibus inuenire licet. At Intellectus de rebus hisce singularibus cognitionẽ (sensus interuentu) ita arripit, ut abstracte, & seorsum a conditionibus materiam obsignantibus atque præfinientibus, ipsarum natnrã apprehendat, ope sane summi diuiniq; luminis influentis intellectus agẽtis nuncupati. Veruntamen cognitio sensitiua in hoc concors est cũ intellectuali, quòd, sicuti Sensus ab initio apparet imbecillis, & in dies fit uegetior, & exactior in opere sentiendi, donec ad certam quandam sui perfectionẽ perdu-

catur: ita quoque Intellectus paulatim in munere suo intelligendi in dies euadit præstantior. Etenim (sicuti notissimũ est) in ætate puerili non ita exacte a nobis res percipiuntur, sicuti postquàm magis in nobis inualuerit natura. Atque ideo pueri appellant omnes homines patres, ob eam similitudinem, quæ communis in omnibus hominibus existens, ipsis repræsentatur; ut qui ob earum imbecillitatem nondum ualeăt suorum genitorum imagines distinguere ab aliorum hominum imaginibus; Sed ijdem postea facti sensu ualidiores, a parentum suorũ simulacris sæpius percito, hinc deinde pueri germanos ipsorum parentes ab alijs hominibus secernentes, hos suos, uti proprios genitores agnoscunt, & patris matrisue nomine nũcupant, nõ alios quosque homines. Ita igitur quid consimile contingit penes nostrũ intellectum, cuius ad intelligendum potentia (cum sit tanquam tabula, in qua nihil sit descriptũ) hinc in rerum formas cõuertitur: primo quidem obscurius, deinde uero clarius ætate procendente. Quemadmodum etiam in operibus, quæ ab intellectu rerum formis iă potito proficiscuntur, prius communis quædam, atque confusa cognitio anteit, deinde uero particularis, atq; magis distincta consequitur: iuxta quem ordinẽ, & duplicem hanc notitiam, si recte animaduertatur, uniuersa ab Aristotele contexta, & tradita est de rebus omnibus philosophia. primo quidem in genere quodă confuso, postea uero distincte iuxta singulas quasque determinatas partes.

Verum, ut præclarius nobis pateat, vnde nam hæc uaria scateat tum confusa, tũ distincta intellectiua cognitio, & simul generis, & speciei, aliarumque uocum, de quibus præsens futurus est sermo origo, atq; constitutio nobis innotescat, nonnulla sunt præmittenda, quæ ad horum intelligentiam non mediocrem (ut iudicamus) lucem sunt allatura.

Illud itaque in primis est aduertendum, rerum, quas quotidie cernimus atque tractamus, eum esse statũ, atq; natura, vt inter se partim sint similes, & partim dissimiles atque diuersæ: quod præ ceteris facile conspici potest in hominis, & bouis, & equi, & leonis, totq; aliorum animantiũ natura, quæ & similis, & dissimilis in omnibus reperitur.

Secundo non ignorandum, ꝙ unaquaq; res ab intellectu nostro considerari potest, aut iuxta propriam distinctamq; naturam, aut iuxta eam quæ & aliis pluribus rebus sit communis, a quibus aliqua etiam ratione distinguatur; ueluti homo comprehendi potest, aut secundum ipsius propriam essentiam, quatenus & rationalis, & scientiæ capax; aut secundum eam, quæ sit communis etiă alijs pluribus rebus, ueluti esse corporeum; quod & equo, & plantæ, & lapidi, & tot alijs rebus conuenit, a ꝗbus deinde homo quodă proprio discrimine seiungitur; ueluti quatenus est animal rationale.

Tertio similitudo, nec non & dissimilitudo oĩs, aut est penes res, quæ cõmunicantes in una, & eadem natura inter se nõ distinguũtur, nisi in quantum sunt res singulares, & sensui subijciuntur; aut penes illas res, quę propter conuenientiam cuiusdă essentiæ, quam

habent inter se, quid aliud etiam in propria obtinent natura; quémadmodum dicimus, quòd hominis essentia, ꝙ sit animal rationis capax, communis est omnibus singularibus hominibus, veluti & Socrati, & Platoni, ac reliquis singulis, qui inter se essentia non distinguuntur, quatenus homines sunt, sed solum quatenus singulares, & quidã tales homines existunt inuicem communicantes in eadem humana natura. Contra vero animal ijs pluribus, puta homini, leoni, ac boui, ita est cõmuni animalis natura omnes côueniant; deinde vero inter se distinguuntur iuxta quandam cuiusque ipsorũ propriam essentiam; atq; naturã.

Quarto omnis côuenientia, atq; dissimilitudo, aut est earum rerũ, quæ naturã aliquam constituũt: quemadmodum animal rationale facit hominẽ: aut earum, quæ etsi naturam, atque essentiam rerum non constituunt, attamen ad naturam, & ad essentiã cuiusque rei ita pertinent, atq; consequuntur, vt absque his, ea, quibus inhęrent nunquam inueniantur: quémadmodum risus inest homini, & equo hinnitus: Aut denique est earum rerum, quæ neque naturã entium constituunt, neq; ad naturam rei alicuius necessario ita cõsequuntur, vt sine ipsis ea, quibus insunt, esse non possint: sed alio quodam modo communiori entibus adueniunt, a quibus & abesse posſunt absque naturæ cuiusque interitu: Quemadmodũ albedo, aut nigredo, caliditas, & frigiditas, & alia huiusmodi posſunt inesse homini, & alijs rebus animatis, & inanimatis, & ab iisdem etiam abesse pręter ipsarum corruptionem.

Postremo illud est animaduertendum, rerum omniũ conuenientiam cunctamque dissimilitudinẽ partim posse considerari secundũ ea, quę proprie, & determinate rebus ipsis insunt: partim secundũ notionem ab intellectu comprehensam penitus abstractam ab ipsis rebus: veluti si dicamus, aliud esse considerare naturam animalis, quatenus in pluribus animalibus his & illis inuenitur, cogitando quid sit, & quid efficiat in ipsis natura animalis: Aliud vero est meditari, quidnam sit hoc ipsum sub hac ratione, quatenus quiddã commune est, vt solum quid sit eiusmodi communitas, seiunctim ab omni rerum determinata natura ab intellectu consideretur.

Iis autem omnibus ita constitutis, multa hinc vtilia, atque scitu digna deduci, & adnotari posſunt. Etenim ex preacceptis, in primis intelligitur, vnde nam tam varia, ac multiplex intellectui nostro contingat cognitio; quę certe nonnisi ex varia, atque multiplici rerum natura procedit, quarum formę cum fuerint ab intellectu comprehensæ, necesse est, vt variam quoque atque multiplicẽ in ipso procreent cognitionem.

Confusa autem, & distincta cognitio in intellectu ex hoc pręcipuo fonte procedit, ꝙ cum intellectus noster res apprehẽdat, necesse est vt illas aut côtempletur secundum illud, quod est commune pluribus, aut secundum illud, quod propriam cuiusque attingit naturam. Et si primo modo contempletur, ita fit, vt intellectus in quadam indistincta, proindeque confusa, atq; obscura notitia versetur, vt qui nondum ac determinatam rerum cognitionem perue

nerit. Si uero alio modo munus suum intelligendi obeat, hac ratione in distincta, atque exacta rerũ notitia cõsistere dicendus est; nempe dum rerum contemplationem absoluit, iuxta propriã, atque determinatam cuiusque rei naturam. Semper autem (quod maximopere est aduertendum, & memoriç iuuenum cõmendandum) vbicunque utraque prædicta inciderit cognitio, confusa scilicet, atque distincta, utique confusa prç cedet ipsam determinatam cognitionem, quç post illam inducitur Atq; ideo methodus, de qua prçcipue est mentio in proçmio de physica auscultatione, in rerũ naturalium tractatione huiusmodi est instituta ab Aristotele, vt a cõfusis, quç ibi Vniuersalia appellãtur (quoniam plurima ad unum quid communiter pertinentia simul apponantur, & coaceruatim simul explicentur) ad distincta (quç eodem loco singularia nuncupãtur, ad distinctionem prædictorum Vniuersalium) nos manu ducat: id est a rerum communi, & generali quadã notitia, & tractatione ad earumdem distinctam, atque particularem scientiam: ꝙ fit, dum ab illa communi consideratione res secernuntur, atque ita sigillatim explicantur. Quæ ratio progrediendi in scientijs ualde nobis est familiaris; sicuti & sensui, & intellectus nostri naturç est admodum conueniens, & accommodata, ut paulo ante explicauimus.

Lib. 1. physi.

Generis autem, & aliarum uocum origo, de quibus Porphyrius agit, ex præacceptis quoque facile insinuari, & declarari potest. Etenim generis, atq; speciei cõstitutio ex ea emanauit consideratione, qua intellectus circa aliqđ uersatur, quod pluribus sit cõmune, qđ & magis, & minus potest esse commune. Hinc itaque huius magis cõmunis notio generis nomen accepit; Speciei uero nomen ea notio, quæ minus communis est: adeo ꝙ speciei typo, seu nomine proprie notio illa designatur, quæ pluribus conuenit rebus numero solum inter se differentibus: quemadmodum Homo species quædam dicitur, in qua communis illa consideratur natura, cuius & Socrates, & Plato, & alij singuli homines sunt participes. Generis autem notio illius communis esse dicitur, quod pluribus rebus conuenit, quç diuersa inter se natura differunt, & non solũ quatenus singularia, prout dictum est de specie. Huiusmodi est animal, notionem generis, & eam naturã continens, quç est communis leoni, boui, & tot alijs, quç inter se natura, & specie distinguuntur. Et quoniam, iuxta hanc considerandi ratioñe, hoc ipsum commune magis, & minus extendi potest; hinc quçdam genera maioris, alia uero minoris ambitus exurgunt, donec illi maxime communi occurratur, ad quod nullum aliud est superius genus. Hęc autem communia, quæ suprema genera Prædicamentorum appellantur, dari, & certo claudi numero, interim supponatur, quod deinde ex sequentibus fiet manifestum.

Constitutio autem differentiæ processit ex rerum ipsarum dissimilitudine, dum dissimilitudinis, qua vnius rei natura ab alterius rei natura seiungitur, intellectus noster certam quamdam instituit notionem a rebus ipsis similiter

seiunctam: quæ quoniã semper aliquid cõmune refert, hinc ipsius quoque differentię notio conside rari potest, vel vt pluribus compe tit, quæ sub vna natura, atque spe cie contineantur, & ita differentia specifica proprie appellatur; vel vt pluribus conuenit, quæ inter se natura, & specie distinguuntur; atque ita euadit generica differẽtia; quę similiter (vti de genere dictum est) maioris semper ambi tus fieri potest, donec ad postremam summeque generalem diffe rentiam perueniatur, supra quam alia non cadit differentia.

Rursus vero, cum rerum essentia proprie iuxta rerum determinatas species ab intellectu cõprehendatur (nam singularia, vt singularia, soli potẽtię, virtutiq; sen sitiuæ subduntur) ipsaque essentia ex communibus partim similibus & partim dissimilibus cõstituatur quæ generis, atque differentiæ no tionẽ obtinent; alia vero nonnulla rebus insint, quæ essentiam nõ attingũt; hinc propterea proprij, & accidentis origo, seu constitutio facile deprehenditur; Nam, cum ab his notionibus discesserimus, quę rerũ constituũt essentiã, cætera, quę in rerum speciebus cõ spiciuntur, necesse est (quẽadmodum antea supposuimus) aut huiusmodi esse, ut ad rerum essentiã immutabiliter consequantur, veluti ad hominẽ aptitudo ridendi, & ad equum hinnitus; aut huiusmodi, quòd ad rei essentiam necessario non cõsequantur; sed & in esse rerum speciebus, & ab eisdem abesse absque vllo rerum discrimine possunt. Rebus igitur illis, quę ad specierum essentiã immutabiliter consequuntur, notio illa ab intellectu adinuenta, & cõ stituta est, cui nomen proprij latinè indictum est, græce ἴδιον sicuti & Accidẽs latine, gręce συμβεβηκός. & aliter in alijs idiomatibus attributum est illi notioni, quæ res illas repræsentat, quę ab inter na earum rerũ natura, cui insunt abesse, sicuti & eidem inesse possunt: Quare iam perspicuum factum erit, vnde nam Generis, Dif ferentiæ, Speciei, Proprij, & Accidentis constitutio deriuarit: quorum omnium ambitũ haud ignorandum est, ita late patere, vt nihil sit in rebus vniuersis, quòd (cũ singularia missa fecerimus, quæ Sensu, vt dictum est, nõ autẽ Intellectu comprehẽduntur) sub aliqua dictarũ vocum, seu notionum consideratione non compre hẽdatur: quin, quicquid de rebus intellexerimus, aut generis præse ferat, aut speciei, aut differentiæ, aut proprij, aut accidentis notionem, atque significationem.

De his igitur notionibus Porphyrius tractatum fecit. de eisdẽ etiam in vniuersa philosophia, & in alijs facultatibus agi cõtingit, diuersa tamen cõsiderandi ratione. Siquidem, dum in aliqua sciẽtia, vtpote in ea, quæ est de natura, aliquid contemplamur, veluti animal, quatenus quiddam commune est homini, boui, leoni, & alijs pluribus speciebus, sic in genere, id est generali quadam noti tia perscrutationem de speciebus animalis instituimus. Cum autem hominis, vel leonis particularem naturam explicamus, ita rerũ cognitionem non genericã, sed specificam persequimur; atque ita modo secũdum genus, modo secundum speciem considerari dicuntur ea, quæ tractantur in sciẽ tijs: in quibus etiam notio diffe-

ren-

rentię cadit,& proprij,& acciden tis; dum explicantur ea, quibus conuenit aut ratio differẽtiæ, aut proprij,aut accidentis. Hunc igitur in modum prædictarum notionum in scientijs mentio habetur, non autem in ipsis consideratur quidnã sibi velit hęc vox, seu hęc notio Generis, aut Speciei, aut Differentiæ, aut Proprij, aut Accidentis, quatenus in abstracta sola intellectus apprehensione consistunt, nec determinate rebus ipsis applicantur; iuxta quam considerandi rationem agit Porphyrius in libello suo hoc Isagogico de Quinq; prædictis vocibus.

Cur generis, speciei, & aliarum vocum notiones appellentur Secundæ intentiones.

DIctarum autem vocũ abstractã considerationem, quam tradidit Porphyrius; haud ignorandum est, ad secundas notiones seu intentiones pertinere, ita nuncupatas, quoniam ad quasdam alias notiones, quę priorem locũ obtinent apud intellectum, adhęreant, & consequãtur. Etenim oportet, vt prius ingenerẽtur in intellectu notiones rerum, quæ sunt extra animam: vt puta animalis, bipedis, equi, hinnitus, albedinis, & ꝙ deinceps ad ipsas accedãt hę aliæ posteriores notiones: quatenus animal consideratur, vt est genus, & bipes, vt est differentia: equus, vt est species quędam animalis: & hinnitus, vt est equi proprium: & albedo, vt accidens existit alicuius corporis. Quę quidẽ secundæ notiones a sapientibus viris apte admodum fuerunt excogitatæ, quòd ad rerũ cognitionem tractandam multum commodi afferant; quemadmodum & de omnibus alijs factum est, notionibus, quę ad proprias rerũ ipsarum naturas nõ pertingunt, sed illis adiunguntur, vti posteriores: quarum vsus frequẽs est apud oẽs disciplinas: sed ꝓcipue apud Logicũ, & apud Grãmaticũ. Nã, dum Logicus huic, vel illi rei adaptat, accommodat rõnem nõis, aut verbi, aut subiecti, aut prædicati, aut vniuersalis, aut singularis, ita fit, vt prioribus rerum notionibus ab intellectu perceptis, quibus innititur, adiungat alias notiones. Veluti, dum statuit, ꝙ HOMO (cuius notionem habet præconceptã in intellectu) in hac oratione HOMO est albus] subiecti rationẽ teneat; ALBEDO autẽ homini inexistẽs (cuius notitiã habet præexistentem in intellectu) sit prædicatum relatum ad subiectum, quod ex parte hominis est deputatum. Similiter grammaticus dum verba, aut actiua, aut passiua, aut neutra proponit, vel nomina tractat substantiua, vel adiectiua, & hãc partem orationis, Aduerbium, illud vero Participium, nominat & statuit, & alia huiusmodi pertractat; vtique in illis notionibus versatur, quę ad alias notiones in intellectu prius existentes sunt adiunctæ: vt puta, dum docet, ꝙ AMARE sit verbum actiuum, & AMARI passiuũ, præexistente tñ apud Grammaticum cognitione, quid vtraque vox importet, atq; significet: quod similiter & de omnibus alijs partibus orationis, de quibus tractant Grammatici, asserendum est.

Num ad Organi perfectionem sit absolute necessarius tractatus quinque vocum.

IAm vero ad eam quæstionem ac- Quæstio.

accedamus, qua dubitatur, nũ ad Organi perfectionẽ tractatio prædictarum Quinque vocum sit, necne absolute necessaria. Etenim, quod necessaria sit supponenda, in primis Porphyrij verba testari videntur, libellum suum de Quinque vocibus hunc in modũ exordientis. Cvm sit necessariũ Chrysaori ad eam, quæ apud Aristotelem Prædicamentorum doctrinã &c]Deinde & hac ratione idem confirmari posse videtur, ex loco a simili deducto. Nam, quemadmodum Syllogismi tractatio supponitur necessaria ad cognitionẽ demonstrationis, quoniã Demonstratio est Syllogismus; & Syllogismi itidem notitia præcedentẽ supponit explicationẽ orationis enunciatiuæ, quæ ad Syllogismũ vti genus se habet: & quemadmodum Nomen, & Verbũ antecedũt tractatum orationis, quoniam cõponitur ex nomine, & verbo: rursusq. nomina & verba necessario continentur sub vocibus aliquod ex decem Predicamentis significantibus, vnde fit, vt Prædicamẽtorum cognitio, vti necessaria ad nominum, & verborum, seu vocũ significantium notitiam sit prẹmittẽda. Vt igitur in his omnibus Organi partibus prædicta connexio necessario inuenitur, ita quoque a simili dicendum videtur, quòd tractatio generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidẽtis sit necessaria ad notitiam Prẹdicamentorum: quandoquidem & prẹdicamenta his ipsis vocibus explicantur, cum & genera nominentur, & horum species existant, & differentiæ, & proprietates, & accidentiæ: vnde harum omnium vocũ notitia, vti necessaria ad prædicamentorum tractatum, prẹmittenda videtur, & consequẽter dicendum, eam requiri ad Organi perfectionem. In oppositum autẽ est]communis omnium interpretũ Aristotelis sententia, qui Organũ Logicẹ facultatis ab ipso perfecte traditum constanter adiudicarũt: quod non esset verum, si quinque vocum tractatio ad Logicum negocium esset necessaria, quã Aristoteles prætermisisset. Itaque ad opposita argumẽta respondentes (quod attinet ad illud deductum ex verbis Porphyrij) dicimus id ipsum dilui ex eiusdem auctoris verbis, quæ ad prædicta. Cvm sit necessarium Chrysaori ad eam, quæ apud Aristotelem doctrinam & ad sequentia subsequuntur, dũ ait Vtili existente istarum rerũ speculatione; quibus quidem verbis non necessitatem absolutam, sed eam, quẹ denotet vtile, & cõmodnm Porphyrius insinuauit. Non autem inficiandum, quin ad Prædicamentorum notitiam multum conferat dictarum vocum intellectio, vt supponit etiam Porphyrius. Pro dissolutione autem alterius argumenti, aduertimus, tractatum Quinque vocum habitum a Porphyrio similem esse tractatui de Æquiuocis, vniuocis, & denomiuatiuis, & alijs nonnullis, de quibus Aristoteles egit partim ante, & partim post Prẹdicamenta: Quamobrem, vt hæc ipsa ad Prædicamentorum faciliorem doctrinam sunt explicata (prout infra manifestabimus) ita quoq; dicimus, generis, speciei, aliarumq; notionũm explicationem habitã a Porphyrio, vtilem quidem esse ad intelligentiam faciliorẽ: non autem absolute necessariã ad pfectam Prẹdicamentorum tractationẽ; quasi hæc extra decem supre-

Solut.

Solut.

prema genera Prędicamētorum cadant, & nō sub aliquo ipsorum contineantur: cum tamen notiones æquiuocorum, vniuocorum, denominatiuorū, generis, speciei differentiæ, proprij, & accidentis, & alia huiusmodi plurima, si recte perpendantur, ad relatiua, seu ad prędicamētum, dictum, ad aliquid reducantur. Neque vero interest, ꝙ Prædicamētis hæ voces nempe Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidēs adnectētur, & per hæc explicentur, quasi hinc sit deducendum, quòd huiusmodi notiones, vti superiores ad prædicamenta, sint ipsis etiam anteponendæ, tanquam necessariæ, ex quibus prędicaměta constituātur. Nam, licet cōcedamus, appellationem generis, & speciei, & aliarum vocum aptari ad prędicamenta; attamen id dicimus fieri, quatenus sunt quędam secundę, & posteriores ab ipsis notiones, quę primis rerum notionibus accommodantur: veluti, cum dixerimus, quòd substantia, aut quantum, est genus; Vnde neq; concedendum, quòd huiusmodi notiones sint absolute superiores ad prędicamenta, cum omnino, vti dictum est, sub prædicamento ad aliquid contineantur. Verum aduertendum est, ꝙ quemadmodū de singulari, de ipso indiuiduo, vt puta de Socrate possumus orationem ita cōtexere, dicentes, quòd hic progrediēs Sophronisci filius Simus, philosophus, est Socrates, constituendo Socratē a parte prædicati: & e conuerso possumus etiam orationem ita proferre, dicendo, quòd Socrates est hic progrediēs Sophronisci filius, Simus philosophus, hunc in modū constituēdo Socratē a parte subiecti, adeo quòd cōuerso sermone hęc inuicem explicentur; sed ita tamen vt ad indiuiduā ipsius Socratis substantiā vniuersę orationis fundamentum adhęreat: ita quoque dicimus, has voces, Genus, speciem, differentiam, proprium, & Accidēsesse, dicique notiones relatiuas contentas sub Prędicamento ad aliquid; & e conuerso etiam asserimus Prædicamentum relatiuorum esse quoddam genus & eiusdem esse species, esse differentias, esse & proprietates & accidentia. Quę quidem mutua explicatio ex eo prouenit, quoniam noster intellectus modo a prima notione in secundam progredi potest, & modo a secunda in primam: sed ita tamen, quod secundarum notionū certus, stabilisq; status in res ipsas referatur, quarū communes primasque notiones in supremis decem Prędicamentis comprehendi dicimus, quibus, tamquam fundamentis, omnes secundæ notiones innituntur.

IN

IN LIBELLVM PORPHYRII DE QVINQVE VOCIBVS Explanatio.

Ac primum de eius vtilitate.

CÆterum, cum dictarum quinq; vocum tractationem vtilem esse statuerimus ad Organi faciliorem intellectionem, iam docendi ratio postulat, vt vtilitas hęc explicetur, quę, ex Porphyrij sententia, ad hæc quattuor capita reducitur: nempe, ad doctrinam Prædicamentorum, ad traditionem Definitionis, Diuisionis, & Demonstrationis. Ac primo quidem vtilis est harum vocum tractatio ad doctrinam Prædicamentorum, quoniam in ipsis frequens incidit mentio Generis, Speciei, Differentię, & aliarum vocum, quarum significationem non ignorare valde vtile cēseri debet. Eadem etiam confert ad traditionem definitionis: quandoquidem definitio ex Genere, & Differētijs constat, ex quibus species constituitur; vnde quid ijs vocibus significetur, intelligere valde proficuū est: sicuti id etiam maximopere confert ad Methodum diuisiuam, in qua genus diuiditur in species per oppositas differentias. Deniq; ad doctrinam demonstrationis tractatio harum quinq; vocum valde conducit, cum demonstratio sine definitione, & consequenter absq. vsu diuisionis constitui non possit, propositumq. habeat demonstrare ea, quæ specierum sint propria. Quod si alicui absurdū videatur, ꝙ Aristot. hanc tantam vtilitatem neglexerit, qui nec ante, nec post Prædicamenta vllam de prædictis quinque Vocibus explicationem attulerit, prout egit de Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis, & de nonnullis alijs vocibus: Qui de hoc addubitet, cogitet, & sibi persuadeat, idcirco ab hoc summo Philosopho dictarum quinque vocum tractationem omissam fuisse: aut, quoniam suo tempore harum cognitio admodum trita, & diuulgata esset: aut quoniam in Topicis de his vocibus tractatum fecerit, non ita quidem exactum, qualem Porphyrius tradidit, adolescentulorum ingenijs quàm maxime inseruiens: sed eum tamen, qui satis esset ad harū vocum intelligētiā.

Dubit.

Solut.

Libro 1. Top. c. 1.

A quibus difficultatibus sit abstinendum in quinq; vocum tractatione.

VT autē optime consuleret Porphyrius iuuenum vtilitati in hac quinque vocum tractatione, viam facilem, atq. expeditam inse qui statuens, ab obscurioribus illis difficultatibus abstinuit, quæ præsertim circa genera, & species contingere possent, & sunt in triplici differentia. Vna est, num genera, & species subsistant extra intellectum: quemadmodum subsistit hic homo, vel ille equus, aut non subsistāt extra intellectum, sicuti Hirco Ceruus. Altera, num genera, & species sint entia incorporea, an corporea, nempe habentia Longitudinem, Latitudinem, & Profunditatem. Tertia & postrema, num genera, & species sint entia separa-

rata a rebus sensibilibus, an in solis sensibilibus reperiantur. Etenim Plato, & nonnulli alij ex philosophantibus, ideas a rebus sensibilibus superatas constituebant, aduersus quos sæpenumero Aristoteles in suis operibus, sed præcipue in libris diuinæ philosophiæ pluribus ratiocinationibus disputauit. Ab his igitur magnis quæstionibus, quæ maiorem indaginem requirerent, q̃ quæ conueniat huic propositæ tractationi, omnino Porphyrius voluit abstinere: hinc instruẽs doctores, qui alios erudire profitentur, ne præpostere, & nulla habita ratione iuuenũ præsertim ad scientias introducendorũ, magnas quascunq; quæstiones permoueãt, & eas indiscriminatim vbiq; agitẽt; quo tamen errore multi lapsi sunt, & prolabũtur hac nostra tempestate quàm plurimi,

De triplici Generis significatione.

CVm in quacunque notitia tradenda, ordo docẽdi qui sit cõueniens, maxime sit obseruandus; idcirco non ignorandum, iure merito tractatum de Genere anteponi aliarum vocum tractationi. Ac primo quidẽ ipsi Proprio, & Accidenti: quoniam Genus ad rei substantiam, & essentiam attinet, quæ ordine naturæ antecedit rerũ proprietates, & accidentia, quæ absq; substantia non existunt, Speciei autem anteponendum quoque erat genus, propterea quòd species supponitur generi, ex quo etiam constituitur, vt sine genere non subsistat: veluti Homo non consisteret absq; natura animalis. Similiter etiam antecedit genus differentiç, quæ supponitur generi, cuius est differentia: supremum quidem generalissimum genus est huiusmodi, vt nullam habeat differentiam, ex qua constituatur: sub ipso autẽ differentiæ, per quas diuiditur, omnes continentur.

Cum vero Genus pluribus modis dicatur, ne ob obscuritatem nominis, eiusque æquiuocationem laboremus. idcirco, prius generis variæ significationes sunt aperiendę, vt illi deinde insistamus, cuius propria futura est in hoc tractatu explicatio.

Primo quidem igitur Genus dicitur congregatio multorũ hominum, qui ab vno primo emanãtes, inter se ita coniunguntur, vt ab illo primo nominationem accipiant quemadmodum est genus Cecropidarum, qui a Cecrope deriuarũt & ab ipso nomen acceperunt: qui deinde distinguũtur ab alia hominum multitudine in vnum pariter collecta, & ab alio principio emanante, sicuti Romani a Romulo prouenerunt, aliud genus diuersum a Cecropidarum genere existentes.

Secũdo dicitur genus illud principium, a quo quisque trahit originem, siue sit pater generans, sicuti Tantalus Orestis fuit genus, nempe auctor & principium originis Orestis, siue sit locus, in quo quisque ortum ducit: vnde patria genus appellatur, vnde Pindarus genere Thebanus, Plato vero Atheniensis dictus est. Et hæc quidem secundo loco generis allata significatio, promptior est, & magis ad manus q̃ prima: quando quidẽ in priori significatione cõtinetur secũda, vt per ipsam illa prior explicetur, vt patet, cum dicãtur Romani, qui ex genere descendũt Romuli.

Sed

Sed & illud debet esse manifestũ, prius nuncupatum esse genus, illud, quod est principiũ vnius cuiusque generationis: deinde vero nomen appositum esse multitudini, quæ a tali quodam principio deriuarit, quo fit, vt & natura, & quo ad nostram etiam cognitionem secunda generis significatio ei præcedat, & præstet, quæ priori loco est assignata.

Tertio, & vltimo modo dicitur genus, illud, cui sopponitur species ad similitudinem prædictarũ significationum: nam & genus ipsarum specierum est quoddã principium: prout & in secunda significatione principium generationis ponitur, nec non ad similitudinem primæ significationis, continet sub se specierum multitudinem, quæ a genere procedunt, in quo & oẽs species inuicẽ conueniunt, & eodem nomine appellantur, sicuti homo, equus, & bos, & aliæ huiusmodi species nomine animalis nũcupantur · quemadmodum & Romani in eodem nomine omnes appellantur, a Romulo descendentes.

Adnotationes.

Ammo. ADnotandum autem a nõnullis, ex quorum numero est Ammonius; hanc afferri interpretationem, vt promptiorem significationem generis, quam innuit Porphyri⁹, intelligant illam, quæ priori loco est assignata, in qua multitudo ab vno priucipio deriuata continetur, hoc afferentes, quoniam Composita sint nobis magis nota q̃ Simplicia; atq; ideo primam significationẽ, in qua multitudo quædam hominum supponitur, aiunt nobis esse notiorem: secundam autem significationem natura esse priorem; quoniam prius est principium, & vnum, quàm multitudo, quæ ex vno principio deriuatur. *Impugn.* Verum huic interpretationi plurima aduersantur: In primis verborum ipse contextus, quę absq; dubio secundæ significationi subnectuntur, vt patet, cum immediate ad eam hæc subiunguntur verba: *hac aut em promptissima videtur esse significatio*, nempe secunda cui prædicta verba immediate sunt apposita.

Deinde & prædictæ interpretationi obstat sensus verborum, cum Porphyrius, rèddens rationem, quare eiusmodi generis, *significatio* sit promptior, inferat, Romanos (qua voce multitudo hominum connotatur) ita appellari, quoniam ex genere descendunt Romuli. Ex quo innuitur per secundę significationis notionem explicari, & manifestari illam priorem, in qua continetur multitudo; adeo vt intelligantur Romani esse quoddam tale genus, quoniam a Romulo descendunt, quo secunda significatio generis denotatur. Accedit, quòd secunda significatio etiam ad locum, Vnde quisque ortum trahat, ac commodatur: Vnde & hac ratione secundo loco traditur generis significatio, vti latius patẽs promptior, & notior insinuatur: verum nil prohibet, quin, & eadem sit etiam prior natura, cum prius existat principium, quàm multitudo ex ipso deducenda. Hinc & prius quoque appellatũ est genus (prout subiungit Porphyrius) principium generationis: ac postea multitudini ab illo principio prouenienti generis, nomẽ est applicatum *Lib. 1. Phys.* Quòd autem qui aliter hunc locum interpretantur, composita dicant nobis esse notiora simplicibus, id minime inficiamur. si quidem oculis nostris prius se se offert totus homo compositus ex certis partibus (vt asserit Aristoteles in Procœmio physicorum) quàm partes, ex quib⁹ componitur. Verum hæc similitudo nõ cadit in hac consideratione generis, iuxta primam, & secundam significationem; in quibus tãtummodo notio magis communis, & magis patens est attendenda; quę procul dubio (vt explicatũ est) competit secundę assignatę significationi generis, & non primæ. Sed hi valde hallucinati sunt, accipientes, & cõparantes multitudinem hominum, de qua est mentio in prima significatione generis, ad vuum hominem auctorem generationis contentum in secunda significatione; quasi ante oculos sibi ponentes hinc multos homiues, inde vero vnum solum; qui quoniam non ita facile oculis sese offert conspiciendus, vt multi hinc primæ generis sigfiificationem nobis notiorem esse opinati sunt. ad quem sensum nequaquam verba contextus referri posse, ex prędictis vnicuique potest esse perspicuum.

Lib. 5. Metaph. Adnotandum etiam in lib. 5. diuinæ philosophiæ in cap. de genere assignatas esse ab Aristotele, tum priores duas generis significationes positas a Porphyrio, tum tertiam, de qua est sermo apud philosophos. De eisdẽ etiam significatis Generis ab eodem Aristotele habita est mentio in lib. 10. Met. licet *Lib. 10. Met. c. 10.* ibi considerauerit genus, partim, vt est tamquam materia, quę subijcitur differentijs, partim vt prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid: & est explicatio ad Logicum magis conueniens, quàm ea, quę denotat materiam subiectam differẽtijs: ita enim, vt se habet in rebus genus extra intellectum, magis explicatur: remotius autem secundum Logicam considerandi rationem. Ex quibus locis colligitur quàm longe a veritate discesserint, qui asseruerunt duo priora significata generis allatura Porphyrio in vnum solum coincidere.

Generis descriptio.

Genus autẽ acceptum iuxta tertiam significationem ita a philosophis descriptũ est: vt sit Genus id Qvod de pluribus differentibus specie in eo quod quid prędicatur: veluti animal genus est animalium, quod sane de pluribus differentibus specie prędicatur, cum & homo, & bos, & leo, & aliæ plurimæ species hoc nomine Animalis nuncupentur: vnde & de ipsis omnibus prædicatur animal, nempe accusatur in ipsis esse: veluti cum dicitur, Homo est animal, vel bos est animal; de hisq; omnibus speciebus prædicatur genus in eo quod quid; quatenus scilicet ad interrogationẽ factã quid sit aliquid, assignabitur, aut species, si de indiuiduo quæratur quid sit, vt quid est Socrates respondendo, quòd est homo: aut genus, si de specie fiat inquisitio quid sit; veluti ad interogationẽ factam quid est homo, respondebitur, quòd est animal.

Vt autem pateat optimam hãc esse generis descriptionem (quãdo descriptio definitionem æmulatur, & definitio ex genere, & differentijs constituatur) idcirco aduertendum, in assignata descriptione aliquid esse, quod generis officio fungitur; & alia nonnulla, quæ generis differentias concernunt. Et locum quidem generis obtinet vox illa Prędicatur, gręce κατηγορεῖται, qua innuitur contineri genus in his, de quibus prædicatur; & est vox trãslatione desumpta ab accusatione, qua aliquorũ nomina in iudicium deferuntur, & tanquam rei facinoris accusantur. Ipsum igitur Prædicari, seu accusari, competit generatim vni alicuius. cuiq; voci, qua vel indiuiduum, ipsum nempe singulare, nominatur, vel vniuersale, siue species, siue genus, siue differentia, siue proprium, siue accidens existat; quorum omnium possunt etiam indiuidua seorsum ab vniuersali appellatione assignari. Hinc dicemus, ꝙ genus hoc loco descriptum distinguitur ab indiuiduo, quatenus indiuiduũ, cum vnicam rem singularem denotet, de vno tantum prædicatur, veluti hic homo sese nostris oculis offerens Socrates appellatur: At genus de pluribus, vt puta animal de homine, boue, equo, & alijs multis prędicatur: Differt etiam genus a specie, & a proprio, quatenus genus prædicatur de pluribus differentibus non solum numero, verum etiam specie; vt animal, non solum de omnibus singularibus hominibus prædicatur, verum etiam de boue, equo, & leone, & de alijs huiusmodi pluribus speciebus, quæ natura quadam inter se distinguuntur; Species autem, vt homo, solum de singularibus his, & illis hominibus prędicatur & ita de pluribus differẽtibus nõ specie atque natura, sed numero tantum; Proprium autem veluti est visibile, de vna tantum specie, & de contentis sub illa indiuiduis prædicatur: nempe de homine, & de singularibus hominibus: Rursus vero descriptum genus per hanc aliam drĩam, ꝙ prædicetur in eo, ꝙ quid, distinguitur a differentia, & ab accidẽte. Nã ad interrogationem factam; quid sit aliquid, assignatur genus; veluti interrogati quid est homo, respõdebimus, ꝙ est animal. Ad interrogationem autem factam hunc in modum, quale quid est homo, assi-

ſpecialiſſimę, quæ non habet infra ſe aliam ſpeciem; ſed ſolum indiuidua, quorum eſt ſpecies, & de quibus prędicatur. Verum vt hoc diſcrimen magis pateat, ante oculos ponendum eſt nobis aliquod ex decem prędicamentis, vt puta Subſtantia, quam dicimus habere infra ſe corpus, poſt quod eſt viuens; deinde animal, poſt hoc rationale animal; cui tandē conſequitur homo ipſa ſpecies humana, poſt quam nō niſi ſingulares homines inueniuntur, vt Socrates, Plato, & alij ſinguli Hinc itaque dicimus, quòd ſubſtantia, vti notio maxime communis, eſt genus continens corpus, viuens, & reliqua omnia vſque ad indiuidua: corpus autē erit ſpecies ſubſtantię, genus vero viuentis, vt quid magis commune exiſtens, quam viuens. Rurſus viuens erit ſpecies corporis, genus autē animalis. Poſt hæc autē animal erit ſpecies exiſtens viuentis, genus vero hominis: homo autem ſolū ſpecies erit animalis, & ſpecies pariter indiuiduorum ipſorū ſingulorum hominum, horum quidem ſpecies exiſtens, quatenus continet indiuidua; ſpecies vero animalis, quatenus continetur ſub animali.

Et quoniam ſubſtantia ita ſupremum, eſt genus, vt nullū aliud ſupra ſe genus habeat; idcirco dicitur genus generaliſſimū, adeo quòd nunquam efficitur ſpecies, neq; ſupra ipſum aliud eſt ſuperueniens genus. Specialiſſima vero ſpecies, veluti homo, ita eſt ſpecies, vt nunquā poſſit eſſe genus; Media vero inter generaliſſimum, & ſpeciem ſpecialiſſimā, ſunt huiuſmodi, vt & ſpecies, & genera ſint, alia tamē, & alia cōſiderandi ratione. Quemadmodum corpus relatum ad ſubſtantiam, erit ſpecies ſubſtantiæ; relatum vero ad viuens, & ad alia poſteriora eorum erit genus; vt ita, quæ ſunt poſt genus generaliſſimum vſq; ad ſpeciē ſpecialiſſimā ſint omnia & genera, & ſpecies, habentia duas habitudines, ſeu relationes; alterā ad ſuperiora, quorum ſunt ſpecies; & alterā ad inferiora, quorū ſunt genera. Genus autem generaliſſimum habet vnam tantum relationem ad inferiora, quorum eſt genus. Species autem ſpecialiſſima, ſi referatur ad ſuperiora, eorū eſt ſpecies ab illis contenta; inferiorum autem nempe indiuiduorum itidem, eſt ſpecies, vt tamen eſt continens ſub ſe indiuidua. Hinc apparet priorem ſpeciei deſcriptionem, quòd ſit ea, quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo quod qd prædicatur, conuenire, tū ſpeciei ſpecialiſſimę, tum illis etiam generibus, quæ ita ſunt ſpecies poſt genus generaliſſimum, vt poſſint etiam eſſe genera. Si quidē vnūquodque eorum ſub ſuperiori cōtinetur, vt de ipſo genus ſuperius prædicetur in eo quod quid; quēadmodum ſub viuente eſt animal de quo viuens prædicatur in eo quod quid. Secunda autē ſpeciei deſcriptio conuenit ſoli ſpeciei ſpecialiſſimæ, quę numquam poteſt eſſe genus, nempe, vt de pluribuş differentibus numero in eo quod quid prędicetur.

Hoc idē explicari poteſt quadam ſimilitudine ex gentium familijs, Veluti Agamemnon fuit filius Atridis, Atrides filius Pelopidis, Pelops Tantali, Tātalus autem Iouis; qui quidē ſupponitur vltimus & ſupremus pater ſine pa

tre existens. Alij vero omnes, & patres, & filij dicuntur vsq; ad Agamemnonem: ex quo, quum alius filius non prodierit, ideo solum filius, non autem pater dicẽdus est, Agamnon. Atrides autẽ erit pater Agamennonis, & filius Pelopidis: similiter Tantalus filius Iouis, pater autẽ Pelopidis. Verum aduertẽdum, hoc esse discrimen inter ordinem familiarũ & ordinem specierum, & generũ inuicem cohęrentium. Nam in familijs reducũtur omnes geniti ad vnum primum principium, veluti ad Iouem: quod non est dicendũ de speciebus, atq; generibus: quę quidem non ad vnum genus, sed ad decem suprema genera reducuntur, vt posita sunt in libro Prædicamentorum apud Aristotelẽ, quasi prima decem principia omnium. Etenim si rerum omnium vnum commune genus constitueretur, vtique illud esset ens. Atqui ens non potest esse commune genus omnium, adeo quod omnia sub vnam communem rationẽ entis conueniant, licet in eius nomine omnia communicent: ex quo fit, vt ens æquiuoce, & non vniuoce sit genus omnium prędicamentorum, iuxta Aristotelis sententiam.

Adnotationes.

Dubit.

Contingit autem hoc loco dubitare, eo ꝙ duæ descriptiones speciei sint assignatæ, cum tamen vnius rei vna tantũ debeat esse definitio, cui concors est etiã descriptio. Dicendum, iuxta diuersam habitudinem speciei, diuersam quoq; traditã esse descriptionem. Nam species, vt refertur ad genus, sub quo continetur, ita describitur, ꝙ sit ea, quæ sub genere ponitur, & de qua genus in eo, quod quid prædicatur. Vt autem spẽs refertur ad indiuidua, ita definitur, ꝙ sit ea, quæ de pluribus differentibus numero prædicatur. Sed instabit aliquis, nõ esse hanc speciei specialissimæ propriam descriptionem, quando & de genere verum est dicere, ꝙ prædicatur de pluribus differẽtibus numero; siquidem animal, quod est quoddã genus, de Socrate, Platone, & alijs indiuiduis prędicatur. Idcirco aliqui censuerunt, huic descriptioni supplendam esse hanc dictionem *tantum*, vt species sit, quæ de pluribus differentibus tantum numero prædicatur, & ita distinguatur species specialissima a genere. quod predicatur de pluribus non solum numero differentibus, sed etiam specie. Verum absq; adiectione huius particulæ *tantum*, dici potest, prędictam descriptionem soli speciei specialissimæ conuenire, si consideretur, ꝙ, dum dicitur, ꝙ species specialissima prædicatur de pluribus & differentibus numero, limitatur descriptio ad ea, quę sunt differentia numero; vt excludãtur ea, quę etiam differũt specie, de quibus species specialissima non prędicatur. Occurrit etiam alia dubitatio, qm̃ sunt nõnullæ res, quę in vnico cõseruantur indiuiduo, veluti Sol, Luna, & Mũdus. Cui dubitationi occurrentes dicimus, quod & si id verum est, attamen nõ propterea dirimitur descriptio assignata de specie ꝙ sit ea, quæ prędicatur de pluribus differẽtibus numero, accipiendo speciem pro ut hoc loco est considerata a Porphyrio; nẽpe, vt est notio quędam vniuersalis ab intellectu comprehensa communis existens pluribus indiuiduis. Ex quo consequenter dicendum est, multo minus genus, (vt hic consideratur a Porphyrio quatenus est commune pluribus naturis) in vnica tantum specie posse comprehendi; sed semper plures species sunt generi supponendæ.

Solut.

Instant.

Solut.

Dubit.

Adnotandum etiam enunciatum illud, ꝙ protulit Porphyrius ex sententia Arist. ꝙ ens sit genus æquiuocum ad decem suprema genera prædicamentorum, ita accipiendum esse, ꝙ prędicamenta, quibus entis cõmunis nominatio competit, non vnam & eandem penitus rationem entis obtinent: quod si contingeret, ens vniuocum genus esset ad prędicamẽta, quum vniuoca, vt explicatur ab Aristotele ante prędicamenta, sint ea, quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem est ratio, seu definitio. Verum non hęc propria est sententia Aristotelis, ꝙ ens ęquiuoce dicatur de decẽ prędicamẽtis, sed Analogicę ꝑ quandã vni* primi generis, nempe substantiæ, ad omnia alia prædicamenta communicationem, vt determinauit in lib. 4. diuinę Philosophiæ. Verum, qm̃ huiusmodi Analogorum consideratio admodum erat obscura, vt quę sit media inter æquiuoca, & vniuoca; ideo ab Arist. in prędicamentis: (qm̃ ibi erat sermo ad introductitios,) est prętermissa. A Porphyrio autem hoc loco, ens æquiuoce dici de rerum generibus, enunciatum est, ad excludendum id, quod verissimum est, ꝙ ens non est vniuocum genus.

Lib. 4. Met. ca. 9

De numero generalissimorum generũ, & specialissimarum specierum, & de diuersa eorum habitudine.

Cum constitutũ sit non esse vnum commune principium,

& genus vniuocũ rerum omniũ, idcirco sciendum est, decem esse generalissima genera, nec plura his, neq; pauciora inueniri; & quæ sint, & qualia explicatur in lib. Prædicamentorum. Species autem specialissimæ sunt in quodam numero finito, licet quotus ipse sit, nobis determinate non sit notum. Indiuidua autem posteriora existentia ab ipsis speciebus specialissimis, sunt infinita, quatenus alia, & alia semper procreantur, vt ideo euadant innumerabilia. Hinc in diuisione generum, iubebat Plato, cum peruentum esset ad indiuidua, quiescendum esse, ne frustra labor susciperetur in ijs, quorum scientia haberi non potest; sicuti non habetur de indiuiduis propter eorum infinitũ numerum, qui, ut infinitus est, a mente humana comprehédi nequit. Idé Plato animaduertebat, in diuisione generum, circa ea, quæ media iacét inter species specialissimas & generalissima genera, procedendum esse per differétias constitutiuas, quę pertinent ad specierum definitionem, vnde & differétię specificę nũcupãtur.

Hinc etiam ex huiusmodi processu diuisionis colligitur, ꝙ in in descensu illud quod est vnum, diuiditur in quandam multitudinem: veluti homo vnam complectés naturam, diuiditur in multa indiuidua, adeo quòd illud, quod est superius ad multitudinem, euadit collectiuum vnius naturæ, ita quidem, vt quanto magis ascéditur ad superiora, eo magis & multitudinis indiuiduorũ, & multarum naturarum seu specierum fiat collectio in vnam communé naturam. Contra vero, quo magis ad inferiora descenditur, eo magis etiam ad diuisa peruenitur. Id est dicere, quòd illud, quod est collectum in vna communi natura, diuiditur in multas partes & species, ac denique in multitudinem indiuiduorum.

Ad hæc aduertédũ, quòd genus generalissimũ de omnibus infra se positis, & generibus, & speciebus specialissimis, & de indiuiduis prędicatur; quemadmodum & reliqua omnia superiora genera pariter de omnibus generibus inferioribus, & de speciebus specialissimis, & de indiuiduis prędicantur. Species autem specialissima de indiuiduis omnibus: non autem e contra species specialissima de generibus prædicatur. Si quidem, aut superiora de inferioribus prędicantur, sicuti substantia existens genus generalissimũ prędicatur de corpore, de viuente, de aĩali, de hoĩe, & de Socrate & de alijs indiuiduis. Aut æqualia de æqualibus dicuntur, prout hinnibile de equo dicit, & equus de hinnibili, quoniam ad conuertentiã dicuntur: adeo quòd ad quot se extendit esse equi, ad tot etiam se extendit esse hinnibilis. Indiuiduum autem de vno tantum particulari dicitur; quoniam scilicet quodque indiuiduum (vt Socrates, vel Plato) ex huiusmodi proprietatibus cõsistit, quę simul collectæ eędem omnes numquam in alio indiuiduo inueniuntur: veluti, quæ conueniunt Socrati, quòd sit Sophronisci filius, caluus, simus, corpulentus, albi coloris, & alia plurima in se habens in corpore, & in anima, in nullo alio homine apparebunt. Vnde & indiuiduũ dicitur eius esse naturę, quæ in plura inter se distincta numero diuidi nequit, vt hac voce Indiui

duum quaſi non diuiduum ſignificetur.

Hinc ex dictis etiā colligitur hæc regula, quòd indiuiduum cōtinetur ſub ſpecie, cuius naturam obtinet communē pluribus alijs indiuiduis: Species autem ſpecialiſſima cōtinetur ſub genere, particeps eius naturæ exiſtens, quæ eſt communis pluribus ſpeciebus vt ita Genus ſit quoddam totum communem quandam naturam continens, quę reperitur in multis ſub ſe poſitis ſpeciebus, & indiuiduis. Indiuiduum autem eſt pars alicuius communis naturæ ſpeciei, vel generis: Species vero, & vt totum, & vt pars dici poteſt: pars quidem alterius, nempe generis; totum vero non alterius, ſed in alijs exiſtens: ſicuti & totū eſt in partibus: ita enim & ſpecies in pluribus indiuiduis ineſt, vt totum quid cōmune illis omnibus.

Adnotationes.

Dubit. OCcurrit aūt dubitatio penes dictum illud Porphyrij, ꝙ quę magis ſunt ſuperiora, ſint magis collectiua in vnum eorum, quę multa ſunt: veluti Subſtantia eſt pluriū collectiua, q̃ corpus, aut viuens; Nam oppoſitum dici poſſe videtur ꝙ immo inferiora magis ſint collectiua multorum in vnum, q̃ ſuperiora. Etenim ſpecies ſpecialiſſima, vt homo, collecta ſub ſe habet hęc omnia, nēpe & rationale, & animal, & viuens, & corpus, quæ omnia collecta ſimul nō inueniuntur in ſubſtantia; neq; eadem omnia in corpore, aut in viuente; cum multę ſint ſubſtātiæ non corporeæ, & multa corpora nō viuentia; & multa viuentia non animalia, neq; rationalia. Solut. Huic difficultati facile eſt occurrere, ſi animaduertatur, in prędictis hic ſignificaſſe Porphyriū, ꝙ in genere ſub vna notione generali comprehēduntur plures ſpecies, ſicut ſub notione animalis, homo, & bos, & equus, & plurimę alię ſpecies aiantium vna cum omnibus ipſorum indiuiduis comprehenduntur; quū deinde aliud ſit dicere, ꝙ ſpecies, quanto magis ſpecialiſſimę exiſtunt, eo plures notiones collectas in ſe ipſis habent actu: quemadmodum homo, vt dictum eſt, & ſubſtantię, & viuentis, & animalis, & rationalis naturam in ſua ipſius eſſentia collectam habet.

Adnotandum etiam a Porphyrio definitum eſſe indiuiduum in genere, quatenus conuenit omnibus indiuiduis: non aūt definitum eſſe, aut Platonem, aut Socratē Num autem indiuidua, conſiderata, vt ſingularia ſunt, poſſint definiri, alibi ibi lib. 7. & 8. diuinę philoſophię, ubi de omnium definitione rerum in genere eſt perſcrutatio, erit conſiderandum.

De differentia ſignificatis.

DIfferentia etiam plures habet ſignificationes, vt pluribus modis dicatur. Ac primo quidem ſecundū hanc diſtinctionem: quoniam alia eſt differentia communis, alia propria, & alia magis propria, ſeu proprijſſima. Et communis quidem differentia eſt ea, ſecundum quam aliquid ab aliquo, vel a ſe ipſo differt, vt Socrates ambulans a ſe ipſo ſedente differens eſt.

Propria vero differentia eſt ea, qua alterum ab altero differt inſeparabili accidente; ſic differt Socrates per naſum ſimum a Platone naſum aduncū habente.

Differentia vero proprijſſima eſt, quę ſpecifica nuncupatur, quę adueniens generi conſtituit ſpeciem; quemadmodum adueniens animali rationale cōſtituit hominem: irrationale vero brutum, equum, aut leonem. Ideo diſtinguitur hæc tertia ſignificatio differētię ab alijs duabus prædictis: quoniam vtraq; tam communis, quàm propria ſolum quādam alteritatem ſeu diuerſitatē faciunt; non autem aliud; nempe, non aliam naturam conſtituunt, vt facit proprijſſima differentia.

Rurſus vero, & alio modo diſtinguuntur aſſignatæ de differentia ſignificationes; quoniam ſcilicet, omnis differētia aut eſt ſeparabilis, aut inſeparabilis, ab eo cuius eſt differentia. Et quidem ſeparabilis eadem eſt, quæ & cōmuniter dicta eſt differentia; veluti Socrates ambulans differt a

ſe

se ipso sedente; vt ab ipso, & sedere, & ambulare deficere possit, & ab ipso seiungi.

Inseparabilis autem differẽtia, aut est per accidẽs inseparabilis, illa, quæ dicta est proprie differẽtia, qua nasi simitas in Socrate differt ab aduncitate in Platone existente.

Alia vero est differentia per se inseparabilis, proprijssima nuncupata, existens per se inseparabilis a re, cuius est differentia, vt pote ea, ex qua natura, & essentia rei constituitur; sicuti rationale inest homini per se inseparabile ab hominis natura. Quocirca hæc per se inseparabilis differentia, distinguitur ab ea, quæ est per accidẽs inseparabilis; quoniam hæc solũ alteratum facit; nec accipitur in definitione rei, suscipitque intentionem, & remissionem, vt magis & minus participari possit; sicuti aduncitas in naso magis, & minus inesse naso potest. At differentia per se inseparabilis facit aliud, hoc est, aliam naturam cõstituit, atque ideo in definitione essentię rei accipitur; neq; intensionem, aut remissionem suscipit: non .n. vnus homo est magis, aut minus particeps rationalis naturæ, q̃ alius homo. Et admodum quidẽ conueniens est, vt differentia per se inseparabilis a rebus non suscipiat magis, & minus in ijs, de quibus prædicatur; quemadmodum neque genus de sibi subiectis speciebus magis aut minus, sed æque de omnibus prędicatur: idq; quoniam ex genere, & ex differentijs cuiusque rei essentia completur; essentia autem, & esse cuiusq; rei vnum, & idem est: vnde neq; intensionem, neq; remissionem suscipit huiusmodi differentia.

Tertio deniq; modo diuiditur differentia proprijssima, & per se dicta inseparabilis; quoniam cõsiderari potest, aut quatenus est diuisiua generis, aut quatenus est constitutiua speciei. Nam, cum animalis differẽtię sint hę omnes animatum, sensitiuum, rationale, irrationale, mortale, immortale, non omnes eodem modo se habent ad ipsum animal. Siquidem animatum, & sensitiuum, sunt differentiæ constitutiuæ animalis, eius essentiam constituẽtes. Siquidem animal est substantia animata sentiens: Aliæ vero differentię, nempe rationale, & irrationale, mortale, & immortale, non sunt constitutiuæ animalis, sed diuisiuæ; specierum vero contentarum sub animali sunt cõstitutiuę: quẽadmodum rationale & mortale coniunctæ animali speciem humanam constituunt: Irrationale vero, & mortale brutorum speciẽ efficiunt. Vnde erit regula, quòd supremi generis generalissimi nõ erunt differentiæ vllæ completiuæ, seu constitutiuæ eius essentię; sed tantum erunt diuisiuæ; Quẽadmodum (vt exemplo id doceatur) substantia supremum genus corporei, & incorporei differẽtijs diuiditur; non autẽ habent vllas, quæ eius essentiæ sint constitutiuę differentias. At corpus differentiã sui completiuam, & constitutiuã, habet corporeum: ipsius vero differentiæ diuisiuæ, sunt animatũ, & inanimatum, ex quibus diuersę rerum species constituũtur: adeo quòd quæ differentia est diuisiua vnius generis, nõ erit etiam eiusdem cõstitutiua, sed alterius rei, vel generis inferioris, vel speciei.

Cum autem plures sint allatæ significationes differentiæ, haud igno-

ignorãdum, ꝙ illę solæ, quę sunt per se inseparabiles, adhibendæ sunt in diuisione generũ, & in rerum definitionibus: non autem differentiæ, quæ sunt inseparabiles per accidens; ac multo minus, quæ sunt separabiles, cum neutræ pertineant ad essentiam rerum, quæ traditur per definitionem.

Adnotationes.

Dubit. Contingit autem difficultas eo, ꝙ non videtur vero consonans dictum illud Porphyrij, ꝙ differentiæ constitutiuæ specierum non suscipiant intensionem, & remissionem, sicuti alię differentię; tum illæ, quæ absolute separabiles existunt; tum illæ, quæ sunt inseparabiles per accidens. Nam in oppositum dixerit aliquis, quod facultas rationalis, quæ est differentia pertinens ad constitutionem humanæ speciei, magis apparet vigere in vno homine, q̃ in alio, cum alter altero ad rationis vsum aptior in dies conspiciatur. Solut. Cui dubitationi respondẽtes, dicimus, quod rationalis facultas, vt est forma pertinens ad essentiam hominis, secundum se considerata, non suscipit magis, & minus in vno hoĩe, q̃ in alio: ex parte vero compositi, seu materiæ, nempe propter organa, quibus exercenda est in homine facultas rõnalis, vtiq; ob varietatem organorum, & propter alia plurima accidentia, quę contingunt circa cuiusq; singulorum hominum naturã, fit, vt alius altero in vsu rõnis vegetior euadat; Nõ autem concedendum, ꝙ facultas rationalis, qua constituitur homo, alteritatem vllam in sua essentia suscipiat. Aliæ vero differentiæ, quæ non sunt constitutiuæ specierum, consideratæ, vt adueniunt rebus ipsis, sic magis & minus intẽsæ inueniuntur, vtpote, quæ ad earum essentiam nõ pertineant; sed extrinsecus adueniant ad rerum naturam.

De diuersis differentiæ descriptionibus.

DEscribitur autem differentia, quatenus speciei est cõstitutiua, primo hunc in modum. Differentia est, qua species abũdat a genere. Quæ descriptio hinc apparet vera. Etenim homo est animal, & rationale & mortale, habens in se has omnes differentias, quæ in animali minime inueniuntur: Et iure id dici posse videtur. Nam si in animali inessent hæ differentiæ, videlicet rationale & immortale, in eodem existerent oppositæ differentiæ, nempe irrationale, & immortale: quod non est dicendum, cum opposita in eodem simul esse non possunt. Sed & ex aduerso locus est dubitandi, vnde nam species habebunt differentias, si a genere eas non excipiunt? Hinc dicendũ est pro dubij dissolutione, quod differentię potentia in genere cõtinentur, nõ autem actu, prout in speciebus actu inueniuntur. Et ideo intelligendum est ad hunc sensum, differentiã esse eam, qua abundat species a genere, quatenus species actu differẽtiam continet, quæ in genere non actu, sed solum potentia inuenitur.

Alio etiam modo describitur differentia, ꝙ sit ea, quæ de pluribus, & differentibus specie in eo quod quale quid est, prædicatur. Siquidem ad interrogationẽ factam de homine (supposito quòd sit animal) quale quid animal existat, respondere conuenit assignãdo eius differentiam, ꝙ sit rationalis, vel quòd sit capax disciplinæ, vt ita qualitate quadam essentiam concernente limitetur animalis natura in homine per eius differentiam constitutiuam; & id quidem conuenit. Nam in rebus omnibus constantibus ex materia & forma, vel ex habentibus similitudinem cum materia & forma, semper forma stat pro differentia, & pro qualitate quadam cõpositi concurrit. Vnde, quemadmodum statua Achillis cõstituitur ex ære, tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma; ita quoq; in hominis cõstitutione, animal, quod est genus hominis, concurrit vt materia; rationalis vero facultas, existẽs hominis

differẽtia, ei adiũgitur vt forma; & ita vt qualitas quędã in natura animalis essentiã hominis decerminans atq; constituens.

Alio etiam modo describitur a nonnullis differẽtia, q̃ sit ea, quæ apta nata est diuidere ea, quæ sunt sub eodem genere; sicuti rationale & irrationale, diuidũt inuicem hominem, & equum, qui continentur sub eodem genere animalis.

Alio etiam modo describunt differentiam, quòd sit ea, qua differunt a se singula. Siquidem homo, & equus secundum genus nõ differunt inter se, cum vterq; sit animal: per differentias autẽ, nempe per rationale, & irrationale inter se distinguũtur; cum homo sit rationalis, equus vero irrationalis. Verum hæ differentiæ descriptiones non sunt exactæ; quãdoquidem ita contingeret diuidi genus differentijs illis, quæ non pertinent ad specierum partitionem, est constitutionẽ. Veluti dicendo, quòd animalium alia sunt apta ad nauigandum, vt homo, alia vero non sunt apta ad nauigãdũ, vt bruta, sic diuidendo hominem ab alijs animalibus: & tamẽ aptitudo ad nauigandum non est differentia complectẽs essentiam humanæ speciei; sed solum quædam ipsius proprietas, & aptitudo. At accipiẽdo differentias specificas, quæ in eo quod quid erat esse, idest, in ipsa definitione accipiuntur, hę quidem erunt, quę de pluribus inter se specie differentibus in quale quid prædicantur.

Adnotationes.

ADnotandum autem ita intelligi debere, q̃ species a genere obtineant differentias, quatenus existente genere vt materia, prout dictum est, in ipso potentia omnes specierum differentiæ cõtinentur; quæ deinde a generante e potentia ad actũ producuntur, vt ita species constituantur ex materia & forma, seu ex genere, & differentia.

Solut.

Occurrit vero dubitatio, qũo conuenienter plures ipsius differentiæ descriptiones sint assignatæ, cum vnius rei vna tantũ sit essentia, vnde & vna sola descriptio, seu definitio pro rei essentia explicanda tradi debere videretur. Dicendum, ex quatuor assignatis descriptionibus circa notionem differentiæ, duas posteriores repulsas esse a Porphyrio tanquam non attingentes essentiam specificæ differẽtiæ: tum illam, in qua dictum est, quod differẽtia sit ea, quæ apta est diuidere genus, tum illam, q̃ differentia sit illud, quo singula inter se differunt, quæ quidem descriptiones potius ad nominis ipsius differentiæ explicationem pertinent, q̃ ad rei propriã naturam. Prima aũt descriptio, q̃ sit differentia, illa, qua abundat species a genere, ad proprietatem quandã differentię pertinet, quatenus hoc illi accidit, vt per ipsam in plus se habeat species, q̃ genus. Vnde relinquitur, q̃ descriptio illa sit propria, & secũdum Logicum negocium assignata, quæ habet, q̃ differentia sit ea, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus specie in quale quid: siquidẽ hac descriptione distinguitur differẽtia a genere, & ab alijs notionibus, de quibus hic est sermo, eademq; simul concernit essentialem formam constitutiuam speciei.

Dubit.

Solut.

Sed, & de hac descriptione dubitari põt, qm̃ non videtur verum, q̃ differentia specifica de pluribus differẽtibus speciẽ prædicetur, quandoquidẽ vltima differentia vr̃ cuiusq; speciei esse cõstitutiua, & sufficere ad aliarum specierum distinctionem. Ad id dicendum est, Porphyrium de differẽtijs, quæ sint nobis notæ, sermonem habere.

Dubit.

At nobis incognitæ sunt differentiæ, quę in vnica tantũ specie inueniuntur. Sed quæ apud nos sunt in prospectu, singulæ in pluribus speciebus inueniũtur, licet deinde ex genere, & ex pluribus differentijs simul cõgestis vniuscuiusq; speciei ꝓpria definitio constituatur: adeo q̃ non põt vnius speciei, & alterius eadem esse definitio eodem modo absolute se habens: sed diuersarum specierum diuersæ quoq; erũt definitiones ex pluribus partibus conflatæ. Quemadmodũ dictum est etiam de indiuiduis in tractatu speciei, quod in vno quoq; indiuiduo, vt puta in Socrate insunt plures cõditiones quæ & si sigillatim, acceptę possint in alijs hominibus inueniri, veluti vna in vno, & alia in alio homine: attamen omnes simul acceptę in ipso solo Socrate inuenientur, & non in alio indiuiduo humano.

Adnotandum autem Toletum in suis de differentia commentarijs, ad insinuandum quod detur propria speciei differentia non communis alteri speciei, duo loca ex Aristotele induxisse. Alterum ex lib. 7. Methaphysicæ vbi colligit, quòd differentiæ vltimæ cum specie conuertantur. Alterum vero ex lib. 1. de Part. Animal. vbi itidẽ colligit ex dictis Aristotel. quòd aliquæ species habeant vnicas differentias. Verum si recte

Tolet. Lib. 7. Met. c. 12. Lib. 1. de post. An. cap. 2.

ver-

verba vtriusq; loci perpendantur, non eum sensum referunt, apparebunt quem intulit Toletus. Nam in loco citato ex lib. 7. Methaph. Arist. loquitur de parte corporea integrā e, veluti est cor, aut cerebrū, cuius naturam refert esse huiusmodi, vt sine hac parte animal non subsistat; adeo quòd viuente corde uiuit & animal, & non allo modo: & præter hoc nihil aliud habet eo loco Aristoteles. Sed id non est dicere, quod differentiæ postremæ cum specie conuertantur; sed solum quòd vita animalis inuicem cum cordis uita seruatur. In lib. autem. i. de Part. Animal. non inquit Arist. q̃ species ultima habeat vnicam differētiam; sed quòd nonnulli secant genus in duas differentias, accipiendo aliquod singulare, quod diuidunt, ueluti pedes habens, bipes, fissipes multifidum; hęc enim differētia multifidū, (ut ibi habet Arist.) est propria, vt non possit diuidi per eam genus; adeo quòd supponit, nonnullas esse differentias ita proprias, atq; singulares, ut ultra non possit diuidi per eas genus, quod perperam nonnulli faciebant; non autem uoluit inferre (ut censuit Toletus) quòd aliquis species habeat unam tantum differentiam, ut patebit unicuique uerba Arist. loco citato diligenter perpendenti: sed id solum, quòd est peruenire in diuisione Generis, ad eiusmodi differentiam ultimam, quæ ultra non secabitur in alias differentias, uti contingit de aliquibus alijs ibidem enumeratis.

De Proprio.

PRoprij tractatio iure antecedit tractatū accidentis; quādoquidem proprij notio proprius quàm accidens accedit ad naturam substantiæ, cum ad internam speciei essentiam necessario consequatur, & non vt quidpiam extrinsecum aduenit quemadmodum accidens:

Proprij autem quattuor assignantur modi. Nam primo proprium dicitur illud, quod soli speciei inest, licet non omnibus indiuiduis contentis sub eadē specie: quemadmodum medicum esse, conuenit soli speciei humanæ; nō autem singulis sub humana specie contentis.

Secundo modo proprium dicitur illud, quod omni contēto sub vna specie conuenit, nō autē huic tantum speciei, verum etiam pluribus alijs; sicuti duos pedes habere omnibus inest hominibus iuxta ordinem naturalem se habentibus; verum id non soli humanę speciei inest, sed etiam pluribus alijs speciebus animalium.

Tertio modo dicitur proprium id, quod vni speciei, & soli inest at non semper, sed aliquando, vt hōi canos emittere in senectute.

Quarto, & vltimo modo proprium dicitur illud, quod omni, & vni, & soli speciei, semper inest vt ridendi aptitudo homini, qui semper aptus est ridere; quamuis actu non semper rideat: & hæc est proprij proprijssima significatio, quod & dicitur ad conuertētiam speciei, cuius est proprium, adeo quòd existente specie, est & eius proprium, & e conuerso, existente proprio, erit species.

Adnotationes.

Dubit. DVbitari potest, cur Porphyrius notionem proprij iuxta typum logicū non tradiderit, uidelicet iuxta modum prædicandi, sed penes modum essendi, cuius speculatio ad Philosophiam spectat, & non ad Logicam. Dicendum, quòd cum in superioribus in tractatu differentiæ traditum sit, quòd genus & differentia pertinent ad essentiam specierum, idcirco optima ratione factum est, ut explicaretur proprium iuxta modum, quo inest speciebus, ut hinc innueretur, quòd proprium non est pars constitutiua speciei, sed aliquid quidē consequens semper ad eius constitutionem.

Solut. Idq; præsertim, quoniam, & si propriū prædicatur de specie, cuius est proprium, & de eius indiuiduis, attamen non adest ratio explicandi quo modo prædicetur: non enim *in quid*, ut genus, nec *in quale quid*, ut differentia, prędicatur; neque per ipsum *quomodo*, adeo quòd ad interrogationem factam hac dictione, *quomodo* se habeat aliquid, debeat assignari proprium, cum is typus interrogandi conueniat accidenti. Sed neque proprium inter differentias adnumerari potest: non inter eas, quæ sunt separabiles, cum proprium sit inseparabile; neq; inter eas, quæ sunt per accidens inseparabiles, quę etiam suscipiunt magis & minus, cum proprium sit per se inseparabile a specie, & non suscipiat magis & minus; ut docet Porphyrius infra in discrimine proprij & accidentis; sed neq; inter eas differentias quę dicuntur per se inseparabiles adnumerari potest proprium, cum hę sint cōstitutiuę specierum, quod de proprio di-

ci nequit. Vnde typus prædicandi in quale quid, quod conuenit differentiæ specificæ, ad proprij explicationem accomodari non potuit. Non est autem inconueniens ut iuxta modum inherẽdi (qui proprie primis rerum notionibus conuenit) secunda proprij notio explicaretur, cum secundæ notiones, ut dictum est in præfationibus, primis inhæreant notionibus, & ex illis dependeant.

De Accidente.

ACcidens autem hunc in modum describitur, quòd sit illud, quod fit & recedit a subiecto, cui inheret sine corruptione subiecti; quod quidem de genere aut de differentia nõ est dicendum; quando hæc adeo ad cõstitutionem specierum requiruntur vt sublato genere, vel differẽtia simul tollatur species, cuius essentiam tum genus tum differentia perficiunt. At accidens ad propriam essentiam rei nõ pertinet; vnde etiam accidens, quasi accedens, adueniens quæ rei iam formatæ, & constitutæ, ut quid extraneum, dictum esse videtur. Diuiditur autem accidens bifariam, vt aliud sit separabile, veluti dormire adueniens animali; aliud inseparabile, vt nigredo inseparabilis a coruo. Non autem ante allata accidentis descriptio infringitur, ex eo quòd aliquod accidens inseparabile dicatur, tanquam non possit abesse a subiecto absque subiecti corruptione. Nam dicendum, quod saltem intelligi potest, quòd coruus sit albus, absque quòd corrumpatur, & eius natura, essentiaq; deficiat.

Alio quoq; modo accidens definitur, quod sit illud, quod contingit eidem inesse & non inesse.

Adhuc & hoc alio modo, quòd neque sit genus, neque differentia, neq; species, neq; proprium, semper autem in subiecto inexistens.

Adnotationes.

ADnotandum, quod et si potuisset tradi a Porphyrio definitio de accidente secundum modum logicum, nempe ea definitione, quam innuerat in tractatu generis quòd accidens prædicetur de pluribus differentibus specie in eo quod quomodo; hoc est, quòd ad interrogationem factam quomodo se habeat aliquid, respõdeatur, quòd sit album, aut pallidum, quæ supponuntur accidentia rerum; attamen (ut dictum est etiam de proprio) non id fecit Porphyrius, sed ad modum essendi confugit, ut magis detegeretur notio ipsius accidentis, magisque segregaretur tum a notione generis, & differentiæ, quæ ad essentiam rerum pertineat, tum etiam a proprij notione. Vnde dicendo quòd accidens est illud, qđ & fit, & recedit a subiecto, cui inhereat absq; subiecti corruptione, vt habetur in prima descriptione accidentis; vel dicendo, vt in secunda, quòd accidens est illud, quòd contingit eidem inesse, vel non inesse; aut dicendo, vt in tertia descriptione, quòd accidens est illud, quòd neq; genus est, neq. species, neque differentia, neq. proprium, semper autem est in subiecto: ita significatum est, ꝙ accidens obtinet suam essentiam in rebus diuersam ab ea, quam habet genus, & differentia, & proprium: Neque vero absurdum est, quòd ita explicatum sit accidens, licet consideretur vt uox, & ut notio quædam secunda intellectus, quæ præsupponit primã notionem: ita enim ex notitia rerum ipsarum magis comprehenditur secunda accidentis notio.

Illud etiam non est ignorandum, accidens duobus modis considerari posse, vel vt distinguitur a prædicamento substãtiæ, & hunc in modum nouem alia prædicamenta habent rationem accidentis: Quomodo autem hæc alia prædicamenta in genere entis habeant relationem ad substantiam, ut ab illa dependeant in esse, & cognosci, explicatur ab Aristotele in libris diuinæ philosophiæ, pręsertim in lib. 7. & 8.

Alio vero modo considerari potest accidens in sua natura: & ita unumquodq. prædicamentum habet suam essentiam, vnde & genus, & differentia, & species, & proprium & accidẽs poterit inesse cuiq: prædicamẽto. Veluti quantum (quod quidẽ relatum ad substantiam simpliciter est accidens) in sua natura consideratum, erit genus generalissimum habens differentia constitutiuas specierum, quẽadmodum ex discreto quanto constituitur numerus, & ex continuo quanto lõgitudo uel latitudo. Habet etiam quasdas proprietates, veluti quòd sit æquale, uel inequale quantum: nec non etiam accidentia ea nempe sibi inhærentia, quę ad essentiam quanti non pertinẽt, sed quid extraneum eruat ipsum quantum relata, veluti quod linea sit alba, aut callida.

Dub. At cum dubitetur, cur tot traditæ sint de-

descriptiones accidentis, & quomodo inter se differant, dicendum est, quòd prima descriptio, quæ ita se habet, quòd accidens est, quòd fit & recedit a subiecto absque subiecti corruptione, diuersa est a secunda, in qua dicitur accidens esse, quod cõtingit eidem inesse, & non inesse. Nam hac secnnda descriptione magis detegitur natura accidentis, quòd coutingat eidem inesse, & nõ inesse: ita enim magis innuitur discrimen, quod habet accidens ad genus, & ad differentiam, & ad proprium, quod in prima descriptione non ita patet: quando etiã de differentia, & de proprio dici potest, qđ fiant, non autem quod contingant inesse, cum ex necessitate inerat, quibus competãt, tum differentia, tum proprium.

Vltimam autem descriptionem accidentis dicimus traditam esse per negationem, dicendo quòd non sit genus, neq. species, neq. differentia, neque proprium, de quibus hic est sermo, qua descriptione magis etiã explicatur natura accidentis, vt quid aliud diuersum ab alijs notionibus, a quibus simul se iungitur, & consequenter magis explicatur, apparet accidens.

Dubit.

Sed dubitabit aliquis; quoniam si accidens datur inseparabile, vt est nigredo in coruo, non videtur, quomodo prima descriptio accidentis possit inseparabili accidẽti conuenire: pugnat enim inuicem dicere, ꝙ aliquid sit inseparabile ab aliquo subiecto, & quòd ab eo possit recedere.

Dubit.

Præterea non videtur verum, quòd accidens non fiat cum corruptione subiecti, aut ꝙ recedat absq. eiusdẽ subiecti corruptione: Etenim combustio domus, cum adueniat domui, nõ fit sine domus corruptione, & febris aduenicns homini, nõ recedit absq. hominis interitu, cum plurimi ex febre intereant.

Dubit.

Tertio loco dubitatur, quoniam accidẽs inseparabile non erit differens ab ipso proprio, quod etiam & inseparabile. Vnde discrimem inter hæc est assignandum.

Solut. 1.

Itaque quod attinet ad primam difficultatem, dicendum est, quòd prima descriptio accidentis proprie respicit accidentia aduenientia, & recedentia: quemadmodum est dormire in homine, sedere, & huiusmodi. Deinde vero de accidenti inseparabili dicitur secũdum Porphyrium, quod saltem cogitatione separari potest: veluti cogitare possumus coruum sine nĩgredine absq. subiecti corruptione. Addamus, quòd tolli nigredo posset a coruo si cerusa eius plumæ dealbentur: non autem id quod inest alicui secundum propriũ proprijssimum potest aliquo modo separari ab eo cuius est ꝓprium.

Solut. 2.

Ad secundam vero difficultatem dicendum est, quòd attinet ad combustionem domus dici quidem posse per accidens esse, ꝙ comburatur domus, quoniam accidit atq. contingit vt ipsi adueniat ignis combutens eam: non autem combustio, quæ destruit domum, est aliquid, quod domui existenti dum comburitur inexistat, sicuti homini inest albedo, aut nigredo: non. n. inexistit dum comburitur. Ad illud vero obiectum de febri, dicendum est, proprie febrem non esse immediatam causam mortis, sed dissolutionẽ formę a materia esse veram mortis causam. Verũ ita supponitur dissolutio substantiæ per separationem eorum, ex quibus constituitur substantia, adeo quòd deficiente genere & differentia nempe animali, & rationali facultate, ex quibus homo constituitur, nil mirum si etiam deficit esse hominis. Febris autem calorem innatũ a propria natura transmutans, eo vsque potest alterationem animali inferre, vt in ipso naturalis constitutio deficiat ex mutua cõtrariarum qualitatum pugna dum alia aliam exsuperat & deuicit, vt sine dissolutio: postea summorum inuicem prius conuenientiũ vnius substantiæ natura sequatur, & consequenter mors.

Solut. 3.

Ad tertiam uero difficultatem dicendũ est, distingui proprium ab accidente inseparabili, quoniam possumus quidem cogitare hominem seorsum ab aptitudine ridendi, vt etiam coruum seorsum a nigredine: non autem possumus cogitare, quòd homo non sit visibilis vti possumus cogitare quòd coruus non sit niger; alioquin hominis natura tolleretur. Et id quidem, quoniam ad essentiã cuiusque rei proprietas quædam ita consequitur, vt ab ipsa immediate fluat & illi soli semper inhereat: vnde etiam explicatum est, proprium proprijssime dictum esse illud quod omni, soli, & semper inest: cum tamẽ accidens existens inseparabile possit etiam pluribus inesse, sicuti nigredo in coruo, in pice, in Ethiope, & in alijs pluribus inuenitur.

Adnotandum autem ꝙ aliquid, quòd erit accidens vnius rei, vt nigredo in Ethiope, potest esse proprium relatum ad aliam naturam: veluti nigredo, quatenus ex hac vel illa elementorum mistione constituitur, erit proprium consequens ad talem mistionẽ elementorũ, cum deinde contingens homini color niger, accidens fiat accedens ad hominis naturam.

Dubit.

Postremo relinquitur difficultas dissoluenda, quæ oritur ex vltima accidentis descriptione, in qua dictum est, accidens, neq. genus esse, neque speciem, neque differentiam, neque proprium: ita enim videretur, quòd & Hipocentaurus, seu chimœra, quæ nullo modo existant, possint dici accidẽtia, quoniam non sint neq. genus, neq. species, neque differentia, neque proprium, sed accidens.

Solut.

At dicendum est a Porphyrio in prædicta descriptione haberi, quòd accidẽs non est neq; genus, neq. species, neq. differentia, neq. proprium, semper tamen subiecto inexistens: ex quo supponitur, accidens inesse in rerũ natura, licet diuersum sit ab alijs notionibus prædictis. Hippocentaurus autem, & chimœra & huiusmodi, cũ absolute non sint, neq. in subiecto erunt, & ita accidens non dicentur. Et hęc quidem sint satis pro explicatione quinque harum vocum, seu notionum, nempe generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis, vt considerari poterant iuxta Porphyrij præsentem scopum.

Explicit in Porphyrij librum de quinque vocibus explanatio.

IN LIBRVM PRAEDICAMENTORVM Explanatio.

Qui fuerit scopus Aristotelis in tractatu Prædicamentorum.

IAm vero ad Organũ explicandũ accedẽtes, quod ad commodum vsumq; scientiarum, artium, facultatumq; omnium cõfectum ab Arist. antea in Præfationibus supposuimus, auspicabimur a libro Prædicamentorum, in quo dicimus scopum esse, agere de supremis decem notionibus, ad quas omnia referũtur, quæ entis quouis modo sunt participantia, ita tamen vt cuncta consideratio vocibus incomplexis innitatur prout antea constituimus, tanquã typis ab illis, quibus maxime cõmune, notissimumq; subiectum totius Logici negotij cõtinetur quibusq; maximum lumen afferri potest ad notiones (entis rationis appellatas) facilius comprehendendas, de quibus artifex Logicus pertractat, ob eorumq; exiguam entitatem difficilè ab intellectu humano concipiuntur. Et id quidem ita contingit. Nam, quatenus vocum notæ imaginationi nostræ facile inhęrent, eatenus fit, vt in illis regulas omnes facile apprehendamus, quæ de dictis notionibus sub notis vocum expressæ, traduntur. Huiusmodi autem Prædicamentorum tractationem ad Logicam facultatem, Organum nuncupatum, attinere, & ipsius primam esse partem (quãuis ex superioribus Pręfationibus possit esse conspicuum) nihilominus tamẽ idipsum quoq; nũc clarius explicabimus. Etenim iam statuimus (quod minime negari potest) ab intellectu nostro, postquam formarũ compos sit effectus, hęc pręcipua munera prouenire. Illud primum, vt de formis, quibus est imbutus, iudiciũ proferat, earumq; notiones certis cõnotet typis, velut signis, quibus voces simplices eædem significantes sunt accommodatæ. Secundũ vero munus nostri intellectus illud esse dicitur, quo notiones simplices ab ipso iam conflatas, aut inuicem coniungit, aut segregat, ita quidẽ, vt hinc aut verum, aut falsum in mente nostra concipiatur: cui muneri in ipsis vocibus, oratio affirmatiua, vel negatiua æquipollet. Tertium verò, atque postremum munus nostri intellectus in eo opere absoluitur, quo ex certis notionibus iam cõflatis inuicem, vel coniunctis, vel seiunctis, medio discursu, seu probationis vinculo, (& huic muneri in vocibus oratio respondet Syllogismus appellata) in aliarum notionum intelligentiam atque consensum deducitur.

Hæc autem tria nostri intellectus munera, haud ignorandum est, sub triplici ratione perpendi posse; nempe, aut quatenus ab ipsa vi, & facultate mentis nostræ proficiscuntur, vt ita vires hæ animæ, quomodo se habeant, considerentur; aut quatenus rerũ contemplationi sunt coniunctæ; aut deniq. quatenus hæc opera intellectiua sub certis regulis generalibus perpenduntur, quibus seorsum ab omni rerum speculatione

edo-

edoceamur, quō ſcite, & probe hæc ipſa munera obire valeamus in omni genere doctrinarum. Et quidem, ſi iuxta primum modum hæc conſiderentur, ad ſcientiam de anima eorum dilucidatio pertinet; dum in ea vires illæ animæ, ſeu facultates, a quibus prædicta munera proueniunt, exponuntur; vt hinc nobis pateſiat. quanā virtute animi, & quibus modis, atq; functionibus noſter intellectus, tum rerum formas concipiat, tum eas inuicem coniungat, aut ſegreget: tum deniq. quomodo de eiſdem ratiocinationem contexat.

Si vero ſecundo modo prædicta noſtri intellectus munera cōſiderentur: nempe, quatenus rerum ipſarum contemplationi applicātur, ſic dicendum eſt, ꝙ aut cognitionem rerum concernunt abſq. methodo traditam, nimirum rudem, atq. ineruditam, cuius omnes homines, duce natura, aliquo ætatis proceſſu, licet alij præclarius, & alij obſcurius participes euadunt: aut illam elaboratam, & methodo traditam rerum cognitionem complectuntur, quæ non niſi ſummo adhibito ſtudio a paucis, in primisq. ſapiētibus obtinetur: ad cuius cognitionis normam ſcientiæ, & artes, ac omnes aliæ facultates ſunt conſtitutæ: dum in ipſis rerum omnium tractatarum Theoremata exponuntur, eſt iuxta tria prędicta mentis noſtræ munera abſoluuntur: videlicet, ſimplicium terminorum explicatione, propoſitionū manifeſtatione, ac concluſionum ipſarum demonſtratione.

Si vero iuxta tertium modum conſiderādi prædicta munera noſtri intellectus perpendantur, nēpe, quatenus humana ingenia, ſeorſum a particulari rerum tractatione, vniuerſali quadam expoſitione, ac certis regulis generalib⁹ informantur & imbuūtur, ad hoc vt dicta munera intellectus tuto, & ſcite, & commode obire, & abſoluere poſſint, ſic ad modū ſciendi eſt confugiendum, quē artifex Logicus conſtituit, & nomine Organi (quoniā inſtruat nos ad ſciētias rite capeſcendas) rationabiliter inſigniuit. Quamobrē, ſicuti tria ſunt noſtri intellectus munera, quibus oēm rerum cognitionē proſequimur: ita quoq. ſtatuendum eſt, non ſolum conueniens, verum etiam neceſſarium fuiſſe, vt artifex Logicus methodum eā inſtitueret, quæ ſingulis ex partibus, ſingulis quoq. intellectus muneribus reſponderet. Itaq; cum primū opus noſtri intellectus in ſimplicium apprehenſione atque explicatione verſetur, iure ordo docendi id poſſidetur, vt primo loco, penes hoc ipſum munus, certa & vniuerſalis norma atq. erudi tio ab artifice Logico traderetur. Hanc autem in Prædicamentorū tractatione, iuxta ante habitam ſuppoſitionem cōuenienti admodum ratione concludi nunc maniſeſtabimus.

Etenim, ſi illud verum eſt, qđ teſtatum reliquit Ariſtoteles in lib 2. Diuinæ Philoſophiæ, quòd ſcientia, & modus ſciendi ſimul quæri non debeant, ne hinc mentę ignari, dum ſcientias capeſſere debeat, confuſio, atque obſcuritas oriatur, certe aſſerendum eſt, id etiam circa rerum omnium ſupremas, communesq. notiones fuiſſe obſeruandum: cum ipſarū vſus ſit frequens apud omnes ſciētias, & facultates; dum in ipſis *Subſtantiæ, Quanti, Qualis*

Lib. 2. Met. cap.

ad aliquid*, *Vbi*, *Quando, & aliæ huiuſmodi communiũ notionum voces adhibentur: quas ignorare, qui ſcientias capeſſere aggrediuntur, minime decet: ne obſcuritas ex harũ notionũ ignoratione illis contingat, hincq. hęſitantes a recto progreſſu in ſcientijs faciendo retardentur: ſiquidẽ, ijs Prædicamentorum rudimẽtis, humanæ menti infigitur prima illa elaborata cognitio, firma atq. ſtabilis (non vaga eſt inconſtans, qualis eſt ineruditorum) qua cognoſcitur, ac certo ſcitur, rerũ omnium generales notiones ad decẽ generalia capita reduci, & quæ ſint hæc, & quomodo ſingula ſe habeant: nec non ſimul etiam cõprehenditur, vocum omnium cõmunes ſignificationes in aliquod horum decem Prædicamẽ. genus neceſſario cõcludi, vt hinc in genere de vocibus oibus ſignificantibus vniuerſalis, & certa notitia deſumatur Vnde cõcludendũ eſt, huiuſmodi tractatum, quem ſupponimus in hoc libro haberi de decem generibus Prędicamentorum, omnino ad conſtitutionem, & perfectionem Organi, non ſolum tanquam vtilem, verum etiã vti neceſſariam pertinere. Quod & ex alia argumẽtatione colligi facile põt. Etenim, ſi in Philoſophia, in qua exacta de rebus ipſis traditur ſcientia, ſępenumero Ariſtoteles (quod omnibus poteſt eſſe perſpicuum) Logicas nuncupat rationes illas, quæ rei naturam exacte non attingunt, quaſi quòd in humana ſolum mẽte ſubſiſtãt: quid ni igitur affirmabimus, ad Logicam facultatẽ proprie pertinere generalem hanc, quam innuimus, decẽ Prędicamẽtorum perſcrutationem, quę tantum cõmuniſſimas rerum omnium notiones, neq. vllius rei determinatam attingit naturam? Ad hęc, cũ in Prædicamentis explicandis, eo docẽdi genere Ariſt. vtatur, (vt patebit ex ſequentibus) vt vniuerſam hanc contemplationem conuertat, trahatq; ad loquendi, ſeu ſermocinandi normam, quatenus aut incomplexæ, aut complexæ ſunt voces, atq; ideo in primis agit de incomplexis vocibus, quatenus aliquod ex decẽ ſupremis generibus ſunt ſignificantes; mox vero de complexis, quatenus his ipſis verum aut falſum enunciamus, & multa præterea interſerit ſecundum dici de ſubiecto, vel eſſe in ſubiecto, qui ſunt typi ad orationem enunciatiuam attinẽtes: hinc etiam deducitur argumẽtum, ꝙ huiuſmodi de Prædicamẽtis tractatio proprie ad Organũ, & ad Logicam pertineat facultatem.

Quòd ſi nonnulli ætatis noſtræ viri exiſtimarunt, ſuisq. ſcriptis contẽderunt, hunc lib. Prędicamẽtorum omnino, vt alienum a Logico negotio, ex Organo eſſe expungendum, huic potiſſimum innixi fundamẽto, quòd Prędicamenta contineant tractationẽ entis, de quo agere nõ ad Logicum artificẽ pertinet, ſed ad Metaphyſicum, ſicuti apud omnes Ariſtot. Philoſophos eſt in confeſſo ideo, vt huic obiectioni occurram, breuibus hanc cõſiderationem nunc attingentes, (quam deinde poſt Prędicamẽtorum explicationem, exactiſſime perpendemus) dicimus, nil prohibere, neq; abſonum eſſe, quòd eadem res in diuerſis ſcientijs, & facultatibus tractetur, ſub alia tamẽ, & alia conſiderandi ratione. Quemadmodum de cor-

po-

pore agit Philosophus naturalis, agit & Mathematicus, hic abstrahēdo a rebus sensibilibus, ille corpus cōsiderans, vt conuenit rebus naturalibus. Similiter de moribus, & animæ passionibus disserit rethor, tractat & Philosophus moralis; hic vt doceat, quibusnā virtutibus animus sit excolēdus, ad hoc vt bene, beateq. viuamus: ille vero vt orationem bene moratam conterat, & in animis audiētium affectiones permoueat, atq; ita, quę vehit, illis persuadeat. Quare nil obstat, quin & Methaphysicus, & artifex Logicus possint simul agere de Prędicamentis, alio tamē scopo, & diuersa inuicem considerandi ratione. Siquidem Methaphysicus, hęc decem suprema omnium genera, alta indagine contemplatur, nēpe quomodo singula entis referant notionem, & quomodo ad substātiam reliqua nouem genera referantur; quę sit entis essentia circa substantiam, & quę, qualisuè sit ea, quæ pertinent ad alia genera Prædicamētor. quę dicuntur Accidentia, & huiusmodi alia apud Methaphysicum considerantur. De Prædicamētis aūt apud eundem nulla est mentio, quatenus sint voces incomplexæ, hoc vel illud significantes, vt hinc simplicē cognitionem notionum communium vocibus incomplexis explicatarum deprehēderemus, quod dicimus crassa quadam Minerua tradi, & exponi ab artifice Logico, eo scopo, vt instruātur humana ingenia, fiuntq; gnara, quòd vocum omniū significationes in decem hæc suprema genera Prædicamētorum reuocātur, nempe ad *Substantiam, Quantum, Quale, ad Aliquid, Ubi, Quando, Situ esse, Agere, Pati, & habere.* Quæ quidem pertractatio, atque notitia, nemo qui sanæ sit mentis, inficiari potest, quin nō solum ad omnes scientias sit percommoda, & valde vtilis, verū etiam ad reliquas Organi partes, in quibus de Prædicamētis incidit mentio, quorum notitia, tamquam pręhabita supponitur; quemadmodum in fine libri exactius considerabimus.

Ex his autē, quæ hactenus explicata sunt, colligere licet, illos interpretes a vero scopo Aristot. aberrare, qui in hoc libro Prędicamētorum asseruerunt simpliciter tractari de rebus, vt res sunt, & nihilominus tractationē hanc pertinere ad Logicum negotium, quādoquidem ex aduerso ipsis maxime obstat ratio ante inducta, qua constitutum est, ꝙ de rebus agere (quatenus sunt entia) munus est proprium Metaphysici. Neq; vero huic opinioni fauet (vt nonnulli supponunt) generalis illa diuisio, habita ante Prædicamenta, ꝙ *eorum quæ sunt, alia quidem de subiecto dicuntur, in subiecto autem nullo sunt,* & reliqua quæ sequuntur; quasi hinc necessario sit inferendum, hæc dirigi ad rerum consideratione, quatenus res sunt; quando (si omnia ibi enarrata prole perpendantur) non huc illa pertinet diuisio; quum rerum nullam determinatā attingat naturam; sed recto itinere ad notiones communes explicandas dirigitur sub ratione, & typo subiecti, & prędicati, vt patebit ex propria loci explicatione.

Qui vero differunt, in hoc libro prædicamentorū agi de vocibus, ad hoc opinandum inducti ex illa

di-

diuisione, quæ traditur ante Prædicamenta, dum dicitur, quòd *eorum, quæ dicuntur, alia secundum complexionem dicuntur, alia vero sine complexione*, (quæ diuisio non nisi ad vocũ tractationem spectare videtur) ij etiã maximis vrgentur angustijs. Siquidem dicere coguntur, ꝙ voces hic cõsiderentur, aut in quantum sunt voces, veluti ꝙ sint taliter, vel taliter proferendæ, quòd sint simplices, aut compositæ ex alijs vocibus deriuantes, quòd hę propriæ sint, aliæ translatæ, quædam asperæ, & aliæ dulces. Atqui hæc in hoc libro Prædicamentorũ nullatenus tractantur; sicuti neq; hoc munus præstare artifex Logicus debet, quod partim proprium est Grãmaticorũ, partim ét Rethorũ, & Poetarum. Aut dicendũ de vocibus hic agi, quoniam Prædicamenta vocibus explicentur, quod asserere valde futile esset, cum & de omnibus doctrinis id dici pariter possit, quòd in ipsis de vocibus agatur, quatenus contemplationes in illis habitæ vocibus explicantur.

Ammo. Qui vero (inter quos est Ammonius) existimarunt tractari in hoc libro Prædicamentorum de vocibus significãtibus res medijs conceptibus, seu notionibus; videant & hi quonam pacto tueri se possint ab hac maxima difficultate, vt non cogantur asserere, huiusmodi considerandi rationem æque omnibus scientijs, & facultatem doctrinis cõuenire, cum in omnibus voces adhibeantur, quibus res aliquæ explicentur, & id medijs notionibus in mente existentibus. Vnde alia ratio considerandi est assignanda, quæ propriè tractatui Prædicamentorum accommodetur.

Porph. Quamobrem, sequentes nos Porphyrij sententiam, repetamus id, quod ante supposuimus, népe de Prædicamentis agi in hoc lib. ab Arist. quatenus ijs ipsis cõmunes, & generales rerum omnium notiones designantur, non eo tamen scopo, vt rerum hinc determinatam notitiam consequamur, vt fit in scientijs particularibus, & in omnibus artibus. Neq; eo etiã modo, quo considerantur a Metaphysico, quatenus entis sunt partes, & quomodo ad essentiam sese habeant tum substantiæ, tum reliqua nouem genera Prædicamentorum, accidentia nuncupata. Sed eo scopo agi dicimus ab artifice Logico de Prædicamentis, vt vocum, quibus explicantur, significationes nobis sint notæ, certoq; sciamus, voces omnes significantes, in aliquod decem horum generum reduci, simulq; numerum determinatum horum generũ, ad quæ res omnes reuocantur, non ignoremus. Verum & illud addimus, ita agi de supremis his notionibus in Organo, vt harum tractatio explicationi vocum sit innixa; quatenus sunt simplices, & incomplexæ; & significãtes absq; veri, aut falsi connotatione; cum hunc in modum, ex vocum imaginatione facilius omnis hęc cõtemplatio definiatur, atq; comprehendatur, quemadmodum in primis nostris Prefationibus constitutum est. Vnde non eadem hæc est nostra sententia cum illa Ammonij, qui asserit, agi in hoc libro de Vocibus res significantibus medijs notionibus. Siquidem, aliud est dicere, quòd de rebus simpliciter tractetur, vt supponit Ammo

D nius

nius; & aliud, quod tantum de supremis rerũ notionibus agatur, vt sensit Porphyrius: quarũ deinde notitia (quod nos addimus) vt magis nobis pateat, ideo dicimus circa simplices voces institutam esse hanc tractationem eo consilio, vt ita mẽs vocum nobis perfamiliariũ imaginationi innixa, facilius generalium notionum omniũ intelligentiã consequatur; quę quidem non nisi rerum esse possunt imagines, licet ad determinatam rei alicuius notitiam hoc loco nõ dirigantur. Verum & illud nõ inficiamur, ex omnibus Logicæ facultatis partibus, hanc de Prædicamentis tractationem, proprius ad rerum tractatum accedere; Siquidem Prędicamenta immediate ad entia referuntur, eo tamen scopo hic considerata, vt ad Organi cõstitutionem pertinent, eo modo, vt explicatum est.

De libri inscriptione.

INscribitur autem liber Græcæ κατηγορία a verbo κατηγορεῖν, quod significat accusare, & deferre nomẽ alicuius in iudicium; a nostris autem Prędicamenta sunt inscripta, vt quę de omnibus prędicentur. Siquidem quęcunq; sunt, & cum reliqua vocum significatione exponuntur, omnia sub horum generum appellatione cadũt; vnde Antonomasticæ, vti suprema rerum genera, Prædicamenta dicta sunt. Differunt aũt ab illis quinq. vocibus, de quibus in libro Porphyrij actum est, & Prędicabilia a nonnullis appellantur; quoniã voces illę ad secundas animi notiones pertinent, vt in eodem libro Porphyrij explicatũ est: Prędicamenta autem concernunt primas rerum notiones, in genere tamen & cõfuse consideratas, eo modo, vt in pręcedenti sermone constitutum est.

De libri diuisione.

IN tres autem pręcipuas partes secatur liber hic Prędicamentorum iuxta partitionem Gręcorum: videlicet In antepædicamẽta, In prædicamẽta, & Post prędicamẽta. Siquidem primo nonnulla admodum vtilia ad doctrinam Prædicamentorũ, & ad totius Organi cognitionem explicantur. Mox ipsa Prædicamenta exponũtur. Postremo vero loco quædam alia traduntur, ad eorumdẽ Prædicamentorum patentiorem doctrinam, & ad vniuersalem modum sciendi maxime cõferentia.

De ordine lectionis.

IN toto autem Organi ambitu, haud dubitãdum est, quin primum locum iure sibi vendicet tractatus de Prædicamentis, cum in ijs voces incomplexæ considerentur, quatenus sunt significantes: quæ quidẽ considerandi ratio simplicior est reliquis omnibus alijs Organi partibus, in quibus notiones complicatæ ex vocibus exponuntur; aut quatenus ex his oratio enũciatiua verum, aut falsum continens constituitur, de qua agitur in libro Perihermenias: aut Syllogismus contexitur, vel simpliciter, & in genere cõsideratur: quod præstatur in Prioribus Analyticis: aut quatenus est Demonstratiuus, aut Topicus, aut Sophysticus: ex quibus emanant, tum libri Posterioris Analyticis nuncupati, tum Topici, tum Sophystici: quemadmodum etiam in animæ nostræ facultate primo simplices incomplexæq; notiones ingenerantan-

rantur: deinde inuicem complicantur: ac demũ ex ijs ipsis mens nostra in opus ratiocinationis, iuxta eius varia genera dirigitur.

SECTIO PRIMA LIB. PRÆDICAMENTORVM.

De Aequiuocis.

Antequam accedatur ad explicationem Prædicamentorum, nonnulla scitu digna more Mathematicorum sunt præmittenda, quæ & ad Prædicamentorum intelligentiã, & ad totius Organi cognitioné, & consequenter ad omne genus doctrinarum maximũ lumen afferre possunt. Inter hæc explicandum est, quænam esse dicantur Æquiuoca, Vniuoca, & Denominatiua; & exordientes ab Æquiuocis, dicimus, Æquiuoca dici ea quæ commune habent nomen, & secundum nomen, in quo conueniunt, non eandem obtinent substãtiæ, seu essentiæ definitionem; sed alia vnius, & alia alterius erit, iuxta nomen definitio: quemadmodum tum homo, tum picta figura nomine animalis nuncupantur. Verũtamen homo, quatenus animal dicitur, aliam obtinet essentiæ explicationé ab ea, quam habet animal pictum, cum homo sit sensibile, & viués animal, quod pictæ figuræ hominem repręsentantis minime cõuenit; quæ quatenus animal nuncupatur, huiusmodi essentiam obtinet, vt sit similitudo repręsentatiua animalis; & ideo in animalis nuncupatione, homo, & picta figura æquiuoce inuicem sese habebunt.

De Vniuocis.

Vniuoca vero dicuntur ea, quorum & nomen commune est, & secũdum nomen eadem est oratio explicatiua substantiæ: quemadmodum homo, & bos in hoc cõueniunt, vt & animal æque appellentur, & secundum hoc nomen eandem etiam habeant definitionem. Siquidé & homo, quatenus est, & nominatur animal, est substantia animata sentiens, & similiter bos. Vnde animal Vniuoce dicũtur, & bos & homo. Apposite autem dictum est, SECVNDVM NOMEN, quæ æquiuoca dicuntur, habere diuersam essentiæ definitionem, & similiter Vniuoca, SECVNDVM NOMEN, in quo conueniũt, habere eandem essentiæ explicationem: quoniã alioquin, si non secundum nomen, quod est ipsis commune, perpendatur eorum definitio, fieret, vt quæ dicuntur æquiuoca euaderét Vniuoca; & é conuerso Vniuoca redderentur, quæ supponerentur æquiuoca. Idq; facile conspici potest ex appellatione nominis Alexandri Romani, & Alexandri Veneti: qui quidem cõsiderati, quatenus vterq; Alexandri nomine nuncupatur, ęquiuoce inuicé sese habebunt, alia existente explicatione Alexandri Romani, vt tale est indiuiduum, & alia ea, quę assignabitur de Alexãdro Veneto, alio singulari homine existente. Si vero considerentur quatenus sunt & appellantur homines, iuxta hoc nomen, HOMO, Vniuoce sese habebunt, cum vtriq; & nomen HOMO, & hominis definitio pariter conueniat. Verum aduertendum est, non solum penes nomina, in quantum distinguuntur

a verbis, verum etiam penes verba, tum Vniuocationem, tum Aequiuocationem cadere: prout eſt perſpicuũ de hoc verbo FERRE, quo & pondera viribus corporis ferri, & res aduerſas & moleſtas pariter ferri æquo animo dicuntur; & ita æquiuoce, quatenus vtrinq. vſurpatur idem verbũ, qđ poſtea in diuerſam diſtinguitur ſignificationem. Currere autẽ verbum eſt eiuſmodi, vt omnibus currentibus animalibus pariter, tam ſecundum appellationem, quàm ſecundum eius ſignificationẽ conueniat. Similiter etiam non ſolum penes ſubſtãtias cõtingit Aequiuocatio, & Vniuocatio; verum etiam circa accidentia; quemadmodum nomen hoc acutũ, æquiuoce dicitur de Voce, de Gladio, & de Sapore. Vniuoce autem, ſecundum nomen coloris, tum Album, tum Nigrum in eadem generis nominatione, & definitione conueniunt.

De Denominatiuis.

DEnominatiua vero dicuntur ea, quæ ab aliquo ſecundum nomen habentia appellationem, ab eodem differentiam in caſu nominis habent; quemadmodum a Grammatica dicitur Grammaticus, & a fortitudine fortis: vbi apparet, fortem ab ipſa fortitudine habere nominis appellationem, a qua deinde fortis differt in caſu, ſeu in deſinentia nominis; vt ita partim in initio dictionis conueniant, & partim etiam in fine diſcrepent in eodem nomine.

Adnotationes.

NOn ignorandum autem, a nonnullis animaduerti idcirco agi hoc loco de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, vt hinc intelligeremus omnia decem prædicamenta tripliciter poſſe inuicem comparari; primo quatenus ad ipſum ens referuntur, in quo æquiuocationem quandam habent. Secundo quatenus vnumquodque genus ad ſua inferiora referri poteſt, de quibus vniuoce prædicatur, Tertio quatenus ad ſubſtantiam, quæ eſt primũ prędicamentum, poſſunt comparari alia nouem prædicamenta, quæ de ſubſtantia denominatiue dicuntur. Ac propterea, inquiunt, de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis hic agi ab Ariſtotele. Quorum ſententia, quoad illam partem, quòd æquiuoce ens dicatur de prædicamentis, non eſt admittẽda, ſi ſectemur veram opinionem Ariſtotelis, qui in libris Meta. ac pręſertim in lib. 4. ſæpius aſſerit, ens non æquiuoce dici de prædicamentis, licet etiam non vniuoce, ſed analogice de illis prędicetur. Pręterea, quòd aſſerunt de denominatiuis ideo àctum eſſe, quoniam alia nouem prędicamenta, quæ ſunt accidentia, denominatiue dicantur de ſubſtantia (licet id ſit verum, attamen non tollitur, quin etiam differẽtię ſubſtantiales per denominationem poſsint dici de ſubſtantia, veluti ab immortalitate immortalis, & a ſenſitiua ſentiens denominatiue dicitur, licet in nomine ſolo ſit varietas, & non in eſſentia; niſi in quantum concretum, & abſtractum inter ſe differunt: cuius rei exacta diſcuſſio ad Methaphyſicum eſt remittẽda.

Lib. 4. Met. ca. 4

Sed neque vllo ex loco conijci poteſt, quòd Ariſtoteles oculum habens ad ſcopum, quẽ hi ſupponunt, tractatum de prædictis vocibus aggreſſus ſit. Idcirco illud magis nobis probandum videtur, vt dicamus, ideo Ariſtotelem de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis egiſſe, quoniam de ipſis notitiã habere maxime eſſet cõſentaneum ad vniuerſum organi tractatum, & ad omnes facultates, & ſcientias; ſed pręcipue ad doctrinam prędicamentorum, in quibus de denominatiuis eſt mentio in prędicamento qualitatis, & de vniuocis in prædicamento ſubſtantię: vniuoca autem exacte intelligi non poterant, niſi etiam ęquiuoca exponerentur. Pręposuit autem ęquiuoca vti ſimpliciora, cum ſolum nomen commune habeant, non autem definitionem prout vniuoca.

Aduertendum etiam, cum ęquiuoca, vniuoca, & denominatiua explicentur, quatenus dicuntur, & voces ſint, quę dicantur, hinc colligi hæc conſiderari facilioris doctrinę gratia, iuxta vocum tractationem, ſicuti antea animaduertimus penes vocum conſiderationẽ tractari in organo de prędicamentis.

Adhuc eſt aduertendum Ariſtotelẽ dedita opera omiſiſſe perſcrutationem analogorum, vt pote earum notionum, quæ exactiorem, & altiorem indaginem expoſtulent; cum quodam modo analoga iaceant media inter æquiuoca, & vniuoca: vnde horũ explicatio tanquam captum introducendorũ iuuenũ exſuperans ad philoſophię contemplationem merito fuit relinquenda.

Dubit.

Contingit autem dubitatio aduerſus expoſitionem allatam de ęquiuocis, de quibus non videtur vere dici, quòd in ipſis ſolum nomen ſit cõ, & non etiã nominis ſignificatio.

tio . Nam nomen eſt vox ſignificatiua ; vn-
de,quatenus nomen vnum tantum eſt,vide
tur quòd etiam vna tantū nominis debeat
eſſe ſignificatio. Cui dubitationi occurrens

Alb. Mag.

Albert. dixit, in quocunq; nomine tria in-
ueniri , nempe ſonum vocis , qui ore ho-
minis fit, & hoc dicit eſſe materiam nomi-
nis; item ſoni cōfigurationem , & articula-
tionem , quod dicit eſſe formam nominis,
quę varia eſt , prout varia ſunt nomina ,
homo,leo, & huiuſmodi ; & hęc duo inquit
eſſe de natura nominis, quibus multiplica-
tis nomen etiam multiplicatur . Deniq; cir
ca nomen ait cadere ipſam ſignificationē ,
quam dicit non eſſe formam nominis , ſed
actum ſecundum, & perfectionem quandā
conſequentem ipſi nomini; qua multiplica
ta , non vult multiplicari nomen : & ideo ,
inquit,in æquiuocis eſſe vnum tantum no-
men ſecundum eius materiam & formam ,
non autem ſecundum ſignificationem. Ve-

impug.

rum hæc Alberti ſententia ex hoc facile
impugnatur , quoniam nomen non eſt no-
mē , niſi ſit alicuius rei ſignificatiuum , vt
patet ex Ariſtot. in lib. de interpretatio-
ne: & ideo falſum eſt dicere, quòd ſignifi-
care aliquid non pertineat ad formā pro-
priam nominis. Idcirco nobis aliter dicen-
dum videtur,nempe non valere hanc con-
ſequentiam, ꝙ quoniam ęquiuoca habeant
vnum,& idem nomen,propterea debeat ēt
ipſorum eſſe vna tantum ſignificatio. Nam
dicimus , vtique ſignificari aliquid ab ipſo
nomine ęquiuoce, cū ſignificet & hoc,& il-
lud,vt ſunt plura in ęquiuoca appellatione
contenta. Etenim nomina (vt ſtatuit Ariſt.
lib. de interpretatione) imponuntur ad
placitum hominum: vnde nil obſtat , quin
idem nomen ad plura ſignificanda poſſit im
poni : idq. præſertim,quoniam (vt habetur
in libro Elenchorum) plures ſint res quàm
voces, vnde facilis eſt prolapſus ad nomen
idem rebus diuerſis imponendum . Qua in
re voces,quę proferuntur, non obtinent a
natura rerum ſignificationem, vt Plato vi-
ſus eſt exiſtimare,reiecit autē hoc Ariſtot,
in libro eodem de interpretatione : Sonū
autem & configurationem vocis a natura
euenire concedendum eſt. Sed & in nomi-
num ęquiuocorum pronunciatione aſſeren
dum eſt,ſemper intellectum humanum cō-
prehendere rem aliquam ſub nomine ęqui
uoco contentam , ſeorſum ab alia rei alte-
rius ſignificatione: veluti appellatione Ca-
nis intelligere canem terreſtre animal exi-
ſtentem,& non ſydus cæleſte hoc eodē no-
mine nuncupatum . Ex quo fit , vt nomen
æquiuocum ſemper comprehendatur,qua-
tenus aliquid determinate ex eius appella-

Dubit. Solut.

tione connotatur. Alia etiam mouetur du-
bitatio, quomodo ſub aliqua notione com-
muni ęquiuoca potuerint explicari, cum,
quæ dicūtur æquiuoca diuerſam obtineant
inter ſe definitionem . Cuiita ſatisfieri po
teſt dicendo , aliud eſſe , quòd quę inter ſe
dicuntur æquiuoca, conſiderentur, vt ſunt
tales res inter ſe definitione differentes:&
aliud eſſe, quòd ſeorſum a rebus conſidere
tur notio , ſeu conceptus ęquiuocorum ,
qui ſane ſub vna explicatione compre-
henduntur eo modo , vt explicata ſunt ab
Ariſtot.

Adhuc eſt adnotandum , quòd nomen ,
quod ſit commune vniuocis , & ſi pluribus
conueniat , quę ſpecie inter ſe differunt ,
pro ut hoc nomen *animal* conuenit boui,&
homini ſpecie inter ſe diuerſis, attamen ſi-
gnificat vnam naturam eiſdem communē,
nempe animalis , per quam conuenientia
eadem inuenitur in omnibus ſpeciebus ſub
animali contentis , licet diuerſam poſtmo-
dum inter ſe obtineant naturam iuxta pro
priam ſpeciem .

Quod autem aſſerunt nonnulli de Deno-
minatiuis , quòd quę denominatiue dicun
tur ab aliquo, conuenire debent , & etiam
differre ab eodem in nomine,& in ipſa no-
minis ſignificatione:quod attinet ad conue
nientiā,& diſcrimen circa nomen , genera-
tim concedendum eſt , de omnibus Deno-
minatiuis , ſiue fiat denominatio a re , quę
accidens importet , ueluti eſt albedo niui
exiſtens, ſiue a re,quæ ad ſubſtantiam per-
tineat eius,quòd denominatur , qualis eſt
rationalitas in homine . Etenim his omni-
bus conueniat , vt , quod determinatur,
conueniat in nomine cum eo , a quo de-
nominatur : nempe in parte priori nomi-
nis: in poſteriori autem, ſeu in caſu nomi-
nis ab eodem differat. Quemadmodum ap-
paret de albedine ad niuem albam compa-
rata: quę alba,at non albedo nuncupatur:&
de rationalitate ad hominem dictum ratio
nalē, & non ipſam rationalitatem. Et hunc
in modum perſpicuum eſt explicata eſſe
Denominatiua ab Ariſtotele,dum dixit, ea
eſſe *quæ ab aliquo ſolum differentia caſu ſecundū
nomen habent appellationem*.quibus uerbis ſo-
lam differentiam in appellatione nominis
connotauit . Accidentia autem , a quibus
inexiſtentibus denominetur ſubſtantia,
differre in ipſorum eſſentia , & quatenus
ſunt participata non eſt dubitandum . De
ſubſtantialibus autē differentijs, ueluti eſt
rationalitas in homine, id non conceden-
dū, cum eadem ſit ratio rationalitatis , vt
cunque ſumatur . Nunc miſſam facimus
quæſtionem illam , quę in Metaphyſic. eſt
examinanda , atque ut nimis ardua a prę-
ſenti tractatione remouenda , num forma
ſubſtantialis ſit eiuſdem abſolute ratio-
nis conſiderata abſtracta a materia , & ut
concreta in materia inuenitur . Id autem
ut indubitabile ſupponendum eſt,differen-
tias ſubſtantiales ad rerum eſſentiam per-
tinere; vnde oportet,vt a rebus ſecundum
propriam rationem participentur,& ſecun
dum eandem rationem denominentur,non
item accidentia .

Præterea adnotandum,hanc vocem *ſyno-
nima*, qua apud Grœcos vniuoca ſignifican
tur iuxta explicationem antea aſſignatam ,
apud noſtrates latinos accipi pro multiuo-
cis: ideſt pro multis vocibus,quę idem ſigni
ficant: ſicuti veſtis,& indumentum : petra,
& lapis: ſpata,& gladius : quę omnia ſyno-
nima appellantur,de quibus nulla eſt men-
tio apud Logicos : ſed relinquitur horum
conſideratio grammaticis,poetis,& orato-
ribus, qui varias dicendi figuras ſectantes

ad ornatum, & copiam orationis, huiusmodi synonima adhibere consueuerant.

De his quæ dicuntur.

CVm ad Logici munus spectet vocum consideratio, vt sunt significantes, & possunt esse vel cũ complicatione, vel sine complicatione; ideo hoc præcognoscendũ est, voces interdum proferri complexas, interdum vero sine complexione. Et quæ cõplicatæ proferũtur, sunt huiusmodi; Homo currit, homo vincit; quæ vero sine cõplexione proferũtur, sunt, vt Homo, bos, currit, vincit.

Adnotationes.

CVm in præhabita vocum diuisione Aristoteles ita sermonem instituerit *eorũ quę dicuntur &c.* hinc clare colligitur, quòd de vocibus in hoc libro sit acturus. Siquidem, quæ dicuntur, non nisi voces sunt; acturus tamen primo de vocibus incomplexis, vt significant notiones rerum omnium cõmunissimas: deinde vero de vocibus complexis, quatenus verum, aut falsum continent; quamquam non ignorandum, voces etiam complexas posse proferri absq; veritatis, aut falsitatis connotatione; veluti est dicere; Deus omnipotens, Cicero eloquẽs. Sed de ijs agere in Organo non est præsens scopus Aristotelis.

Generalis eorum, quæ sunt, diuisio.

CVm Prędicamenta (vt constitutũ est antea) hoc loco sint consideranda, in quantum concernunt communes rerum omnium notiones; ideo ad faciliorem ipsorum doctrinam diuisio eorum, quæ sunt, est assignanda. Sciẽdum igitur, ꝙ eorũ, quę sunt, alia quidẽ *de subiecto aliquo dicuntur, & in subiecto nullo sunt,* quibus verbis substantia denotatur vniuersaliter accepta, vt homo, qui dicitur de subiecto, nempe de ijs, qui sub homine continẽtur, vt puta de Socrate, Platone, & alijs indiuiduis; & in subiecto nullo est, cui inhæreat, & a quo dependeat. Alia vero sunt apposito modo penitus se habẽtia, quę *in subiecto sunt, & de subiecto nullo dicuntur.* In subiecto autẽ intelligitur esse illud, quod cum sit in aliquo, non est pars eius, & impossibile est, vt sit sine eo, in quo est; vt quædam Grammatica, veluti illa Guarini, in subiecto est nempe in anima eius, qui illam nouit: de subiecto autem nullo dicitur, cum non sit vniuersalis, sed particularis, & indiuidua quædã Grammatica, & hoc membro diuisionis denotatur accidẽs particulariter. Alię rursus sunt res, quę *& de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto;* veluti scientia est in subiecto, in anima scientis, & de subiecto aliquo dicitur; vt puta de Grãmatica, & de Musica; Et hoc tertio membro denotatur accidẽs vniuersale. Aliæ denique res sunt opposito modo se habentes, quæ *neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur,* vt quidam homo; sicuti Socrates qui neque est in subiecto aliquo, cui inhęreat, neque dicitur de subiecto, cum sit singularis homo. Et sic quidem typus nempe, *non dici de subiecto,* competit omnibus indiuiduis, siue substantiarum, siue accidentium. Hoc autem postremo diuisionis mẽbro, particularis substantia denotatur.

Adnotationes.

OCcurrit penes explicata primo considerandum cuiusmodi nam sit pręmissa diuisio; de qua simplicius opinatus est, potius censendam esse enumerationem quandam, quàm diuisionem; quoniam scilicet nõ sit diuisio generis vniuoci. Verum non obstat, vt dicamus eam esse diuisionem generis, nempe ipsius entis, vt patet ex illis verbis, *eorum quæ sunt &c.* ens autem diuidã

Sim. pl.

apud

apud Aristotelem in suas species, licet non sit vniuocum, sed analogũ genus, perspicuũ est ex lib. 4. Metaph. Cum autem entia cõsiderari possint, partim vt sunt quædam res singulares extra animã existentes, quæ possunt esse vel per se subsistentes, sicuti sunt substantiæ, vel alijs inhęrentes, vt accidẽtia, partim vt sunt in anima secundum modum vniuersalem: hinc prædicta diuisio quadrimembris est constituta; in qua tum substãtia, tum accidens comprehenditur; & hæc eadem, cum secundum vniuersalem, tum secũdum modum singularem existendi, siquidem per hæc *esse in subiecto*, denotatum accidẽs; per illa vero *dici de subiecto*, res in vniuersum & generatim acceptę significantur, sub quibus singularia continentur: quemadmodum & ex horum oppositis, nempe per *non esse in subiecto*, substantia significata est: & per *non dici de subiecto*, res singularis denotatur: adeo ꝙ diuisio hæc per oppositas differẽtias iuxta affirmationis, & negationis contradictionem constituta, necessario vniuersum ens complectitur: tam illud, q̃d in anima inest, quàm illud, quod extra animam subsistit secundum rationem substantiæ, & accidentis.

Libro 4. Phys. c. 3.

Cum autem in adducta diuisione sint hi typi, & modi dicendi nempe, *dici de subiecto*, & *esse in subiecto*, propterea animaduertendũ, hunc typum *dici de subiecto*, quoniam satis perspicuum esset, quid nam per ipsum significaretur, ideo ab Aristotele sola exẽpli inductione explicatũ esse: veluti, quòd homo dicitur de subiecto, vt puta de Socrate sub ipso contento.

Ille vero alius typus, nempe, *esse in subiecto*, quoniam magis latebat eius intelligentia, ideo definitione, seu descriptione quadam ab Arist. exacte explicatus est hunc in modum; ꝙ esse in subiecto intelligitur illud q̃d *cum sit in aliquo, non est eius pars, & impossibile est esse sine eo in quo est.* Quæ quidem explicatio, vt magis nobis elucescat, aduertendũ est, particulam illam, *esse in aliquo* habere se vt genus: ceteras vero particulas, tum, quòd *non sit pars eius, in quo est*, tum, *quòd impossibile sit esse sine eo*, stare pro differẽtijs; Siquidem in lib. 4. Physicorum in tractatu de loco habet Arist. ꝙ esse in aliquo contingit his omnibus modis: vel vt pars in toto, sicut digitus in manu: Vel vt totum in partibus: Vel vt species in genere: Vel vt genus in specie: Vel vt in efficiente, sicuti res populi sunt in regimine principis: Vel vt in bono, seu in fine cuius gratia cetera aguntur: veluti quod nonnulla agamus, vt puta, exercemus corpus ob consequendam, aut conseruandam sanitatem: Vel vt aliquid est in vase, seu in loco, vt vinum in dolio: Vel deniq; vt forma est in materia: sub quo postremo membro continetur etiam accidẽs, quod dicitur esse in subiecto. Sed animaduertendum, ꝙ forma in materia duobus modis considerari potest; vel vt est substantialis, ex qua constituitur substantia composita: vel vt est accidentalis, quæ & inesse, & non esse potest ei, in quo inest: & hunc in modum intelligitur illud, quod hic dicitur, *esse in subiecto*, nempe accidens, quod deinde dicimus distingui ab alijs modis essendi in aliquo, per expositas has differentias. Nam per illam, quatenus *non est pars eius in quo est*, distinguitur accidens, tum a modo existẽdi partis, quæ inest in toto, vti eius pars, tum a toto, quoniã totum inest partibus vt totum ipsarum, quę in toto consistunt, & ipsum constituunt: vnde totũ pertinet ad esse partium, vt non sit accidens earum. Similiter distinguitur accidens a specie, quæ est pars generis ipsius vniuersalis: item a genere, quoniam genus est pars cõstitutiua specierum, & vt vniuersale est, sic continet sub se omnes species. Distinguitur etiam accidens ab eo, quod est esse in efficiente, & ab eo, quod est esse in fine; q̃m res possunt esse sine efficiẽte, & sine fine sicuti domus iam constituta existit, & permanet sine architecto; & homo absque sanitate: non autem accidens potest esse sine subiecto, in quo inest. Distinguitur etiam esse in subiecto ab eo, quod est esse in loco: quoniam & si omne corpus semper sit in loco, attamen ab eo loco potest separari, in quo prius erat: quod non potest euenire de accidente, vt possit esse sine eo subiecto, in quo inest, idem permanens accidens.

Dubit. Quòd si quis obijciat, ꝙ etiam forma substantialis est in aliquo, nempe in materia, & nõ est pars materiæ, nec potest esse sine ea; vnde videretur idem esse cum accidẽte. Solut. Ad hoc dicendum est, ꝙ forma substantialis, q̃m sit in materia, compositam constituit substãtiam, cuius est pars: Vnde non idem est esse in aliquo secundum formam substantialem, & secundum formam accidentalem, ex qua non constituitur substantia, sed illi aduenit non eius pars existens, sed quoddã accidẽs. Vnde Aristot. infra, in prædicamentis substantiæ, animaduertit differẽtias, & partes substantiales nõ ita esse in subiecto, quemadmodum insunt accidentia iuxta modum hic expositum, q̃d & latius ibi explicabitur.

Dubit. Sed adhuc dubitabit aliquis, q̃m accidẽs videtur esse posse sine eo, in quo est. Siquidẽ odore in pomo cum sit accidens, ad nostras peruenit nares longe semotas a pomi substantia. Solut. Huic obiectioni occurrentes dicimus, ꝙ odor semper est in subiecto, & sine eo, in quo est, non potest reperiri: q̃m aut quædam corpuscula substantiæ existentes, a pomo vnà cum odore segregantur; vt patet de pomis rugosis, e quibus pars succi, & substantiæ defuerit. & ita in ipsis corpusculis odor semper reperitur. Aut cõcedendo (ꝙ etiam est verissimum) aerem, quodammodo spirituali, ab ipso odore pomi affici qualitate odorifera, sicuti & hũc in modum ab igne aer calidus efficitur: ita etiam dicendũ est, ꝙ semper odor insit in subiecto, aut respectu pomi, in quo inest odor secundũ modum existendi magis realem; aut vt inest in aere secundum modum spiritualem, q̃m in aere qualitas odoris sit inducta.

Aduertendum autem ab Arist. traditam fuisse prædictam diuisionẽ eo præcipue scopo, q̃m ad futuram de substantia tractationem, maximum lumẽ, & commodum sit allatura, pręsertim ad explicãdam typo quodã substantiã singularẽ. Siquidẽ ita explicabitur, ꝙ sit ea, quę *neq. est in subiecto, neq. de subiecto dicitur*, ad quę intelligẽda plurimũ cõ-

tulit hoc loco explicasse, quid sit *esse in subiecto*, & quid sit *dici de subiecto* cum oppositorũ sit eadem doctrina: Vnde hunc in modum saltem notione cõfusa percipietur, quid sit substantia singularis: dum dicitur, ꝙ neq; est in subiecto, neque de subiecto dicitur. Ex quo etiam colligitur: hunc modũ explicandi substantiam, tãquam rudimentum quoddam, ad Organum pertinere: adeo vt deseruiat ad vniuersam Philosophiam huiusmodi prçmissa dilucidatio, quam idem Arist. attulit etiam in lib. 7. Met. dum substantiã compositam explicarit tanquam desumptã ex traditione hoc loco habita: dũ hic explicatum est, quid sit dici de subiecto, & quid esse in subiecto. Et consequenter ex huiusmodi terminorum assignatione (qui vt proprij ad logicum artificem pertinent) perspicuum sit Prçdicamentorum tractationẽ ita ad modum Logicum dirigi, atq; ideo ad Organum pertinere.

Regula eorum, quæ de altero dicuntur.

QVando alterũ de altero prçdicatur, vt de subiecto sub se contento, quæcunq. de huiusmodi prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur: veluti, cũ homo prçdicetur de Socrate contẽto sub homine, animal vero pariter de homine sub se contento prædicetur, hinc fit, vt dicendum sit, quòd & animal prædicabitur de Socrate, Vnde Socrates dicitur & homo, & animal.

Adnotationes.

HAEc regula concernit ordinem prçdicandi secundum rectã lineam, quã Ammonius nuncupat secundum profunditatem, dum fit descensus a superiori ad inferiora secundum rectam lineam, & non transuersalem: Veluti (vt exemplo id doceatur) post substantiam est corpus, deinde viuens, mox animal, postea animal rationale, sub quo homo, & sub ipso Socrates, & alij singulares homines continentur. Quorsum autem tradita sit hęc regula ab Aristotele, nonnulli dixerunt, eam ad huuc finem esse propositam, vt doceremur, quomodo quçq. prædicamenta in se ordinãda forẽt, quod tamen curæ fuisse Aristoteli nullibi apparet. Idcirco dicimus, prçmissam fuisse huiusmodi regulam, quoniam vsui sit futura doctrinę de prædicamento substantiæ, ad manifestandum, quòd species, & genera primarum substãtiarum (vt apparebit) sunt secundę substantię.

Ammo.

Animaduertendum autem admodum apposite dictum fuisse, quando alterum de altero prçdicatur *vt de subiecto*, vt hinc denotaretur subiectum, vt contentum sub vniuersali, ad cuius essentiam pertinet vniuersale, quod de subiecto prædicatur: & in hoc sensu regula tradita semper vera erit, quẽadmodum etiam, iuxta hanc considerandi rationem, infra eam in medium adducturus est Aristoteles.

Regula eorum, quæ prædicantur secundum lineam vniuersalem.

EAdem etiam regula est obseruanda penes differẽtias, quæ non secundum rectum ordinem Prçdicationis, sed modo transuersali, & a latere Prçdicantur de inferioribus. Vnde in primis aduertendum est, ꝙ diuersorum generum, & nõ subalternatim positorum sunt diuersæ specificæ differentiæ: vti perspicuum est de animali, & de scientia. Etenim animalis differentiæ sunt gressibile, bipes, aquatile, & volatile, quarũ nulla ad scientiam attinet, quç potest diuidi in Diuinam, in Naturalem, & Mathematicam.

Diuersorum autem generũ sed subalternorũ, nihil prohibet easdem esse differentias. Siquidem superiora de his, quæ sub ipsis sũt generibus, prçdicantur. Hinc elicitur regula, quòd quotcunq. differẽtiæ prædicati fuerint, tot erũt etiam subiecti: vt puta, si viuentis differentia diuisiua est sensibile: aut si eiusdem constitutiua differentia est corporum, vtiq. & sensibile, & corporeum prædicabũtur de animali contento sub viuente, & de homine posito sub animali, & de singularibus hominibus sub specie hominis contentis.

Adnotationes.

ADnotandum autem, ad maiorem prçdictorum intelligentiam, tribus modis accipi posse genera diuersa: Primo quidem,

quo-

quoniam sint sub diuersis prædicamentis: quemadmodum animal existens sub prędicamento substantiæ, est diuersum genus a scientia, quæ est sub prędicamento qualitatis. Secundo vero modo dicuntur genera diuersa, sed subalternatim posita in eodem prędicamento, vt animal & viuens, sub quo animal est positum. Tertio modo dicitur etiam genus diuersum ab altero, quia non sint inter se subalternatim posita, licet sub altero communi contineantur, quemadmodum animal volatile, & animal gressibile sunt diuersa genera, quia vnum non sub altero, vtrunq. autē sub animali continetur.

Porph. Adnotandum etiam in prædicamentis alias esse differentias diuisiuas, & alias cōstitutiuas, vt explicatum est a Porphyrio in cap. de differentia; ita quidem, vt, quę sunt alicuius generis differentię diuisiuę, nō sint eiusdem constitutiuę; sed eorum quidem, quę sub ipsis continentur. Hinc animaduertimus, in generibus diuersorum prędicamentorum omnes differentias tum constitutiuas, tum diuisiuas esse diuersas. In generibus autem non inuicem subalternis, positis vero sub vno communi genere, licet inter se differant, poterunt esse eædem differentię communes: sicuti animal volatile, & animal aquatile huius differentię *bipedis*, quę est diuisiua animalis, quod est genus vtriq. cōmune, possunt esse participes. Veruntamen proprię hoc loco consideratur ad Aristotele regula prędicandi secundum differentias, habita ratione ad genera subalterna, quorum, inquit, nil prohibere easdē esse differentias: Veluti omnes differentiæ, quę sunt constitutiuę superioris generis, erunt etiam constitutiuæ inferioris: quemadmodum constitutiua differētia viuentis, qualis est corporea, erit eadem constitutiua animalis sub ipso contento: non autem insensibile diuisiua differentia existens viuētis, vllo pacto ad animal pertinebit, sicuti eius opposita differentia, ipsum sensibile, erit constitutiua animalis.

Adnotandum etiam, in contextu Aristotelis, haberi duplicem lectionem apud Gręcos; quoniam aliqui ita legunt. *diuersorum generum non subalternatim positorum sunt cum specie differentia diuersa*. Gręcè σύν τῶ εἴδει ac si diceretur, quòd differentię vna cu specie sunt inuicem diuersę. Quę lectio multū non probanda videtur: tum, quoniā in plurium numero dicendum erat species esse diuersas, & non in singulari erat nominanda species; sicuti & de differentijs dictum est, ipsas esse diuersas, tum etiam, quoniam paulo post Aristot. loquens de generibus subalternis, quorum dixerat nihil prohibere easdem esse differentias, non vltra meminit speciei. Propterea magis probatur alia lectio, in qua abest particula σὺν, & solum legitur τῶ εἴδι: vt hinc intelligatur, quòd differentię τῶ εἴδει, idest differentię specificę sint diuersę, idq., quoniam & diuersorum generum possunt esse eædē differentię accidentales: quemadmodum sciētia iucunda: & animal iucundum ad differentiam molesti dici possent.

Quorsum autem hęc regula de prędicatione differentiarū sit allata, si quis percōtetur, dicimus, idcirco traditam esse ab Aristotele, quoniam infra ea vsurus sit in tractatu substantię, ad manifestandum, ꝙ differentię, & partes alię substantiæ non sunt in subiecto, prout accidentia.

Vocum incomplexarum enumeratio.

VOcum autem, quæ sine cōplexione dicuntur, vt generatim percurrantur, ad decem numero prædicamenta referuntur. Siquidem vnaquæq. vox significatiua, aut significat Substantiam, aut Quantum, aut Quale, aut Ad aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut Situm esse, aut Habere, aut Agere, aut Pati. Est autem Substantia (vt typo quodam hæc omnia sub oculis ponantur) homo, equus: Quātum, bicubitum, tricubitum: Quale, album, grammaticum: Ad aliquid, duplum, dimidiū, maius: Vbi in foro: Quando heri: Situm esse, iacere, sedere: Habere, calceatū esse: Agere, secare: Pati, secari. His autem omnibus generibus id conuenit, vt singula sine vlla affirmatione aut negatione dicantur: cum deinde ex ipsarū mutua complicatione tum Affirmatio, tū Negatio constitui possint: Quod quidem ex hoc potest esse perspicuum. Nam omnis affirmatio, & negatio, aut vera, aut falsa videtur. At eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullum aut verum, aut falsum cōtinet: veluti, cum dicitur seorsum, homo, album, currit, vincit: quare neq. Affirmatio, neq. Negatio cōstituitur ex incomplexarum vocum pronunciatione.

Adnotationes.

EX hac enumeratione uocum incomplexarum hęc maxima utilitas percipitur, ut hinc nobis constet, uoces omnes si-

gni-

gnificantes ad decem communes rerũ omnium notiones & significationes reduci: quod quidem homines ineruditi non norunt; sapientes autem singula perscrutantes, obseruarunt, nempe distingui typis prædictis rerum omnium cõmunes significationes: vnde ét numerum supremorum generum in decem Prędicamenta reduci aduerterunt, & constituerunt. quemadmodum & vox hæc, *categoria*, apud græcos, apud latinos, *prædicamentum*, quod idem significat a philosophis ad has generales notiones designandas translato vocabulo, est excogitata; prout in præfationibus explicatum est.

Colligitur autem ex prædicta enumeratione hunc in modum habita, *eorum quæ dicuntur*, prædicamenta sub vocum typo, atq. consideratione hic esse considerãda, vt sæpius antea animaduertimus, quando, quæ dicuntur, non sint nisi voces: idque ad faciliorem huius doctrinæ comprehensioné: adeo quòd in hoc libro considerentur voces, vt sunt incomplexæ, & significantes tãtummodo rerum communes notiones; cum deinde in libro sequenti, in quo agitur de oratione enunciatiua, sint considerandæ, quatenus sunt nomina, aut verba, ex quibus inuicem complicatis cuncta oratio cõstituitur ipsa præsertim affirmatiua, & negatiua.

SECTIO SECVNDA IN LIB PRAEDIC.

De Prædicamento substantiæ, ac primum de eius diuisione, cuius præcipuum significatum obtinet substantia particularis.

IAm vero aggrediẽtes explicationem Prædicamẽtorum, iure auspicabimur ab eo, quod est primum, & fundamentum omnium aliorum, nẽpe ab ipsa substantia, quæ simplici quadam, & crassa consideratione accepta, prout postulat hæc Organi speculatio, distinguitur tum in eam, quæ proprie, & primo, & maxime dicitur Substantia, & huiusmodi typo connotata, & explicata: quòd neq. sit in subiecto, neq. de subiecto dicatur, vt quidã Homo, Socrates, vel Plato: tũ in eã, cui nomen secundæ substantiæ cõuenit, sunt Species, & Genera primæ dictæ substantiæ: quemadmodum Homo est species singulorũ hominum, Animal vero eorundem genus est.

Vt autem nobis constet, quòd substãtia particularis sit præcipue substantia, illud in primis aduertendum est, quòd ea, quę de subiecto quodam dicuntur (iuxta regulam antea constitutam) & secundum nomen, & secundum definitionem prædicantur de subiecto, de quo dicuntur: quemadmodum quidã homo, vt puta Socrates, & Homo appellatur, & etiam habet hominis definitionem; sicuti & animalis nomen, & definitionem obtinet. Vnde fit, vt quæ sunt species & genera primæ substantiæ, secundum nomen, & secundũ definitionem de singulari substãtia dicantur. Eorum vero, quæ sunt in subiecto, eo modo, vt antea explicatum est, quid sit esse in subiecto, vt sunt accidentia, hæc numquam de subiecto, in quo insunt, secundum definitioné prædicantur. Non. n. si in substantia est albedo, albedinis definitio de substãtia prædicabitur: Siquidem nó dicitur, quòd Socrates sit color disgregãs visum, prout conuenit definitioni albedinis. Sed neq; in plurimis secundum nomen prædicantur accidentia de subiecto, cui insunt; nisi sit eiusmodi, vt sint completiua subiecti; qualis est in niue albedo, cunctum niuis subiectum complectens, & implens; vt ideo nix alba dicatur: non autem Aethiops albus nominabitur, etiam quòd dentes albus obtineat; quoniam in ipso albedo nõ inest cuncti complectiua subiecti.

His autem ita constitutis, clare deducitur, quòd non existentibus pri-

primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe: non ea, quæ de ſubiecto dicuntur, ſpecies .ſ. & genera primarum ſubſtantiarum, quæ certe non prædicabuntur, & conſequenter nõ exiſtent, niſi de ſubſtantijs particularibus prædicentur, in quibus inſint: non.n. animal de homine dicitur, niſi & de quodam animali, & de quodam homine prędicetur. Sed neq;, quę ſunt in ſubiecto, ipſa accidentia, erũt in ſubiecto abſq; prima ſubſtantia, cui inſint. Nam ſi color eſt in corpore, oportet, vt ſit in quodã corpore, & cuidam inhęreat ſubſtantiæ particulari. Ex ijs concluditur, quòd non exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe, & quòd indiuiduis ſubſtãtijs vti præcipuis, ſubſtantiæ nomen iure eſt attributũ.

Adnotationes.

Lib. 7. Met. c. 3.

PEnes prędicta illud in primis Adnotandum, hoc loco traditam eſſe ab Ariſt. diuiſionem quãdam ſubſtantiæ non omnibus numeris abſolutã, qualis illa, quam tradidit in Metaphyſica pręſertim in lib. 7. Sed eam, quæ facile ab introductitijs comprehendi queat. Vnde & primo loco aſſignauit ſubſtantiam particularẽ compoſitam, & per ſe ſubſtãtiam, quæ ſub oculis omnium ſubſternitur, vt hic homo, ille equus, ille lapis. Poſtea vero ſpecies & genera harũ primarum ſubſtantiarũ, pro ſecundis ſubſtantijs conſtituit; quæ quidem etiam ex viu loquẽdi apparet, ꝙ habent rationem ſubſtantiæ, quando primæ ſubſtantię ſuarum ſpecierũ, & generum nomen, & definitionẽ obtinẽt. Vnde, ſi primę adſunt ſubſtantię, etiam vt ſint ſecundæ oportet. Ex quo patet, ꝙ hęc diuiſio ſubſtantię facta in primas & in ſecundas ſubſtantias erit communis generis Analogici: nempe huiuſmodi generis in quo pars vna ita ſe habet, vt per eam alia ſubſiſtat: quemadmodum in prędicta diuiſione ob indiuiduas ſubſtantias patet ſpecies harum & genera ſubſiſtere, ſecundas ſubſtantias exiſtentes. Subſtantia autem ipſa particularis dicta eſt ab Ariſt. *propria ſubſtantia*, ad differentiam accidentium, quorum eſſentia proprie non eſt ſubſtantia: ſicuti de hoc pluribus in locis ſtatuit Ariſtoteles in lib. Meta. Eadẽ etiã nominata eſt, *prima ſubſtantia*. ad differentiam earum, quę ipſius primæ ſubſtantiæ ſpecies, & genera exiſtentes, ſecundæ ſubſtantię nomen obtinuerũt. Ad hæc eadem particularis ſubſtantia, *maxime ſubſtantia*, eſt nuncupata ad denotandu, ꝙ non exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe, prout deductum eſt antea; quoniam ſcilicet ipſis innituntur, tum ea, quæ dicuntur de ſubiecto, genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum. tum ea, quæ ſunt in ſubiecto, quibus ea omnia comprehenduntur, quæ, præter primas ſubſtantias, entis aliquam obtinent rationem, & ſunt accidentia. Hinc colligendum eſt, Ariſtotelem non reſpexiſſe hoc loco ad partes illas ſubſtantiæ, quæ ſunt cõſtitutiuæ primarum ſubſtantiarum: prout eſt materia & forma: neq. ad ſubſtantias ſimplices & abſtractas a materia, vt ſunt Angeli, & Deus Opt. Max. de quibus proprie hic non habetur conſideratio.

Cum autem ſubſtantia prima his typis, ſeu notis ſit explicata, quod neq. ſit in ſubiecto, neq. de ſubiecto dicatur, hinc colligitur, optima ratione pręmiſſam antea fuiſſe explicationem, tum quid eſt *eſſe in ſubiecto*, tum *quid ſit dici de ſubiecto*. Et cum ſupponatur, præter ſubſtantias primas, alia omnia aut dici de illis, vti de ſubiecto, vt faciũt primæ ſubſtantiæ, aut in eiſdem eſſe vt in ſubiecto, ut accidentia; hinc facile comprehenditur, prædictis typis ſub contradictione poſitis, partim per negationem optime connotatam fuiſſe primã ſubſtantiam, per hæc, quod non ſit in ſubiecto, neq. de ſubiecto, dicatur: & partim per affirmationem, his typis, eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto, alia omnia fuiſſe comprehenſa, quæ quouis modo, vel in mente reſident, vel extra mentem ſubſiſtunt. Verũ, quoniam typus iſte *non eſſe in ſubiecto*, & hic alius, *non dici de ſubiecto* notitiã primæ ſubſtantiæ continet ſub quadã negatione expreſſam: idcirco Ariſtoteles huic ſoli explicationi non acquieſcens, pluribus alijs animaduerſionibus, ſeu proprietatibus infra explicandis, naturam ſubſtantiæ manifeſtandam adiudicauit.

Dubit. Dubitabit autem aliquis, quòd non conuenienter Ariſtot. ſubſtantiam ſingularem hoc typo explicarit, vt *quidam homo*, ſiquidem *quidam homo*, & ad Socratem, & ad Platonem, & ad alios ſingulares homines applicari poteſt: vnde hunc in modum non ſubſtantia ſingularis, ſed vniuerſalis explicata videretur. Solut. Cui dubitationi ita occurrendum eſt, dicendo, ꝙ hæc locutio *quidam homo*, poteſt applicari ſingulis hominibus: & hac ratione erit vniuerſalis applicatio huius dictionis, *quidam*, ad omnia eiuſdẽ ſpeciei indiuidua. Ad applicando uero eandem dictionem *quidam homo*, huic, vel illi ſingulari homini, prout hoc loco accipitur ab Ariſtot. ita ſingularis, & indiuidua ſubſtantia denotatur.

Dubit. Alia etiam occurrit dubitatio, quomodo dictum ſit ab Ariſtotele, ꝙ primæ ſubſtantiæ nõ ſunt in ſubiecto, cum poſtea ſubiunxerit ꝙ ſpecies, & genera primarum ſubſtãtiarum, ſunt ea, in quibus inſunt primæ ſubſtantiæ: ita .n. denotari videtur, ꝙ ſint in ſubiecto.

Di-

Solut.

Dicendum ad hanc dubitationem, quòd primæ ſubſtantię ſunt in ipſarũ ſpeciebus, & generibus, quatenus ſub vniuerſali quadã ſpecifica, vel generica notione continentur: non autem ſunt in ſubiecto, eo modo, vt accidentia inſunt in primis ſubſtantijs.

Adnotandum etiam dictum illud, ꝙ ea, quæ ſunt in ſubiecto, in plurimis neq. ſecũdum nomen, neq. ſecundum definitionem dicuntur de ſubiecto, varias recepiſſe interpretationes: Quidam enim dixerunt, ꝙ accidentia in abſtracto, vt albedo & iuſtitia, nõ dicuntur de ſubiecto, non ſolum ſecundum definitionem, verum etiam neq. ſecundum nomẽ: quoniam homo non dicitur albedo, neq. iuſtitia, quod eſt ueriſſimum. Vnde interpretantur, ꝙ nunquam huiuſmodi abſtracta de ſubiecto ſecundum nomen prædicẽtur. Verũ Ariſtoteles penitus non excluſit, ꝙ ea, quæ ſunt in ſubiecto, non prædicẽtur ſecundum nomen, ſed in plurimis id negauit, in aliquibus autem aſſeruit poſſe prædicari. Vnde reijciẽda horum interpretatio.

Expl. impugnata.

Nõnulli alij, vt Ammoni⁹, interpretati ſunt ita dictum eſſe ab Ariſtotele, quoniam ſunt, plures voces qualitatum, a quibus non fit denominatio, ſicuti a virtute non dicitur virtuoſus: & huiuſmodi videntur ea omnia, quæ ſubſiſtũt in illo genere qualitatis, quod ſecundum potentiam, & impotẽtiam dicitur. Atqui ex aduerſo dicendum, pauca eſſe ea, a quibus non fiat denominatio, & longe plura illa, a quibus fit, vt patebit ex tractatu qualitatis. Idcirco dicendum, ab Ariſtotele prædictis verbis ſignificatũ eſſe id, quod habet in initio lib. 2 Top. vbi determinat, a genere, a differentia, & a Proprio fieri denominationẽ penes ea, q̃bus inſunt: quemadmodum, ſi Socrati ineſt animal, dicitur Socrates animal: ſi rationalitas, rationalis: ſi riſibilitas, dicitur riſibilis: At de accidente non eſt eadem ratio, vt ſi accidẽs aliquod inſit Socrati, ueluti albedo, debeat Socrates albus nuncupari: non enim niſi ſimpliciter inſit (ut inquit loco citato Ariſtoteles) accidens in ſubiecto, vt compleat ſubiectum albedinis nuncupationẽ: veluti non dicitur Aethiops albus, licet dentes albos habeat, quoniã non ſimpliciter ęthiopi albedo ineſt, ſed tantum ſecundum quid. Et quidem hunc in modum, nempe ſecundũ quid accepta accidentia, prope innumerabilia inueniuntur: vnde iure hoc loco dictũ eſt ab Ariſtotele, vt in plurimis neque ſecũdum nomen prędicari accidentia de ſubiecto, quum vt in plurimis ſubiectorum, quibus inſunt, non ſint completiua.

Ammo.

Impug.

Lib. 2. c. 1

De ſecundis ſubſtantijs.

Ex ſecundis autem ſubſtantijs, ſunt hæ ſpecies & genera primarum ſubſtãtiarum, ſpecies magis eſt ſubſtantia, q̃ genus, vt puta homo, q̃ animal. Quod duplici ratione patet eſſe perſpicuũ. Primo quidem, quoniã ſpecies eſt propinquior primæ ſubſtantiæ, quàm genus, quoniam, ſi quæratur, quid ſit prima ſubſtantia, euidentius, & cõueniẽtius aſſignabitur ſpecies, q̃ genus; vt puta dicẽdo, quòd Socrates eſt homo, quoniam ita aſſignabitur illud, qđ eſt magis propriũ Socratis, q̃ ſi aſſignetur quòd ſit animal, quod eſt magis cõmune, & magis remotum a natura Socratis. Vnde huiuſmodi erigi poteſt ex loco dialectico ratiocinatio. Illud, quod magis ſignificat ſubſtantiam primam, magis ſubſtantia cenſendum eſt: ſed ſpecies magis ſignificat ſubſtantiam primam, q̃ genus; ergo ſpecies magis ſubſtantia eſt cenſenda, q̃ genus. Præterea ſicuti primæ ſubſtantiæ, eo ꝙ alijs omnibus rebus ſubduntur, vt omnia alia vel de ipſis prędicentur, vel in ipſis inſint, propterea maxime ſubſtantiæ cẽſentur; ita quoq; , argumento ducto a ſimili, cũ ſpecies ſubdatur generi, vt de ea genus prædicetur, & non e cõuerſo, ſpecies de genere; ideo ſequitur, vt ſpecies ſit magis cenſenda ſubſtantia quàm genus.

Inter ſpecies autem, quæ non ſunt genera, nullum eſt diſcrimẽ, vt vna ſpecies ſit magis dicenda ſubſtantia, q̃ alia; veluti homo nõ eſt magis ſubſtantia, q̃ equus: Siquidem ita euidenter, & propriæ aſſignabitur de quodam equo, dicẽdo, ꝙ ſit equus, ſicuti & de quodam homine, ꝙ ſit homo: quod ẽt aſſerendum eſt de primis ſubſtantijs, quarũ vna non eſt magis ſubſtantia, q̃ alia, nempe non magis ſubſtantia eſt quidã homo, quàm quidam equus.

Cum autem ſpecies, & genera indicent primam ſubſtãtiam, quæ per ſpecies, & genera ſignificatur, non autem accidentia, quæ ſi aſſignen-

gnentur de ſubſtantia, non ſubſtã tiam, ſed quid extraneũ ab ea ſignificabunt, vt ſi dicatur, ꝙ Socrates ſit albus, aut quòd currat: propterea iure merito inter ſubſtantias ſecundas ſunt connumeratæ ſpecies, & genera: non autem ea, quæ ſunt in ipſis, vt in ſubiecto; quod etiam conuenienter factum hinc apparet. Quandoquidem, ſicuti primæ ſubſtantiæ, quoniam oĩa alia de ipſis prædicãtur, vel in ipſis ſunt, idcirco ꝓprijſſimę ſubſtantiæ dicuntur, ita cum ſpecies & genera primarum ſubſtantiarũ ad reliqua omnia, ita ſe habeãt, vt de illis reliqua omnia prædicẽtur (ſiquidem qui dixerit quendam hominem eſſe grammaticum, dicet etiam conſequenter & hominem, & animal eſſe grammaticũ) idcirco ex cõſimili ratione ſequitur, vt ob hanc cauſam, ſpecies, & genera primarum ſubſtantiarũ in re ſint adnumerata inter ſubſtantias ſecundas, non autem accidentia.

Adnotationes.

ADnotandum Ariſtotelem, in explicatione ſubſtantię ſequutum eſſe hoc loco communem notitiam, & vſum conſuetũ ſermonis: ſicuti etiam iuxta hanc normam conſtituit ſpeciem magis eſſe ſubſtantiam, ꝙ genus, qm̃, ſ. per ſpeciẽ intimius explicetur, & magis proprie, quid ſit ſubſtantia prima, quàm per genus. In prima autem Philoſophia in lib. 7. Dilucidatur, in quo ſenſu materia dici poſſit magis ſubſtantia ꝙ forma, & e cõuerſo, quomodo forma ſit magis ſubſtantia ꝙ materia, & ꝙ compoſitum. Et alibi in eodem libro docetur, ſpeciem ſpecialiſſimam, qm̃ actum continet. Eſſentię, & genus dicit potentiam, eſſe magis ens & cõſequenter magis ſubſtantiam ꝙ genus. Et alibi etiam in lib. 3. dilucidatur, indiuiduas ſubſtantias ſolas ſubſiſtere in natura; ſpeciem aũt in indiuiduis ineſſe, rei eſſentiam complectentem; Vnde & rei definitio proprie ab eſſentia ſpeciei deſumitur. Ex quibus patet pluribus modis dignitatẽ ſubſtantię poſſe conſiderari, quorum omnium exacta ſpeculatio ex lib. Met. eſt accipienda, cum deinde in hoc opere ſubſtantiæ ſignificatio potiſſimum ipſi ſubſtantię ſingulari ſit appoſita, tanquam nobis communiter præcipue manifeſtum.

Lib. 7. Met. c. 3.
Lib. 7. Met. c. 14.
Lib. 3. Met. c. 3.

Dubitabit autẽ aliquis, ſi ſpecies eſt magis ſubſtantia, quàm genus, cur igitur & generi attributum eſt nomen ſecundæ ſubſtã tię prout & ſpeciei, & nõ tertię ſubſtantię nomen generi eſt aſſignatum? Ad hoc dicẽdum, ꝙ ſpecies in hac cõuenit cum genere, vt non ſit primum ſubiectum, quod ſubijcitur omnibus, quale eſt prima ſubſtantia ſingularis: & ideo, ne multiplicatio ſuperuacanea fieret in numero ſubſtantiarum, iuxta tertias, quartas & quintas ſubſtantias, ſecundum varia ſubſtantiarum genera magis & minus vniuerſalia, idcirco, vt regula pręſtricta, Organo cõformis traderetur, Ariſt. ſimul ſpecies & genera in ordinem eundem ſecundarum ſubſtantiarum conſtituit ſimul etiam patefaciens, quomodo ſpecies ſit dicenda magis ſubſtantia ꝙ genus, quod ſatis fuit ad horum diſtinctionem manifeſtandã.

Dub. Solut.

Dubitari etiam poteſt, cum genera & ſpecies ſint priora indiuiduis (ſiquidem oportet prius generari viuens, & ſentiens, ꝙ hoc tale viuens, aut hoc tale ſentiens, vt puta Socratem aut Platonem) cur potius ſpeciebus & generibus nomen primę ſubſtantię non fuit adſcribendum, ꝙ ipſis indiuiduis?

Dubit.

Ad id dicendum, verum eſſe, ꝙ partes cõſtituentes primam ſubſtantiam pręcedunt eius generationem: verumtamẽ de iſtis partibus non eſt hoc loco conſideratio, quo (ſicuti antea conſtitutum eſt) cõſideratur ſubſtantia compoſita; quę quidem proprie apparet, & ſubſiſtit in compoſitis indiuiduis: ſpecies autem, & genera ſunt quędam vniuerſalia, quibus connotantur primæ ſubſtã tię; & vt ſunt vniuerſalia, per ſe non ſubſiſtunt, ſed mente tantummodo cõcipiuntur, iuxta tamen earum rerum notiones, quę in indiuiduis ſubſtantijs inueniuntur.

Solut.

Subſtantiæ omni conuenit nõ eſſe in ſubiecto.

CVm ſubſtantia ſit vnũ genus generaliſſimum, non habens ſupra ſe genus, per quod definiri poſſit: idcirco per eas ꝓprietates, quæ illi competunt, eſt explicanda. Inter proprietates autem ſubſtantiæ, hęc prima occurrit perpẽdenda: commune eſſe oĩ ſubſtãtię tam primæ, ꝙ ſecundæ, vt non ſit in ſubiecto. Et quidem de prima ſubſtantia id eſt perſpicuum, cum hoc typo fuerit connotata, quòd neq; ſit in ſubiecto, neq. de ſubiecto dicatur. Verum & de ſecundis ſubſtantijs idem eſt aſſerendum, quòd non ſunt in ſubiecto. Nam homo de quodam homine ſingulari, vti de ſubiecto dicitur: nõ au

tem homo est in quodam homine, tanquam in subiecto, qđ maxime ex eo patet, quòd cũ sit quiddam commune, & vniuersale, nõ potest in vno tantum esse indiuiduo: sed necessario inuenitur in pluribus, quod similiter de aiali, quod est genus primæ substantiæ, dicendũ est. Sed & hęc alia quoque ratione ex pręcedenti doctrina desumpta hoc idem potest cõfirmari. Nam ea, quę sunt in subiecto (vt patet ex ante dictis) & si aliquando possint secundum nomen prędicari de subiecto, in quo sunt, attamẽ impossibile est, vt de eo prędicentur secundum definitionem: secundæ autem substãtiæ non solum secundum nomen, verum etiam secundum definitionẽ prædicantur de prima substantia, vti constitutum est ante, quare non erunt in subiecto. Veruntamen hoc non est proprium substãtiæ, quando & differẽtia de eo, cuius est differentia, & secundũ nomen, & secundum definitionem prędicatur, veluti bipes, & gressibile de quodam homine dicitur. Vnde neq; differentia, quæ sit essentialis, erit in subiecto eo modo, vt accidens dicitur esse in subiecto. Neq; vero hoc loco nobis facessant negocium partes substãtiarum, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint: vnde viderentur non esse substantiæ. Nam antea ita constitutum est, ꝙ id, quod est in subiecto, non inest in subiecto tanquã eius pars; At partes substantiarum ita sunt in subiecto, vt sint partes eius constitutiuæ, in quo sunt.

Adnotationes.

ADnotandum, dictum esse, quòd est cõmune omni substantię, & non dictum est, quod eius sit propriũ, non esse in subiecto, licet competat omni substantię, quoniã non soli substantię id conueniat; sed etiã differentijs: proprium autem propriissime dictum (ut explicatum est apud Porphyriũ) est illud, quod omni & soli conuenit.

Verum ex dictis oritur quędam difficultas, quomodo non sit proprium substantię, non esse in subiecto, si id omni substantię, & primæ, & secundę conuenit, nec non etiã differẽtijs, quę omnia inter substantias adnumerantur. Et si differentię habent illud, quod conuenit substantię, vt non sint in subiecto, vnde non sunt accidentia, cur igitur eas Arist. seiungere videtur a substantijs, quasi vero differentię non sint substantię? siquidem dicit, non cõuenire solis substantijs, non esse in subiecto, quoniam etiã differentijs idem competit, tanquam differentię sint quid aliud a substantia. Ad quã difficultatem Ammonius respondet, quòd Aristoteles noluit inter substantias connumerare differentias substantiarum, quoniã non apparet eas esse inter substantias; pręsertim cum sermo sit ad introductitios, qui rerum exactam cognitionem non assequuntur. Verum hæc responsio non videtur satisfacere propositæ difficultati: quandoquidem si introductitiorum erat habenda ratio, differentiæ sub silentio erãt prætereũdæ. At, cum dicatur conuenire etiã differentijs, vt non sint in subiecto, (vnde arguũtur non esse accidentia, sed substantiæ) & simul dicatur, quod non soli substantię, verum ẽt differentijs conuenit non esse in subiecto, hinc maxima in animo audiẽtis difficultas excitatur, quia anceps reddatur & dubitans num differentię sint aut non sint substãtię: sed & Arist. de partibus substãtiarũ subiunxit, ꝙ sunt partes substantiarum; vnde vidẽtur differentiæ, quæ pertinent ad primas substantias, supponi ab Aristot. vt substantiæ. Idcirco ab hac non mediocri difficultate cẽsemus facilius nos euadere posse, si dicamus, quòd partes substantiarum sunt substantiæ; siue accipiantur, illę, quæ sunt integrantes totum, ex materia, & forma compositæ, existentes, & ipsæ sicut & totum; vt manus, & caput & aliæ cunctæ partis totum animal integrant: siue accipiãtur differentię simplices cõstitutiuæ specierum, vt rationale, & bipes, quæ a partibus integrantibus in hoc distinguuntur, quòd partes integrantes totum, vt caput, manus, & huiusmodi, sunt partes compositę ex materia, & forma, quę etiam separatę a toto per se subsistunt, nõ tamen cum eadẽ natura, quam obtinent in toto, cum manus separata a corpore non sit amplius manus, nisi æquiuoce, vt alibi dixit Arist., nõ proprie pars existens, vt quę non amplius officio eo fungi possit, ad quod a natura est destinata. At differentię simplices solum formã continent, quæ pertinet ad cõstitutionem compositæ substantiæ, quę ex forma, & materia cõponitur; vnde non subsistit forma substãtiarum compositarum nisi in ipsis substantijs compositis. Hinc dicimus, ꝙ cũ differentiæ substantiarum nõ sint quid compositũ, vt est prima substantia, etiam vt sunt species,

Dubit.

Ammo. Solut.

impug.

Solut.

Lib 2. de ani. c. 9

cies, & genera primorum ſubſtantiarũ; ideo iure Ariſtoteles ſemouit differentias ſubſtantiarum a prædicamento ſubſtantiæ; ꝙ conſideratur, vt quid compoſitum, & per ſe ſubſiſtẽs, quod vel ab ipſo ſenſu facile percipi poteſt: prout & conueniens erat hunc in modum in organo conſiderare ſubſtantiam. Neq. vero differentias ſubſtantiarum ita ſecreuit a prædicamento ſubſtantiæ, vt eas inter accidentia cõputarit, ſed eas ſubſtantiarum partes eſſe palam inſinuauit. Vnde differentias ſubſtantiarum proprie dicimus reduci ad nomenclaturam prędicamenti qualitatis: adeo vt primo typo ſuę notionis ſub prędicamento qualitatis connotentur. Idque patet etiã ex Porphyrio, qui ſtatuit differentiam prædicari in quale quid. Item ex Ariſtotele, qui in lib. 5. Met. in cap. de quali, ſtatuit differentię nomen ad qualitatem referri, quod, cũ in pluribus alijs locis ſignificauit; tum pręcipue in lib. 5. phyſicorum in tractatu de alteratione, dum dixit. *Dico autem quale non quod eſt in ſubſtantia, nam & differentia quale ſed paßiuum*, &c. Verum ad differentiam qualitatũ, quę ſunt accidentia, differentia ſubſtantiarum, erit qualitas ſubſtantialis nominanda.

Lib. 5. Met.

Lib 5. Phy. c. 2.

Dubit. Sed inſtabit aliquis, quoniam ſi ſub prædicamento qualitatis reducuntur tum qualitates accidentales, tum ſubſtantiales, ita fiet, vt qualitas non ſit genus vniuocum, cũ & ad accidentia, & ad ſubſtantiarum differentias ſit commune genus.

Solut. Ad hoc dicendum, genus qualitatis non cenſendum genus vniuocum, ſi diſtincte inter ſe conſiderentur ea omnia, quæ in ipſo comprehenduntur; ſicuti etiam fere de omnibus alijs generibus prędicamẽtorum id dici poſſet; verum iuxta craſſam & rudem quandam conſiderationem, & ſecundum communem appellationem, prout a Logico cõſideratur, qualitas erit vnum commune genus, & ad qualitates accidentales, & ad ſubſtantiales, quatenus ſub quadam communi tum nominis, tum proprietatis conuenientia, que cõuenit in genere qualitati, oĩa conueniunt, quæ in hoc prædicamento continẽtur: adeo quòd, cum habuerimus notitiã de re aliqua, quòd ſit quædam qualitatis, exinde, poſt hanc notitiam genericã, & logicalẽ, conſiderare debemus, num ſit hęc qualitas accidentalis, an ſubſtantialis.

Dubit. Dubitari etiam poteſt, quomodo dictum ſit ab Ariſtotele, quòd differẽtia pręcdicatur ſecundũ definitionem de ſubſtantia: Non enim videtur differentia habere definitionem, de qua rurſus idem dici poſſet, & ita in infinitum.

Solut. Dicendum ad hanc difficultatem, differẽtias poſſe diſtinctius explicari, vt puta ꝙ greſſibile ſit id, quod pedibus ingreditur: & de hoc propria conſideratio habetur in libris Methaphyſicis.

Lib. 9. Met. c. 10

Competit ſubſtantijs & differentijs vniuoce prædicari.

Competit autem ſubſtantijs, & differentijs vniuoce prædicari, nempe ſubſtantijs ſecundis, non autem primæ, a qua nulla poteſt pendere prædicatio, cum indiuiduum infra ſe poſitum nihil habeat, de quo prędicetur, vt explicatum eſt in libello Porphyrij.

At ſecundæ ſubſtantiæ, ſpecies & genera de alijs prędicãtur, ſpecies quidem de indiuiduis, genus autem & de ſpeciebus, & de indiuiduis, & hoc fit vniuoce. Quod patet, quoniam quidam homo, & hominis nomen, & definitionem habet; ſicuti & generis nomen, & eiuſdem definitioné obtinet; qđ ſimiliter de differétijs ſubſtantiarum eſt dicendum, quæ & de ſpeciebus, & de indiuiduis primæ ſubſtantiæ ſecundũ nomen & definitionem, & ita vniuoce prædicantur: ſiquidem vniuoca (ſicuti ante explicatum eſt) ſunt quorũ nomen commune, & ratio eadem eſt: ſinguli autem homines conueniunt ſecundum nomen, & definitionem in eadem ſpecie, in eiſdé differentijs, & in eodem genere.

Adnotationes.

Adnotandum hanc conditionem ꝙ ſubſtantijs & differentijs cõueniat vniuoce prædicari, allatam eſſe ab Ariſt. vt haberetur ꝙ de ſubſtantijs primis vniuoce ſpẽs, & genera prędicantur, quod non competit accidentibus, vt de ſubſtantijs vniuoce prædicentur: licet in proprijs generibus accidẽtiũ ſint de ſpeciebus & proprijs indiuiduis vniuocæ prędicationes, ſicuti color de albedine, & de quadam albedine ſecundum nomen, & ſecundum definitionem prędicatur: de ſubſtantia autem albedo exiſtens accidens non niſi ſecundum nomen poteſt prædicari.

Ex dictis hoc loco colligitur, ad vtilitatẽ præſentis tractationis ſuperius explicatũ fuiſſe, quid eſſent vniuoca, & quomodo ſe haberet regula illa, quando alterum de altero prædicatur.

Quomodo ſubſtantia conueniat hoc aliquid ſignificare.

Videtur autem omnis ſubſtãtia ſignificare hoc aliquid.

Et quidē de prima ſubſtantia hoc eſt perſpicuum, & indubitabile. Nam indiuiduum eſt vnum quiddā numero; Vnde per ipſum hoc aliquid ſignificatur, vt Socrates ſubſtantia quędam exiſtens determinata. In ſecundis autem ſubſtātijs videtur etiam ab ipſis hoc aliquid ſignificari, dum pronunciando hominē, vel animal, ex hac appellatione, hoc aliquid videtur ſignificari. Verum, cum homo nō ſit quid vnum per ſe ſubſiſtens, neq; animal, ſed plura vtrinq; ſignificentur, idcirco non proprie dicendum eſt, ijs ipſis ſignificari hoc aliquid, vt ſit a prima ſubſtantia, ſed potius quale aliquid. Sed aduertēdum, ꝙ genera, & ſpecies non ſimpliciter ſignificant quale quid, quemadmodum accidēs, vt album, a quo proprie qualitas accidentalis ſignificatur. Genus autem, & ſpecies primarum ſubſtantiarum ſignificant qualitatem circa ſubſtantiam, vt per hæc qualis quædam ſubſtantia ſignificetur, & determinetur. Sed & comparādo genus ad ſpeciem, dicendum, ꝙ ad plura determinatur genus, q̃ ſpecies: id eſt, ſignificatio generis ad plura extenditur, quàm ſignificatio ſpeciei, vt patet: quoniā, dicendo, animal, quędam magis cōmunis qualitas circa ſubſtantiam determinatur, quàm ea, quæ ex hominis appellatione emanat.

Adnotationes.

ADnotandum, diſcrimen eſſe inter genera & ſpecies primarum ſubſtātiarum, & inter differentias ipſarum, & accidentia, quībus omnibus quædam qualitas ſignificatur. Nam accidentia qualitatem ſignificantia qualitatem quandam referūt extraneā a ſubſtantia, veluti albedo, aut caliditas ad hominis eſſentiam relata. At differentiæ ſubſtantiarum, nec non ſpecies, & genera ipſarum ſignificant qualitatem quādam circa eſſentiam ſubſtantiæ; & ita ſubſtantialē qualitatē concernunt. Rurſus vero ſpecies, & genera primarum ſubſtantiarū differunt in propria nominum appellatione a differētijs earumdem; quoniam differentiæ ſignificant quale aliquid circa ſubſtantiam ſecundum formam ſubſtātialem, ſeorſum ab omni coniunctione materiæ: ſpecies autem & genera ſignificant qualitatem ſubſtantialē circa ſubſtātiam primam: non tamen eam, quæ non includat materiam, quando homo intelligitur cōpoſitus ex materia & forma vniuerſali: ſicuti & quidam homo conſtituitur ex materia & forma particulari. In appellatione autem facta per ſpeciem, & per genus, innuitur quædam qualitas, quoniam nomina formam proprie rei volunt ſignificare, vt declaratur ab Ariſt. in lib. 8. Met. ſicuti & in 7. lib. inſinuauit a ſpecie & a genere ſignificari quādam qualitatem, quatenus ſumuntur, vt vniuerſalia.

Dub. Si quis autem dubitaret, ꝙ etiam accidētibus conueniat ſignificare hoc aliquid, cū & ipſorum exiſtant indiuidua, vt quoddam album, & huiuſmodi, Dicendum, accidētia

Solut. ſignificare aliquid, at non hoc aliquid, niſi mediante ſubſtantia: ſicuti quoddam album ſupponit quādam particularem ſubſtantiā, cui inhęreat albedo.

Subſtātiæ nihil eſſe cōtrarium, neque ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus.

COnuenit etiam ſubſtantijs omnibus, ut nihil illis ſit cōtrarium. Et hoc eſt manifeſtum: quoniam non eſt aſſignare quid ſit contrarium primę ſubſtantię, vt cuidam homini: neque ſecundis ſubſtantijs nempe ſpeciei, aut generi, ſicuti neque homini, neq. animali aliquid apparet eſſe cōtrarium. Verū id nō eſt proprium ſubſtantiæ, cū & multis alijs cōpetat, ſicuti in genere Quanti nihil eſt contrarium bicubito, aut ternario nnmero, niſi forte quis velit in quantitate multum eſſe contrarium pauco. Verum hęc non ſunt determinata quāta, prout de eis ſuo loco conſiderandum erit.

Videtur etiam ſubſtantia non ſuſcipere magis & minus; non ꝙ negandum ſit illud, quod antea conſtitutum eſt, dari ſubſtantiam quę prima dicta eſt, & maxime

ſub-

ſubſtantia, & quòd magis ſpecies eſt ſubſtantia, q̃ genus; ſed hoc nunc intenditur, quòd vnaquęque ſubſtantia, hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis & minus; quẽadmodum homo, non erit magis & minus homo; neq; Socrates erit magis homo quàm Plato; ſicuti album magis & minus album dicitur. At homo nihil magis nũc homo, quàm prius dicitur; neq; animal magis nunc animal, q̃ prius; & ad hunc ſenſum dicitur ſubſtãtia non ſuſcipere magis & minus.

Adnotationes.

dubit. DVbitari poteſt aduerſus ea, quæ dicta ſunt, quòd ſubſtantiæ nihil ſit contrarium. Item aduerſus illud, quod non ſuſcipiat magis & minus. Nam ignis & aqua, & alia elementa, quæ ſunt ſubſtantiæ, inuicem ſunt contraria. Item ſubſtantia omnis corruptibilis a contrario corrumpitur, ex quo ſequitur, quòd contrarium habeat. Pręterea rationale, quod pertinet ad ſubſtantiam hominis, habet oppoſitum irrationale, quod eſt conſtitutiuum ſubſtantiæ brutorum; vnde homo, & brutum animal, cum ſint ſubſtantię, erunt res inter ſe cõtrarię.

dubit. Similiter dubitatur, quòd ſubſtantia ſuſcipiat magis & minus, cùm ignis alijs elementis calidior dicatur, & aer humidior, aqua frigidior, & terra ſiccior.

ſolut. Verum ad difficultatem primam de elementis nonnulli reſpondent; dicentes, q elementa inuicem ſunt contraria. Sed ipſa in Prędicamento ſubſtantię quoad pręſentem conſiderationem non venire, quoniam ſunt ſimplicia corpora; & ideo ab intelligentia introducendorum longe aliena: conſiderari autem ſubſtantias ex ſimplicibus elementis cõpoſitas, vt quæ ſint omnibus manifeſtę.

impug. Atqui, quòd elemẽta ſint ſubſtantiæ magis ſimplices, q̃ aliæ ex his compoſitę, concedendum eſt, at non concedendum, quòd & ipſa non ſint ſubſtantiæ compoſitę ex materia & forma: & quod ſecundum ſe nõ ſubſiſtant, vti & alię ſubſtantię. Atque ideo dicendum eſt ad difficultatem, quòd elementis, vt ſunt ſubſtantię compoſitę, nihil illis eſt contrarium; ſed qualitates in ipſis exiſtentes ſunt inuicem contrarię, nempe caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas.

ſolut. 2 Ad aliam vero difficultatẽ, quòd ſubſtantiæ habeant contrarium, a quo corrumpantur, dicendum eſt, contrarietatem proprie inueniri in humoribus, vel in qualitatibus, ex quibus mixta tum animata, tum inanimata conſtituuntur: vnde fit, vt ex diſſolutione vnionis ipſarum qualitatum, corrũpatur ſubſtantia, cum tamen ſubſtantiæ, vt eſt compoſita, ꝑprie nihil ſit cõtrarium.

ſolut. 3 Ad tertium argumentum, concedendo etiam rationale & irrationale ſint inuicem oppoſita, aut quomodocunq; contraria, attamen dicendum, quod ſecundum formã erunt inuicem contraria, non autem ſecundum totã ſubſtantiam compoſitam, in qua inſunt. Sed exactius de oppoſitis & de cõtrarijs in lib. 10. Met. erit conſiderandum.

ſolut. Ad aliam vero dubitationem, quòd ſubſtantia, ipſa nempe elementa ſuſcipiant magis, & minus dicendum, quòd ignis in ſua ſubſtantia non eſt magis ignis ſe ipſo, licet calidior aut ardentior interdum eſſe poſſit ex varia contingenti materia, quę igni ſit admixta: quod ſimiliter, & de alijs elementis eſt aſſerendũ.

Adnotandum etiam, ipſi quanto conuenire, vt non ſuſcipiat magis & minus, vt habebitur in prędicamento Quanti. Sed neque differẽtię conſtitutiuę ſpecierum ſuſcipiunt magis, & minus; vt declaratũ eſt apud Porphyrium in cap. de differentia.

De maxima proprietate ſubſtantiæ.

MAxime autẽ proprium videtur ſubſtantiæ, vt una & eadem exiſtens numero ſit ſuſceptibilis cõtrariorum; veluti, quòd idem corpus modo calidum ſit, & modo frigidũ; quod certe de nulla alia re dici poteſt, quæ non ſit ſubſtantia. Nõ enim eadem actio praua, & ſtudioſa erit: neq; idem color modo albus, & modo niger; Quòd ſi quis ex aduerſo inſtet de oratione, aut de opinione, quòd vtraq; modo uera ſit, et modo falſa; ſiquidem, ſedente Socrate, oratio dicens, quòd Socrates ſedet uera erit; at Socrate ſtante, eadem erit falſa; quod ſimiliter de opinione dici poteſt. Huic dubio occurrendo, dicendũ eſt, quòd ſubſtantia eadem numero alternatim in ſeipſa ſuſcipit contraria, adeo ut ipſamet alteretur, et mutationem patiatur; quod non eſt dicendum de oratione, aut de opinione, in quibus proprie nõ recipiuntur contraria, ſed ad rerum mutationem, et ipſa per accidens mutantur, ut modo uerae, modo falſæ appareant, cum tamẽ immobiles permaneant, et uere in ſe ipſis cõ-

trarietatem non ſuſcipiant; unde relinquitur, quòd maxime proprium ſit ſubſtantię, quòd una et eadem numero exiſtens, ſit ſuſceptibilis contrariorum.

Adnotationes.

dub. Est autem penes predicta dubitatio, quoniam nõ ſoli ſubſtantię videtur competere, quòd ſit ſuſceptibilis contrariorum. Nam etiam ſuperficies, quę pertinet ad prædicamentum quantitatis, modo alba & modo nigra eſſe poteſt vna, & eadem numero exiſtens; quare & ſuperficies per ſe ſuſceptibilis erit colorum inter ſe contrariorum.

ſolut. Cui dubitationi occurrentes dicimus, quòd ſuperficies non habet in ſe colorem, vt ſuperficies eſt, quando neque elemẽta, ut ſimplicia & pura exiſtentia, nõ habent proprie colorem in ſe ipſis, qui prouenit in mixtis ex mixtione elementorum, tamquã quædam ipſorum paſſio. Vnde, quatenus ſubſtantia eſt corporea, & mixta, catenus recipit colorem aduenientem ſibi, media tamen ſuperficie. Verum aduertendum eſt, in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtię, hoſtiam & calidam, & frigidam reddi poſſe, ſecundum quantitatem, quæ ibi locum ſubſtantię tenet ex maximo miraculo potentiæ Dei.

dubit. Alia etiam inſurgit dubitatio; quòd non omnis ſubſtantia ſit ſuſceptibilis contrariorum. Nam ignis, qui calidus eſt, frigidus eſſe nequit; & nix, quæ eſt alba non poteſt eſſe nigra; item cælum, cum ſit inalterabile, & incorruptibile ſecundum Ariſtotelẽ, nulla videtur ſuſcipere contraria. Adhæc dicẽdũ, non dictum eſſe ab Ariſtotelẽ, quòd omnis ſubſtantia ſit ſuſceptibilis omnium contrariorum: ſed quòd eſt ſuſceptibilis contrariorũ.

ſol. Vnde ad inſtãtias ex oppoſito adductas dicendum eſt, quod ignis poteſt cõdenſari, & rareſieri, & ſurſum & deorſum ferri: ſimiliter & nix varijs modis inuicem contrarijs alterari poteſt, veluti & condenſari & rareſieri; quod ſat eſt ad habendum quòd & ignis & nix ſint ſubſtantię ſuſceptibiles contrariorum. De cœlo autem dici poteſt, quòd ſecundum contrarios ſitus ſecundum orientem, & occidentem vario motu fertur. Sed & illud aſſeri poteſt, ꝓprie Ariſtotelem ad cœli ſubſtantiam hoc loco non reſpexiſſe, hanc relinquens conſiderationẽ ad propriam de cœlo philoſophiam. Addamus ad hęc ſat eſſe, dicere, quòd, ſi quid eſt ſuſceptibile contrariorũ, vnum & idem numero exiſtens, id ſolum ſubſtantiam compoſitam eſſe poteſt.

dub. Sed adhuc dubitabit aliquis, quoniam nõ omni ſubſtantię competit ſuſcipere contraria; propterea quòd nulli ſpeciei, aut generi primarum ſubſtantiarum id conuenire poteſt; cum neq; ſpecies, neq; genus ſit vnũ, numero, vt ſupponitur in dicta proprietate.

ſolut. Ad hoc dicendum, quòd ſoli primæ ſobſtantiæ prædicta proprietas cõuenit; cuius quidem ſubſtantiæ primæ (vt quæ ſit proprie, & maxime ſubſtantia) pręcipua ratio habetur in hoc loco, cum ab ipſa pendeat, vt ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ cenſeantur, & appellentur. Vnde etiam conſtitutum eſt antea, non proprie vt vniuocum, ſed potius vt analogum genus, ſubſtantiam hic conſiderari.

dub. Sed inſtabit aliquis, quorſum igitur aliquę proprietates adductæ ſunt, quę conueniunt tum primæ, tum ſecundæ ſubſtantiæ; veluti eſt illa, quòd non ſit ſubſtantia in ſubiecto; & quorum vna etiam eſt adducta proprietas conueniens ſecundę ſubſtantiæ, & non primæ, nempe vniuoce predicari?

ſolut. Dicendũ, quòd cum etiam ſpecies & genera ſint ſubſtantiæ. licet in ſecundo loco poſitæ ideo debuerunt & ipſæ modis illis explicari, quibus eorum notitia exactior redderetur, vt ita ex pluribus partibus notio ſubſtãtiæ nobis innoteſceret iuxta præſentem organi conſiderationem; non autem ſecundum altam primæ philoſophiæ ſpeculationem.

dub. Sed rurſus dicet aliquis, cur Ariſtoteles, pro explicatione primæ ſubſtantiæ, non fuit contentus ea aſſignatione, qua diſtinguitur. & a ſubſtantijs ſecundis, & ab accidentibus; nempe per hos typos, quòd neq; ſit in ſubiecto, neque de ſubiecto dicatur.

ſolut. Dicendum, dictam aſſignationem de ſubſtantia prima in quadam negatione conſiſtere. Vnde etiam hæc aſſignatio in lib. 7. Metaph. attribuitur materiæ primæ, quod neq; ſit in ſubiecto, neq; de ſubiecto dicatur atq; ideo conueniens fuit pro clariori explicatione ſubſtantiæ, alijs quoq; notionibus ipſam declarare, vti factum eſt.

dubit. Adhuc dubitabit aliquis, eo quòd nõ videtur ſubſtantia eſſe genus generaliſſimum. ſiquidem, quæ primo, & maxime ſubſtantia dicitur, eſt ipſa ſingularis, vt quidam homo; vnde indiuiduum ſupponitur, quod, cum de nullo prædicetur, neq; genus eſſe poteſt.

ſolut. Dicendum ad hãc dubitationem, quòd prima ſubſtãtia pertinet ad indiuiduum; verũtamen, quod ſupponitur cõuenire huic tali ſubſtantia, vt puta, nõ eſſe in ſubiecto, neq; dici de ſubiecto, vel ſignificare hoc aliquid, uel non habere contrarium, vel non ſuſcipere magis, & minus, & ſuſcipere contraria, conuenit indiuiduis diuerſæ naturæ; vt ideo ſubſtantia prima reddatur genus generaliſſimum, commune & indiuiduis corporum ſimplicium, vt eſt quidam ignis, & miſtorũ, vt quidam lapis, & viuentium, vt quædam planta, & animalium, vt quidam homo, & ita de omnibus alijs indiuiduis cuiuſcunq; ſubſtantiæ.

Num autem (vt quidam diſputant) in hoc prædicamento ſubſtantiæ comprehendantur, Angeli, item & deus opt. Max. certe aſſerendum videtur, de ijs hoc loco Ariſtotelem non conſideraſſe, vt qui haberet ſermonem ad introductitios; vt ideo de ſubſtantia compoſita ſenſibili, & omnibus nota ſermonem ſuum proprie inſtituerit. Verum ſi typus & notio hęc attendatur, non eſſe in ſubiecto, & hæc alia non dici de ſubiecto vt ita res per ſe ſubſiſtens connotetur, non inficiandum, quin ſub hac logicali cõſiderãtione Angeli quoq; & Deus opt. Max. poſ-

ſet

ſet comprehendi,licet Dei ſubſtantia ſit ſupra omnem ſubſtantiam excellentiſſima, & omnium ſubſtantiarum cauſa, & totius entis fons & origo. Vnde & actus purus dicitur, quod nulli aliæ ſubſtātiæ cōuenire poteſt.

Et ordine autem docendi de ſubſtantia ſecundum hanc craſſam explicationem,quę allata eſt,colligitur,eo ſcopo de ipſa in hoc libro actum eſſe,vt quid per ipſam intelligendum eſſet,aliquo modo dignoſceremus; & huiuſmodi quidē cōſiderandi ratio procul dubio ad Organum cōuenienter pertinet; cum deinde in prima philoſophia de ſubſtantia, quatenus eſt ens, alta indagine ſit differendum; vbi ſubſtantia cōſideratur tum vt compoſita eſt, tum ſecundum eius partes cōſtitutiuas, tum vt ſimplex eſt, quatenus hęc omnia entis rationem habent;& inſuper quomodo,& vnde eius eſſentia cōſtat, atq; dependeat; exacte ibi explicatur.

IN PRAEDICAMENTVM Quanti.

De Prima diuiſione Quanti.

Qvantum aliud eſt diſcretū, & aliud continuum. Ad diſcretum pertinet numerus,& oratio. Et quidem quod numerus quanti appellationem concernat, ita eſt perſpicuum,vt nulla indigeat probatione. Quòd autem ſit quantum diſcretum,inde colligi debet;quoniam numerus,vt puta denarius,nō habet terminum communē, ad quem eius partes copulentur: non enim tria ad ſeptē,aut quinq. ad alia quinque coniunguntur aliquo termino communi. Vnde numerus erit quantus diſcretus: Similiter & oratio, (non ea, quæ verſatur in animo,ſed quæ voce,& locutione profertur) eſt & quanta, & diſcreta: Nam quòd quāti naturam cōcernat,ex inde patet: quòd ſyllabę ex longa & breui menſura cōſtat,et ideo oratio,quę ex ſyllabis conſtituitur, erit quanta; eadem vero & diſcreta, vti ea cuius nullus eſt terminus, ad quē eius partes inuicē copulentur. Non.n.in hac dictione SOCRATES,ſyllaba So habet terminum,cum quo alia pars dictionis,videlicet CRATIS coniungatur.

Quanta autem continua ſunt linea,ſuperficies,& corpus,& prę ter hęc,locus,& tempus. Quod enim linea ſit continua, hinc apparet, quoniam habet communē terminum ad quem eius partes copulantur,ſiue extremitas lineæ ſpectetur, quæ puncto cōi termino totius lineę clauditur, ſiue ipſa linea conſideretur diuiſa in duas partes, quæ puncto vno cōi termino inuicem vniuntur.Similiter dicendum de ſuperficie,quę tota cōmuni termino lineæ copulatur,& eius partes pariter per lineam communem terminum inuicem coniunguntur. continuum autē intelligitur illud, quod quātum exiſtēs habet vnum communem terminum, ad quem eius partes copulantur. Idem vero & de corpore dicendum,quod ſolidum a mathematicis appellatur, ipſa magnitudo longitudinem continens,& latitudinem,& profunditatem,& linea, & ſuperficie clauditur.

Præter hęc,etiam locus, & tempus inter quanta continua adnumerantur:tempus quidem, vt pote illud quo,inſtans continetur, per quod præteritum tempus cū futuro coniungitur, vnde continuū eſt tempus, ſimiliter & locus. Nā cum partes corporis habeant terminum, ad quem copulantur, & hę ſint in loco conſequēter,& locus continens has partes corporis erit cōtinuum ſecundum ſuas partes,quemadmodum & corpus eſt continuum.

Adnotationes.

Adnotandum dubitari a nonnullis,cur poſt prędicamentum ſubſtantię agatur de Quanto, & non potius de Quali, quæ

præstitit Architas in sua de prædicamentis traditione, cuius quidem institutionis, seu ordinis, vt primo de qualitate ageret, quàm de quanto, id fuit in causa, quòd Architas in prædicamento substantię connumerauit etiam substantiam incorpoream. Verum apud Aristotelem longe alia fuit considerandi ratio. quippe qui (vt constitutum est antea in tractatu substantiæ solum substantiam complexus est compositam, & consequenter corpoream, cuius notitia familiaris est omnibus; cui etiã proprietates, quas attulit, accõmodauit. Idcirco congruo ordine factum est ab Aristotele vt post substã tiam, prædicamentum quanti supposuerit explicandũ; propterea ꝙ nulla sit qualitas sub genere qualitatis contenta, quæ possit in substantia composita nisi medio quanto inueniri. In hoc aũt prædicamento quanti enodando ferme eundem ordinẽ obseruat Aristoteles, quẽ secutus est in prædicamento substãtiæ. Affert quippe in primis & hic diuisionem quanti, ipsam tñ variam & multiplicẽ; & segregat deinde a quanto ea, quę proprie non sunt quanta: ac deniq; tradit ea, quæ quanto conuenire videntur.

Solut.

Adnotandum etiam continuum hoc loco supponi illud, quod habet terminum communem, ad quem eius partes copulantur; & est explicatio satis aperta, & communis, & ideo maxime cõueniens huic præsenti tractationi, quæ ad Organum pertinet. In Philosophia autem naturali explicatum est cõtinuũ, ꝙ sit illud, ꝙ est diuisibile in semper diuisibilia; idq; ob materiam, de qua ibi est præcipua cõsideratio. Sed & lib. 5. Met. in tractatu quanti, continuum magis exactę quam hoc loco, iuxta ipsius formam explicatum est; dum dictum est continuum esse illud, cuius est vnus per se motus, & indiuisibilis secundum tempus: Neq; vero inconuenit vnum & idem secundum varias considerandi rationes diuerso modo explicari.

li. 6. Phy. cap. 1.

li. 5. Met.

Dubitabit autem aliquis, quomodo corpus constituatur in Prędicamento Quanti, cum Porphyrius illud reposuerit in Prædicamento Substantiæ, dicendum ꝙ in prædicamento substantiæ collocatur corpus, vt est substantia corporea, habẽs præter magnitudinem etiam formam quandam, per quam resultat corpus quoddam naturale, vt ignis, vel lapis. In Prædicamento autem Quanti accipitur corpus vt solidum, nempe solum secundum magnitudinem, quæ propriæ quanta est.

Dubit. Solut.

Si quis autem quærat, cur Aristoteles dixerit; *Amplius autem pręter hac, locus, & tempus inter quanta continua sunt*, Sciat ita locutum esse Aristotelem, qm̃ locus non primo per se, sed ob partes corporis, quas in se cõtinet, dicitur esse continuus. De tẽpore autem non exigua est difficultas, quomodo sit continuum, de qua te infra agendum erit.

Quęst. Solut.

De secunda Quanti diuisione.

ALia etiam Quanti assignatur diuisio, & est huiusmodi, ꝙ aliqua quantã sunt, quæ constant ex partibus, quæ in eis sunt, positionem habentibus ad inuicem; alia autem constant ex partibus non habentibus positionem. Et in priori quidem parte diuisionis continentur linea, superficies, corpus, & locus: in alia vero numerus, tempus, & oratio. Et quidem de linea, quòd cõstet ex partibus, quæ sint in ea habentibus ad inuicem positionem, perspicuum est. Nam data quacunq; linea, eius partes alicubi in quodã plano sitæ erũt, adeo vt possit designari, & ostendi, vbi nam singulæ quæq; partes sint sitæ, & quomodo vna ad aliã copuletur. Qđ similiter de superficie, & de corpore dicendum est. Sed & hoc idẽ de loco dici potest; quoniam, etsi proprie dici non possit, quòd loci partes sint in loco, (alioquin locus in loco, & hic in alio sine fine esset.) attamen quatenus locus continet corpus, eatenus & eius partes sicuti & corporis partes) habent ad inuicem positionem quandam & Quanti rationem suscipiunt. supponitur autem in his omnibus, quòd partes habent ad inuicem positionem, nempe illæ partes, quæ in eis sunt tum in linea, tum in superficie, tum in corpore & in loco: vt hic innuatur; quòd sit quoddam totum continuũ & linea, & superficies, & corpus, & locus, in quo continuo partes singulę ad inuicem habent positionem. Numerus autem nõ est huiusmodi; quandoquidem non est ostendere vbi nam eius iaceãt partes, aut quomodo ad se inuicem connectentur; cum, quod primo numeratur, non permaneat, neq; vnus numerus ad alium numerum coniungatur; vnde in numero

ſet comprehendi, licet Dei ſubſtantia ſit ſupra omnem ſubſtantiam excellentiſſima, & omnium ſubſtantiarum cauſa, & totius entis fons & origo. Vnde & actus purus dicitur, q nulli aliæ ſubſtãtię cõuenire poteſt.

Ex ordine autem docendi de ſubſtantia ſecundum hanc craſſam explicationem, quę allata eſt, colligitur, eo ſcopo de ipſa in hoc libro actum eſſe, vt quid per ipſam intelligẽdum eſſet, aliquo modo dignoſceremus; & huius modi quidem cõſiderandi ratio procul dubio ad organum conuenienter pertinet; cum deinde in prima philoſophia de ſubſtantia, quatenus eſt ens, alta indagine ſit diſſerendum; vbi ſubſtantia cõſideratur, tum vt compoſita eſt, tum ſecundum eius partes cõſtitutiuas, tum vt ſimplex eſt, quatenus hæc omnia entis rationem habent; & inſuper quomodo, & vnde eius eſſentia cõſtat, atq; dependeat, exacte ibi explicatur.

IN PRAEDICAMENTVM Quanti.

De Prima diuiſione Quanti.

Qvantum aliud eſt diſcretũ, & aliud continuum. Ad diſcretum pertinet numerus, & oratio. Et quidem q numerus quanti appellationem concernat, ita eſt perſpicuum, vt nulla indigeat probatione. Quòd autem ſit quantum diſcretum, inde colligi debet; quoniam numerus, vt puta denarius, nõ habet terminum communẽ, ad quem eius partes copulentur; non enim tria ad ſeptẽ, aut quinq; ad alia quinque coniunguntur aliquo termino communi. Vnde numerus erit quantus diſcretus: Similiter & oratio, (non ea, quæ verſatur in animo, ſed quæ voce & locutione profertur) eſt & quanta, & diſcreta: Nam quòd quanti naturam cõcernat, ex inde patet; quòd ſyllabæ ex longa & breui menſura cõſtãt, & ideo oratio, quę ex ſyllabis conſtituitur, erit quanta; eadem vero & diſcreta, vti ea cuius nullus eſt terminus, ad quẽ eius partes inuicẽ copulentur. Non .n. in hac dictione, SOCRATES, ſyllaba So habet terminum, cum quo alia pars dictionis, videlicet CRATIS coniungatur.

Quanta autem continua ſunt linea, ſuperficies, & corpus, & prę ter, hæc, locus, & tempus. Quod enim linea ſit continua, hinc apparet, quoniam habet communẽ terminum, ad quem eius partes copulantur, ſiue extremitas lineæ ſpectetur, quæ puncto cõi termino totius lineæ clauditur, ſiue ipſa linea conſideretur diuiſa in duas partes, quæ puncto vno cõi termino inuicem vniuntur. Similiter dicendum de ſuperficie, quę tota cõmuni termino lineę copulatur, & eius partes pariter per lineam communem terminum inuicem coniunguntur. continuum autẽ intelligitur illud, quod quãtum exiſtens habet vnum communem terminum, ad quem eius partes copulantur. Idem vero & de corpore dicendum, quod ſolidum a mathematicis appellatur, ipſa magnitudo longitudinem continens, & latitudinem, & profunditatem & linea, & ſuperficie clauditur.

Pręter hæc, etiam locus, & tempus inter quanta continua adnumerantur: tempus quidẽ, vt pote illud quo, inſtans cõtinetur, p quod pręteritum tempus cũ futuro coniungitur, vnde continuũ eſt tempus, ſimiliter & locus. Nã cum partes corporis habeant terminum, ad quem copulantur, & hę ſint in conſequenter, & locus continens has partes corporis erit continuum ſecundum ſuas partes, quemadmodum & corpus eſt continuum.

Adnotationes.

ADnotandum dubitari a nonnullis, cur poſt prædicamentum ſubſtantiæ agatur de Quanto, & non potius de Quali, qd

prestitit Architas in sua de prædicamentis traditione, cuius quidem institutionis, seu ordinis, vt primo de qualitate ageret, quàm de quanto, id fuit in causa, quòd Architas in prædicamento substantiæ connumerauit etiam substantiam incorpoream. Verum apud Aristotelem longe alia fuit considerandi ratio: quippe qui (ut constitutum est antea in tractatu substantiæ) solum substantiam complexus est compositam, & consequenter corpoream, cuius notitia familiaris est omnibus; cui etiã proprietates, quas attulit, accõmodauit. Idcirco congruo ordine factum est ab Aristotile vt post substãtiam, prædicamentum quanti supposuerit explicãdum: propterea quòd nulla sit qualitas sub genere qualitatis contenta, quæ possit in substantia composite nisi medio quanto inueniri. In hoc autem prædicamento quanti enodando ferme eundem ordinem obseruat Aristoteles, quem secutus est in prædicamento substantiæ, Affert quippe in primis & hic diuisionem quanti, ipsam tamen variam & multiplicem; & segregat deinde a quanto ea, quæ proprie nõ sunt quanta: ac denique tradit ea, quæ quãto conuenire videntur.

Sol.

Lib. 6. phy. c. 1.

Adnotandum etiam continuum hoc loco supponi illud, quod habet terminum communem, ad quem eius partes copulantur; & est explicatio satis aperta, & communis, & ideo maxime conueniens huic præsenti tractationi, quæ ad organum pertinet. In philosophia autem naturali explicatum est cõtinuum, quòd sit illud, quòd est diuisibile in semper diuisibilia; idq; ob materiam, de qua ibi est pręcipua cõsideratio. Sed & lib. 5. Met. in tractatu quanti, continuum magis exacte quam hoc loco, iuxta ipsius formam explicatum est; dum dictum est continuum esse illud, cuius est vnus per se motus, & indiuisibilis secundum tempus: Neq; vero inconuenit vnum & idem secundum varias considerandi rationes diuerso modo explicari.

Lib. 5. Met.

Dubitabit autem aliquis, quomodo corpus constituatur in Prædicamento Quanti, cum Porphyrius illud reposuerit in Prędicamento Substantiæ collocatur corpus, vt est substantia corporea, habens pręter magnitudinem etiam formã quandam, per quam resultat corpus quoddam naturale, vt ignis, vel lapis. In Prædicamento autem Quanti accipitur corpus vt solidum nempe solum secundum magnitudinem, quæ propriæ quanta est.

dub. Solut.

Si quis autem quęrat, cur Aristoteles dixerit; *Amplius autem præter hæc, locus, & semper inter quanta continua sunt*, Sciat ita locutum esse Aristotelem, quoniam locus non primo per se, sed ob partes corporis, quas in se continet, dicitur esse continuus. De tẽpore autem non exigua est difficultas, quomodo sit continuum, de qua re infra agendum erit.

quęst. Sol.

De secunda Quanti diuisione.

Alia etiam Quanti assignatur diuisio, & est huiusmodi, quòd aliqua quantã sunt, quæ constant ex partibus, quæ in eis sunt, positionem habentibus ad inuicem; alia autem constant ex partibus non habentibus positionem Et in priori quidem parte diuisionis continentur linea, superficies, corpus, & locus: in alia vero numerus, tẽpus, & oratio. Et quidem de linea, quòd cõstet ex partibus, quę sint in ea habentibus ad inuicẽ positionem, perspicuum est. Nam data quacunq; linea, eius partes alicubi in quodam plano sitæ erunt, adeo vt possit designari, & ostendi, vbi nam singulæ quoq; partes sint sitæ, & quomodo vna ad aliã copuletur. Quod similiter de superficie, & de corpore dicendum est. Sed & hoc idem de loco dici potest; quoniam, etsi proprie dici nõ possit, quòd loci partes sint in loco, (alioquin locus in loco, & hic in alio sine fine esset.) attamen quatenus locus continet corpus, eatenus & eius partes (sicuti & corporis partes) habent ad inuicem positionẽ quandã & Quãti rationem suscipiunt. supponitur autem in his omnibus, quòd partes habent ad inuicem positionẽ, nempe illas partes, quę in eis sunt tum in linea, tum in superficie, tũ in corpore & in loco: vt hic innuatur; quòd sit quoddam totum continuum & linea, & superficies, & corpus, & locus, in quo continuo partes singulæ ad inuicem habẽt positionem. Numerus autem non est huiusmodi; quandoquidem non est ostendere vbi nam eius iaceant partes, aut quomodo ad se inuicem connectẽtur; cum, quod primo numeratur, nõ permaneat, neq; vnus numerus ad alium numerum coniungatur; vnde in numero

mero

mero partes ſe habebunt ad inuicem ſecundum quendam ordiné; népe, quoniam prius numerãtur duo, poſterius autem tria, et reliqua deinceps, quæ ſequũtur. Idé etiam dicendum eſt de tempore, cuius partes cum non permaneãt, certe poſitionem ad inuicem non habebunt, ſed ſolum ordiné quédam obtinebunt: idq; quoniam temporis aliquid prius fluit, et aliud quid ſubſequitur poſterius. Idem etiam de oratione aſſerendum eſt: nam orationis nulla pars remanet, cũ quod prius erit pronunciatum, nõ poſſit amplius aſſumi; ideo et in oratione erit quidã ordo, qnatenus orationis hęc, vel illa dictio prius pronũciatur; et poſterius alia.

Et hęc quidem, quæ enumerata ſunt quanta, per ſe, et proprie quanta ſunt. Alia vero omnia ſecundum accidens, quæ ob prædicta, quanta dicentur; veluti albũ multum dicitur, non quatenus albũ eſt ſed quatenus eſt in ſuperficie, quę per ſe multa et quãta eſt. Similiter actio dicitur longa, eo quod tempus, in quo habita eſt, multum ſit; pariter motus multus dicitur ob multum tépus, in quo ſit. Nam, ſi aſſignetur quanta fuerit actio, vt puta quantum durauerit bellum Troianum, quodam tépore definietur; veluti quòd decé annorum fuerit confectum, vel alio tempore.

Adnotationes.

dub. ſolut.

QVæret autem aliquis, quorſum Ariſtoteles duplicem quanti diuiſionem attulerit, cum præſertim in ſecunda diuiſione contineanť ea ſola quanta, quæ & in prima fuerunt adnumerata. Dicendum eſt, ex vtraque diuiſione magis etiam naturam eorum, quæ quanta ſunt, explicari: ſed id potiſſimum factum eſt ob tempus, quod in prima diuiſione connumeratur vna cum linea, ſuperficie, corpore, & loco, quatenus ſcilicet tḡs continuum eſt, habens inſtans, per quod ꝑteritum cum futuro cõiungitur, & continuatur. Idem vero tḡs a prędictis ſciungitur in ſecunda diuiſione, in qua connumeratur cum numero, & cum oratione; quatenus neq; oratio, neq; tempus conſtat ex partibus habentibus ad inuicem poſitionem, vt contingit de linea, & de reliquis alijs quantis continuis.

dubit.

Dubitabit etiam aliquis, quomodo locus dicatur conſtare ex partibus habentibus poſitionem ad inuicem, ſi, vt hoc habeatur, oportet, vt partes ſint alicubi, & ita ſitæ in loco; de cuius partibus idem dicendum eſſet, & ita in infinitum locus in loco eſſet. Dicendum, in lib. 4 Phiſ. in tractatu de loco oſtendi ab Ariſtotele, quomodo locus eſt in aliquo, népe ob corpus in ipſo locatum; vnde & locus quodam modo id ipſo locato eſſe dicitur, quoniam ſemper continet aliquod corpus.

ſolut. lib. 4. phi. cap. 3.

dubit.

Eſt etiam dubitatio circa orationé, quoniam & ipſa improprie inter quanta videtur adnumerata; quandoquidem ſi eſt quanta oratio propter ſyllabas longas, aut breues in ipſa contentas, vtiq; id videtur habere ratione temporis, cum & longa ſyllaba pluri tempore, & breuis minori tempore pronuncietur; & ita per tempus, & non per ſe erit oratio quanta. Sed & augetur difficultas, quoniam Ariſtoteles in lib. 5 Met. in tractatu Quanti, orationem inter ea, quæ ſunt proprie quanta non adnumerauit. Ad hanc difficultatem ita reſpondendum videtur, quòd in oratione inueniuntur ſyllabæ, ſiue ex propria natura, ſiue ex poſitione hominum tum longe tum breues: vnde hac ratione fit, vt per ſe quanta reddatur oratio: & ita famoſe ex communi hominum opinione inter propria quanta recenſenda videtur oratio: quod præſtitit hoc loco Ariſtoteles, pręſentem doctrinam cõmuni hominum exiſtimationi accomodans; neq; de iis ita exacte pertractans, uti in libris Metaphiſicę. Non eſt autem dicendum, quòd oratio ſecundum ſyllabas longas, & breues ita ſit quanta per accidens, ob tempus, ſicuti concio habita in ſenatu horarum duarũ ſpatio propter tempus, dicitur quanta. Sed cum per ſe tum longas, tum breues ſyllabas habeat oratio ideo etiam per ſe quãta eſt, licet deinde dici poſſit, accidere ſyllabę lõgæ, quæ ex natura ſua longa eſt, vt longiori téporis ſpatio proferatur q̃ ſyllaba breuis.

libr. 5. Met. ſolut.

dubit. ſolut.

Sed & de oratione nonnulli dubitarunt, quomodo ſyllaba longa non poſſit dici cõtinua, ſi longiori tempore eſt proferenda, & tempus omne continuum eſt: Cui dubitationi ita facile occurri poſſe exiſtimamus, dicendo, quòd ſyllaba, quęcunq; illa ſit, nõ eſt diuiſibilis in aliam ſyllabam; ſicuti linea in partes, quæ ſint lineæ, diuidi poteſt. Neq; etiam vna ſyllaba cum alia ſyllaba eſt cõtinua, vt conuenit quantis continuis; ſicuti neq; numeri partes ad inuicem ſunt continuæ: Vnde non dicendum, quòd ſyllaba ſit continua.

dubit. libr. 5. Meth.

Sed maior etiam relinquitur difficultas nullo pacto prætereunda, quomodo Ariſt. inter Quanta proprie dicta etiam tempus connumerarit, cum tamen in lib 5. Met. in tractatu quanti conſtituerit tempus, & mo

solut.

tum inter ea, que quanta ſunt per accidēs. Nonnulli dixerunt, Ariſtotelis ſcopum hic fuiſſe, non collocare motum inter prædica menta, quoniam res vaga ſit motus, & difficilis cognitionis, non communicandæ ipſis introductitijs. Quorum opinioni multa obſtant. In primis, quoniam etiam tempus eſt difficile cognitu, ſi exacte explicetur, quod non fit in præſenti doctrina; ſed tantū vocis ſignificatio traditur, quatenus reducitur ad nuncupationem Quanti. Præterea falſum eſt, ꝙ motum in Prędicamentis non collocetur; cum cōſtituatur ex his duobus prędicamentis, nempe ex Agere & Pati, vt patebit ex ſequen. Accedit, ꝙ connumeratur motus inter quanta non proprie dicta in hoc prædicamento quanti. Vnde non tollitur difficultas apud introductitios, cū de ipſo motu habita ſit mentio, qui ſi eſſet quantus per ſe, error proculdubio & deceptio inducta eſſet ab Ariſtotele aſſerente, quòd motus ſit per accidens quantus, qui tamen per ſe quantus ſit. Idcirco, ad propoſitam dubitationem occurrentes dicimus, ꝙ motus ſit continuus, id nō eſſe per accidēs, licet non ita primo ſit continuus, vt eſt ſpatium, magnitudo continuua exiſtens, in qua fit motus: & conſequenter, cum tempūs nō exiſtat ſine motu, hinc fit, vt tempus continuum reddatur ſecundum motus continuationem; Atq; ideo dicimus, in libris Metaphiſicis motum, & tempus cōnumerata eſſe inter quanta per accidens; non tamen ita per accidēs ſicuti albedo dicitur quanta ob ſuperficiem, cui accidit; ſed quoniam cum motus ad hoc, vt continuus ſit in ſua natura, egeat magnitudine cōtinua, in qua fiat. ideo quodam modo per accidens, id eſt per aliud, videtur eſſe cōtinuus, quoniam abſq; magnitudine non habet continuitatem. At tempus & ſi continuationem motus cōcernat; attamen, quatenus eſt menſura motus, ſic in quanti naturam cadit: & hac ratione inter quanta proprie dicta hoc loco connumeratum eſt tempus, ſecundum communē, quandam conceptionem; non autem ſecundum exactam tractati rationem, quæ habēda eſt in lib. Metaph. Motus autē, & ſi cōtinuationem in ſe habeat, attamen ex ſe ipſo non habet, vt dicatur quantus, niſi ſecundum eius menſuram, quæ tempus eſt. Vnde ob tempus videtur motus quantus eſſe dicendus.

impug.

solut.

Quanto nihil eſſe contrarium.

QVę autem conueniant Quā to, ſunt aperiēda. In primis illud occurrit, vt quanto nihil ſit contrarium; quod patet de omni magnitudine continua; ſicuti bicubito nihil eſt cōtrarium; neq; diſcreto Quanto; veluti numero ternario nihil eſt cōtrariū, et ita de alijs. Sed dubiū occurrit de multo et pauco, et ſimiliter de magno, et paruo, quæ videntur inter ſe cōtraria. Verum dicendū eſt, quòd hęc nō ſunt quanta, ſed de eorum numero, quæ dicuntur ad aliquid. Quod patet: quoniam nihil eſt per ſe magnum, aut paruum niſi in alterius rei comparationem acceptū; ſicuti mons paruus dicitur relatus ad alium mōtem; maiorem granum vero milij comparatum ad aliud granū minoris magnitudinis, magnum appellatur. Vnde ſi granū milij per ſe magnum diceretur, certe abſurdum eſſet, cenſere montem paruū eſſe comparatū ad granum milij, cuius magnitudinem longe exſuperat ſua magnitudine mons. Idē etiam patet ex vocum ſignificatione. Nam bicubitum, et tricubitum determinate Quantum ſignificant: magnum vero et paruum, multum, et paucum, ſignificāt ad aliquid quantitatem, vt ipſa ſint cenſenda de numero eorum, quæ ſunt ad aliquid, et non vere Quāta. Sed etiam conceſſo, quòd ſint Quanta, attamen negādum, quòd inter ſe ſint contrariatum magnū et paruū, tum multum, et paucū, quod patet, quoniam hæc per ſe ſubſiſtentia accipi nō poſſunt, ſed ſecundum aliud. Atque per ſe nō conſiſtunt, quomodo ſuſcipient in ſe ipſis contrarietatem? prȩterea ſi conſtituerentur eſſe contraria magnum et paruum, multum et paucum, ſequeretur, quòd idē in ſe haberet contraria, quod eſſe nō poteſt; patet autem conſequentia, ſiquidem idem mons, ſi referatur ad montem maiorem, erit paruus, ſi vero ad minorem compare tur, idē erit ſimul et magnus, ſed et idem ſibi contrarius eſſet; quoniam ſcilicet quod magnum cen-

ſetur, quatenus refertur ad aliud, quod eo ſit minus, idem paruum cẽſebitur ad aliud comparatum, quod ipſo ſit maius; ita fiet, vt idẽ magnum et paruũ exiſtens ſit ſibi met cõtrarium, quod omnino eſt impoſsibile. Maximę autem videtur ineſſe contrarietas circa locũ, cum locus ſurſum, vulgo ponatur contrarius loco deorſum, eoquòd inter hos terminos plurima cadit diſtantia, nempe inter concauum orbis Lunæ (ad quam ſurſum terminatur) et inter medium mundi ſeu terræ centrum, ad quem locus deorſum cõſtituitur. Vnde et hinc a loci diſtantia deducta definitio videtur contrariorum, per quam dicitur contraria eſſe ea, quæ inter ſe maxime diſtant.

Quantum non ſuſcipere magis & minus.

QVanto etiam competit, nõ ſuſcipere magis et minus, qđ eſt perſpicuum; non.n. numerus denarius eſt magis numerus quàm ternarius; quandoquidem in vtriq; natura numeri æque continetur, licet denarius maiorem obtineat quantitatem numeri, q̃ ternarius; ſimiliter vna linea non eſt magis linea, quàm ſit alia linea, licet altera alteram magnitudine poſſit ſuperare: qđ pariter de tempore, & de alijs ſpeciebus quanti dicendum eſt.

De Quanti proprietate.

MAxime autẽ propriũ quanti eſt, vt æquale vel inæquale dicatur; ſicuti corpus aut ęquale, aut inęquale erit alteri corpori; & ſuperficies ſuperficiei, & linea lineæ; æqualis, vel inęqualis erit. Similiterq; numerus aut æqualis aut inæqualis erit alteri numero; quod pariter dicẽdum eſt de alijs Quãti ſpeciebus. Alia autem, quæ non ſint per ſe quanta, non dicentur proprie inter ſe æqualia aut inæqualia; ſed altera res ſimilis, aut diſſimilis alteri rei ſicuti habitus, & diſpoſitio, et huiuſmodi, quę pertinẽt ad prædicamentum qualitatis, ſimilia inter ſe dicũtur, aut diſſimilia non autẽ æqualia, aut inæqualia.

Adnotationes.

OCcurrit conſiderandum, quidnam ſentiendum ſit de dubitatione, motu de loco, cui videtur ineſſe contrarietas, cum eam Ariſtoteles indiſcuſsã reliquerit, quaſi dans manum, quòd circa locum exiſtat contrarietas, & ita quanto erit aliquid cõtrarium.

Vnde cenſeri poteſt, Ariſtotelem dedita opera huius difficultatis ſolutionem omiſiſſe, nempe ob maximam obſcuritatem, quæ verſatur circa naturam loci, quam inſerere in hac craſſa de Predicamẽtis doctrina habita ad introductitios, non conueniens erat. Et idcirco ſequutus eſt opinionem vulgi exiſtimantis, ſurſum, & deorſum eſſe terminos loci inter ſe contrarios. Verum de hoc exacte agit Ariſtoteles in lib. 4. Phiſicorum in tractatu de loco, vbi ſtatuit, quòd loci differentiæ ſecundum ſurſum in parte concaua orbis Lunæ, & ſecundum deorſum ad centrum terræ, ſunt huiuſmodi, vt ſurſum nõ poſsit effici deorſum, nec deorſum, ſurſum; ex quò videtur affirmandum, hac ratione inter ſe opponi ſurſum, & deorſum, vt quædam determinata cõtraria; non quidem iuxta rationem ſuperficiei locatum ambientis, cum ſuperficies ſuperficie nõ ſit contraria: ſed quatenus in loco, propter terminum ambientem locatam continetur etiam ratio quædam propria conſeruandi rem locatam; veluti quod terra ſecundum naturam ſuam nõ niſi in loco deorſum cõſiſteret; & ignis non niſi ſurſum, & nõ deorſum niſi vi detineatur; adq; ideo pugnant inuicem, vt ad proprium locum vtrumque elementum feratur; Et hunc in modum cõſideratus locus proprie in Prædicamento dicto *Vbi* continetur. Hic vero, vt quantitatem continet ſecundum rem locatam, in prædicamento Quãti ad vulgi exiſtimationem eſt collocatus: cum tamen Ariſtoteles in lib. 5. Met: locum inter Quanta non collocarit.

li. 4. phyſ. cap. 4.

Inſurgit autem dubitatio, quomodo Ariſtoteles dixerit, magnum; & paruum, multũ, & paucum eſſe ex eorum numero, quæ ſunt ad aliquid cum in eodem lib: 5. Met. in tractatu quanti, hæc eadem inter quanta per

li. 5. Met. dubit.

se constituerit. Dicendum, Aristotelem in Metah. constituisse hęc,& nonnulla alia, veluti angustum & latum, longum,& breue inter quanta, quatenus sunt quędã passiones quantorum. Sed nõ propterea tollitur, quin etiam sint ad aliquid, quatenus magnum refertur ad paruum, & multum ad paucum. Cum autem possit esse & res summe magna,& alia summe parua, sic viderẽtur hęc determinata esse circa rerũ magnitudines: Vnde in philosophia agitur quęstio num detur maximum in rebus, & minimum. Hæc autem hoc loco non erant examinanda, ne cum hac simplici,& crassa tractatione suscepta hoc loco de prædicamentis, huiusmodi commiscerentur obscuræ quæstiones.

lib. 1. phy. ca. 4

dub. solut.

Dubitari etiã potest; quomodo non erit aliquid contrarium quanto, si omni quanto tamquam eius proprium conuenit, vt sit æquale, aut inæquale, quæ inter se sunt contraria. Dicendum, quòd si æquale & inæquale supponuntur inter se cõtraria, idcirco, cum proprietatem dicant circa quantũ & proprietates qualitatẽ concernant, non erit absurdum, asserere quòd quanto, cui secundum se considerato nihil est contrariũ, ob eius proprietatẽ, quæ reducitur ad prędicamentum qualitatis, subeat rationem contrarij.

dub.

Dubitari etiam potest, quòd quantum nõ sit genus vniuocum, quoniã non vna vnius generis scientia ex eius speciebus, sed duæ distinctę genere scientiæ cõstituuntur, tum Arithmetica circa quantum discretum obuersans, tum Geometria de quanto continuo pertractans.

solut. 1

Additur & hæc dubitatio, quòd etsi quãtitas esset vnum genus, attamen conueniret vt eius species susciperent a genere denominationem, & tamen dicitur linea quantitas,& superficies quantitas, & huiusmodi. Ad primam dubitationem dicendum est, hoc loco considerari. Quantum iuxta genericam nuncupationem, quam dicimus omnibus speciebus quanti conuenire, cũ omnes quantę dicantur, sicuti & omnes conueniũt in hac proprietate, vt sint aut æquales aut inęquales; quod sat est ad explicandum in genere prædicamentum Quanti secundum præsentem scopum. Atq; ideo nihil refert, quòd duę diuersæ scientiæ, nõ iuxta genus, sed iuxta species quanti discreti, & quanti continui, sint constitutæ nõ subalternatim inuicem positæ.

solut. 2

Ad aliam vero dubitationem ita occurrendum est. Substantiam, & Quantum in hoc conuenire, vt quicquid est substantia, aut quantum id immutabiliter absq; vlla varietate ita se habeat; vnde linea & in abstracto & in concreto tum quãta, tum quantitas absq; vllo discrimine nũcupari potest; quod non contingit de qualitate ob eius naturam varie participatam; adeo quòd id quod est album, non dicitur albedo, aut qualitas, sed solum quale,& albũ denominatiuę ductũm ab albedine.

lib. 5. Met.

Non ignorãdum est etiam ab Aristotele in lib. 5 Met. in tractatu de Quanto definitum esse quantũ hunc in modum. *Quantum est quod est diuisibile in ea, quæ sibi insunt, quorũ vtrumq; vel singulum eorum, in qua fit diuisio est aliquid vnum, & actu hoc aliquid esse.* Quæ quidem definitio est communis æque & discreto & continuo quanto; quandoquidem & numerus est diuisibilis in suas partes, & etiam magnitudo continua. Vnde in hac definitione (quę quidem est a posteriori, cũ non possit esse genus supra genus generalissimum) per quandam consequentem proprietatem ad species quanti, vniuoco generis ratio continetur. Quod forte dicendum non erit, si consideretur Quantum, sub ratione mensurę, quæ vt statuitur ab Aristotele in lib 10 Met. primo inest ipsi numero,& principaliter vnitati; postmodum vero mensuris secundum quantitatem continuam existentibus: Vnde & lineæ tot, aut tot numeri esse dicuntur; similiter & superficies,& corpora; non autẽ numerus a quantitate continua mensuratur. Vnde ex hac ratione mensurę, quantum genus analogum dici potest, primo competens numero, & ob numerum quantis continuis.

lib. 1. Met. c. 2.

Cum autẽ in virtute dicatur aliquid magnum,& infinitum: adnotandum id posse ad numerũ reuocari, vt intelligatur virtus secundum gradus numero tanta, aut etiã infinita: sicuti dicitur magnus est dominus & infinitus, ad denotandã virtutem in numero infinitam, nempe secundum numerũ graduum innumerabilem: quod etiam ad æqualitatis, vel inæqualitatis nuncupationem est accomodandum; adeo quòd, cum dicimus filium esse æqualem patri, Intelligimus in vigore, & virtute æqualẽ esse patri, non secundum molem quantitatis, sed secundum graduum intensionem, qui ad numerorum cõsiderationem reuocari possunt quatenus sunt innumerabiles gradus virtutis in essentia diuina.

IN PRAEDICAMENTVM
Eorum, quæ sunt ad aliquid.

De descriptione relatiuorum.

AD aliquid ea dicũtur, quæ quæcunq; sunt, aliorum esse dicũtur, vel quomodolibet ad alterum; sicuti duplũ dicitur duplum dimidij in genitiuo casu: maius vero dicitur ad aliud in ablatiuo, nempe maius altero maius. Ad hæc sunt etiam ad aliquid habitus & dispositio, sensus, & scientia, & positio. Nã habitus dicitur alicuius habitus similiter & dispositio, & ita de alijs. Cum autem accubitus, status & sessio sint quædam positiones; idcir-

idcirco & hæc ad aliqd esse dicuntur; non autem accumbere, stare, & sedere, quæ denominatiue dicuntur a prædictis, & non dicuntur ad aliquid, sed sub alio prædicamẽto, quod est situm esse, reducũtur. Ita igitur iuxta antiquam eorum, quæ sunt ad aliquid traditionem, descriptio, cõstituatur; vt ea, quæ sunt ad aliquid, quęcunq; sunt, aliorum esse dicantur, quomodocunq; comparatio, sed relatio inter ipsa fiat secundum alium vel alterũ casum; adeo quòd relatiua quęcũq; sunt, eatenus sunt, quatenus dicuntur ad aliud, vel alterius, & nullo alio modo sunt.

Adnotationes.

ADnotandum huius prædicamenti nominationem plurium numero exponi & comprehendi, nempe, *Eorum, quæ sunt ad aliquid*; idq; quoniam relatio quędam connotatur, quæ non in vno tantum, sed in vno relato ad aliud necessario est comprehendenda. Si quis autem addubitet, cur de hoc prædicamento Aristotel. tractet ante prędicamẽtum qualitatis, cum qualitas debeat antecedere, vti ea, cui nonnullæ relationes innituntur, tanquam fundamento, quod sane præcedere debet relationẽ, quemadmodum habitus, dispositio, simile, & alia huiusmodi, quæ ad aliquid dicuntur, sunt innixa prædicamento Qualitatis.

dubit.

Ad hanc dubitationem respondetur, ob ordinem doctrinæ prępositam fuisse tractationem eorum, quæ sunt ad aliquid, prędicamento Qualitatis, quoniam non conueniebat diutius remorari lectorẽ, vt sciret, quidnam essent ea, quę dicuntur ad aliquid, de quibus in prædicamento Quanti plurima mentio erat habita, in ea dubitatione, quæ ibi mota est circa magnum & paruum, multũ & paucum, quę supponebantur non esse determinate quanta; sed ex his potius, quæ dicuntur ad aliquid. Vnde & Porphyrius, ab hac congrua docendi ratione motus, tractatum speciei anteposuit differentię, quoniam generis notio ad speciei notionẽ referatur. Addũt etiam ex interpretibus nõnulli, quòd ordine naturę potuit tractatio huius prędicamẽti anteponi qualitati; propterea quòd sunt nonnulla ad aliquid, quę innitũtur substantiæ, vt dominus & seruus; item nonnulla alia, quę innituntur Quanto, vt ęquale, & inęquale; Vnde ratione horum prædicamentorum, nempe substantiæ, & quanti, quę qualitatem ordinę naturę antecedunt, quodam modo, & ea, quę ad aliquid dicuntur innixa his duobus prędicamẽtis, ordine quoq; naturę potuerunt explicari ante Qualitatem. Addamus prædicamentũ Qualitatis describi secũdum modum eorũ, quæ dicuntur ad aliquid; dum dicitur in initio huius prędicamenti; *Qualitatem autem dico secundum quam quales quędam dicuntur.* Vnde conueniens etiam fuit ad hoc, vt descriptio hęc facilius perciperętur, prius intellexisse, quę nam dicerentur ad aliquid, ad quorum notionem, qualitatis prędicamentum exponeretur.

solut.

porph.

Dubitatur etiam a nõnullis cur, post explicationem nonnullorum, quę dicuntur ad aliquid, adiunxerit Aristotiles. *At vero sunt etiam & hæc ad aliquid &c.* commemorans postea habitum, & dispositionẽ, & sensum, & scientiam, & positionem, & respondent, idcirco ita locutum esse Aristotelem, quoniam in alio prædicamento hæc innitantur vt puta in qualitate, aut in eo quod sitũ esse dicitur; priora vero ad prædicamentum quanti attinebant, vt duplum & maius. Nõnulli addunt iure merito a prioribus adnumeratis relatiuis, seiuncta fuisse posteriora, videlicet habitũ, & dispositionem, propterea quòd hæc proprie non sint ad aliquid, nisi secundum descriptionem antiquorum quæ intra ab Aristot. reprobabitur. Verum dicendũ est, quòd habitus, & dispositio collocantur in prædicamento Qualitatis, quatenus certam quandam dispositionem, aut habitum significant, vt puta sanitatem, iustitiam, & huiusmodi: In prædicamento vero eorum, quæ ad aliquid eadem reponuntur, non limitata ad talem habitum, aut dispositionem; sed in genere, sicuti habitus habentis dicitur habitus, & dispositio dispositi dispositio.

dub.

solut.

solut.

Adnotanda autem, & maxime perpẽdenda sunt verba in descriptione relatiuorum apposita, hęc nempe *quę dicuntur ad aliquid, ita sunt, vt quęcumq; sunt aliorum esse dicantur;* quibus & hęc alia subiunxit Aristoteles, *& non quid aliud sunt;* ijs certe denotãdo quod esse relatiuorum totum in hoc positum sit, vt vnum referatur ad aliud; adeo quòd in hoc totum consistit esse relatiuorum, vt pręter hoc, nullum aliud esse obtineat, quatenus sunt relatiua; quod maximopere obseruandum est.

Quomodo in ijs, quæ sunt ad aliquid insit cõtrarietas, & susceptio ipsius magis, & minus.

VT autem persequamur ea, quæ ijs, quæ sunt ad aliquid inesse videntur; hoc in primis occurrit considerandum, num insit ipsis contrarietas. Vnde dicimus, in aliquibus inesse contrarietatẽ,

vt patet de vitio, quod eſt cõtrarium virtuti, & ſcientia ignorantiæ; at non in omnibus, ita ſe res habet: Nam duplici, aut triplici, & alijs eiuſmodi, manifeſte patet, nihil eſſe contrarium.

Similiter ex ijs, quæ ſunt ad aliquid, nonnulla ipſorum ſuſcipiũt magis & minus, ſicuti ſimile & diſſimile magis & minus dicitur, & pariter æquale, & inæquale; Sed neque de omnibus id verum eſt; ſiquidem duplũ non dicitur magis & minus duplum, & alia huiuſmodi.

Adnotationes.

ADnotandam penes has proprietates, quòd contrarietas inſit his, quę ſunt ad aliquid, & quòd ſuſcipiant magis & minus, hanc ſtatui debere regulam communẽ vt ſecundum fundamentum, cui innituntur hęc, vel illa correlatiua, ipſa eodem modo ſe habeant ſicuti fundamentum. Vnde, cum ſubſtantię & Quanto nihil ſit contrarium, neq; ſuſcipiant magis & minus; ita quoque in his, quę ſunt ad aliquid innixa his prędicamentis, non inerit contrarietas, neq; ſuſcipient magis & minus. In qualitate autẽ, cum in ea inſit contrarietas, & eius ſpecies fere omnes ſuſcipiant magis & minus: ideo quoq; correlatiuis innixis huic prędicamẽto hęc eadem conuenient, vt & contrarietatem habeant, & ſuſcipiat magis & minus.

dub. Sed iure dubitabit aliquis, quomodo in his, quæ ſunt ad aliquid, poteſt eſſe contrarietas, ſi in prędicamẽto Quanti dictum eſt ab Ariſtotele, quòd magnum & paruũ, multum & paucum nõ erant contraria, quoniã ſint ex his, quæ ſunt ad aliquid, hinc inſinuans manifeſte, in hoc prædicamento ad aliquid contrarietatem non ineſſe. solut. Huic dubitationi reſpondendum eſt, non dicere Ariſtotelem hoc loco, quòd ea, quę ſunt ad aliquid inuicem ſint contraria, veluti duplũ dimidio; ſed quòd virtus eſt contraria vitio aut ſcientia ignorantię; quæ & ſi ſint ad aliquid, ſicuti ſcientia ad ſcibile refertur, ſeu ad ſcientem, & ignorantia ad ignorantem; attamen ſcientia ad ignorantiam non eſt correlatiue ſe habens. Atq; ideo dicendum eſt, quòd non eſt proprie cõtrarietas in relatiuis, quatenus inuicem referuntur; ſed ſolum hoc attenditur, quòd fundamentum termini vnius relationis contrarie opponitur alteri fundamento alterius termini, qui pertinet ad aliam relationem.

lib. 5. Met. Aduertendum etiam magnum & paruum multum & paucum (quæ in lib. 5. Meta: in tractatu Quanti recẽſita fuerunt inter quãta per ſe) quatenus ſunt per ſe paſſiones quanti, & concernunt magnitudinem, ſiue ſit magna, ſiue ſit parua, hac ratione ad Quãtum tamquam eius quaſdam paſſiones, & qualitates pertinent: vt autem magnum refertur ad paruum, hac ratione proprie ſpectant ad notionem eorum, quæ ſunt ad aliquid.

dub. Eſt etiã alia longe maior difficultas, quomodo æquale, & inæquale ſuſcipiunt magis & minus, ſi fundamentum horum, ipſum Quantum, non ſuſcipit magis & minus. solut. Cui dubitationi reſpondent aliqui dicentes, ꝙ quantitas ſuſcipit magis & minus, quatenus vna maior, & altera minor eſt. impug. Sed hæc reſpõſio patitur hanc inſtãtiam, quòd magis & minus concernit intenſionem quandam circa qualitatem; maior autem & minor quantitas, dicitur ſecundum extenſionem quandam circa qualitatem; maior autem & minor quantitas, dicitur ſecundum extenſionem.

ſimpl. Ammo. Simplicius & Ammonius dixerunt, quantitatem ſecundum ſuam propriam entitatẽ non ſuſcipere magis & minus, ſed ſecundũ paſſionem, & qualitatem quandam; veluti eſt æqualitas & inęqualitas, ſecundum quas quantitas dicitur magis vel minus, æqualis aut inęqualis. Huic autem reſpõſioni obijciunt nonnulli, quoniam etiam qualitates non ſuſcipiunt magis & minus, niſi adiunctæ alicui ſubiecto; adeo quòd non dicitur albedo magis vel minus albedo; ſed aliquòd quidem corpus magis, vel minus album dicitur. Verum huic inſtãtię ita facile occurri poſſe videtur, dicendo quod in ipſo ſubiecto receptiuo albedinis ipſamet albedo participata, magis & minus intenſa ſe habebit; vt omnino ſit dicendum, quòd qualitas ſuſcipere poteſt magis & minus, non autem quantitas. Quod autem dicat Ammonius, quòd æquale vel inæquale dicatur magis, vel minus, id abuſiue, & non proprie intelligi debere, quoniam non fit miſtio circa æquale aut inæquale, cum terminos concernant indiuiſibiles, adeo quòd non miſcentur cum contrario, ſicuti conuenit miſceri ea, quę proprie ſuſcipiunt magis & minus, vt circa colorem nigredo & albedo: hæc quidem docte admodum adducta ſunt ab Ammonio: Verum tamen & hoc addi poteſt quòd æquale & inæquale, vt dicunt relationem non ſuſcipiunt magis & minus; ſed ratione qualitatis inexiſtentis magnitudini, ſicuti ei ineſt æqualitas & inęqualitas pro quadam qualitate, & ob ipſum magnitudo magis aut minus ęqualis ſeu inęqualis dici & eſſe poteſt; non pręueniente quidem ęqualitate aut inæqualitate ex aliqua elementorũ miſtione; ſed conſequente vtraq; ad magnitudinem ſecundum quandam extenſionem tamquam proprietate quadam quæ abſq; relatione non percipitur; cum ſemper ad ęquale ſubintelligatur inęquale, & e conuerſo.

Quæ ſunt ad aliquid omnia dici ad conuertentiam.

OMnibus autem, quæ ſunt ad aliquid, conuenit, vt ad cõuer-

uertentiam ducantur: non ꝙ mutuo vnum de altero prædicetur, quemadmodum risibile de homine prædicatur, & homo de risibile: sed quoniam vnum dicitur alterius, & alterum alterius hunc in modum veluti duplum dimidij duplum dicitur, & dimidium dupli dimidium. Sed aduertendum, interdum casum variari locutionis in huiusmodi conuertentia: veluti scientia dicitur scibilis sciẽtia in casu genitiuo; scibile autem dicitur sciẽtia scibile, in casu ablatiuo. Aliquoties etiam non videbitur fieri conuersio, quoniam conuenienter non fuit assignatio vnius termini ad alterũ terminũ relatiuorum, vt si ala aui assignetur; non enim conuertitur, ꝙ auis sit ipsius alę, quoniã & multorũ, quæ non sunt aues, sunt alæ, veluti scarabeorum. At si assignetur ala ad alatum, erit in his mutua conuersio, vt ala dicatur alati ala, est alatum ala alatum. Ideo aliquoties fingere nomen oportet: veluti a temone, temonatum: non .n. si ad nauigiũ assignetur temo, erit conuersa assignatio vera, cũ multa sint nauigia, quorum non sunt temones; sed temo quidem temonatæ rei temo dicitur; & è conuerso temonatum temone temonatum. Quando autem oporteat fingere nomen, hæc erit obseruanda regula, vt nomina desumantur ab his, quæ sunt prima. Quemadmodum ab ala, alatum, a temone, temonatũ, & a capite, capitatum. Adeo aũt interest, vt fiat conueniens assignatio in relatiuis, si ad cõuertentiam dici debent, vt in his quoq;, quæ in confesso ad conuertentiam dicũtur, & nomina eis posita sunt, nõ habeat locũ mutua conuersio, si ad aliquid eorum, quæ sunt accidentia, assignentur; & non ad id, ad quod dicuntur: vt, si seruus nõ domini assignetur seruus, sed hominis, vel bipedis, vtiq; non erit reciproca conuersio; non .n. si seruus hominis, vel bipedis assignetur, erit reciproca conuersio, vt homo dicatur serui homo. At vero sublatis omnibus alijs, quæcũq; sunt accidentia, & relicto illo solo, ad quod conueniens sit assignatio, semper ad ipsum referetur: sicuti seruus ad dominum dicetur, & dominus ad seruum, circumscriptis omnibus alijs, quæ sunt accidentia domino: vt esse bipedem, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem. Quare, si recte fiat assignatio, erit mutua & facilis assignatio, si nomen sit positum; & si non aderit nomen, id ipsum erit fingendum: ita .n. omnia, quæ sunt ad aliquid, ad conuertentiam dicentur.

Adnotationes.

ADnotandum, dictum esse ad Aristotile accidens esse domino, quod sit homo, aut scientiæ susceptibilis; cum tamen homo sit substantia; dominus autem importet notionem accidentis. Verum dicendum est, iuxta considerationem relationis, cum dominus ad seruum proprie referatur, & in hoc cõsistat esse ipsius domini, optime ideo dici posse, quod homo sit accidens, non absolute in genere entium, cum sit substãtia, sed in consideratione relationis, vt non per se homo pertineat ad dominũ, aut ad seruũ quo ad relationem; sed per se dominus ad seruum, & seruus ad dominum refertur.

An relatiua sint simul natura.

VIdetur etiam cõpetere his, quæ sunt ad aliquid, vt sint simul natura. Et in plurimis quidem id verum est; sicuti patet de duplo & dimidio, de domino & seruo, & de alijs huiusmodi plu-

timis

rimis, quæ ita ſunt ſimul, vt cum vnum eorum adeſt, adſit & alterum: quemadmodum, ſi duplum eſt, etiam dimidium erit: adeo ꝙ vno ablato, alterum etiam auferetur. Verum non omnibus, quæ ſunt ad aliquid, id videtur conuenire, vt ſint ſimul natura. Siquidē ſcibile prius videtur eſſe, quàm ſcientia: vt perſpicuum eſt, cum de pluribus rebus iam preexiſtentibus ſcibilibus, ſcientia poſtmodum ſumpta ſit; adeo ꝙ in paucis, vel in nulla re quiſquam hoc perſpiciet, vt ſimul cū ſcibili etiā ſcientia ſit conflata. Preterea, ſcibili ſublato aufertur ſcientia, quæ nullatenus erit, ſi nullum ſit ſcibile; at vero, ſublata ſcientia, non tollitur, quin poſſit eſſe ſcibile: quemadmodum circuli quadratura eſt ſcibilis; ſcientia nondum de ea exiſtente. Item, ſublato animali, in quo ob virtutem intelligendi viget ſcientia, nō amplius erit ſcientia: plurima autem ſcibilia relinquentur, vt plantæ, lapides, & alia quamplurima. Idē etiā aſſerendum eſt de ſenſibili, & ſenſu, ꝙ non ſint ſimul natura; ſed prius ſit ſenſibile q̃ ſenſus; qm̃ ſublato ſenſibili, aufertur & ſenſus: quod ita deducitur. Nam ſublato ſenſibili, aufertur & corpus, quod quidem eſt ſenſibile, ſenſus autē gignitur in corpore, & eius operatio viget circa corpus. vnde ſublato ſenſibili, ſenſus etiam aufertur: & non e contra. Nam ſublato animali, aufertur & ſenſus; poterit autem remanere corpus, qđ non exiſtens animal, erit tamen ſenſibile, vt puta calidum, dulce, amarum, & alia plurima ſenſibilia. Præterea ſenſus ſimul cū ſenſitiuo gignitur, nempe ſimul cum animali, quod habet virtutē ſentiendi; ſenſibile vero & prius q̃ animal, et prius quam ſenſus generatur: veluti ignis, et alia huiuſmodi (ex quibus animal conſtituitur) præexiſtunt ante generationem animalis, et ſenſus: quare ſenſibile prius quàm ſenſus eſſe videbitur; atq; ideo non ſimul inerunt natura.

Adnotationes,

ADuertendum dictum illud Ariſtotelis, quòd in paucis vel in nullo quiſquam perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam, a Boetio intelligi, quo ad res imaginarias, & impoſſibiles, quarum cognitio videtur ſimul eſſe cum re cognita. Verum non is videtur ſenſus verborum Ariſtotelis, cum præſertim ſcibilia impoſſibilia dici nequeant. Simplicius id retulit ad ſcientiam intelligentiarum, quæ eſt ſimul cum ipſo ſcibili. At Ariſtoteles de ſcientia loquitur, quæ poteſt eſſe in nobis.

Boet. impug.

Simpl. impug.

Quidam alij dixerunt de ſcientijs contēplatiuis verum eſſe enūciatum Ariſtotelis, quòd non ſimul cum ſcibili ſit facta ſcientia; at in practicis ſcientijs fallere regulam cum prius per ſcientia habeatur de rebus agendis, quàm quod ſint res ipſę ſcibiles, quæ ſunt futuræ. Verum & hæc interpretatio non videtur admodum conſentanea. Primo quoniam hunc in modum ſcientia prior videretur eſſe quàm ſcibile, cuius oppoſitum attulit hoc loco Ariſtoteles. Deinde non etiam concedendum, quod ſcientia circa res agendas, ſiue ſint arte factæ, ſiue ſint actiones humanæ, abſolute precedat res ſcibiles: quoniam ſi quis cogitet de cōficiendo bello nauali, vtiq; hæc cognitio, quam habet in mente, ſupponit bellum, & mare, & naues, de quibus omnibus olim accepit cognitionem. Quod ſi dicatur, ꝙ prius cognoſcitur id, quod poſtea futurum eſt; ad id dicendum, quòd id quod fiet, non cognoſcetur vt factum; niſi poſtquam factū erit; adeo quòd confirmanda videtur ſententia Ariſtotelis; quòd omnino neq; in vno aliquis perſpiciet, ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam, ſed in omnibus pcedere ſcibile ad ſcientiam.

impug.

Dubit.

Ammo.

Sed dubitatio maior vrget, nū verū ſit ꝙ ſcibile & ſcientia, ſenſus & ſenſibile nō ſint ſimul natura, vti protulit hoc loco Ariſtoteles. Nā ſi ſunt correlatiua; quomodo vnū referri poteſt ad alterum, quin ſimul vtrūq; ſupponatur? Ammonius cenſuit, id enūtiatū fuiſſe ab Ariſtotele de mēte antiquorū. Nam ſi cōſideretur ſcibile ſecundū fundamentum & abſolute, nihil prohibet (inquit) vnū eſſe prius altero: queadmodū pater, ſi conſideretur ſub ratione hominis, qui genuit alium hominē, ita homo pater prior

erit Filio, quem genuit hominem. At ſecundum formam relationis (quatenus pater ad filium refertur) vnus inquit, relatiuorum altero non eſt prior, ſed ſunt ſimul natura: quod & dicendum de ſcibili & ſcientia, & de ſenſu, & ſenſibili affirmat Ammonius: qui & ad hęc ſubiungit, cõſiderari poſſe relatiua, aut vt ſunt actu; aut vt ſunt potentia: Vnde inquit ſi accipitur ſcibile, vt eſt actu, & ſciẽtia pariter in actu, ita ſimul erunt: ſicuti etiam ſi accipiatur ſcibile in potentia, & ſcientia pariter in potentia, itidem ſimul erunt: non autem ſi accipiatur ſcibile in potentia, ſcientia vero in actu, erunt ſimul Hæc Ammonius.

Impug. Verum, quod Ariſtoteles non dixerit, quòd nõ ſint ſimul natura ſcibile, & ſcientia de mente aliorum, aut gratia diſputationis, vt ſupponit Ammonius, manifeſte eius verba refrangantur, dum dixit quod ea *quæ ſunt ad aliquid, vt in plurimis ſunt ſimul natura*, de aliquibus autem expreſſe id negauit, ſubiungens ſcientiam & ſcibile, ſenſum & ſenſibile, q̃ probauit nõ eſſe ſimul natura: Propterea exiſtimandum eſt, hęc vere non eſſe ſimul natura ob rationes, quas adduxit Ariſtoteles. Neque vero ſimile eſt cum eo, quod adductũ eſt ab Ammonio de patre & filio. Siquidem homo vt homo non refertur ad filium, ſed ſolum vt pater eſt; at ſcibile ad ſcientiam, quatenus ſcibile refertur; & ſenſibile ad ſenſum, quatenus eſt ſenſibile. Quod autem Ammonius dicat, ſcibile & ſcientiam accipi debere, aut vtrumq; actu, aut vtrumq; potentia, & hac ratione ſimul ſemper fore: dicendum, quòd ſi ſcibile accipiatur in actu, ut eſt ſcitum, ſic erit ſciẽtia, & non ſcibile. Atq; ideo dicendum, quod ſcibile proprie importat potentiam, vt poſſit de ipſo eſſe ſcientia; ſicuti & ſenſibile importat potentiam, vt ipſius poſſit eſſe ſenſus: ac propterea non erunt ſimul natura; ſed pręcedet res, quę ſcibilis eſſe poteſt, & ita ſcibile præcedet ad ſcientiam.

Dub. Sed dubitabit aliquis quomodo erũt relatiua ſcibile & ſcientia, ſenſus, & ſenſibile, ſi non ſunt ſimul natura? ita n. videretur non referri poſſe ſcientiam ad ſcibile, niſi fuerit ſcientia in actu.

Solut. Dicẽdum, quòd inter hęc relatio ſemper locũ habet, dum ita intelligamus, quòd ſcientia refertur ad ſcibile, & ſcibile ad ſcientiam; nec propterea inconuenit, quòd cum fuerit aliquid ſcibile, non ſimul eius habeatur ſcientia; & tamen conceptus ſcibilis ad conceptum ſcientia referatur.

In hãc quoq; ſententiam conſentiunt, q̃ ab eodem philoſopho ſcripta ſunt in lib. 4. Met. aduerſus, qui aſſerebant, omnia ita eſſe, vt vnicuique apparent. Faciens enim ſermonem de ſenſu & ſenſibili, hæc habet.

Lib. 4. Met. c. 5 *Sed eſt aliquid aliud etiam præter ſenſum, quod neceſſe eſt prius ſenſu eſſe: mouere enim natura, prius eſt moto & ſi ad inuicem dicuntur ipſa eadẽ nihil minus.* Idem in lib. 10 Met. ita habet

Lib. 10. Met. c. 5. *Accidit autem omnem quidem ſcientiam ſcibile eſſe ſcibile autem nõ omne ſcientiam eſſe eo quòd modo quodam ſcientia ſcibili menſuratur.* Vnde apparet, conſtantem hanc eſſe ſententiam Ariſtotelis, quod ſcibile & ſcientia, ſenſibile, & ſenſus, & ſi qua alia ſunt huiuſmodi, veluti & opinio, & opinabile, non ſunt ſimul natura.

Num ex deſcriptione aſſignata Relatiuorum ſequatur, quòd aliqua ſubſtantia ſit ad aliquid.

IAm vero perpendendũ eſt, nũ ad deſcriptionem aſſignatam Relatiuorum ſequatur aliquam ſubſtantiam eſſe ad aliquid, nec ne. Vt autem recta penes hoc cõſiderãdi rõ habeatur, animàduertendum eſt, ſubſtantiam quattuor modis poſſe conſiderari; duobus quidem modis ſecundum ſubſtantiam primo modo dictam, quæ poteſt eſſe vel ſecundum, totum, vt quidam homo; vel ſecundum partem, vt quædã manus: et his quidem duobus modis, non contingit vt dicatur ſubſtantia ad aliquid: qm̃ non dr̃ quidam homo, alicuius quidam homo; neq; quędam manus dicitur alicuius quędam manus: Cum vero bifariam quoq. accipi poſſit ſubſtantia dicta ſecundo modo, nempe vniuerſalis, tum ſecundum totum, vt homo, tum ſecundum partem vt caput; quod attinet ad ſubſtantiam vniuerſalem acceptam ſecundum totũ, ipſa quoq. citra omnem difficultatem, nõ dicitur ad aliquid; non. n. dr̃ homo, alicuius homo, aut bos, alicuius bos (niſi forte ſecundũ poſſeſſionem, qm̃ eius dominium quis obtineat:) non aũt ita dicẽt bos alicuius bos, quaſi ad ipſum poſſidentẽ referatur. At vero ſubſtãtia ſcd̃m partem vniuerſaliter accepta, vt puta caput (ſi relatiua ſunt ea, quorum eſſe in hoc ſtat, vt dicantur alterius) euitari nõ põt, quin huiuſmodi ſub-

ſtan-

ſtantia computetur inter ea, quæ ſunt ad aliquid, cum caput abſolute dicatur alicuius caput: Atqui hoc maximum eſt inconueniens, vt ſubſtantia cóſtituatur inter ea, quæ ſunt ad aliquid, cum ipſa ſit omnium aliorum Prędicamentorum fundamentũ, et nulli rei inhęrens, ſed per ſe ſubſiſtens.

Alia aſſignatur deſcriptio relatiuorum.

IDcirco aliter deſcribentur Relatiua, ꝙ ea ſunt ad aliquid, quibꝰ hoc ipſum eſt eſſe, ad aliqd quodam modo ſe habere. Cui definitioni cóſequitur illa prior, ꝙ quæ ſunt ad aliquid, dicuntur eſſe aliorum: quod quidem non eſt idé cũ hac alia definitione, vt ſint ea ad aliquid, quorũ eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere. Et quidé ex hac aſſignata poſteriori loco definitione hoc deducitur cóſectarium, ꝙ ſi quis determinate cognouerit vnũ eorum, quæ ſunt ad aliquid, et alterum quoq. neceſſario definite cognoſcet. Et huius quidem conſequutionis ratio in promptu eſt. Nam ſi eſſe eſt natura eorum, quæ ſunt ad aliquid, eſt huiuſmodi, vt qđ eſt ad aliud, ſuum eſſe eatenus obtineat, quatenus ſe habet ad aliud: atq. hinc ſequitur, vt nó poſſit cognoſci vnum relatiuorum, quin cognoſcatur & aliud determinate, ad qđ refertur; quod patebit in ſingulis relatiuis. Etenim nemo cognoſcet definite aliquod duplũ, quin cognoſcat etiam dimidium, ad quod refertur duplum, quod cognoſcit: ſicuti cognoſcés aliquis, ꝙ aliquid ſit melius, non cognoſcet quomodo ſit melius, niſi etiã cognoſcat, quo deteriori ſit melius; alioqn de hoc ſuſpitio eſſet, & non ſcientia. Aut abſolute dicẽdum eſſet, meliuseſſe huiuſmodi, vt eo abſolute nihil ſit deterius. Cóſequenter hac ſtante determinatione, ꝙ ex his, quæ vere ſunt ad aliquid, neceſſe eſt, ſi vnũ determinate cognoſcitur, vt etiam alterũ determinate cognoſcatur, ad quod ſe habet, hac rõne tuebimur, nullam ſubſtantiam ad aliquid eſſe. Nam ſane definite licet cognoſcere & caput eſſe caput, & manum eſſe manũ; at vero cuius ſit caput, aut cuius ſit manus, non eſt definite cognoſcere; ſed ignorari poteſt, cuius nã ſit caput, aut manus. Vnde ſubſtantia non eſt proprie ex eorum numero, quæ ſunt ad aliquid. Sed aduertendũ, de eiuſmodi rebus difficile eſſe aliquid abſolute ſtatuere, cũ hęc conſideratio relatiuorum ſit admodum difficilis; atq. ideo mente ſępius eſt peruoluenda, cũ vtile ſit de omnibus ac de his præſertim dubitare.

Adnotationes.

ADnotandum in hac quoq; poſteriori definitione relatiuorũ, verba hęc eſſe oppoſita, *vt ſint ad aliquid ea, quorum eſſe eſt ad aliud quodam modo ſe habere* vt hinc iſtud nobis ſignificaretur, quòd eſſe relatiuorum in hoc eſt poſitum, vt eſſe vnius ſit ad aliud ſe habere quodammodo; nempe ſic vt duplum ad dimidium referatur, & dominus ad ſeruum, adeo quod præter hanc mutuã relationem, nil aliud exiſtit proprie de eſſe relatiuorum.

Dubitaret autem aliquis, ſi eſſe vnius relatiui in hoc conſiſtit, vt referatur ad aliud & vt vnum per alterum cognoſcatur; hinc igitur ſequitur, quòd æque incognita erãt, quę ſunt inuicem correlatiua, aut quòd nullum erit inter ipſa diſcrimen. Dicendum, alium eſſe conceptum huius termini, *duplũ*, & alium huius alterius termini *dimidium*; adeo ꝙ cognitio dupli relata ad dimidium nõ eſt eadem cum notitia dimidij relata ad duplum; & tamen nihil prohibet, quin mutuo vnum per aliud explicetur; ſicuti etiã alterutrum horum mutuo ad eſſe alterius pertinet.

Dubit.

Solut.

erit Filio, quem genuit hominem. At secundum formam relationis (quatenus pater ad filium refertur) vnus inquit relatiuorum altero non est prior, sed sunt simul natura: quod & dicendum de scibili & sciẽtia, & de sensu, & sensibili affirmat Ammonius: qui & ad hæc subiungit, considerari posse relatiua, aut vt sunt actu; aut vt sunt potentia. Vnde inquit si accipitur scibile, vt est actu, & scientia pariter in actu, ita simul erunt: sicuti etiam si accipiatur scibile in potentia. & scientia pariter in potentia, itidem simul erunt: non autem si accipiatur scibile in potentia, scientia vero in actu, erunt simul. Hæc Ammonius.

Impug.

Verum, quod Aristoteles non dixerit, quòd nõ sint simul natura scibile, & scientia de mente aliorum, aut gratia disputationis, vt supponit Ammonius, manifeste eius verba refragantur, dum dixit quod ea *quę sunt ad aliquid, vt in plurimis sunt simul natura*. de aliquibus autem expresse id negauit, subiungens scientiam & scibile, sensum & sensibile, quæ probauit non esse simul natura: Propterea existimandum est, hęc vere non esse simul natura ob rationes, quas adduxit Aristoteles. Neque vero simile est cum eo, ꝙ adductũ est ab Ammonio de patre & filio. Siquidem homo vt homo non refertur ad filium, sed solum vt pater est; at scibile ad scientiam quatenus scibile refertur; & sensibile ad sensum, quatenus est sensibile. Quod autem Ammonius dicat, scibile & scientiam accipi debere, aut vtrumq; actu, aut vtrumq; potentia, & hac ratione simul semper fore: dicendum, quòd si scibile accipiatur in actu, vt est scitum, sic erit sciẽtia, & non scibile. Atq; ideo dicendum, ꝙ scibile proprie importat potentiam, vt possit de ipso esse scientia; sicuti & sensibile importat potentiam, vt ipsius possit esse sensus: ac propterea non erunt simul natura; sed præcedet res, quæ scibilis esse potest, & ita scibile præcedet ad scientiam.

Dubit.

Sed dubitabit aliquis quomodo erũt relatiua scibile & sciẽtia, sensus, & sensibile, si non sunt simul natura? ita.n. videretur non referri posse scientiam ad scibile, nisi fuerit scientia in actu.

Solut.

Dicẽdum, quòd inter hęc relatio semper locũ habet, dum ita intelligamus, ꝙ scientia refertur ad scibile, & scibile ad scientiam; nec propterea inconuenit, quòd cum fuerit aliquid scibile, non simul eius habeatur scientia; & tamen conceptus scibilis ad conceptum scientię referatur.

In hanc quoq; sententiam consentiunt, quę ab eodem Philosopho scripta sunt in lib. 4. Met. aduersus eos, qui asserebant, oĩa ita esse, vt vnicuiq; apparent Faciens enim sermonem de sensu & sensibili, hęc habet. *Sed est aliquid aliud etiam præter sensum quod necesse est prius sensu esse mouere enim natura, prius est moto & si ad inuicem dicuntur ipsa eadem nihil minus.* Idem in lib. 10. Met. ita habet. *Accidit autem omnem quidem scientiam scibile esse scibile autem non omne scientiã esse eo quòd modo quodam scientia scibili mensuratur* Vnde apparet, constantem hanc esse sententiam Aristotelis, quòd scibile & sciẽtia, sensibile, & sensus, & si qua alia sunt huiusmodi, veluti & opinio, & opinabile, non sunt simul natura.

li. 4. Met. c. 5.

libro 10 Met. c. 9.

Num ex descriptione assignata Relatiuorum sequatur, quòd aliqua substantia sit ad aliquid.

IAm vero perpendendum est, num ad descriptionem assignatam Relatiuorum sequatur aliquam substãtiam esse ad aliquid, nec ne. Vt autem recta penes hoc considerandi ratio habeatur; animaduertendum est, substantiam quattuor modis posse cõsiderari; duobus quidem modis secundum substantiam primo modo dictam, quæ potest esse vel secundum totum, vt quidam homo; vel secundum partem, vt quædam manus: & his quidem duobus modis, nõ contingit vt dicatur substantia ad aliquid: qm̃ non dicitur quidam homo, alicuius quidã homo; neq; quædam manus dicitur alicuius quędam manus: Cum vero bifariam quoq; accipi possit substantia dicta secundo modo, nempe vniuersalis, tum secundum totũ, vt homo, tum secundum partem vt caput; quod attinet ad substantiam vniuersalem acceptam secundum totum, ipsa quoq; citra omnem difficultatem, non dicitur ad aliquid: non.n dicitur homo, alicuius homo, aut bos, alicuius bos (nisi forte secundum possessionem, qm̃ eius dominium quis obtineat:) non autem ita dicetur bos alicuius bos, quasi ad ipsum possidentem referatur. At vero substãtia scd̃m partem vniuersaliter accepta, vt puta caput (si relatiua sunt ea, quorum esse in hoc stat, vt dicantur alterius) euitari nõ pōt, quin huiusmodi substan-

ſtantia computetur inter ea, quæ ſunt ad aliquid, cum caput abſolute dicatur alicuius caput. Atqui hoc maximum eſt inconueniens, vt ſubſtantia cōſtituatur inter ea, quæ ſunt ad aliquid, cum ipſa ſit omnium aliorum Prędicamentorum fundamentū, et nulli rei inhærens, ſed per ſe ſubſiſtens.

Alia aſſignatur deſcriptio relatiuorum.

IDcirco aliter deſcribētur Relatiua, ꝙ ea ſunt ad aliquid, quib⁹ hoc ipſum eſt eſſe, ad aliqd quodam modo ſe habere. Cui definitioni conſequitur illa prior, quòd quæ ſunt ad aliquid, dicuntur eſſe aliorū. quod quidem non eſt idē cū hac alia definitione, vt ſint ea ad aliquid, quorū eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere. Et quidem ex hac aſſignata poſteriori loco definitione hoc deducitur conſectarium, ꝙ ſi quis determinate cognouerit vnum eorū, quæ ſunt ad aliquid, & alterū quoque neceſſario definire cognoſcet. Et huius quidē conſequutionis ratio in promptu eſt. Nam ſi eſſe & natura eorum, quæ ſunt ad aliqd, eſt huiuſmodi, vt qđ eſt ad aliud, ſuum eſſe eatenus obtineat, quatenus ſe habet ad aliud: atq; hinc ſequitur, vt non poſſit cognoſci vnum relatiuorum; quin cognoſcatur & aliud determinate, ad qđ refertur: quod patebit in ſingulis relatiuis. Etenim nemo cognoſcet definite aliquod duplū, quin cognoſcat etiam dimidiū, ad quod refertur duplum, quod cognoſcit: ſicuti cognoſcens aliquis, ꝙ aliquid ſit melius, non cognoſcet, quomodo ſit melius, niſi etiam cognoſcat quo deteriori ſit melius; alioquin de hoc ſuſpicio eſſet, & non ſcientia. Aut abſolute dicendum eſſet, melius eſſe huiuſmodi, vt eo abſolute nihil ſit deterius. Conſequenter hac ſtante determinatione, ꝙ ex his, quæ vere ſunt ad aliquid, neceſſe eſt, ſi vnū determinate cognoſcitur, vt etiam alterum determinate cognoſcatur, ad quod ſe habet, hac ratione tuebimur, nullam ſubſtantiam ad aliquid eſſe. Nam ſane definite licet cognoſcere, & caput eſſe caput, & manum eſſe manū: at vero cuius ſit caput, aut cuius ſit manus, non eſt definite cognoſcere, ſed ignorari poteſt, cuiuſnā ſit caput, aut manus. Vnde ſubſtātia non eſt proprie ex eorum numero, quæ ſunt ad aliquid. Sed aduertendum, & eiuſmodi rebus difficile eſſe aliquid abſolute ſtatuere, cum hæc conſideratio relatiuorum ſit admodum difficilis, atque ideo mente ſępius eſt perſoluenda, cum vtile ſit de omnibus, ac de his prę ſertim dubitare.

Adnotationes.

ADnotandum in hac quoq; poſteriori definitione relatiuorum, verba hæc eſſe apposita *vt ſint ad aliquid ea quorum eſſe eſt ad aliud quadam modo ſe habere* vt hinc iſtud nobis ſignificaretur, quòd eſſe relatiuorum in hoc eſt poſitum, vt eſſe vnius ſit ad aliud ſe habere quodammodo; nempe ſic vt duplum ad dimidium referatur, & dominus ad ſeruum, adeo quod pręter hanc mutuam relationem nil aliud exiſtit proprie de eſſe relatiuorum.

Dubitaret autem aliquis, ſi eſſe vnius relatiui in hoc conſiſtit, vt referatur ad aliud & vt vnum per alterum cognoſcatur; hinc igitur ſequitur, quòd æque incognita erūt, quæ ſunt inuicem correlatiua, aut quòd nullum erit inter ipſa diſcrimen. Dicendum, alium eſſe conceptum huius termini, *duplū* & alium huius alterius termini *dimidium*; adeo ꝙ cognitio dupli relata ad dimidium nō eſt eadem cum notitia dimidij relata ad duplum; & tamen nihil prohibet quin mutuo vnum per aliud explicetur; ſicuti etiā alter vtrum horum mutuo ad eſſe alterius pertinet.

Dubit.

Sol.

Si autem quęratur, quęnam sint ꝓprietates, quę conueniunt relatiuis, dicendum in primis hanc esse, vt ad conuertentiam dicantur, in qua proprietate coincidit prior assignata definitio; nempe vt relatiua dicātur alterius: Quam definitionem, inquit Arist. consequi ad posteriorem. Verum aduertendum, non esse huiusmodi proprietatem ita propriam, vt conuertatur cum relatiuis. Num enim quod dicitur alterius (sicuti dicitur clipeus Achillis) est etiam ad aliquid: quemadmodum, quod est ad aliquid alterius dici potest, Et hanc definitionem attulit Arist. in lib. 5. Meta. in tractatu de relatiuis. Ad hæc, pro pręcipua proprietate relatiuorum assignari potest id, quod tanq̃ regula traditum est ad dignoscendum, quæ vere sint relatiua; nempe, vt ex determinata vnius correlatiui cognitione, alterum ēt determinate cognoscatur correlatiuum. Nonnulli autem adiungunt, & hanc aliam proprietatem, vt sint simul natura; quod dicunt omnibus competere relatiuis, quæ secundum esse, & non secundum dici accipiātur; sicuti supponunt relatiua secundum dici, esse scibile & scientiam, sensum & sensibile; quorū sententiæ obstant ea, quę ante sunt determinata.

lib. 5. Meta.

Dubit.

Si quis autem dubitaret, quoniam in definitione allata idem per idem sit definitū, dum dictum est, *ad aliquid esse illud, quod est ad aliquid*; is animaduertat, illud primum *ad aliquid* confuse accipi: explicari vero ꝑ hęc omnia *vt sit ad aliquid illud, cuius esse est ad aliquid quodam modo se habere.* Nec refert quod dictio *ad aliquid* repetatur in definitione ex nominum penuria, pręsertim circa hoc Prędicamentum quod aut nullam, aut paruam saltem obtinet entitatem.

Solut.

Dubit.

Rursus autem dubitabit aliquis, qũo Prędicamētum eorum, q̃ sunt ad aliquid, possit definiri, cum sit genus generalissimum, supra quod non datur genus, nec differentia, ex quibus constat definitio. Dicendum a posteriori potuisse describi relatiua secūdum notionem ab intellectu de hoc genere constitutam; nempe ꝑ ipsum *habere ad aliquid*: siquidem *habere*, denominatiue dicitur ab habitu qui est in genere relatiuorum.

Solut.

Dubit.

Iterum dubitari potest, quoniam non videtur ipsum ad aliquid esse vnū genus Prædicamenti, cum sit quid admistum, & annexum circa alia Prædicamenta, vtputa circa Substantiam, circa Quantum, & circa Qualitatem, & alia prædicamenta. Idem etiam confirmatur, quoniam non apparent differētiæ, ꝑ quas diuidatur in diuersas species, quarum aliæ sunt superiores, alię vero inferiores, vt contingit de alijs Prędicamentis. Dicendum, hoc prædicamentum, & si circa alia prædicamenta constituatur, adeo vt relatio existat & in substātijs, & in quantis, & in alijs; attamen notio, qua comprehenditur esse relatiuorum, est eiusmodi, quod neque substantiā significat, neq; quantū, neq; aliud aliorum prædicamentorum. Sed vnū genus est ab his omnibus distinctum; licet omnibus innitatur; Ad aliud vero dicendū est ab Arist. in lib. 5. Met. in tractatu relatiuorum, afferri triplex ipsorum genus: vnum secundum excessum & defectum, vt duplum & dimidium, cuius etiam generis varias attulit differentias. Alterum secundū actiuum & passiuum, in quo genere pater & filius continentur. Et tertium secundum mensuram, & mensurabile, cuiusmodi sunt scientia & scibile, sensus & sensibile. Quam ternam relatiuorum distinctionem hoc loco prętermisit Arist. vt faciliorem doctrinam de relatiuis sub vno quadam communi concepta traderet, huic pręsenti scopo accommodatam.

Solut.

Solut.
lib. 5.
Meta.

Dubit.

Sed adhuc maior exurgit difficultas, num relatiua concernant re vera vnū genus entis seorsum ab ipsa operatione intellectus. Nam nihil esse relatiuorum, pręter intellectus circa eam consideratione, ita creditur antiquos Philosophos sensisse. Alij vero cōtendūt, id dici non posse ex sentētia Arist. & ita volunt relatiua esse vnum genus entis seorsum ab ipsa operatione intellectus, quod hinc maxime comprobare videntur: quoniam hoc loco scopus sit agere de prædicamētis, vt sunt entia, atq; ideo (aiunt) ea quę sunt ad aliquid, & horum prędicamentum ad quoddam genus entis pertinere: supponitq; primo loco esse subiectum, nempe substantiam, cui aliqua accidentia inhæreāt non ordinantia substantiā ad aliquid aliud sicuti albedo inest in corpore. Alia vero esse accidentia inhærentia subiecto, ordinantia subiectum ad aliquid aliud; sicuti scientia est in anima ordinans ipsam ad scibilia, & huiusmodi dicunt esse relatiua; quæ (vt aiunt) habebunt & subiectum remotum, veluti substantiam, & aliud magis propinquū, per quod relatiua inhęrent substantiæ: veluti per albedinem erit relatio secundum simile, quatenus vnū album est simile alteri albo; & hinc appellant relatiua genus entis non infixum subiecto, vt est albedo in corpore. sed accidens adfixum accidenti fixo in subiecto. Verum quòd hæc fuerit opinio Aristotelis, nullibi apparet. Sed si perpendantur, quę tradidit de prædicamēto relatiuorum in eorum definitione, videtur omnino asserendum, quòd relatiua non pertineant prorsus ad vnum genus entis, seorsum ab ipsa operatione intellectus; qui habitudinem naturam rerum considerans, hinc, vnum genus entis constituit distinctū ab alijs prædicamentis. Id autem patet, ex assignata definitione: in qua dictum est, ea esse ad aliquid, quorum esse sit ad aliud se habere. Vnde aliud esse relatiuorū non erit, nisi istud quatenus vnū referatur ad aliud, & ita hęc relatio erit forma cōstitutiua relatiuorum. Hęc autem a solo intellectu cōstituitur, adeo vt sublata cogitatione mentis, tollatur notio, & esse ipsorum relatiuorum. Hinc Auert. in lib. 12. Meta. com. 19. dixit, relationem existere debilioris esse q̃ alia prædicamēta, ita vt quidam reputauerint ipsam esse de secundis intellectis, seu notionibus; sicuti sunt genus, & species & huiusmodi. Neq; vero absurdum est, quòd inter prædicamenta hoc genus relatiuorū fuerit adnumeratum cum pertineat ad vnā quandam generalem notionem, & significationem multarum vocū, quæ impositæ sunt

Auert.

ad

ad huiusmodi notionem intellectiuam exprimendam. Accedit, ꝙ huiusmodi relatio semper aduersa rebus intelligitur, vt sine rebus prorsus nõ explicetur; vt ita ratione rerum, quibus accommodatur, tanquam quod tamen ens comprehendatur; quemadmodum scientia seorsum a relatione, quã habet ad scibile, qualitatem quandam in anima designat, & de ea circa scibilia quædam mutua relatio ab intellectu designatur.

Adnotandum autem in nonnullis rebus contingere fieri relationem, vt eadem semper in ipsis fiat absq; vlla mutatione relatio: sicuti in animali a dextris semper est iecur, & a sinistris lien; & sursum semper in concauo orbis Lunæ; deorsum vero in medio mundi semper intelligitur. In aliquibus autem rebus mutabilis est relatio; veluti duplum ad aliquid relatum, quod sui sit dimidium, non manebit duplum, si referatur ad aliud, quod ipso duplo sit maius.

Dubit. Ex dictis etiam tollitur difficultas, quæ potest moueri, qñ definitio assignata relatiuorum videretur etiam conuenire rerum proprietatibus; veluti est risibilitas in homine. Siquidem rerum proprietates, inuicem cum rebus, quarum sunt proprietates, prædicantur, & proprietas insuper dependet ab existentia subiecti; quæ singula videntur conuenire relatiuis. **Solut.** Verum dicendum, ꝙ proprietas rerum habet proprium esse extra habitudinem, qua referatur ad subiectum, cuius sit proprietas: vt patet de risibilitate, & alijs huiusmodi, quod non conuenit relatiuis, uti dictum est.

De relatione autem quæ in sancta Trinitate inuenitur, iuxta trium personarum distinctionem, contemplatio sacris Theologis est relinquenda. Addimus aũt ad prædicta, **S. Tho.** sanctum Thomã in prima parte summæ quæst. 28. art. 1. dicere, ꝙ ea, quę dicuntur ad aliquid, significant scd̃m propriam rationem, solum respectum ad aliud.

Dubi. lib. 4. Physic. cap. 7. Verum si quis addubitet ex aduerso contendens, ꝙ omnino aliquam propriam extra intellectum obtineant entitatem relatiua, inductus ex ijs, quæ scripta reliquit Arist. lib 4 Physic. dum ait: *& quantum, & quale & ad alterum, & vbi, & quando quodam subiecto existente fieri*: & id arguere velit, ex eo, ꝙ ad constitutionem relatiuorum materia requiratur, vt innuere videntur adducta verba: **Solut.** is, si accurate germanum sensum dictorum verborum perpenderit, facile cõijciet nullius roboris hanc esse difficultatẽ. Siquidem loco citato id colligit, seu docet Arist. ꝙ ipsius solius substantiæ est generatio, & nullius alterius rei; vtpote ea: quæ nullo ex ente actu fit, sed tñ ex ente potẽtia: reliqua vero omnia producuntur, subsistentibus actu substantijs, quibus accedit, seu adiungitur mutatio, aut scd̃m quãtum, dum augetur, aut diminuitur substãtia, aut secundum quale, dum alteratur substantia, quatenus calefactionẽ, aut frigidationem, & alia huiusmodi patiatur: aut scd̃m locũ: aut scd̃m relationem, prout Sophronisco Socratem generanti contingit, vt paternitatis habitudinem suscipiat, quæ respicit filiationem ex parte Socratis geniti contingentem: adeo vt idem Sophroniscus dicatur pater Socratis, Socrates aũt filius Sophronisci. Nulla aũt quo ad hanc habitudinem proprie materia supponitur, ex qua generetur. Qui neq. mutatio vlla per se, & proprie contingit in relatiuis; sed solum per accidens, vt docuit expresse Arist. in lib. 5. Physic. **lib. 5. Phy.** cum deinde quanti, & qualis, & loci mutatio per se & proprie circa substantiã fiat. Neq. vero refert, ꝙ dicantur relatiua fieri circa substantiam: vt hinc sit deducendum, ideo horum esse propriam quandam entitatem: quam dicimus in sola mente cõsistere: & ideo aliquid esse relatiua concedendum, quatenus in mentis comprehensione subsistant, iuxta habitudinem, quam mens in rebus existentem connotat, atque in se ipsa cõcipit, atq. format. Quòd si quis adhuc instaret, ideo relatiua in rerum natura inueniri etiam extra mentis comprehensionem, qñ sunt nonnullæ res ita determinate sese respicientes, vt immutabilis harum sit habitudo: veluti inter alia sursum ad cõcauum orbis Lunæ, cui subsistit ignis elementum, firmum atq; stabile persistit, & similiter huic oppositum deorsum, ipsum centrum mũdi, vbi terrę iacet elementum. **Solut.** Ad hoc occurrimus dicendo, verum esse, quod firmæ sunt res, quibus cõtingit mutuus inuicem respectus; veluti ꝙ locus sursum sit sub concauo orbis Lunæ, & locus deorsum ad centrum mundi, & ꝙ locorum horum positiones sunt reales & per se existẽtes: quatenus autem dr̃ esse quædam habitudo, seu respectus mutuus inter sursum, & deorsum, id ipsum seorsum ea locorum positionibus acceptum, dicimus non existere extra intellectũ; sed in eo tñ existere, in quãtum prędicta habitudo inter res a mente connotatur & intelligitur. Et hanc veritatem approbabit multo magis, qui attẽte perlegerit, quæ scripta sunt apud Arist. in lib. 14 apud nos 12. Metaph. **libro 14. apud nos 12. Meta.** vbi opinionem impugnas Platonis, & aliorum philosophorum supponentium, *magnum*, & *paruum*, aut *inæquale*, pro rerũ materia, *vnum* vero, seu *æquale* pro forma; de ijs, quę sunt ad aliquid, ita edisserit, ꝙ *ipsi prædicamento ad aliquid non inest materia, aut quid aliud, neq ipsi communiter accepto in genere, neq. eius partibus atq speciebus* ijs verbis manifeste significans ꝙ relatiua neq. in genere, neq. scd̃m species, vllam ex se referunt entitatem, nisi quatenus a mẽte mutua rerum habitudo comprehendatur. Quibus, etiam consentiunt, quę loco citato subsequuntur verba: hæc nempe. *Nihil enim est vere magnum neq paruum, nec multum ac paucum, nec omnino ad aliquid quod nõ aliquid aliud existens magnum aut paruum, aut multum, aut paucum vel ad aliquid est.* Adhuc in hanc eandem sententiam conspirant perspicue, quæ habẽtur in lib. 3. Physi. dñ ibi docet Arist. **Libro 3. Physic.** ꝙ motus non est pręter res, & ꝙ sunt tot species entis, quot sunt species motus; quas solum in substantia, in quanto, in quali, & in loco inesse prius manifestat. Quę quidem luculentius infra explicaturi sumus in ea contemplatione, quam habebimus circa numerum prędicamentorum.

Adnotandum etiam dictum illud Arist.

in lib. 2. Physic. ꝙ materia eſt ad aliquid, quatenus eſt ob ipſam formam: non accipi debere ſecũdm relationẽ determinatam, alioquin, cum ad formam ſit referenda, etiam forma eſſet ad aliquid: quod nullo pacto dicendum: ſed intelligendum eſt, ꝙ materia eſt ad aliquid, & ob aliud ad hunc ſenſum, quatenus requiritur materia cuiusq; rei naturalis, quę ſit conueniens & accommodata cuiusque rei formæ.

DE PRAEDICAMENTO Qualitatis & Qualis nuncupati.

Deſcriptio qualitatis, cuius prima ſpecies eſt habitus & diſpoſitio.

SEquitur prædicamentum Qualitatis, quæ ita deſcribitur, quòd ſit ea ſecũdm qua qualia q̃dam dicuntur; veluti Socrates dicitur albus ab albedine qua affectus ſit. Et hoc quidẽ prędicamentum maximi eſt ambitus, vt in multas ſignificationes tanquàm in diuerſa genera partiatur. Vnde prima ſpecies qualitatis eſt habitus & diſpoſitio; quæ inter ſe differunt: primo in hoc, quòd habitus importat qualitates difficile mobiles, quales ſunt ſciẽtiæ, & virtutes morales, vt ita habitus ſit permanentior, & diuturnior quàm diſpoſitio, nec mobilis a ſubiecto, in quo eſt, niſi ex magno aliquo accidenti ſuperueniẽte, ob ægritudinem, aut aliud q̃d. At diſpoſitio qualitatem importat facile mobilem, qualis eſt ſanitas, & ægritudo, calor, & refrigeratio, & alia eiuſmodi, ſecundũ quæ homo diſponitur, & ex vna in aliam qualitatem facile permutatur, niſi forte aliquæ paſſiones ex longo temporis interuallo in aliquibus ita imprimantur, vt veluti ingenitæ reddãtur, atq. ideo aut immobiles, aut difficile mobiles permaneant: vt contingit interdum ijs, qui febri ectica opprimuntur. Et quidem quod ita ſe res habeat, quòd habitus pertineat ad diuturniores & difficile mobiles qualitates, colligitur ex ijs, qui ſcientias non multum retinent: de quibus, iuxta conſuetudinẽ loquendi, nõ dicimus ꝙ obtineant habitus ſcientiarum, ſed quòd in illis ſint quodam modo diſpoſiti.

Alio etiam modo differunt habitus & diſpoſitio: q̃m habitus dicitur etiam diſpoſitio: nẽpe, quatenus qui alicuius ſciẽtiæ obtinet habitum, vel virtutis moralis, dr̃ ſecũdm eã quodam modo diſponi ad operandum eo modo, vt conuenit habitui iam obtento. Non autem e cõuerſo diſpoſitio aut dr̃, aut eſt habitus: ſed ſolũ concernit quandam qualitatem diſponentẽ ſubiectũ, cui ineſt, ad aliquid operãdũ.

Adnotationes.

DVplici titulo inſcriptum eſt hoc prædicamentum, nempe de Qualitate & Quali: & iure merito, cum aliud ſit qualitas in abſtracto, & aliud quale in concreto: vnde, cum de vtraq; parte tituli acturus ſit Ariſtoteles, ideo & inſcriptio vtramq; partem complexa eſt. Vnde aduertendum, diuerſam eſſe rõnem ipſius Quanti, & Qualitatis: q̃m Quantum (vt etiam animaduertimus in eius explicatione) non variatur, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto conſideretur, cum vtroq; modo linea ſit eadem linea, & ſuperficies eadem ſuperficies, & reliquæ ſimiliter omnes Quanti ſpecies. Id aũt dici non poteſt de Qualitate. Nam albedo, & caliditas, & fere omnes aliæ qualitates magis & minus participari inueniuntur a ſubiectis, quibus inſunt: vnde etiam alia eſt cõſideratio qualitatis in abſtracto, & alia ipſius qualis in concreto.

Adnotandum etiam, deſcriptionem Qualitatis aſſignatam eſſe ſecundum rationem relatiuorum, cum dr̃, ꝙ Qualitas eſt illa ſecundum quã qualia quædam dicuntur; Nec immerito hunc in modũ eſt deſcripta qualitas, cum referatur ad quale. dr̃ enim *qualitas qualis qualitas*, & *quale qualitate quale*: Vnde etiam infra deſcribitur quale per qualitatem. Et hinc colligitur, congrue factum eſſe (quod antea quoq; adnotauimus) vt ante prędicamentum qualitatis explicaretur prædicamentum eorum, quæ dicuntur ad

aliquid, quando qualitas iuxta rationem relatiuorum erat describenda.

Dub.

Dubitant autem nonnulli penes assignatam descriptionem, ꝙ non recte se habeat, propterea ꝙ conueniat etiam differentijs substantiarum, nec non oĩbus prædicamentis, quæ relata ad substantiam accidentia dicuntur; qm̃ oĩbus his conuenit secundum quale prædicari. Et respondent, apud Aristotelem in lib. 5. Metaph. in tractatu de quali, accipi qualitatem, pro differẽtia substantiali; item pro forma quaq; accidentali, & postremo loco pro qualitate, quæ pertinet ad hoc prædicamentum; atq; ita volunt differentias substantiales non pertinere ad hoc prędicamẽtum, neq. formas aliorum accidentium, quæ potius prædicãtur, concernentia q̃uo aliquid se habeat, & non quale quid sit. Verum, quod attinet ad locum Meta. dicimus, quod Arist. ponit ibi differentias substantiæ sub ipsa qualitate, ijs adiungens differentias quoq; figurarum, & numerorum, quos aliqui inter substãtias computabant. Deinde verò alium modum apposuit qualitatis, eorum nempe, quæ nõ ad substantiam rerum, sed ad passiones, seu ad accidentales formas pertinet. Ita.n. habet contextus. *Quale dicitur vno modo differentia substantiæ vt puta quale animal homo, quoniam bipes, equus vero quadrupes, & circulus qualis quadam figura, quoniam absq angulis est, tanquam differentia, quæ secundum substantiam, qualitas sit: Uno itaq. modo qualitas dicitur substantiæ differentia.* Ad hæc postea subiunguntur differentiæ numerorum, qui, iuxta sentẽtiam Pythagoreorum & Platonis (prout de ijs est ferme in postremis libris Metaphysicæ) inter substantias adnumerabatur, quibus tñ Aristoteles aduersatus est. Denique subiunxit significatũ qualitatis, vt concernit passiones rerum motui subiectarũ, veluti est caliditas & frigiditas, virtus & vitium, Vnde constituendum est (sicuti etiam explicauimus in prædicamento substantiæ, & infra quoq; in quarto genere huius prædicamenti circa figuram & formam dicemus) omnes differentias, siue substantiales, siue accidentales, in hoc prędicamento reponi, & tam formas substantiales, aut accidentales ad substantiam pertinentes, q̃ etiam illas, quæ pertinent ad qualitatem aliorum prædicamentorum, ac præsertim Quanti, circa quod huiusmodi differentiæ, quàm maxime locum habent. Alia autem prædicamenta relata ad substantiam, non dicunt proprie qualitatẽ, sed, quomodo aliquid se habeat, significant. Quòd aũt qualitas substantialis in hoc prædicamentũ cadat, hinc potest esse perspicuum: qm̃ sc̃d̃m huiusmodi qualitatem, etiam qualia quædam dicuntur, vt rationalis a rationalitate: nec non conuenit & ipsis proprietas huius prędicamenti, secundum quam res similes, aut dissimiles dicuntur; atq ideo, iuxta cõmunem quandam conceptionem, & iuxta significatum huius vocis, *Qualitas*, omnes prędictæ qualitates in vno & eodem genere conueniunt, secundum pręsentem hanc logicalem contemplationem.

Solut. li. 5. Met.

Adnotandum, dictum illud Aristotelis, ꝙ habitus, & qualitas non mobilis a subiecto in quo est, nisi ex aliqua magna mutatione superueniente ex ægritudine, verificatum esse in Messala Coruino Ciue Romano, quẽ fertur ex graui morbo, quo oppressus est, adeo rerum a se cognitarum memoriã amisisse, vt etiam proprij nominis fuerit oblitus. Quod etiam in illa maxima peste, quæ Gręciam vexauit, nonnullis accidisse, ex Thucidide recitat Galenus in lib. 3. de caussis simptomatum. Alioquin, habitus præsertim morales animę inhęrẽtes, si fuerint confirmati, aut omnino immobiles, aut difficile mobiles inexistunt. Ex Dei autem immensa benignitate scelestissimi homines ex vasis contumelię in vasa honoris conuertuntur.

De potentia & impotentia.

ALiud genus qualitatis est potentia, & impotẽtia naturalis; & vtraq; duobus modis accipi potest. Nam in primis potẽtia ad agendũ dicitur ea, qua aliquis, nõ quidem aliqua exercitatione, sed ex dispositione contracta a natura aptus est, vel ad facile currendum, vel ad pugnandum & ad alia huiusmodi opera obeũda. Huic autem potentiæ, opposita est impotentia ad non agendum, cum quis natura sit ineptus, & carens potentia ad facile præstanda opera prædicta.

Deinde vero alio modo accipitur potentia ad facile non patiẽdum: veluti, si quis nascatur cum complexione valida, atque robusta, vt non facile patiatur a rebus ægritudinem inferentibus; sed valenter potest illis resistere, ne eius offendatur sanitas. Huic potẽtiæ, opposita est impotentia ad facile nõ patiendum, cum quis facile lædi potest a rebus, quæ possent valetudinem labefactare, & ideo impotens dicitur ad huiusmodi nõ patienda. Et iuxta hanc significationem potentiæ & impotentiæ existũt etiam durum & molle, vt durũ intelligatur id, quod habet potentiam ad non patiendum, vt re-

sistat,

ſiſtat, ne facile frangatur; contra vero molle habet impotentiam ad non patiendum, vt non valeat reſiſtere, ne frangatur.

Adnotationes.

ADnotandum, dictam eſſe potentiã ad agendum, & impotentiam pariter ad agendum: quĩ improprie diceretur potẽtia ad non agendum: nulla.n.qualitas hinc cõſtitueretur, ſicuti ex impotentia ad agendum conſtituitur.; Hinc.n.inſinuatur ꝙ aliquis, exempli gratia Socrates nõ eſt diſpoſitus a natura ad pugnandum, ſed habet oppoſitam diſpoſitionem ab ea, q̃ ex potẽtia naturali alius homo obtinet ad pugnandũ; in quo requiritur robuſta membrorum, & bene apta diſpoſitio iuxta manuum fortitudinem, brachiorum validitatem, & lacertorum amplitudinem, ex quibus robur corporis conſtituitur; quorum oppoſitum deinde erit in corpore impotẽte ad pugnãdũ.

Adnotandum etiam ſcd̃m potentiam, & impotentiam naturalem, dici ineſſe rebus quandam diſpoſitionem, quæ intelligenda eſt quo ad facultatem naturalem, non autẽ iuxta diſpoſitionem, de qua in ſuperiori genere actum eſt, ſcd̃m quã ex quadam exercitatione habita iuxta partem & diſciplinam aliquam redditur homo diſpoſitus ad bene operandum: quod ſcd̃m potentiam naturalem non eſt dicendum, cum aliquis poſſit eſſe aptus ad pugnandum, qui tñ nõ erit aptus ad recte pugnandum, prout ars poſtulat; eo ꝙ non ſit adeptus diſpoſitionem ab exercitatione comparandam iuxta normam ꝓpriæ diſciplinæ. Vnde Ariſt. in lib. 1. Meta. aſſimilabat nonnullos Philoſophos quædam præclara ſine recta doctrina pronuntiantes illis hominibus, qui ex magno corporis robore interdũ in certamine infligunt magnas plagas; licet circa pugnã ſint inexercitati.

Lib. 1. Met. ca. 4.

De tertia ſpecie Qualitatis.

SEquitur tertia ſpecies qualitatis, quæ paſsibilis nuncupatur, & duobus modis eſſe poteſt. Aut quia inferat paſsionem ſenſui; ſicuti caliditas in igne, & frigiditas in niue ſenſum tactus paſſione quadam afficiunt; & dulcedo mellis, & amaritudo fellis guſtui paſſionem pariter inferunt; Aut eſt paſſibilis qualitas, quoniã ex quadam paſſione oriatur; vt quemadmodũ ex timore cõcepto pallor gignitur in facie hominis, & ex verecundia rubedo, ita quoque in naturali cõſtitutione rerũ, ſupponendum eſt, niuem albam fieri, & picem nigram ex quadam ſimili paſſione illis contingente: Vnde & calores ad paſſibilẽ qualitatẽ pertinent, quatenus ex paſſione oriuntur. Sed aduertẽdum, quòd quæcunq; paſſibiles qualitates ortæ fuerint ex paſſionibus difficile mobilibus & permanentibus, ſiue a prima conſtitutione rerum naturali, ſiue ex accidenti proueniant (pro vt interdum ex ægritudine pallor gignitur. aut ex æſtu diuturno nigredo in corpore) hæ omnes paſſibiles qualitates, vti ortæ a paſſione nominabuntur. Si autem ex facile mobilibus paſſionibus oriantur, vt pallor ex timore, qui facile etiã deficit, non paſſibiles qualitates dicentur, ſed paſſiones: non enim pallidus dicetur, qui ex timore in facie pallidus appareat; ſed tantum aliquid paſſus erit; Et quæ dicta ſunt circa paſſiones corporis, eadem dicenda ſunt circa paſſiones animi: quæ aut ex naturali conſtitutione proueniũt, vt amẽtia, ira, & huiuſmodi, aut adueniũt ex accidentibus quibuſdam circa animam prouenientibus, vt iracundia, ſpes, gaudium, & huiuſmodi. Et omnes quidem oriũtur ex paſſionibus, quæ ſi fuerint ſtabiles, dicentur qualitates, ſecũdum quas quales quidam dicentur; ſi autem nõ fuerint paſſiones permanentes, ſed facile mobiles, non qualitates, ſed paſſiones appellabuntur, neq; per eas qualia quædam dicentur.

Adnotationes.

DVbitari põt, cur Ariſt. dixerit caliditatem, frigiditatem, dulcedinem, & amaritudinem eſſe paſſibiles qualitates, ex

Dubiũ

c, quia inferant passionem sensui, & postea assereret colores esse qualitates passibiles, quoniam oriantur ex passionibus, cum tamē videatur dici posse, quod etiam caliditas, & frigiditas, & sapores oriantur ex quadam passione circa subiectum, in quo fiunt; & rursus dici potest, quod calores sint passibiles qualitates, quoniam inferant passionem sensui, cū visum afficiant, vt habetur in lib. de Anima in tractatu de visu. Dicendum, valde manifestum esse, quod caliditas, frigiditas, & sapores inferunt passionem sensui: non autem ita perspicuum est de coloribus, a quibus passio quidem prouenit ad sensum visus, sed multum spirituales, & non conspicua nisi speculantibus operationem sensus visus. Idcirco, cū sit sermo ad introductitios, quæ perspicua sunt, erant afferenda. Et, cum pateat circa nos, tum penes corpus, tum penes animam, fieri impressionem qualitatū ex quibusdam passionibus, quas patimur, sicuti pallidi ex timore euadimus: ideo cōueniens fuit, generatim supponere colores ex passionibus oriri circa omnia corpora. Sapores autē, vti maxime sensibiles, & valde afficientes gustum, inter qualitates sensui passionem inferentes iure optimo sunt collocati. De lumine autē, & de odoribus, & de sono, non meminit Aristoteles hoc loco, quoniam horum natura sit remota a communi hominum comprehensione, & de his speciatim sit agendum in Philosophia.

Lib. 2. de Ani. c. 7. Solut.

Adnotandum autem meminisse Aristotelem de passione in hoc prædicto genere qualitatis, quoniam interdum ex ipsa potest causari qualitas, si sit permanens passio, vt dictum est: Interdum autem non est permanens, & tunc non qualitas, sed passio nuncupatur.

Adnotandum etiam, caliditatem & frigiditatem prius appositas fuisse sub specie habitus & dispositionis, & easdem etiam postea in hac alia specie qualitatis passibilis adnumerari. verum id secundum diuersam cōsiderandi rōnem. Nam in prima specie assumptæ sunt, quatenus circa ipsas aut habitus, aut dispositio obtinetur. In hac vero alia specie qualitatis reponuntur, quatenus sunt passibiles, idest qualitates inferentes passionem sensui.

De quarta specie qualitatis secundum figuram & formam nuncupata.

QVarta autem & vltima species seu genus qualitatis, est figura, & circa vnūquodq; inexistens forma: & pręter hęc rectitudo, & curuitas, & si quid aliud est huiusmodi. Si quidem secundum vnumquodq; horum qualia quædam dicuntur; sicuti a triangulo & quadrangulo, quæ sunt species figuræ, dicitur triangulare, & quadrangulare: quemadmodum etiā a rectitudine rectū, & a curuitate curuum dicitur. Rarum autem & Spissum, & Asperum, & lene censerentur etiam quale quid significare: Verum potius dicendum est, hæc aliena esse a prædicamento qualitatis, & pertinere ad prædicamentum ipsius situm esse, cum quādam positionem partium significare videātur; sicuti Spissum dicitur, quod partes habet sibi propinquas: Rarum vero, quod habet partes a se inuicem distinctas: & Asperum illud, in quo vna pars sit superna, alia vero inferna, vt nō æqualiter se habeant: Et Lene illud, in quo iacēt aliquo modo partes in quadam recta dispositione, & æqualitate. Et tot sunt modi, qui sint maxime perspicui qualitatis, cum fortasse & alius quidam modus possit apparere.

Adnotationes.

DVbium hoc loco contingit, quid nam hac dictione *forma* intellexerit Aristoteles, cum de ea nullum attulerit exēplum, sed solum dixerit quartum genus qualitates *esse figuram, & circa vnumquodq. inexistentē formam.* Et communis quidem est expositio, vt per formā intelligatur facies, secundum quā formosū aut deforme aliquid dicitur, iuxta illud poetæ adductum a Porphyrio in cap. de specie, *primo quidem forma digna est imperio.* Sed huic expositioni illud aduersatur, quod formosum, & deforme sunt inuicem contraria, & suscipiūt magis & minus, quæ excluduntur a specie qualitatis dicta secūdum figuram, & formam, vt ex sequentibus apparebit. Vnde pulchritudo, & deformitas proprie dicentur qualitates passiuę, tāquam orta a quadam passione, prout & de coloribus dictum est. Quare aliter interpretantes, dicimus, quod cum forma substantialis pertineat ad qualitatem, quatenus concernit specierum differentiam, sicuti superius in tractatu de substantia deductum est ex dictis Arist. in lib. 4 Physic. & in lib. 5. Met. idcirco, ne huiusmodi ens extra prædicamēta relinqueretur, in hac quarta specie qualitatis collocatum est, iuxta vocem hanc, *forma* Gręce Μορφὴ dictam, qua etiam vsus est Porphyrius in cap. de specie, vt hinc denotetur forma circa vnumquodq; existēs, nempe essentialis differentia cuiuscunque

Dub. Sol. Porph. Impug. Sol.

est

rei cõstitutiua: sicuti est figura ad ens, Quãtum nũcupatum proprie spectare videtur. Vnde Aristoteles, loco citato, ex lib. 5 Met. ad formam & differentiam substantialem, pro qua exẽplum attulit ipsum bipes, subiũxit postea *figuram* cuius exemplum apposuit *circulum*. Nec non in lib. 7. Phys. vbi agit de alteratione, quõ, & penes quas rei fiat, simul coniunxit figuram, & formam, penes quas pari modo statuit non esse alterationem. Neq; vero absurdũ est, quinimmo maxime conueniens, (quemadmodum in prædicamẽto substantiæ animaduertimus) vt in hoc prædicamento qualitatis, in quo tot varia genera rerum inter se diuersa sunt comprehensa, vnà cum qualitatibus ad essentiam non spectantibus, essentiales quoq; qualitates connumerarentur sub typo, & communi notione qualitatis logicæ consideratæ.

Lib. 5. Met.

Lib. 7. Phy. c. 3

Dubium etiam occurrit, quomodo Aristoteles dicat, spissum, & rarum, & asperum, & lene videri aliena a diuisione qualitatis, cũ in lib. 1 de gener. & corrup. eodem inter qualitates recensuerit. Dicendum, cum in hoc libro Prædicamentorum notio vocum sc̃d'm vulgatam significationem præcipue attendatur, & per asperum, lene, spissum, & rarum magis significetur quædam positio, q̃ vlla qualitas: ideo placuit Aristoteli, hęc potius ad prædicamentum positionis, & situm esse reducere, q̃ ad prædicamentum Qualitatis cum deinde in Philosophia magis exacte rerum doctrinam ibi persequẽs, eadem sub rõne qualitatis reposuerit. Et ideo post enumerata genera qualitatis, cum subiunxit, *fortasse quidem igitur alius quispiam modus appareret qualitatis, sed fere qui maxime dicuntur hi sunt*: hæc attulit propter spissum, & rarum, asperum & lene, & propter qualitates numerorum, & alia huiusmodi, quibus non erit ita facile accommodare qualitatis nominationem.

Dubit.

Lib. 2. de genit. & co. c. 2.

Solut.

De qualibus.

Qualia vero sunt, quæ denominatiue dicuntur a qualitatibus: vel si nõ denominatiue, aliquo tamen modo ab ipsis dicuntur: sicuti denominatiue ab albedine, dicitur album, & a fortitudine fortis: & in plurimis quidem, & fere in omnibus denominatiue quędam qualia a qualitatibus dicuntur adeo ut pauca sint, in quibus non conueniat denominatio, prout a virtute non dicitur virtuosus, sed studiosus: quemadmodum etiam a genere qualitatis dicto, *Potentia*, & *impotentia*, quoniam speciebus sub ipso positis non sunt posita nomina ideo nulla ab ipsis qualia denominatiue dicuntur: sed, horum loco nomina a disciplina prouenientia, vt cursor, pugillator, luctator (& significantur, qui in arte gymnastica sunt exercitati) accipiuntur ad explicanda qualia, quę secundum potentiam & impotentiam dici possent.

Adnotationes.

Dubitari potest, qm̃ Qualitas prius explicata fuit per ipsum Quale, cum dictum est, qualitatem esse, secũdũ quam *qualia quędam dicuntur*, nũc vero & qualia explicantur per *qualitatem*, vnde circulus committi videtur in definitionibus, quod est vitium fugiendum, vt adnotauit idem auctor in lib. 6. Top. qm̃ hunc in modum idem per idem demonstrari videtur. Respõdent nõnulli, non esse huiusmodi definitionem, sed descriptionem quandam: & prius quidẽ per quale, quod est notius nobis, explicatum fuisse qualitatẽ: quale vero postea explicatum esse per id, quod est notius natura, nẽpe per ipsam qualitatem. Verum, qm̃ absurdum etiam esset committere circulum in descriptionibus, quæ locum obtinent definitionum: idcirco dubium adductum facilius nobis dissolui vr̃, si dicamur, ꝙ quale, & qualitas inuicem relatiue dicuntur: & ideo conueniens est, vt vnum per alterũ explicetur, diuersa tñ considerandi rõne: quod &c factum est a Porphyrio in tractatu generis & speciei: commune enim. i. omnibus relatiuis, vt inuicem explicentur, cum tamen vnius notio sit diuersa a notione alterius.

Dub.

Libro 6. Top. c. 2.

Solut.

impug.

Solut.

Porph.

Cum aũt dixerit hoc loco Aristoteles, ꝙ in plurimis, & fere in oĩbus qualia a qualitatibus denominatiue dicuntur, clare hinc colligitur, non habuisse sermonem de eiusmodi denominatione qualitatum in cap. de substantia, dum ibi dictum est, ꝙ, *eorum, quę in subiecto sunt a plurimis neq secundum nomen fit prædicatio*: alioquin hæc dicta essent inuicem contraria. Verũ hoc loco in genere dixit illud, quod verum est, videlicet a qualitatibus fere in omnibus qualia denominatiue dici posse: in prædicamento autẽ substantię considerabat, quomodo accidentia insit in subiecto, propterea ꝙ, si non completiua sint subiecti, de ipso sc̃d'm nomẽ nõ prædicantur: & quæ hunc in modũ insunt accidentia, sunt plurima, vt ibi latius explicatum est ex dictis eiusdem auctoris in lib. 2. Top.

Libro 2. Top. c. 1.

Num contrarietas insit qualitati, & susceptio magis, & minus.

Iam vero explicanda sunt, quæ conuenire videntur Qualitati,

vt & huius prædicamẽ i proprietas assignetur. Videtur igitur inesse contrarietas qualitati: sicuti iustitię est contraria iniustitia, & albedo nigredini. Non autem hoc in omnibus accidit: nã rubro, aut pallido, & huiusmodi coloribus medijs, nihil est contrarium, cum tamen sint qualia. Consequenter ad hoc adnotandum, quod si vnũ contrariorum fuerit quale, aliud etiam erit quale; pro ut cuique singula cõtraria perpendenti potest esse perspicuum. Vnde, cũ iustitia sit qualitas, etiam ipsius contrariũ, nempe iniustitia erit qualitas, vt non possit ipsi aliud prędicamentum nisi illud qualitatis accommodari.

Suscipiunt etiam qualia magis & minus. Nam albũ magis & minus album alterum altero dicitur, & idem etiã se ipso. Dubitari autem contingit de qualitatibus abstractis, vt est albedo, & sanitas, ꝙ non suscipiant magis & minus. Sed neque triãgulus, neque quadrangulus, neque aliqua aliarum figurarũ suscipiunt magis, & minus. Qnod etiam rationaliter dici videtur, quando in vnoquoque triangulo, aut quadrangulo, aut circulo, eadem est definitio, vt nequaquam in ratione figuræ vnum differat ab alio. Vnde consequenter non suscipiunt magis, & minus, vt faciunt, quæ in eadem definitione non conueniunt: sicuti esse albedinis in niue, non conuenit cum esse albedinis existentis in aliquo animali, sed ratio magis intensa albedinis erit in niue, quàm in aliqua re alia.

Adnotationes.

Dubit. OCcurrit dubium, quĩ dixerit hoc loco Aristoteles, coloribus medijs nihil esse contrarium, cum alibi in lib. 5. Phys. & in lib. 10. Met. asseruerit media esse contraria extremis. Præterea constat ex lib. Ethic. ꝙ virtuti, quæ posita est in medio, contraria sunt vitia, sicuti liberalitati aduersatur prodigalitas, & auaritia. Dicendum (quod attinet ad medios colores) si inest ipsis contrarietas, ꝙ inest rõne extremi, cuius sunt participes, vt rubeus color ob nigredinem, quę est in ipso, est contrarius albedini. Simpliciter aut contrarietas attenditur penes extrema, vt quæ maxime inter se distent. Ad aliud vero dicendum est, ꝙ virtus ipsa liberalitas, vt quid bonum & commensuratũ opponitur vitio, quod malum & incommensuratum est: & ita secundum quandam extremam oppositionem: ipsa vero prodigalitas, & auaritia opponũtur inuicem secundũ excessum & defectum, cũ vtraq; pertineat ad vitium, vt quidpiam incommensuratum.

li. 5. phy. c. 5. li. 10. Met. c. 5. Solut.

Quæret etiam aliquis, cur qualitates in abstracto consideratæ habent contrarietatem, sicuti iustitia iniustitię est contraria, non autem suscipiunt magis & minus. Dicẽdum qualitates in abstracto, aliquas inuicẽ esse contrarias, vt iustitia iniustitiæ, & albedo nigredini, quia sunt opposita & inuicem tolluntur: non autem suscipiũt magis, & minus: alioquin inuicem misceretur: & ita nõ amplius acciperentur vt qualitates abstractæ, sed vt participatæ, & concretę. Ex dictis colligitur, cum neq. contrarietas, neq. susceptio magis & minus conueniat quarto generi qualitatis dictæ secundum figurã & formam, idcirco *formam* non debere accipi pro facie & pulchritudine hominis, cum formoso opponatur deforme, & vtrumque suscipiat magis & minus.

Quęst. solut.

De proprietate qualitatis.

QVOD vero proprium est qualitatis secundum omnia ipsius genera, istud est, vt similis aut dissimilis omnis qualitas dicatur; & pariter omne quale simile, & dissimile; adeo vt nihil proprie dici possit simile, aut dissimile, nisi secundum quale; & ita iustitia iustitiæ est similis, & iustus iusto, cursor cursori, calidum calido, figura figuræ; & pariter omnes qualitates similes aut dissimiles dicentur.

Non autem facessat nobis negotium, quòd multa in hoc prædicamẽto qualitatis sint adducta, quæ prius etiam fuerunt adnumerata in prædicamento eorum, quæ sunt ad aliquid vt inter alia, habitus et di-

diſpoſitio. Nam ſuppenendũ eſt,
pene omnia genera qualitatis di-
ci,& eſſe ad aliquid; non autẽ ſin-
gularia,quæ ſub generibus conti-
nentur. Quemadmodum diſcipli-
na, genus exiſtẽs rerum plurima-
rum, dicitur alicuius diſciplina:
non autem grãmatica ad aliquid
dicetur, niſi ſecũdum genus,qua-
tenus eſt diſciplina: ſecundũ ſpe-
cies autem ſingulares qualitatis,
qualia quædam dicuntnr, vt gram
maticus a grammatica,& muſicus
a muſica. Præterea dicimus, non
inconueniens eſſe, q̄ idem ſit, &
quale, & ad aliquid ſ͂m variã cõ-
ſiderandi rationem: vt qualitas
conſideretur, quatenus per ipſam
aliquid afficitur: ad aliquid vero,
quatenus idem ad aliquid aliud
quandam habeat relationem.

Adnotationes.

Dubit. POteſt autem eſſe dubium, quomodo, ſi
generi aliquid conueniat, poſſit dici, q̄
idem non conueniat, ſpeciei contentę ſub
genere, vt Ariſtoteles videtur hic innuiſſe;
cum tñ iuxta regulam allatam ante prædi-
camenta, quãdo aliquid prædicatur de prę-
dicato, idem etiam debet dici de ſubiecto,
& ideo, ſi ad aliquid dicitur diſciplina, vi-
detur debere etiam dici ad aliquid grãma-
tica, de qua, diſciplina eius genus prædica-
tur. Dicendum, q̄ ratione generis (vt ſtatuit
Solut. Ariſtoteles) etiã ſpecies dicitur ad aliquid;
at non ſimpliciter ſ͂cd͂m ſe ipſam. Et id q̄-
dem, q̄m ad aliquid non eſt quidpiam, q̄
ad rei conſtitutionem pertineat: quod ſi eſ
ſet, vtiq. quod conuenit generi, etiam neceſ
ſario ſpeciei conueniret. Verum, q̄m dicit
ſolum reſpectum quendam, quem nos ani-
maduertimus in vna re ad altã relata, ideo
nil mirum, q̄ aliquod rerũ genus ſit aliq̄d,
& non ſit eius ſpecies, cum relatio proprie
fiat ſcd͂m genus, & non ſcd͂m ſpeciem. Ex
quo confirmatur, verum eſſe illud, quod con
ſtitutum eſt a nobis in prędicamento rela-
tiuorum, nempe nihil ad eſſe ipſorũ concer
ni extra animam: ſed ſolum reſpectũ innui
quẽdam circa res ab anima animaduerſum,
& connotatum.

Quæſt. Si quis autem quęrat, quid de ipſo ſimili,
& diſſimili dicendum eſt, cum ſit proprietas
qualitatis, nũ & hęc erit qualitas? Dicẽdũ,
ſimile & diſſimile proprie ad prædicamen-
tum ad aliq̄d pertinere, nihil aũt prohibe-
re hunc reſpectum ab anima excogitatum,
adſcribi proprietatem qualitatis, ſicuti æ-
quale & inæquale, quæ pariter relationem
concernunt, pro Quanti proprietate fuerũt
aſſignata: nam & ſimilitudo & diſſimilitu-
do quandam inuoluunt qualitatem, cui ad-
ſcribuntur vel circa colorem, vel circa ali-
quid aliud ex genere qualitatis.

Solut. Dubitatum eſt etiam a nonnullis, q̄ præ-
dicamentum qualitatis non ſit genus ſupre
mum ſpecierum enarratarum, ſed ſi ſit ip-
ſarum genus, æquiuocum eſſe; quod præſer
tim colligere videntur ex verbis Ariſtote-
lis in initio huius prædicamenti, dum dixit:
qualitatem eſſe ex eorum numero, quæ mul
tipliciter dicũtur; huiuſmodi autem viden-
Simpl. tur eſſe æquiuoca. Quidam dixerunt, vt Sim
Impug. plicius qualitatem eſſe genus analogũ. Ve-
rum, ſi eſſet genus analogum, oporteret ſub
hoc genere aliquod eſſe primum, a quo aliæ
ſpecies dependerent, ſicuti ſub genere en-
tis ſubſtantia ita ſe habet ad alia prædica-
menta, vt ab ea ſ aliorum prædicamentorum
eſſe dependeat. At in his ſpeciebus quali-
Solut. tatis nulla eſt, a qua cęterę analogice depẽ
deant. Propterea dicimus, eſſe genus vniuo
cum qualitatem ſub communi notione eo-
rum, quæ per ipſam ſignificantur, iuxta prę
ſentem Logicæ conſiderationem, quatenus
omnes ſpecies ſub ipſa contentæ dicuntur
qualitates, ſecundum quas qualia quædam
dicuntur: pro ut & proprietatem huius prę
dicamenti pariter omnes habent, vt ſimiles
& diſſimiles dicantur. Enunciatum autem
iſtud Ariſtotelis, q̄ qualitas multis modis
dicatur, ita intelligendum eſt, q̄ ipſius mul-
ta ſint genera, pro ut explicata ſunt.

De reliquis ſex alijs prædi-camentis.

RElíqua vero ſex prædicamẽ
ta, quæ ſunt, Agere, & Pati,
Quando, Vbi, Situm eſſe, &
Habere: quod attinet ad prędica-
menta agere, & pati, cuiuſmodi
ſint, facile exemplis doceri, & in-
telligi poteſt; nempe quòd agere
eſt vt vrere, pati vt vri: quibus ẽt
competit contrarietas: ſicuti cale-
facere cõtrarium eſt frigefacere:
& calefieri cõtrarium eſt frigefie-
ri. Item ſuſcipiunt magis & mi-
nus: quod patet, cum ignis quid
poſſit magis & minus calefacere,
& ſimiliter lignum magis & mi-
nus calefieri.

De prædicamento autem ſitũ,
poſitum eſſe, dictum eſt in prædi-
camẽto relatiuorum, quòd deno-
minatiue dicitur a poſitione; &
huius tres ſunt ſpecies, accumbe-

re, sedere, & stare, quę ab accubitu, a sessione, & a statione denominatiue dicuntur.

De Habere autem, Vbi, & Quādo, perspicuum est ex dictis superius, qualia sint, vt non egeāt alia explicatione. Sed sat sit intelligere, ꝙ Habere significat, vt armatum esse: Vbi, vt in foro esse: Qñ vt heri, cras. Et hęc quidem, vt satis manifesta, non exigebant longiorem tractationē, cum ex antea dictis constare possit, quonā pacto notiones communes horum prædicamentorum, iuxta præsentem logicæ considerationem, ex vocibus incomplexis innotescāt.

Digressio, in qua agitur de ratione reducendi prædicamenta ad numerum denarium.

VT autem tradita de pręddicamentis doctrina clarior exactiorq. reddatur explicandū est, quo nā pacto, quave ratione suprema rerum, seu notionū omnium genera, prædicamenta nuncupata, ad numerum denariū sint redacta. Vnde illud in primis est aduertendum, quòd nisi rerum multiformis esset varietas, & differentia, sed omnia vna eademq; ratione constarent, vtiq. pluralitas prędicamentorum nō extaret.

At qui sensu, pariterq. intellectu multas, ac varias rerum esse differentias manifeste deprehendimus. Etenim quod visu percipimus ipse color, ꝙ sit quid aliud a sapore, quem gustemus, perspicuum est, & sapor aliud ab odore, quem odoramus: & odor aliud a sono, quem auditu percipimus; & sonus aliud a calore, quem tactu persentimus. Similiter aliud intelligimus esse rem per se subsistentem, vt est homo, bos, & huiusmodi, aliud magnitudinē, videlicet longum, latum, & profundum: & aliud rerum affectiones, vt caliditas frigiditas: & aliud esse in loco: aliud in tēpore: et aliud agere, et aliud pati: et aliud rerū ad inuicē habitudo atq. relatio: et aliud situm esse: ac deniq. aliud ipsum habere, ex quibus omnibus decem diuersa suprema rerum genera cōflantur, sub quibus omnia, quæ sunt, aliquo pacto reducūtur. Nam, quòd vnum rerum omnium genus esse nō possit, iam antea ex Porphyrio in tractatu de specie, iuxta doctrinam Aristotelis, constitutum est: quoniam, si vnū esset genus omniū, illud proculdubio esset ens, quod tamen nullo pacto vniuocū genus omnium esse potest: vt docet Aristoteles in libris diuinæ philosophiæ.

Quomodo autem decem hæc prædicamenta inuicem connectā tur, & existentiam quandam eorū singula obtineant, erit explicandum, si prius illud considerauerimus, quomodo generalissima genera euadant, id spectādo in prędicamento Substantiæ, quod est primum, et pręcipuum inter alia omnia prædicamenta, cui cætera vt accidentia innituntur. Itaq. cū substantiarū aliæ eiusdem, et aliæ diuersæ naturæ inueniātur, prout homines eandem omnes rationē substantiæ obtinent, bos vero et homo diuersam; hinc in primis indiuidua, quę sunt vnius naturæ, veluti Socrates, Plato, et alij singuli homines, ob humanā naturā communem, quam inuicem habēt, sub vna specie cōtinentur: licet postea differant inter se ob quasdam particulares proprietates, quæ singulis alię, et alię inhęrent, non quidem essentiam vllā

substantialem concernentes, sed tantum accidentalem. Natura autem humana, vt est sentiens, conuenit cũ omnibus speciebus substantiarum, quæ prædictæ sunt sensu: quoniam, licet inter se differãt specie, homo, bos, equus, & reliqua sentiẽtia, attamen sub vno genere communi animalis continẽtur. Rursus, cum animal sit viuẽs, & ex viuentibus nonnulla sint nõ sentientia, vt planta; idcirco animalia, licet a viuẽtibus insensibilibus differant, sub vno tamen cõmuni genere viuentis reducuntur. Ac deniq; cuncta viuentia vna cũ inanimatis substantijs, sub corpore; & corporeę pariter substantię, sub vna communi notione substãtiæ reducuntur, quę est supremũ generalissimum genus eorũ, quę per se subsistunt, nullũ aliud habens superius genus, & sine qua nullum aliud extaret prædicamẽtum. Deinde vero succedit, Quãtum continens magnitudines, in quo cętera prædicamenta fundantur. Mox Quale diuersam cõcernens notionem a substantia, & a Quanto, vt patet: quoniam caliditas, humiditas, albedo, & huiusmodi, ad qualitatem spectantia, aliud sunt à Socrate & à lapide, qui pertinent ad substantiã; & aliud etiam à linea vel à superficie, quæ sunt de prædicamento Quanti. Et hæc quidem omnia vere existunt extra omnẽ nostrã cogitationem. Succedit ad hæc prædicamentum, Vbi, quo denotatur superficies rem locatam cõtines: Vnde exurgit motus ad locum propter rem in loco permotam, adeo quod quatenus locus denotat superficiem, hac ratione ad prædicamentum Quanti pertinet; respectu vero rei contentę, & conseruatæ in loco, sic insurgit prædicamentum Vbi: quo etiam significatur aliquid, quod extra intellectum existit, quatenus res est aut in loco sursum, aut deorsum, aut alio modo se habens: & ita quattuor prædicamenta extra nostram cogitationem etiam existentia sunt exposita; videlicet, Substãtia, Quantũ, Quale, & Vbi. Circa quæ deinde cũ omnis mutatio consistat (ut declaratur in lib. 3. Physic) & motus, seu mutatio nihil aliud sit, quàm energia quædam, seu operatio, quæ supponit rem vnam agentem, & aliã patientem; hinc, ratione motus, duo alia exurgunt prædicamenta; nempe Agere, & Pati; quæ nõ referunt aliquam rem absolutam, sed solum operationem fluentem circa rem; aut circa substantiam, dum aliquid generatur, aut corrumpitur: aut circa quantũ, dum fit augmentum, vel decremẽtum in substantia: aut circa quale, dum substantia alteratur, frigiditatem caliditatẽ, & alia huiusmodi patiens; aut circa locum, dum substantia sursum vel deorsum, ante, retro, vel secundum alios modos locales permutatur. Hæcq; duo prædicamenta, Agere scilicet, & Pati, sunt idem re, ratione autem inter se distinguuntur, vt docetur in lib. 3. Physic. idem n. est actus, qui ab agente prouenit, & qui in passum recipitur: sed quatenus ab agente proficiscitur, hinc prædicamentum Agere resultat; vt autem recipitur in passum, hinc prędicamentum Pati constituitur: ita quidem vt alterum horum prædicamentorum sine altero, neq. cõstitui, neq. recte intelligi possit. Verum, quod attinet ad præsens negotium, accipienda sunt Agere,

[Margin: li. 3. phys. cap. 3.]

[Margin: lib. 3. Phys. c. 3.]

re,& pati, nó solum vt actionem, vel passionem corruptiuam, vel perfectiuam referũt, quæ resultat ex pugna mutua elemẽtorum, de qua agitur in lib. de generat. & corrupt. sed etiam pro quacunq; operatione, in qua, dum res (quę cunq. illa sit) mouet aliam rem, & ipsa contra mouetur: licet forte non eadem specie motus moueatur, qua mouet aliud; vt exactius de ijs considerandum est in philosophia naturali.

Lib. 1. de gen.corr. c.9.

Reliqua sunt quattuor alia prædicamenta, videlicet Relatiua, seu ad aliquid, Quando, Situm esse, & Habere; quibus dicimus notiones quasdas contineri, quæ nullius rei existentiam per se denotant extra nostram cogitationé; sed quicquid rerum extra cóceptionem nostram existentium connotare videntur, id omne reuocatur ad sex alia prędicta prędicamenta: nempe ad substantiã, Quantum, Quale, Vbi, Agere, & Pati. Quod autem aliorum quattuor prædicamentorum propriũ est, id ad animæ nostræ cóceptiones pertinet, quibus anima vtitur ad conceptas notiones rerum cómodius explicandas, pro mutua illa, qua inuicem se se respiciunt connexione. Etenim prædicamentum ad Aliquid (quemadmodum in proprio eius tractatu expositũ est) rem nullam simpliciter refert, sed solum quandam habitudiné, quam in rebus existere ui nostri intellectus connotamus: Prædicamentum vero, quod dicitur, SITVM ESSE nec non & prædicamentum, HABERE, denominatiue sunt deducta, alterum a positione, & alterum ab habitu, quæ relationis quendam conceptũ referunt: Vnde & hæc, vti de relatiuis est dictum, nullam rei existétiam per se significant. Differunt autem a relatione. Nam positio, a qua denominatur positũ esse, refert quandam habitudinem rei positæ ad positum esse: At accumbere, sedere, stare, significant rem existentem cum huiusmodi accubitus, sessionis, & stationis habitudine, in quibus si quid extra intellectus apprehensioné continetur, id ad qualitaté pertinet figuræ, vel rectæ in re stante, vel obliquę in sessione, vel extensę in accubitu: Vnde aliud pręedicamentũ est SITVM ESSE, ab ipso prædicamẽto AD ALIQVID, sub quo positio cótinetur. Similiter habitus quandã relationem vnius rei ad aliam dicit: HABERE autem significat rem, quatenus aliquid habet, & est maxime commune genus, adeo vt ad omnia alia pręedicamenta accommodetur. Vnde & prædicamentũ eorum, quę sunt ad Aliquid, ita explicatur, vt *sint ad aliquid ea, quorum esse, est ad aliud quodã modo se habere.* Prædicamentum auté, QVANDO, refert ipsum tempus; quod quatenus mensuram continet, in Quanti prædicamento ponitur: vt autem in tempore tum quæ quanta sunt, tum alia cótinétur entia, hac considerandi ratione aliud pręedicamentum exurgit, quo rerum duratio explicatur, cũ tempus significet mensuram motus, qui est aliquid extra animam, vt dictum est antea. Et hac ratione, tempus, aliquid etiam significat, quod existit extra nostrã cogitationem ratione motus: absolute autem tempus non esset, nisi anima mensuraret motum, vt docuit Aristoteles in lib 4. Physic. in tractatu de tempore. Quare, quicquid habet hoc predicamen-

Lib. 4. phys. c. 14

tum extra animæ conceptionem, id totum ad ipsium motum pertinet; reliquũ vero, quod ad ipsius constitutionem attinet, ab animæ conceptione pendet, quæ circa motum conficit mensura, ex qua prædicamẽtũ QVANDO, insurgit.

Hinc quoq; asserere possumus, quòd numerus ipsa ratio numeralis non existeret, nisi anima ipsum constitueret: quod Aristoteles ostendit in lib. Metaph. aduersus Pythagoricos, & alios cõstituẽtes in numeris rerum principia; Nam loco citato ait, numerũ excogitatum fuisse a mente humana, sicuti & horæ, in quas tempus partitur; & ita neq; extra nostrã cogitationẽ est, neq; in rebus reperitur numerus: sed eum anima ope intellectus, rebus ipsis inseruit, & res ipsas in numero designauit: qui licet existentiã extra aiam non obtineat, attamen sub quanti prædicamento est collocatus, qm̃ ad hoc prædicamentum numerorum conceptus accommodatur.

Lib. 14. Met. apud nos. 13.c.6.

Neque vero est absurdum, ꝙ sub eodem predicamento, tum ea reuocentur, quæ extrinsecus ab anima existentiam obtinent, tũ ea quoq;, quæ solius mentis conceptioni innituntur: Quando omne prædicamentum refert conceptũ quendam communem ab anima excogitatum, in quo, iuxta logicalem considerationem, hæc rerũ varietas potest comprehendi. Vnde etiam factum est, vt ad prædicamentum, Situm esse, reducerentur asperum, & lene, rarum, & spissum secundum quandam partium positionem; cum deinde, iuxta aliam considerandi rationẽ, pertineant ad predicamentũ qualitatis. Et quidem iuxta conceptũ prædicamenti SITVM ESSE, nihil extra intellectum significant, nisi quãdam partium suarum habitudinem: accepta autem & cõsiderata, quatenus significant quandam qualitatem, ita aliquid extra intellectum importãt. quãobrẽ ex his, quæ dicta sunt, perspicuũ esse potest, hæc quattuor prædicamenta, nempe Relatiua, Situm esse, Quando, & Habere; nihil per se significare, quod existat extra nostram cogitationem; sed id omne, quod cõnotant, alijs sex prædicamentis, vt acceptum referãt necesse est; nempe aut ad substantiam, aut ad quantum, aut ad Quale, aut ad Vbi, aut ad Agere, & ad Pati.

Neq; vero ab hac præsenti nostra commentatione Aristotelis doctrina aliena, sed maxime cum ijs dictis conueniens apparebit, si recte eius verba perpendãtur, illa præsertim, quæ habet in initio lib. 3. Phys. & ab eodem repetuntur in lib. ij. Met apud nos 13. Vbi in vtroque loco acturus de motu, ad eius explicationem nonnulla veluti rudimenta præmittẽs, hęc deinceps subiunxit. *Non est autem motus, præter* πράγματα. Sic Græce idest, *præter ipsas res etenim semper, quod mutatur, vel secundum substantiam, vel secundum quantum, vel secũdum quale, vel secundum locum mutatur: commune autem in ijs nihil est accipere, vt dicamus, quod neq; hoc, neq; quantum, neque vllum aliorum prædicametorum sit; quare neq; motus, neq; mutatio alicuius erit præter dicta, nullo existente præter dicta; Vnũquodq; vero duobus mo-*

Libro 3. Phys. c.1. Met. apud nos. 15. c. 1.

modis inest omnibus, veluti hoc aliquid, partim quidem forma, partim priuatio; & secundum Quale, hoc quidem album, illud vero nigrum; & secundum Quantum, hoc quidem sursum, illud vero deorsum; vel hoc quidem leue, illud vero graue; quare motus, & mutationis tot species sunt, quot sunt entis. quibus ex verbis in primis clare colligitur, Aristotelem constituere motum in rebus, & non extra res: deinde vero enumerans ea, in quibus reperitur motus, affert Substantiam, Quantum, Quale, & Locum; vt pote ea, quæ vere sint res. Quòd si quid deinde commune de his afferri potest, sicuti ad aliquid, Quando, Situm esse, & Habere, quę communia sunt dictis alijs prædicamétis, vtiq. in his supponit nihil accipi posse rerum, quæ in aliquo prædictorum prædicamentorum non subsistant; aut in substantia, aut in quanto, aut in quali, aut in loco, cum prețer hęc nihil sit, quod vere extra animam existat. Rursus vero cũ Aristoteles diuersas species motus afferat, iuxta quandã inuicem oppositam diuisioné secundum vnumquodq; dictorum quattuor prædicamentorum, tandem etiam concludit, tot esse species motus, quot sũt entis species. At species motus nõ existunt pręter quattuor prædicamenta; igitur hinc colligitur, ꝙ entis quoq; species nõ erunt præter hæc quatuor prędicamenta, videlicet aut substantiam, aut quantum, aut quale, aut vbi, connotantia. Sed aduertendum, quòd dum loquitur Aristoteles de motu, dicens, motum in prædictis prędicamentis reperiri; nõ propterea tollitur, quin motus sit aliquid extra mentem, quo aliud quid significatur diuersum a quattuor prædictis prædicamentis: adeo quòd ex energia, seu ex operatione motus, duo exurgũt reuera prædicamenta, nempe Agere, & pati: primũ quidem quo cõnotatur actio prouenients ab agente: secundum vero, (quod est pati) quo connotatur actio, vt recipitur in patiente; siue postea hæc operatio tendat ad substantiam, vnde motus sortitus est nominationem generationis, & corruptionis, siue ad quantum, Vnde motus augmenti & decrementi; siue ad qualitaté, vnde alteratio nomen obtinuit: siue ad locum, vnde motus localis appellatus est.

Quanuis autem ex dictis prædicamentis nonnulla sint, vt iam ostensum est, quæ in solis animæ nostrę conceptionibus propriam existentiam obtinent, attamen nõ incongrue factum esse censendũ est, quòd vna cum alijs prædicamentis res extra animam significantibus sint annumerata etiam quę extra notionem animę non existunt. Nã si, dum Arist. in lib. Diuinę philosophiæ ens contemplatur, ab eius tractatione notiones secũdas appellatas, vt est genus & species, non remouit neq; ipsas etiam negationes, sed hæc omnia in ea contemplatione cõplexus est, quid ni igitur prędicta prædicamenta, quę in anima existunt, cum alijs prædicamentis res extra animam etiam existentes significantibus, in vna communi supremorum generum notione, & traditione simul connumerari debuerunt? prę̨sertim cum & hęc illis innitatur rebus, quæ extra

animæ quoq. notionem exiſtunt, vnde vna cum illis etiam intelliguntur, ſicuti in præcedentibus explicatum eſt.

Hactenus igitur actum eſt de decem ſupremis generibus rerũ omnium ſeu notionum, eo ſcopo, quem in initio huius operis aperuimus, vt ſcilicet hinc iuxta communem quãdam notitiam erudiremur circa notiones omnes, quæ vocibus ſignificãtibus continẽtur. Et quoniam præſens negociũ ad propriam, & exactam tractationẽ rerum ex propoſito nõ dirigitur, vt fit in lib. Metaph. idcirco, non omnes etiam modi entis hic addu cti fuerunt veluti ſunt priuationes, negationes, quies, punctus, actus, & ſimilia, quoniam hęc admodum remota ſint ab illa craſſa & communi cognitione, quæ tãquam rudimentum tradenda erat in Organo ad adoleſcentium captum, qui ad artium, ſcientiarũq. contemplationem eſſent inſtituendi, iuxta præſcriptam quandam methodum ſciendi.

Illud quoq. eſt animaduertendum, hæc ſuprema decem genera prædicamentorum, ope intellectus a viris ſapiẽtibus inter ſe diſtincta fuiſſe, cum tamen omnia in vno, & eodem ſubiecto ſimul collecta inueniantur. Quemadmodũ eſt facile intelligere, quòd ſocrates (exempli gratia) & eſt ſubſtãtia apta ſuſcipere cõtraria, in eodem quoque exiſtunt magnitudines, quæ ad Quantum pertinet, inſunt & qualitates, quatenus eſt æſtus, vel calidus; Ineſt & relatio quatenus eſt filius Sophroniſci, idẽ agit, dum mouet baculum, & patitur dum frigeſit, in tempore verſatur vti ſunt omnia in tempore, quæ motui ſubiecta ſunt. Idem eſt in loco, vt in foro. Idem in ſitu aliquo manet, dum ſedet, aut ſtat, aut recubuit; ac denique Socrates circa ſe ipſum aliquid habet, vt indutus eſt veſte, aut anulũ habet in digito.

SECTIO VLTIMA

Continens poſt prædicamẽta.

De oppoſitione ſecundum relationem & contrarietatem.

Oppoſita dicũtur quattuor modis, aut ſecũdum relationem, vt duplum, & dimidium, Aut ſecundum contrarietatem, vt bonum eſt contrariũ malo. Aut ſecundum habitum & priuationem, vt cæcitas, & viſio inuicem opponuntur. Aut ſecundum contradictionem, vt affirmatio, & negatio, veluti Socrates ſedet, & Socrates non ſedet contradictorie opponuntur.

Quæcunque autem ad aliquid opponuntur, ea ipſa, quæ ſunt, oppoſitorum dicuntur, aut quomodolibet ad ipſa, ſicuti duplum, quod opponitur dimidio, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur, nẽpe dimidij, cuius duplũ eſt. Sciẽtia autem, quæ opponitur ſcibili id ipſum quod eſt, dicitur ſcibilis ſcientia in generandi caſu, ſcibile autem in ablatiuo refertur ad ſciẽtiam, vt dicatur ſcibile, ſcientia ſcibile.

Adnotationes.

Explicatio oppoſitorum quot modis oppoſita dicantur, admodum cõueniens fuit huic præſenti tractatui prædicamentorum, non ſolum, quoniam de his vocibus *oppoſitum & contrarium*, habita eſt mentio in prædicamentis; verum etiam, quia huiuſmodi cognitio ad omnes ſcientias, in quibus paſſim harum dictionum vſus eſt maxime vtilis eſt: & conſentanea. Et exor

ditur,

ditur Ariſtoteles ſermonem ab illis oppoſitis, quæ minus ſibi inuicem aduerſantur; deinde ad alia ꝓcedit, quæ ſtrictius inuicē opponuntur, prout apparet ex omnium oppoſitorum explicatione. Et relatiua quidem tm̄ abeſt, vt ſibi inuicem aduerſentur tanquam mutuo pugnantia, quinimo horũ vnũ dr̄ eſſe alterius, adeo vt vnum inferat aliud. Dicuntur aũt oppoſita, qm̄ vnum reſpicit aliud, vnum ab vna parte conſiſtens, & aliud ab altera, ita tñ, vt vnum non ſit ſuum oppoſitum, licet ipſius quicquid eſt, dicatur alterius, prout dicit Ariſtoteles, ꝙ ipſa, quæ ſunt, oppoſitorum dicuntur. Ex quo confirmatur id quod conſtitutum eſt in præcedentibus de relatiuis, ꝙ horum eſſe ab aĩa depē deat comprehendente mutuam rerum relationem, ita vt relatiua (ſicuti ſępius dictum eſt) eatenus ſint, quatenus ab anima cognoſcitur res quaſdam adinuicem referri.

De oppoſitione ſecundum contrarietatem.

QVæ vero opponuntur vt cōtraria, nequaquam ea ipſa, quæ ſunt ad ſe inuicem dicũtur, ſed contraria ſibi inuicem dicuntur, vt bonum eſt contrarium malo; non autem dicitur bonum mali bonum; vnde alia eſt hęc oppoſitio contrariorum a prædicta relatiuorum.

Contraria autē nonnulla ſunt huiuſmodi, vt in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prędicãtur, neceſſarium ſit, vt alterum ipſorum illis inſit: vnde horũ nihil eſt medium: quemadmodum oppoſita ſunt ſanitas, & ęgritudo, quarum altera ex neceſſitate ineſt animali: ſicuti & par, & impar numero; adeo vt horum cōtrariorum nullum ſit medium. Aliqua vero ſunt contraria, quorum alterũ non eſt neceſſarium ineſſe ſubiecto; vnde horum eſt mediũ. Quod quidem in aliquibus eſt nominatum, ſicuti albi, & nigri ſunt medij quidam colores, vt fuſcus, pallidus, & huiuſmodi. In aliquibus autem non eſt medium nominatum, vt illud quod eſt medium inter prauum & ſtudioſum; quod quidem per negationem extremorum definitur, pro vt dicuntur ex hominibus aliqui ſtudioſi, & aliqui praui, & alij in medio horum exiſtentes, neq. ſtudioſi, neque praui ſunt.

Adnotationes.

ADnotandum, cum dicat Ariſtoteles, ꝙ bonum eſt contrarium malo, per *malum* inteligendum eſt illud, quod caret ea bonitate, quæ reſidet in eius cōtrario, ſicuti iniuſtus caret ea bonitate, qua pręditus eſt iuſtus. Vnde in lib. 10. Met. reducit Ariſtoteles oĩa contraria ad habitum & priuationē, cum tñ ſint diuerſę oppoſitiones. Adhuc qd̃ dictum eſt, dari medium inter prauum & ſtudioſum, adeo ꝙ ex hominibus quidam ſint neq; praui neq; ſtudioſi, ita eſt intelligēdũ. Quòd, qui virtute præditus eſt, electione quadam ſuas promit operationes; ſimiliter & prauus. At dantur nonnulli, vt pueri, & quidem alij, qui abſq; vlla electione temere, aut affectione ducti vitam agunt, adeo vt neq; praui neq; ſtudioſi ſint proprie dicēdi: quod etiam docet Ariſtot. in Metaph. in tractatu priuationis lib. 11. apud nos 13.

Lib. 10. Met. c. 6.

Lib. 11. Met. apud nos 13. c. 3.

De oppoſitione ſecundum habitum, & priuationem.

PRiuatio autem, & habitus inuicem opponuntur, ita quidē vt circa idem aliquid dicãtur, vt in quo natus eſt fieri habitus, circa idem etiam priuatio contingat. Priuari autem dicitur vnumquodque, quod eſt ſuſceptibile alicuius habitus, tum, cum eo tempore, quo in ipſo debet fieri habitus cuiuſpiam rei ad quam aptum eſt, non exiſtat habitus. Quemadmodum circa oculos tunc contingit priuatio viſus in catulo, cũ tranſacto tempore præfinito ſibi a natura ad proſpiciendũ, non proſpicit, tunc enim cēſendus & dicendus erit catulus cęcus a natiuitate, vel etiam ſi poſtquam viſum obtinuerit, mox hoc habitu priuetur, vel vi, vel ægritudine naturali.

Differt autem habere habitum & priuari habitu, ab habitu, & a

priuatione. Nam habitus, visus est, & priuatio cæcitas, Habere autem visum, nõ est visus, nec cęcum esse, est cæcitas, quæ priuatio quædam est, priuari autem nõ est priuatio. Vnde inter se differunt. Quod etiã ex hoc patet: quoniã, si idem esset cęcitas, & cæcum esse, vtrumque de eodem prædicaretur, quod non contingit. nam homo dicitur quidem cęcus, at non cęcitas. Veruntamen eo modo, quo habitus & priuatio inuicẽ opponuntur, pariter & habere habitum, & priuari habitu inuicem sunt opposita, adeo vt de his idẽ contingat secundum quandam similitudinem, prout etiam de affirmatione & negatione contingit, & de rebus, quæ affirmãtur & negantur. Nam affirmatio, est oratio affirmatiua, & negatio negatiua, at illud, quod affirmatur, vel negatur, nõ est oratio, sed res, cuius tamen est oppositio eo modo, vt est inter affirmationẽ & negationẽ. Nam sedere Socratem, ita opponitur ad non sedere Socratem, sicuti affirmatio dicẽs Socrates sedet, opponitur negationi dicenti Socrates non sedet.

Differt autem priuatio & habitus ab oppositione eorũ, quæ sunt ad aliquid. Siquidem non dicitur habitus id ipsum, quod est oppositi, vt puta non dicitur visus cæcitatis visus, neque cęcitas visionis cęcitas, licet cæcitas dici possit priuatio visionis. At opposita ad aliquid, id ipsum quod sunt, oppositorum esse dicuntur, vt duplum dimidij duplum.

Præterea, quę sunt ad aliquid omnia ad conuertentiam dicuntur, quod non contingit circa habitũ, & priuationem. Nam & si diceretur cæcitas visus cęcitas, attamen non couertitur, vt dicatur visus cæcitatis visus.

Differunt etiam opposita secũdum habitum, & priuationem, ab his, quæ secundum contraria opponuntur. Ab illis quidem contrarijs, quorũ nullum est mediũ, quoniam hæc, in quibus nata sunt fieri, aut de quibus prædicantur, necesse est alterum contrariorũ inesse; sicuti aut sanum, aut ægrũ oportet esse corpus animalis, & numerum similiter aut parẽ, aut imparem. At habitus & priuatio simul abesse possũt a re, circa quã fieri contingunt. quemadmodum canis neq. cæcus, neq. videns dicendus est ante tempus ei pręfinitum a natura ad videndum. Ab illis vero contrarijs differunt habitus & priuatio, in quibus est medium, & contraria, & media possunt esse in his, circa quæ nata sũt esse, quẽadmodũ homo, & albus, & niger, & rufus esse potest. At habitus & priuatio, cum tempus adfuerit conueniens rei ad suscipiendũ habitũ, necesse est, vt vel habitus illi insit, vel priuatio. Si autem contraria accipiantur habentia medium, sed determinata in nonnullis rebus (sicuti in igne caliditas, qui non potest esse frigidus, & in niue frigiditas; quæ non potest esse calida) ab his etiã distinguitur habitus & priuatio: quoniam alterutrum in subiecto eius susceptibili potest inesse; cũ possit canis & cęcus, & videns esse, non tamen eodem tempore, præterea in contrarijs, dum fuerit susceptibile ipsorũ, potest esse inuicem mutatio (loquẽdo de his, quæ non sint determinata ad vnã quandam naturam sicuti in igne calidum) nam corpus animalis, ex sanitate potest mutari in ægritu-

tu-

tudinem; & e conuerſo; & homo ex ſtudioſo fieri poteſt prauus, & ex prauo ſtudioſus; nempe per exercitationes, & doctrinas; quibus, ſi ad modicum aliquid proficiat, vt melior ſit, certe eaſdem exercitationes, proſequendo, aut perfecte mutabitur, aut ſaltẽ multum incrementum accipiet circa mores. At in priuatione, & habitu poteſt quidem fieri mutatio ex habitu in priuationem: veluti, vt qui comatus eſt caluus: fiat a priuatione vero ad habitum impoſſibilis eſt regreſſus; veluti ꝙ quiſpiam iam factus caluus redeat comatus ſecũdum ordinẽ naturę.

Adnotationes.

ADnotandum de contrarijs, quorũ non ſit medium, ita locutum eſſe Ariſtot. *vt in quibus nata ſunt fieri, aut de quibus prædicantur*, forte propter par & impar, quæ de numero prædicantur, de quibus non ꝓprie dici põt, ꝙ ſint nata fieri circa numerũ; ſicuti a natura morbus & ſanitas ſunt qualitates natæ fieri circa animal: non.n. proprie numerus ex rerum natura conſtituitur, ſed a mente humana fuit excogitatus, vt ſentit Ariſt. in lib 14. Metap. apud nos 12. de quo etiam ante habita eſt mentio.

Eſt etiam aduertendum, habitum (de quo hic eſt ſermo) oppoſitum priuationi, non eumdem cẽſendum eſſe cum habitu poſito in ſpecie qualitatis: huic.n. eiuſmodi conditiones ſunt aſſignatæ, vt difficile remoueri poſſit ab eo, cuius eſt habitus. Præterea in dicta ſpecie qualitatis habitus habitui opponitur, tanquam ſint inter ſe contraria; quemadmodum iuſtitia eſt contraria iniuſtitiæ. Præterea non eſt impoſſibile, vt aliquis priuatus virtute, adeo vt ſit prauus, nõ poſſit etiam fieri ſtudioſus, vt dixit hoc loco Ariſt. Sicuti etiam non eſt impoſſibile, vt homo, qui ex aliquo graui accidente alicuius ſcientiæ habitum amiſerit, illam rurſus conſequi non poſſit. At habitus, de quo hic eſt ſermo, eſt eiuſmodi, vt facile ſe moueri poſſit a re cui ineſt: ſicuti facile eſt reddere hominem cęcum, ſi ei oculi eruantur. Præterea hic ſupponitur, rem ex habitu in priuationem poſſe mutari; impoſſibilem vero eſſe regreſſum a priuatione ad habitum: veluti ꝙ quiſpiam effectus cęcus, viſum rurſum recipiat. Et id quidem intelligendum iuxta ordinem naturæ: nõ ꝙ apud Deum omnipotẽtem id ſit impoſſibile, qui naturę; quam creauit, eſt dominus: Vnde legimus in Euangelio, ꝙ ſępe Chriſtus cecos alluminauit. Idcirco cenſendum eſt habitũ, pro ut accipitur in prima ſpecie qualitatis, proprie conſiderari quatenus recipit animæ, vel corporis virtutes ex diſpoſitione quadam acquiſitas. Hic autem accipitur habitus proprie pro forma rei, quæ a natura obtinetur; ſicuti viſus in oculo & auditus in auribus, rectitudo in cruribus, & huiuſmodi: ex quo fit, vt, cum priuatio talis formę adueniat, non ſit amplius locus reuertẽdi ad habitum eiuſdem formę. Et propterea dubitationes huiuſmodi motæ a nonnullis veluti, quòd a ſomno ſit regreſſus ad vigiliam, & a nocte ad diem, ſunt extraneæ a prima conſideratione habitus, & priuationis, vt in hoc loco conſiderantur.

De oppoſitione ſecundum affirmationem & negationem.

OPpoſita vero ſecundũ affirmationem, & negationem ſunt diuerſa ab alijs præcedentibus oppoſitis ex hoc ipſo; ꝙ in ijs ſolis neceſſe eſt alterum oppoſitorum eſſe verum, & alterum falſum; nempe aut Socratem languere, aut Socratem non languere; quod de nulla alia ſpecie oppoſitorum contingit. Non in ijs, quæ ad aliquid; non enim duplũ, aut dimidium, verum dicit vt alterum oppoſitum ſit falſum, ſed neq; in contrarijs, neq. in priuatione & habitu contingit, vt alterum oppoſitorum verum exiſtat, & alterum falſum. Quod debet hinc eſſe manifeſtum; quoniam, quæ ſecundum nullam complexionem dicũtur, in ijs neque verum, neque falſum eſt, vt cõſtitutum eſt ante prædicamẽta in diuiſione vocum incomplexarum, & complexarum. At qui neq; oppoſita ad aliquid, neq. contraria, neq. priuatio, & habitus dicuntur ſecundum complexionem, quare neque verum, neque falſum proprie in ijs eſſe poteſt. Quòd ſi contraria ſecundum cõplexionem prolata, veluti Socratem ſanum eſſe, & Socratem languere, videntur eiuſmodi vt alterum

rum

rum horum ſit verum, & alterum falſum: attamen dicendum, quòd non exiſtēte Socrate, falſum erit vtrumque contrarium prolatum. Quod ſimiliter dicendum de habitu, & priuatione. quoniam non eſt neceſſe Socratē habere viſum, & Socratem eſſe cęcum, ita inuicē opponi, vt alterum ſit verum, & alterum falſum, quoniā non exiſtente ſocrate, vtrumque falſum erit, vel etiam exiſtente Socrate, eo tempore; quo nō eſt aptus habere viſum, adhuc vtrumque oppoſitorum falſum erit; nempe & Socratem habere viſum, & Socratem cęcum eſſe. At oppoſitio ſecundum affirmationem, & negationem & huiuſmodi, vt neceſſe ſtat; de qua ſit ſermo, ſiue nō exiſtit ſemper alteram partē eſſe veram, & alteram falſam, ſiue res exiſtat, vt omnino ſit neceſſarium aut verum dici, dicendo quòd Socrates languet, & falſum dicendo Socrates non languet: aut e contra, hoc verum erit & aliud falſum erit.

Adnotationes.

EX his colligitur illud, quod antea animaduertimus, Ariſtotelem ſermonem ita conſtituiſſe de oppoſitis, vt a latioribus ſignificatis ad arctiora ſemper procedat. Quemadmodū oppoſita ad aliquid ſunt huiuſmodi, vt ſimul inferātur, adeo vt vno exiſtente, ſit & alterum. Contraria vero inuicem ſeſe tollunt: habitus vero, & priuatio arctius adhuc opponuntur, cum non ſit regreſſus a priuatione ad habitum; arctiſſima vero eſt oppoſitio contradictionis inter affirmationem & negationem, qua inuicem omnia tolluntur, adeo vt ſi vna pars ſit vera altera non poſſit eſſe vera; atq; ideo abſolute non exiſtant.

Nonnulla adnotanda circa contraria.

NOn ignorandum autem, ꝙ bono ex neceſſitate malum eſt contrarium, vt languor ſanitati, & iuſtitię iniuſtitiæ. At malo aliquādo bonum eſt contrarium, aliquando etiam malum; vt defectui eſt contraria ſuperabundātia, prodigalitas auaritiæ, quibus etiam vt malis, contraria eſt mediocritas ipſa virtus liberalitatis. Sed hoc in paucis contingit; in pluribus vero ſemper malo eſt contrarium bonum.

Adhuc ſciendum, non eſſe neceſſarium, ꝙ exiſtente vno cōtrariorum, etiam ſit alterum. Nam ſanis omnibus exiſtentibus, ſanitas quidem erit, at non languor. Adhuc cum ſint contraria lāguere Socratem & Socratem eſſe ſanū, & non contingit eidem ſimul vtrūqne ineſſe, hinc ſequitur, ꝙ ſi ſit vnum contrariorum, alterum non erit: vt ſi Socrates ſanus eſt, non oderit eius contrarium ideſt Socrates languet.

Sciendum etiam, contraria nata eſſe fieri circa idem, aut genere, vt languor, & ſanitas in corpore animalis; albedo autem & nigredo ſimpliciter in corpore; aut circa idem ſpecie, vt iuſtitia, & iniuſtitia in anima humana. Adhuc ſciendum eſt, ex neceſſitate omnia contraria aut eſſe in eodem genere, vt album & nigrum in genere coloris: Aut in contrarijs generibus, ſicuti iuſtitia eſt in genere virtutis, iniuſtitia vero in genere vitij: Aut ipſa contraria, erunt genera, vt bonum, & malū, quæ non ſunt in genere, ſed ipſa ſunt quorundam genera.

Adnotationes.

CVm dicat Ariſtoteles, ꝙ bono de neceſſitate malum eſt contrarium, id ita intelligē dum, ꝙ ſi quid eſt contrarium bono, id ipſum eſt malum, non autem ꝙ oībus re-

bus, ſit contrarium malum, cũ nihil ſit contrarium Deo, qui eſt ſummum bonum. Et cum ſubiunxerit, ꝙ malo eſt contrarium, tũ bonum tum malum, id autem in paucis inueniri, in pluribus vero, ipſum bonum eſſe ſolum contrarium malo; aduertendum virtutes morales, quaſdam eſſe mediocritates inter duo extrema vitia exiſtentes; ex quo fit, vt & bonum ſit contrarium malo, nẽpe virtus in medio poſita vtriq; extremo vitio; ſicuti eſt contraria liberalitas auaritiæ & prodigalitati, & malum etiam ſit contrarium malo, vt exceſſus defectui, ſicuti prodigalitas auaritiæ.

Dubit. Lib. 1. Ethic. Solut.

Cum dicat Ariſt. ꝙ bonum & malum nõ ſunt in genere, ſed ipſamet ſunt quædã genera, dubitari poteſt qm̃ in lib. 1. Ethic. habetur, ꝙ bonum eſt in omnibus prædicamẽtis: Vnde hac rõne videretur, ꝙ neq; bonũ eſſet genus, neq; in vno genere comprehenderetur. Ad hoc dici põt, ꝙ bonum, quatenus concernit quandam qualitatem, ita eſt ſub prædicamento qualitatis, quæ circa oĩa prædicamenta eſſe poteſt, vt dicitur loco citato lib. 1. Eth. Ad hęc accipiendo bonum & malum, vt ſunt contraria, hac rõne non videntur in vno genere poſſe cõuenire; ſed ipſa erunt genera quorundam, vt dicit hoc loco Ariſtoteles, vt aliud ſit genus bonorũ, & aliud malorum genus.

Quot modis prius dicatur.

PRius dicitur quattuor modis. Primo & maxime proprie ſecundum tempus, vnde dicitur aliquid antiquius, quoniam diuturnius tempus pręteritum in ipſo connotatur, qua ratione dicitur, quòd fuit prius imperiũ Perſarum quàm Romanorum.

Secũdo dicitur prius, a quo nõ conuertitur ſubſiſtendi conſequẽtia: quemadmodũ vnũ eſt prius duobus; ſiquidẽ ſi ſint duo oportet etiam vnum eſſe; at nõ e conuerſo, ſi eſt vnum, neceſſe eſt vt ſint duo.

Tertio dicitur prius ſecundum ordinem, vt priora ſunt elementa ſyllabis, & proęmium narratione.

Ad hæc etiam dicitur prius id, quod eſt melius, & honorabilius: nam quod eſt huiuſmodi, prius natura eſſe videtur.

Sed & nonnulli priores nuncupant illos, qui magis honorantur, & diliguntur: qui tamen modus eſt admodum alienus a pręcedentibus.

Sed præter cõnumeratos modos, videtur & hic alius addi poſſe penes ea, quę ad inuicem conuertuntur, ſed vnum eſt cauſa alterius: id .n. conuenienter, prius natura dici poteſt eo, cuius eſt cauſa: quemadmodum dicemus, rem, de qua ſit ſermo, priorem eſſe oratione, licet inuicem conuertantur: quoniam ad hominis exiſtentiam ſequitur, ꝙ ſi homo eſt, vera quoq; eſt oratio, qua dicim⁹, ꝙ homo eſt, & conuertitur, ꝙ ſi vera eſt oratio, etiam homo eſt. Verũtamen, quoniã res eſt cauſa, ꝙ vera ſit oratio, & non e conuerſo, oratio vera, in cauſa eſt, quòd res ſit. Idcirco, rem priorem eſſe oratione dicendum eſt, cum res ſit cauſa, vt ſit vera oratio.

Adnotationes.

lib. 5. Meta.

ADnotandum autem in lib. 5. Metaph. agi ſimul de ſignificatis ipſius prius & poſterius multo exactius, quam hoc loco; ibiq; ſtatui præcipuum modum (quo etiam Plato vſus eſt) eſſe illum, vbi aliquid ſit, a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequẽtia; ad quem etiam omnes alios modos reduci ibi docetur. Non aũt adnumeratur, ſicuti factum eſt hoc loco, modus prioris in his, quæ inuicem conuertuntur, & vnum eſt cauſa alterius.

Aduertendum etiam in quarto ſignificato prioris, hic poſitum eſſe id, quod eſt melius, & honorabilius ſecundum naturam, & reſpondet ſignificato dicto in lib. 5. Metap. ſecundum potentiam, & dignitatem prius: Vnde, cum ſubiungit hoc loco Ariſt. ꝙ hic modus eſt pene alieniſſimus ab alijs ipſius prioris ſignificatis, huc tẽdit, vt remoueat, tamquam non proprium ſignificatũ prioris illud, quo aliqui apud nonnullos, pręalijs magis diligantur & honorentur, quod quidem non eſt ſimpliciter ſecundum naturã, ſed ad placitum hominum.

De Significatis ipſius Simul.

SImul autem tribus modis dicitur. Primo ſecundum tẽpus (& eſt

(& eſt ſignificatũ ſimpliciter, & proprijſſime dictum) prout ſunt ea ſimul, quorum generatio eſt in eodem tempore.

Secundo dicuntur ſimul natura, quæ inuicem conuertuntur, & vnum non eſt cauſa alterius, vt duplum, & dimidium.

Tertio dicuntur etiã ſimul natura, quæ ſub eodem genere exiſtentia e diuerſo ad inuicem diſtinguuntur; ſicuti volatile, aquatile, greſſibile in eodem ordine ſimul reperiuntur ſub animali, adeo quòd vnum horum non eſt prius alijs in diuiſione, ſed ad omnia hæc ęque diuiditur animal. Quòd ſi diuideretur in aquatile, volatile, & rationale, nõ eſſet rationale, ſimul in eodem ordine diuiſionis cum volatile, & aquatili, cum prius ſit greſſibile, quàm rationale, in quod animal diuiditur, ſicuti & in irrationale. Greſſibile autem ſub animali eſt ſimul ordine cum volatili & aquatili, vt dictum eſt. Vnde cum ijs rationale non erit ſimul ordine naturę, ſed erit poſterius ab ipſis.

Adnotationes.

ADnotandum in prædicamento relatiuorum de his vocibus, nempe *prius*, & *ſimul* habitam eſſe mentionem, dum quæreretur, num relatiua eſſent ſimul natura, & dicebatur, ſcibile eſſe prius quàm ſcientia. Verum explicatio harum vocum, quoniam admodum vtilis exiſtat ad omnes ſciẽtias & facultates, conuenienter etiam ad organi expletam traditionem erat afferenda.

Quęritur autem a nõnullis, nũ ipſi prius opponantur ſimul, Nam videtur non opponi, tum, quoniã priori opponitur poſterius, tum etiã quoniam quinq. ſignificata prioris ſunt allata; ipſius autem ſimul tantum tria. Verum dicendum eſt, ſimul opponi tum ipſi priori, tum etiam poſteriori; ſicuti ęquale, & maiori & minori opponitur. & ſicut illud, quod neque prauum eſt, neque ſtudioſum, conſtitutum eſt antea opponi tũ prano, tum ſtudioſo: ſignificatũ autẽ ipſius ſimul ſecundo loco allatum, (& eſt huiuſmodi, quòd ſimul ſint ea, quę inuicem conuertuntur, & vnum non eſt cauſa alterius) in priori parte opponitur ſignificato prioris, vbi vnum non conuertitur ad ſubſiſtentiã alterius; in altera vero parte, quatenus ſimul intelliguntur eſſe ea quorum vnum nõ eſt cauſa alterius, opponitur ſignificato prioris, vbi vnum eſt cauſa alterius, licet inuicem conuertantur.

Adnotandum etiam ſignificatum, quo dicuntur res ſimul tempore, appellari ab Ariſtotele ſimpliciter, & proprijſſime ſignificatum, vti illud, in quo maxime apparent ea, quæ ſint ſimul; ſicuti & prius tẽpore proprijſſimam ſignificationem prioris. Prę alijs omnibus ſibi vendicat.

De motu.

IPſius autem motus ſpecies ſunt ſex; videlicet generatio, corruptio, augmẽtum, decrementum, alteratio, & ſecũdum locum mutatio.

Eſt autem generatio, quando fit id, quod non eſt: corruptio vero, cum id quod eſt, deſinit eſſe.

Augmentum autem eſt acquiſitio quantitatis proprie in viuentibus; & diminutio eſt ammiſſio iam habitę quantitatis.

Alteratio vero eſt mutatio ſecundum aliquam qualitatem; veluti eſt aquę calefactio. Motus autem ſecũdum locum eſt, vt fieri ſurſum, aut deorſum cum mutatione loci prioris; & hæ omnes ſpecies motus manifeſte ſunt inter ſe diſtinctę, licet nõ ita perſpicuum ſit de alteratione. Verũ ꝙ & hęc ſpecies motus ſit diuerſa ab alijs enumeratis, hinc conijcitur, quòd multæ mutationes fiunt ſecundum paſſiones, prout calefieri, frigefieri, dealbari, & ſimilia abſque aliarum ſpecierum motus interuentu. Alioquin, ſi alteratio nõ eſſet alia ſpecies motus diuerſa a prędictis, oporteret, quòd qñ aliquid alteratur, ſimul etiam augeretur, vel ſecundum alium modum motus mutaretur, quod non fit. Nec nõ & quod augetur, alterari etiam oporteret, quod eſt fal

ſum; vt apparet, inter cętera, de quadrato; qđ quidem circumpoſito ad ipſum gnomone, creuit q. dẽ, ſed abſq; vlla tñ alteratione. Vnde alteratio erit ſpecies motus ſeiuncta, & diuerſa ab alijs enumeratis ſpeciebus.

Eſt aũt ſimpliciter, ſeu cõiter & in genere, quies contraria motui, tamquam quædã priuatio oppoſita habitui. In particulari aũt generationi cõtraria eſt corruptio; augmento diminutio, & motui ſcđm locum quies, quæ eſt ſcđm locũ; aut motui ſurſum motus, qui eſt deorſum. Alterationi aũt in genere non eſt facile dicere, quid ſit contrarium, niſi dicatur, quòd motui alterationis eſt cõtraria quies; aut alterationi ſcđm vnam qualitatem eſt cõtraria alteratio facta ſecundum contrariam qualitatẽ: veluti dicemus, calefactioni contrariam eſſe frigefactionem.

Adnotationes.

ADnotandum in prædicamentis mẽtionem habitam fuiſſe de motu, præſertim in tractatu quantitatis; vbi dictum eſt, motum eſſe quantum per accidens: ideo cõueniens fuit agere de motu, & eius ſpecies exponere, quarum in omnibus facultatibus mentio contingit: quemadmodum, & hæc inferiora, quæ apud nos ſunt, omnia in motu verſantur. Vnde in organo hæc explicare admodum opportunum fuit, ſimplici tñ, vti factũ eſt, dilucidatione; quæ ſatis eſſet, tamquam rudimentum quoddam ad ingenia iuuenum de ijs informãda; cum deinde cognitio exacta de motu ex Philoſophia naturali ſit petenda.

De varijs ſignificationibus ipſius Prædicamenti Habere.

HAbere aũt multifariam accipitur. Vno.n.modo dr̃ habere habitum & diſpoſitionẽ, aut aliam aliquam qualitatẽ, veluti habere ſcientiam, aut virtutem moralem. Secundo modo dr̃ habere quantũ, vtputa tricubitã magnitudinẽ. Tertio habere ea, quæ circa corpus ſunt, vt veſtimentũ. Quarto habere in parte, vt in manu anulum. Quinto habere partẽ vt manum. Sexto vt in vaſe, quẽadmodum dr̃, quòd amphora habet vinum. Septimo habere poſſeſſionem, vel domum, vel agrũ. Dr̃ autem & vir vxorem habere, & vxor virum, qui tñ modus lõgiſſime abeſt a ſignificato proprio ipſius habere, cũ dicendo, quòd vir habet vxorem, id tm̃ ſignificatur, quod vir & vxor cohabitãt. Et hi quidẽ modi ipſius habere ferme ſunt omnes, qui dici conuenerũt.

Adnotationes.

ADnotandum prædicamentum; Habere admodum commune eſſe inter omnia prædicamenta. Cum tamen in communi notione, iuxta Logicalem conſiderationẽ omnes modi inuicem conuenire dici poſſint; quatenus, *habere*, ab ipſo habitu denominatur; vt hinc deſumatur communis notio cõueniens omnibus ipſius habere modis, ita quidem, vt *habere*, ſit genus quoddam vniuocum, & non æquiuocum dictum de omnibus modis ſub ipſo contentis, iuxta communem habendi notionem ab habitu deriuantem.

Finis libri Prædicamentorum.

NON

NON DARI VNDECIMVM PRAEDICAMENTVM,

Vt nonnulli ex Scoti ſectatoribus aſſeruerunt.

CVm aũt Scoti ſectatores tãquam ex eius doctrina haurientes, ad decem prædicamenta, & vnum aliud addi debere contendant, id quæ foro ſecũdarum intentionum genere recenſent, idcirco paucis percurrenda ſunt horum fundamenta, quibus ad hoc nouem figmentũ aſtruendum innixi ſunt,& quàm facile diſſoluãtur, ſimul etiam aperiendum eſt. Hi igitur ſupponũt in lib.6.Metap. contextu 8.diuidi ab Ariſtotele vniuerſum ens in reale (vt ipſorum vocibus vtamur) & ens rationis: quod deinde ex proprio ipſorũ placito partiuntur in negationes, priuationes, & ſecundas intentiones. Rurſus ſubdunt,in loco citato diuidi ens reale in ſubſtantiam & accidens; quod ſecatur in nouem prædicamenta, accidentia nuncupata; quibus addita ſubſtantia,ita decem euadũt Prædicamentorum genera. Ijdem poſtea ſeiungentes a ſecundis intentionibus negationes & priuationes, ſtatuunt negationes (quas ſupponunt eatenus ens rationis dici, quatenus ſunt obiecta, circa quæ intellectus negociatur) excludi penitus ab ordine Prædicamentorum,propterea quòd nullam habeant entitatem. Priuationes vero,cum nullum poſitiuum ex ſuo formali ſignificato connotent, nec ipſas ſub aliquo prædicamẽto directe poni aiunt; reduci aũt poſſe ad ea prædicamenta conſentiunt, in quibus earum formæ poſitiuæ continentur. Mox de ſecũdis intentionibus ita differunt. Cum hę non ſint aliud(inquiũt) quàm relationis rationis, quæ non mouent intellectum ad earum conſiderationem, ſed ad eas conſiderandas intellectus mouetur a re ad extra, nempe ab ipſarum fundamento,hinc deducere id moliuntur, quòd cum ſecũdæ intentiones nullum habeant ens reale, ſed tantum fundamentaliter quatenus fundantur in eſſe reali, cũ ſint originaliter (ita loquuntur) occaſionaliter & materialiter a ꝓprietate reperta in re, effectiue verò ab intellectu, vti docere dicũt Scotum in 4. ſententiarum D.1.q.2. ideo ſtatuendum aiunt, eas in nullo ex decem prædicamentis cadere, cum prædicamenta ens reale complectantur, a quo ſecundæ intentiones in ſola mente reſidentes ſunt ſeiũctæ. Conſequenter inferũt, fingendum eſſe vndecimum Prędicamentum,quod ſit coordinatio omniũ entium

rationis: sub quo in primo gradu constituũt genus generalissimũ; in secũdo genus; in tertio genus subalternum; in quarto speciem specialissimam; in quinto indiuiduum; in sexto differentias.&c. Vt hinc concludant, intẽtiones secũdas esse in omni prædicamento reali denominatiue, in nullo autem quidditatiue, nisi in vndecimo. Nam in prædicamento relationis, de quo vna cum alijs prædictis generibus agitur in libro Prædicamentorum, supponũt solas reales relationes continui: & ideo ab ipso quoq; excludi omnino secundas intentiones autumant.

Atqui hoc dogma quàm sit vanum & erroneum, ex dicendis facile (vt opinor) dignosci poterit. Etenim si diuisio, seu significatio entis attẽdatur, quæ tradita est ab Arist. in lib. 6. Met. loco a Scotistis citato: vtiq; in ijs modis vniuersa concluditur; vt ens tũ secũdum accidens dicatur, tũ pro vero: vti & falsum pro non ente accipitur; tum secũdum figuras Prædicamentorum; tum deniq; sc'dm actum & potentiam: Quibus quidem significatis nulla de ente rationis mentio facta apparet: nisi dicere velimus, hoc ipsum sub eo membro & significato diuisionis esse comprehensa, quo verum pro ente, falsum autem pro non ente accipi dictum est. Atqui hoc ita constituto, deducitur manifeste, in huiusmodi entis significato ex necessitate comprehendi omne verũ, quod quidem non nisi in mente subsistit. Consequenter, cũ in mente non solũ contineatur verum, quod pertinet ad secũdas notiones, illud sed etiam & multo magis, quod spectat ad primas; propterea quid nã inquient Scotistæ, si interrogentur, nũ primæ notiones extra prædicamẽta sint ponendæ? Quandoquidem quin & primæ notiones ad ens rationis pertineant, cũ in sola mente subsistant; nemo inficiari potest. Neq; refert, ꝙ in ordine hęc sint primę, aliæ vero sint secũdæ notiones; cum omnes in eadem mentis nostræ natura sint subsistentes. Verum nos ab hac difficultate facile euadimus, si, qđ verissimum est, in significato illo entis (quod pro vero accipitur, sicuti & falsum pro non ente) affirmabimus passionem quandam menti contingentem denotari, quatenus ab ipsa, aut verum, aut falsum comprehenditur. Id docet manifeste Arist. in lib. 6. Metaph. prope finem, nec nõ in calce libri 9. eiusdem primæ Philosophiæ: vbi non solum considerat verum & falsum, vt cadũt in compositione & diuisione notionum iuxta modos affirmandi & negandi: verum etiam penes simplicium apprehensionem, dũ constituit, quodam modo veritatem gigni in mente nostra, si, vt se habẽt res, ita earum percipiantur quidditates: Falsitatem autem, si ab intellectu non attingantur. Ac propterea in fine libri 6. Met. reijcit a scopo primæ Philosophiæ tum consideratione entis per accidens, propterea ꝙ a causis determinatis deficiat, per quas scientia cõ-

pa-

paratur: tum etiam ſpeculationem entis ſumpti pro vero; cũ ſit ſatis ens extra intellectum contemplari iuxta omnia prædicamenta; & ſecũdum potentiam & actũ, ad quæ referũtur quæcunq; in mente ſubſiſtũt, veritatem aut falſitatem denotantia. Ex quo dicto colligitur, notiones in mente exiſtentes, vt ſunt rerum typi & notæ, ita ad prædicaměta reduci, in quibus res extra intellectum acceptæ continentur. Quod etiam perſpicuum eſt ex traditis in lib. 3. de anima penes facultatem intellectiuam: dum ibi dictum eſt, ꝙ ſcientia, necnõ ſpecies intelligibiles exiſtentes in intellectu, ſunt idem cum rebus intelligendis. Vnde non extra prędicamenta erunt notiones intellectiuæ, ſiue ſint primę, ſiue ſint ſecundæ; cum hac tamen diſtinctione, vt primæ notiones abſolutam eſſentiam denotent; ſecundæ vero notiones (pro ut explicatius oſtenſum eſt antea in noſtris prefationibus) omnes ad prædicamentũ relationis reducuntur: vtpote illæ notiones. quæ quadam cum relatione comprehendũtur, & explicantur. Sicuti hũc in modum ſe habent generis ſpecies, differentiæ, proprij, & accidentis conceptiones. Quemadmodum & apud Grammaticos ſunt notæ illæ verborum actiuorum, paſsiuorum, neutrorum, deponentium, & alia eiuſmodi, quæ omnia, non niſi quadam habitudine, ſeu relatione vnius ad aliud a mente noſtra cõſiderari poſſent. Vniuerſum autě genus relatiuorum iam antea pluribus rationibus ſtatuimus, ſiue ſint relatiua ſecundum exceſſum & defectum, quale eſt duplum dimidio comparatum; ſiue ſecũdum actiuum & paſsiuũ, prout ſe habet pater ad filium; ſiue ſecundum menſuram & menſurabile, qualis eſt ſcientia ad ſcibile relata, & ſenſus ad ſenſibile cõparatus. Neq; vero refert, ꝙ aliqua ſint relatiua, quorũ notiones de alijs relatiuis prędicentur, quěadmodũ dicimus genus generaliſsimũ de relatiuis ſcd̃m cõmuniſsimam notioně prędicari, quatenus oĩa relatiua in hoc conueniũt, vt cuiuſcunq; relatiui eſſe in hoc ſit poſitũ, vt ad aliud ſe habeat ſicuti pater ad filiũ, & ita de oĩbus alijs, q̃bus cõpetit ipſum genus cõem concernens relationě. Similiter relatiuorũ dicemus eſſe ſpěs, tũ ſubalternas, tũ ſpecialiſſimas relatiuorũ; & cõſequenter differentias & alia eiuſmodi eorũdem eſſe, quæ concernũt ſecũdas intětiones; vt oĩno, & hę ſecũdæ intentiones ſeu notiones ad genus relatiuorũ, vti ſpěs ad genus ſe habent: cũ & in his certa quędã relatio inueniatur, vt ita, ob typos ab intellectu humano adinuětos, & cõſtitutos, mutuo hęc inuicě intelligantur. Ideo concludendũ decě tm̃ eſſe ſuprema genera prędicamentorũ, quæ ab Ariſt. & in Organo, & in prima Philoſophia ſuppoſita & explicata fuerũt; vt quæ pro vndecimo Prædicamento notiones conſtitutę ſunt a Scoti ſectatoribus, hę omnes ad Prędicamentum Relatiuorum reuocentur.

APOLOGIA IN ANTONIVM MIRANDVLANVM.

Circa librum Prædicamentorum Aristotelis.

IAm vero, post transactam Prædicamentorum interpretationem, examinandam duximus diuulgatam eius viri opinionem, qui librum hunc Prędicamentorum, tanquam ad Logicum negocium nō spectantem, ab Organo excludendum aggressus est probare: quod tñ antiquitas in dubiū numquàm reuocauit, nullus aut ex Gręcis, aut ex Arabibus, aut ex Latinis Aristotelis interpretibus: Vnus autem ætatis nostræ vir, qui paucis ante annis vita functus est, hoc magnificauit paradoxum, a nonnullis, qui dicuntur nominales, prius excitatum, Antonius Bernardus Mirandulanus. Is quippe (vt testatur impressus eius hac de re commentarius) reclamante ex aduerso vniuersa Philosophorum schola contendit, necnon & demonstrare sibi persuadet, librum Prædicamentorum inter Logicæ partes non esse adnumerandum, sed opus Metaphysicū esse, & de Metaphysica quodammodo extractum, ac post Logicam reponendum ante Philosophiam naturalem; vtpote eum librum, in quo quæ traduntur, adhibeat in suis speculationibus Philosophus naturalis.

Ad hanc vero suam astruendam opinionem, quæ attulerit, vt summatim perstringam, hæc ferme sunt.

In primis.n. hoc fecit sibi fundamentum, ꝙ Logicæ subiectum sit modus cognoscendi, non sciendi; idque, vt simul complecteretur, tū notitiam dialecticam, qua opinando cognoscimus, tum scientiā demonstratiuam, cui sicuti, & dialecticæ, aptatur nomen cognitionis. Subiectum aūt eius modi; si nō explicite, saltem implicite, supponit posse definiri ex definitionibus suarum specierum, statuésq; in oratione situm esse hunc cognoscendi modum, hinc ipsum, & Logicam ab ipsa oratione, (Gręce λόγος dictam) quæ est principalis huius materia, inscribi asserit, & hunc in modum Logicam posse definiri. *Logica est*, inqt, *quæ orationē, qua ignota, vel opinādo, vel sciēdo cōsequimur docet principaliter cōstituere, cōstitutāq; iudicare.* Et hæc quidem constituit Mirandulanus, tanquam deinde ostēsurus, ꝙ ex hac Logicæ definitione excludantur prædicamenta, & quòd consequenter ad Logicum negocium non attineant, vtpote, quæ sub Logicæ definitionem non comprehendantur. Ad hæc idem auctor tractationi insistens Prædicamentorum, quam traditam habemus ab Aristot. asserit eius generis esse hanc doctrinam, vt substantiæ, & cæ-

ceterorum

terorum prædicamentorum, quatenus talia sunt, & specierum eorũ, quatenus ipsis generibus continentur, natura & affectus, quoad eius fieri potuit, declarentur; hinc inferens prædicamenta, vt sunt talia, & vt entis sunt species, in hoc libro considerari & explicari. Quod & fieri ab Arist. debuisse hoc fundaměto cõfirmare nititur; qm̃ alioquin, inquit, mancus deprehenderetur Arist. nisi in prædicamentis, & de substantia, vt est substantia, & de alijs prędicamentis scd̃m se egisset, & eorum affectiones ostendisset, cũ nuspiam alibi hanc rem perfecte tractarit. Nam in lib. 5. Met. tantummodo, ait, distinxisse nomina dicta multipliciter; non aũt explicasse vel eo libro, vel alibi essentiam horum generum, aut ipsorum proprietates: quòd solum absoluisse Aristotelem in hoc libro Prędicamětorum contendit Mirandulanus. Vnde concludit, hanc Prędicamětorum tractationem pertinere ad eam facultatem, quæ entis naturam, vt est ens, contemplatur, & hęc est Metaphysica. Et id quidem colligere sibi persuadet ex dictis ipsiusmet Aristotelis, in libro 4 Metaph. dum inquit,

lib. 4. Meta. cap. 2. *Quapropter & eius quod est, vt est ens, quacunque sunt species, vnius est scientiæ genere, & specierum species contemplari.*

Alex. Quod & ex Alexandri sententia confirmat, qui in explicatione dictorum verborum Comment. 6. ita habet. *Quibus verbis aperitur, diuisionem entis in decem genera, quam fecit in prædicamentis, ad primam spectare Philosophiam.* Postremo supponens Mirandulanus, ꝙ quæ ad vniuersam Logicam attinent pro inueniendis seu constituendis instrumentis, veluti definitione, demonstratione, & alijs, quibus cognitio acquiritur, hæc omnia numeris omnibus absoluantur, sumpto initio a libro Perihermenias seorsum a prædicamentis; ideo & hinc quoq; statuit supersedendum esse a prædicamentis, tanquam non necessarijs ad Logicæ explicationem. Assumptũ vero cõfirmare sibi persuadet, dum afferens Propositiones, Cõclusiones, Definitiones, & Probationes, quæ in singulis Logicę partibus astruuntur, vel in libro Perihermenias, vel in Prioribus, vel in Posterioribus Analyticis, vel in Topicis, vel in Elenchis, horũ tractatu docet hæc omnia seorsum a prædicaměcis explicari illis terminis, qui cadunt extra prędicamenta; & sunt communes entis affectus: Veluti, Genus, Species, Causa, Principium; item definitiones nominis, Verbi, Orationis, Syllogismi, & Demonstrationis; necnõ, & regularum omnium Logicalium vniuersæ probationes. Et hæc quidẽ pręcipua sunt fundamenta, quibus vir istę innititur ad hanc nouam eius sententiam astruendam de prædicamentis, quòd non sint opus Logicum, sed Metaph. excerptum aut ex prima Philosophia; quod deinde post Logicam reponendum ante Philosophiam naturalem idcirco adiudicauit, propterea quòd deseruiat Philosophię de natura. Siquidem in ea traditur vniuersalis cognitio generũ, quibus continentur species entis naturalis, vt homo, ignis & alia, quæ cum sint substãtia, & quãtitatem habeant, & qualitates, & aliorum participent prędicamentorum, ideo Philosophus naturalis, hæc explicaturus, necessario

ſario debet habere notitiam Prædicamentorum ad exactam rerum naturalium contemplationem. Alioquin, niſi hæc cognoſci & tradi ſimpliciter a naturali oportuiſſet, tractatum hunc Prædicamentorum in Metaph. ait, fuiſſe collocandum; Et vt ipſe ſentit, in libro 7. poſt verba in initio libri poſita, quæ ſunt hæc. *Ens multipliciter dicitur queadmodũ in his, quæ de quoties prius deuiſimus: ſignificat. n. aliud quidẽ quid eſt, et qđ quid, aliud vero quod quale, aut quãtũ, aut ſingula aliorum, quæ ita prædicatur.* Poſt hanc. n contextus orationem ſupponit Mirandulanus tractatũ Prædicamentorum, quo ad eorum naturam & affectiones collocandum fuiſſe: ac deinceps poſt Prædicamentorum explicationem ſubſecutura verba illa, quæ in eodem lib. 7. conſequenter ſe habent ad ea, quæ præſcripta ſunt, hęc nempe. *Cũ aũt ens toties dicatur, patet primo modo ens eſſe ipſum quid eſt, quodq; ſubſtantiã ſignificat,* & reliqua quæ ſequuntur, adeo ꝙ, ſcđm huius viri ſententiam, prędicamenta collocanda forent media inter hunc & pręcedentem prędicti libri 7. Metaph. contextum; niſi ea oportuiſſet præmittere Philoſophiæ naturali ad eius manifeſtationem, vti prędictum eſt.

Idem etiam non admittens vulgatam illam & receptam in ſcholis ſententiam, quòd Logica ſit de ſecundis intentionibus, vt dicunt, ad hunc ſenſum, quatenus ſupponuntur eſſe conſiderationes & notiones quædam in anima penes ea, quæ in rerum natura non inueniantur, hanc etiam impugnare aggreſſus eſt doctrinam Mirandulanus, exiſtimans ſeſe deuiciſſe per hanc, quam inducit argumentationem. Neq; .n. inquit, ſecundæ intentiones primis intentionibus, quæ vere rerum ſimilitudines repræſentant, adiungi poſſunt, ſi nihil continẽt ex parte rerum; neq; de ipſis ſolis ſecundis poteſt eſſe conſideratio, qm̃ de re inani ac futili exiſtunt: Vnde deducit, Logicam de ſecundis Intentionibus eſſe non poſſe: niſi, inquit, ſecundæ intentiones dicantur eſſe accidentia, quæ accedunt circa exiſtentiam rei: & eiuſmodi vult eſſe, genus, ſpeciem, & alia communia, quæ proprie appellari debere ait affectus entis, quatenus eſt ens, & in hoc ſenſu admittit Logicam eſſe de ſecundis Intentionibus: non quidem ſimpliciter & abſolute, ſed quatenus rationibus oppoſitis docentur ex parte conſtitui. Verum & magis ſuam aperiens ſententiam, inquit, Vniuerſalia non fieri abſtractione, quam anima conficiat circa ſimilitudines, quę ſunt in pluribus rebus: ſed ex prima apprehenſione notiones rerum conſiſtere in anima. Siquidem lapidis ſimilitudo (vt ait) non fit in anima; & hæc ſimilitudo eſt plurium ſingularium, & cõſequenter eſt vniuerſalis. Vnde in eodem temporis momento, quo concipiuntur in anima rerum ſimilitudines, vult eaſdem eſſe vniuerſales ſine vlla collatione, quæ ſit facta in anima inter res ipſas.

Hęc itaq; ſunt, quæ ex huius viri commentarijs excerpimus, quæ qm̃ longiſſime abeſſe a veritate exiſtimamus, ſicuti & præter cõmunem ſunt Philoſophantium ſententiam, propterea examinanda ſuſcepimus; cum tamen & alia multa ipſe permiſcuerit, & tradiderit

in

in Apolog. suis libris, quos edidit pro vellendis oppositionibus, quas viri doctiss. & insignes Philosophi aduersus eius opinione͂ intulerũt.

Vnde exordium sumentes ab ea prima & potissima argumentatione, quam depromit ex definitione Logicę, quã suo modo astruit, vt hinc abea excludens Prædicamenta, consequenter inferret ad Logicum negocium ipsa non attinere, hanc eius definitionem primo exanimabimus quæ est huiusmodi: *Logica est ars, qua orationem, qua ignota, vel opinando, vel sciendo consequimur; docet principaliter constituere, constitutamq́; iudicare.* Vnde illud in primis animaduertendum, ex libro 2. Metaph. desumptũ esse, quòd Logica modus sciendi dicatur: Ibi .n. increpans Arist. antiquos, qui sciẽtias aggrederentur neglecta eruditione, qua instruimur ad scientias recte riteq; capescendas, subintulit, *simul non esse quærendã scientiam, & modum sciendi*; Quo Organum insinuatur, cum modus sciendi in eo explicetur; quod fit proprie, atq; pręcipue in libris Analyticis: cum deinde, in alia parte Organi, Dialectica versetur circa opinabilia; ita quidem, vt scientia demonstratiua explicata in Analyticis ipsa, & Dialectica eo inter se interuallo disterminentur, vt in vnam communem rationem proprie coire non possit. Neq; vero quidpiam refert, quòd Dialectica (vt habetur in lib. 1. Topic.) sit vtilis ad scientias scd̃m Philosophiam, & (vt dr̃ ibidem) ad confirmanda quodam modo principia scientiarum, quæ non demonstrantur: quasi hinc propterea, sint deducendum, Dialecticam, & modum sciendi demonstratiuum in vnam communem ratione͂ proprie conuenire. Nam rõnes Topicæ per probabilia deductæ tanquam quoddam adminiculum accedunt ad scientias; cum tñ & aliunde media inductione principia scientiarũ proprie innotescant, vt docet Arist in calce lib. 2. Post. Analyt. Modus aũt sciendi demonstratiuus, & Dialectica probatio, magno; vt dictum est, distant inter se interuallo. Neq; etiam interest, quòd tractatio syllogismus & orationis enũciatiuæ æque conueniat Dialecticæ & scientię demõstratiuæ, vt hinc argui possit, quòd in vna communi Logicæ definitione absolute cõcordent. Nam, licet assumptũ non inficiamur, quòd etiam facultati Dialecticæ conferant speculationes habitæ de oratione, & de syllogismo quę tñ ad demonstrationem vti præcipuum Organi partem, primo, atq; potissimum diriguntur) attamen consequentiam hanc non admittimus, vt propterea facultatis Dialecticæ & Methodi sciẽdi vna communis definitio pro vniuerso ipsorum genere sit assignanda. Alioquin etiam Elenchorum, falsarum .s. captionum traditio cũ dictis duabus partibus in vna communi definitione conueniret: qñ & syllogismus sophisticus, de quo in lib. Elenc. syllogismi, & orationis notitiam præsupponat: quod tñ dicere valde absurdum est. Quapropter, licet concedamus, sub Organo & modum sciendi contineri; & dialecticam facultatem, & sophisticæ itidem, seu captiosæ argumentationis considerationes, & hæc omnia sub Logicæ etiam noĩe cõprehendi; attame͂ dicimus, eatenus in hoc noĩe Logicę cõuere,

Libro 2. Met. c. 3.

lib. 1. Top. c. 2.

lib. 2. post. Analyt. c. 4

nire, in quantum harum trium partium contemplationes in Organo continentur, & sub typo sermonis explicantur, discriminatim tamẽ singulæ quæq; partes. Non aũt assentiendum, quòd vna cõis de ipsis tradi possit definitio. Nam, quemadmodum Philosophiæ nomen in genere acceptum, etsi sit commune contemplatrici, & actiuæ, attamen non vna cõis vtriq; Philosophiæ definitio proprie assignatur; quia neq; naturalis Philosophiæ, & Arithmeticę, & Geometriæ, quæ sunt oẽs scientiæ contemplatiuæ, vna est definitio. Ita quoq; de Organo est asserendum; eius quidem nomine comprehendi, tum modo sciendi demonstratiuũ, tum dialecticam facultatem, tum sophysticarum argumẽtationum considerationem; quæ tamen in vna cõmuni ratione non conueniunt, sed harum oium partium distinctæ, & diuersæ habentur definitiones: cum aliter modus sciendi definiatur, aliter facultas Dialectica, & aliter Sophistica argumẽtatio: quẽadmodum etiam alia est definitio sciẽtiæ naturalis, alia Geometriæ, & alia Arithmeticæ. Et sicuti hæ scientiæ in vna cõi ratione conueniunt quoad quędam principia communia, de quibus agitur in scientia superiori, quę est communis ijs alijs inferioribus scientijs, ipsa nempe Metaphysica. Ita propemodum prædictæ Organi partes conueniunt in syllogismi, & orationis, & Prædicamentorum contẽplatione, vt pro his oibus (licet præcipue pro demonstratiua sciẽtia) huiusmodi doctrina pręsupponatur, atq; tradatur. Ex ijs deducitur ruere communem a Mirandulano assignatam Logicę definitionem, quasi & dialecticæ, & scientiæ demonstratiuæ conueniat; quibus eã proprie aptari non posse ostensum est. Sed & prædicta definitio Logicæ aliunde etiam impugnatur: tum in eo, quòd eam aũt nuncupet constituendi orationem; tum quòd in orationis contemplationẽ simpliciter Organum cõstituat. Nam (uti patefecimus in præfationibus circa Porphyrij libellum) artis nomen (vt patet ex lib. 6. Ethic.) proprie ad ea pertinet, quæ sunt extra nos constituenda, ex quadam materia, circa quam fiat operatio; veluti est, domum ędificant, et caluos construere; quod sane improprie dici potest de oratione, vel simpliciter in genere accepta, vt fit in lib. Perhiermenias, vel vt est Syllogistica, de qua in Prior. Analyticis, vel vt est demonstratiua, vel Dialectica, vel Sophistica; quandoquidem oĩs oratio, vt est significatiua, ex hominum placito, et constitutione pendet; modi autem enunciandi iuxta modum logicum explicantur, qui nam sint, et quomodo sese habeant in vniuersali. Id aũt non est proprie docere, qũo constituĩ debeat oratio; sed quomodo se habeat hæc, vel illa oratio, et quot sint eius species, et quæ proprietates illis conueniant; vt hinc modus iudicandi de oratione desumatur. Quod pariter de syllogismo asserendum est, et de scientia demonstratiua. Ratio autem illa venandi, seu definitionem (de qua in lib. 2. post Analy.) seu loca probabilia (de quibus agitur in lib. Top.) neq; ipsa ad artem proprie acceptam attinent, sed ad Methodũ quandam, qua hæc consequamur. Ad hæc etiam vr̃ redarguendus Mirandulanus, qui absolute Organi negotiũ posuerit in constituenda et iudicanda oratione, qua ignota, vel opi-

Libro 6. Eth. ca. 3.

nando,

nando, vel sciẽdo acquirimus: quasi oratio, vt oratio, sit pro subiecto Logicæ constituenda. Si quidem oratio, in quantum oratio, non proprie ab artifice logico consideratur; sed a grammatico; sed ea, quorum sunt notæ orationes, seu voces (nomina. s. et verba, quæ sunt signa ipsarum notionum in mente existentium) a logico perpenduntur, vt ita in Organo, vt modus sciendi, penes notiones perceptus, in genere explicetur; et modus itidem dialecticus, et sophisticus; nec non et ordo syllogisticus, atq; orationis significatum, sicuti et eius partes, nomina et verba; ac deniq; ipsa prædicamenta in genere in Organo sunt considerata: quæ tamen omnia ad hunc sensum in Logica tractari sub vocum nominatione concedimus, vt ita (sicuti latius in præfationibus explicatum est) facilior euaderet regularum oĩum logicalium contemplatio, quatenus vocibus insistit et adhæret: cum de nulla re determinata in Organo tractetur, sed oĩa in genere & in abstracto considerentur; ita tamen vt ordo orationis, vel iuxta simplicem vocum significationem, vel iuxta veri aut falsi considerationem ad mentis notiones referantur: vt docet Aristot. in initio libri Perhiermenias, hoc iacto fundamẽto: qm̃, quæ sunt in vocibus, sunt signa eorum, quæ sunt in mente. Harum aũt oĩum contemplationũ, de quibus in Organo, ad scientię nomenclaturam posse applicari (non proprie scientiam accipiendo) in præfationibus quoq; explicauimus. Vbi etiam constitutum est proprie huic scientiæ, in qua in genere, tum modus sciendi traditur, tum modus dialecticus, tum sophisticus, nomen Organi conuenire, & sapienter ei accommodatum esse; vt ita a propria scientia rerum (veluti est Geometria) & a facultate dialectica, quam dialecticus exercet, vti fit in dialogis Platonis; & a Sophistarum captionibus his vel illis rebus applicatis, generalis Methodus Organo comprehensa distingueretur: quemadmodum etiam actiua Philosophia, licet in ea plurimæ habeantur contemplationes, attamen vt distingueretur a contemplatiua, merito nomẽ actiuæ obtinuit: sicuti exactius de hoc etiam in superioribus perscrutati sumus. Quare (vt ad susceptam aduersus Mirandulanum disputationem redeamus) cum Logicæ definitio ab ipso assignata nõ subsistat, vt patet per ea, quę ex aduerso sunt deducta, hinc colligitur, rueре illam eius argumentationem, qua ex prædicta definitione concludere nitebatur, quòd ad Logicam non pertineat tractatio Prædicamentorum, vtpote ea, quæ in definitione Logicæ ad eius arbitrium assignatæ non contineatur; cum prædicamenta (vt ait) ad rerum essentiam attineant, & non ad rationem propriam orationis:

Verum nos alia uia, cum oĩbus pene Arist. interpretibus incedentes supponimus, prædicamenta, eo modo, quo ipsa interpretati sumus ad Organum (in quo modus sciendi & disserendi facultas per probabilia traditur) eatenus spectare, quatenus ex Prædicamentorũ explicatione erudimur circa primam intellectus nostri operationẽ, quæ simplices rerum formas apprehendit, tum quomodo rerũ omnium notiones in genere sub quibusdam certis typis comprehendantur, tum qũo singula sese habeant, vt ita & ad modum sciendi, & ad

dia-

dialecticam facultatem hæc generalis pertineat Prædicamentorum speculatio. Quod & ex dictis Mirandulani comprobari potest. Si quidem asserit Prædicaméta (quæ tñ constituit opus esse Metaphysicũ) ad Philosophiam naturalem deseruire, & ad oẽs facultates, quæ tractant de rebus particularibus. Vnde, inquit, debet antecedere cognitio decem generum, vti ea, quæ sunt vniuersaliora, & insunt necessario in ipsis scientijs: ex quo deducitur, ex sententia quoq; Mirandulani, contemplationem Prædicamentorum comprehendi sub modo sciendi generali, qui conferant oĩbus scientijs. Vnde iuxta assignatam Organi rõnem, in qua vniuersalis modus sciendi traditur, Prędicamenta sub Organo, & ita sub Logica continebuntur; cũ præsertim ad alias posteriores Organi partes hæc cognitio de prædicamentis deseruiat; nec non & Dialecticæ, vt patebit ex sequentibus.

Quod autem pro secunda argumentatione affert Mirandulanus, qua & superiorem corroborare videtur, ꝙ Prædicamenta a Logica sint amouenda, propterea quòd opus contineant Metaphysicum, quod hunc in modum comprobare contendit. Nam inquit, in prædicamentis substantia, vt est substantia, & quantum vt quantum, & ita alia omnia genera, vt sunt talia explicantur; atqui hæ sunt partes & species entis, ens aũt, vt ens a Metaphysico, vti propriũ eius subiectum consideratur; vt patet ex verbis Arist. in lib. 4. Met. dũ inquit. *Quapropter & eius, quod est, vt est ens quæcunque sunt species entis vnius est scientia genere & specierum species contemplari:* Vnde infert Mirandulanus, Prędicamentorũ tractationem esse Metaphysicalem, & non ad logicum pertinere: quod & ex commentarijs confirmat Alexandri circa prædictum locum ita habentis: *quibus verbis aperitur, diuisionem entis in decem genera, quam fecit in prædicamentis, ad primam spectare Philosophiam.* Quod igitur attinet ad illud assumptum, quod Prędicamenta eo modo, vt explicantur in Logica, entis partes seu species existant, id minime inficiamur. Verumtamen negamus illatam a Mirandulano ex hoc assumpto consequentiam, quòd tractatus Prędicamentorum (vt habetur in Organo) sit proprie opus Metaphysicũ scđm rõnem cõsiderandi Metaphysicalem. Si quidem in Philosophia naturali, inter alia considerantur substantiæ compositæ ex materia & forma, quæ absq; dubio sunt entia; considerantur eędem in Metaphysica; neq; tñ sequitur, ꝙ Philosophia naturalis, sit opus Metaphysicũ; nimirũ qm̃ alia ratione in Philosophia naturali, & alia in Metaphysica huiusmodi substantiæ considerantur. In hac quidem, quatenus sunt entia & entis participant naturam: in illa vero, vt motum concernunt iuxta motus rõnem, qui propriæ in Philosophia naturali consideratur, tamquam in scientia distincta ab ipsa Metaphysica. Quin & in Metaphysica agitur de genere, & de specie, & de enunciatione affirmatiua & negatiua, & de veri, & falsi entitate, quoniam & hæc entis aliquam obtinent rationem. Hæc eadem vero & in Logica tractantur: neq; tamen propterea inferendum, quòd eo modo, quo conside

rantur

rantur in Logica, sic opus concernat Metaphysicum. Quando quidē in Metaphysica, scd'm eam rōnem, quam habent entis explicantur. In Organo autem, quatenus ad regulas quasdas reducuntur pro generali eruditione, quæ vsui sit futura ad facilius scientias omnes & artes capessendas & constituendas. Pariter igitur dicendum est de prædicamētis: quòd, etsi sint entia (vti sunt omnium communissima genera) attamen alia ratione considerantur in Organo, & alia rōne in Metaph. Etenim in primis in Organo prædicamenta traduntur in vniuersali, vt de nulla substantia particulari, aut quanto, aut quali, aut alio prædicamento in hoc opere agatur; qui modus considerandi, vt est vniuersalis, ideo & Logicus est denominandus. Si quidem eo scopo prædicamenta in Organo explicantur, vt in genere notitia de ipsis habeatur, & de omni eorum numero; & vt hinc vocum omniū, quæ in omnium ore versantur, significationes generales sub notionibus rerum communibus in mente existentibus innotescant. Vnde maximum commodum hinc illis comparatur, qui scientias sub regulis ac methodo quodam traditas capessere student. Deinde vero & ratio, modusq; adhibitus in Organo, in substantia & alijs prædicamentis explicandis, iuxta normam prædicandi, aut non prædicandi, inexistendi aut non inexistendi in alio, modum & rationem logicam manifeste præsefert. Etenim substantia proprie, & principaliter dicta, in Organo his typis denotatur, quòd sit illud ens, quod neque est in subiecto, neq; de subiecto dr̄: & consequenter, ad hanc explicationem primæ substantiæ, explicantur etiam genera & species primarum substantiarum; quæ secūdæ substantiæ nuncupatæ ita exponūtur, quòd non sint in subiecto, & de subiecto dicantur: reliqua vero alia omnia prędicamenta, quæ sunt accidētia substantiæ, hoc typo in genere connotātur, quod sint in subiecto: quæ quidem notitia tāquam iam præmissa in Organo affertur quoq; ab Arist. in libro 7. Metaph. dum substantiam compositam, vti maxime nobis notam & familiarem supponit esse illud ens, quod neq; in subiecto est, neque de subiecto dr̄: cum deinde exacta tractatione de substātia scd'm formam, & scd'm materiam, quæ sunt principia substantiæ compositæ, altius, et longe subtilius sub ratione & cōsideratione entis in eadem Philosophia disserat. Accedit quòd in Organo substantia tantum compositę habetur consideratio; simplices autē substantię, quę sunt abstractæ a materia reticentur, vt pote illæ, quæ proprietatem substātiæ traditam in libro Prędicamentorum non obtineant, vt contraria suscipere possint, quorum sunt expertes. Sed et partes substantiarum compositarum, et sunt materia et forma, in Organo prætermittūtur: nimirum, quoniam ibi prędicamenta crasso filo, & non sub entis ratione, proprie; et exacte tractantur. At in Metaph. alta indagine de ipsis prædicamentis doctrina traditur: quatenus substantia vel simplex est, vel composita; ita quidem, vt qualem entis rationem subeat tum simplex substantia, tum composita, tum partes ipsam componētes in Metaphysica considerentur: nec non, qualem entis rationem, et essentiam obtineant alia prædicamenta explicatur, quatenus ad sub-

Libro 1. Met. ca. 3

substantiam referuntur. Sed & principia ibidem omnium entiũ considerantur, quæ nã sunt tum substantiæ compositæ, cuius proprie principia existunt, tum & aliorum Prædicamentorum, quæ sunt accidentia substantiæ. Quæ quidem contemplatio, vti exacte habita sub rõne entis, proprie ad primum Philosophum pertinet, ad ipsum Metaphysicum, ens, vt ens, contemplantem. Neq; refert, ꝙ in Organo proprietates tradantur, quæ singulis conueniunt prædicamentis. Si quidem huiusmodi notitia, vt est aperta, & facilis, ita quoq; Organo valde est accommodata. Nam sensu, & quadam loquendi consuetudine manifesta redduntur, quæ ibi tradita sunt de prædicamẽtis. Veluti, ꝙ substantia vno & eodem numero existens, sit susceptibilis contrariorum, ꝙ quantum dicatur æquale, aut inæquale: ipsum vero quale, simile, & dissimile: Et quod relatiua ad conuertentiam dicantur, & alia huiusmodi, quæ facile percipiuntur, & ad insinuandam quandam generalem Prædicamentorum cognitionem maxime sunt accommodata. Vnde non redarguendus Arist. ꝙ in Organo multa tradiderit de prædicamentis iuxta proprietates (vt decebat eum artificem, qui regulas erat traditurus ad informandã ingenia humana de modo cognoscendi) quæ deinde in Metaphysica prætermittit. Satis.n. fuit quòd in Organo hoc faciliora tradiderit de prædicamẽtis. Quemadmodum etiam obseruauit de genere, de specie, & de ipso vero, & falso, quæ orationi enunciatiuæ consequuntur; de quibus multo plura explicauit in Organo q̃ in Metaphysica, cum deinde in Metaph. de eisdẽ tractauit præmittens oĩum significationes; & substantiæ, & quanti, & qualis, & aliorum: ac deinde hæc, & alia omnia sub rõne entis exacte perpendens, atq; pertractans. Ad illam vero Alexandri auctoritatem a Mirandulano subinductam, (ex qua, si qs accurate perspiciat, facile intelliget ipsum hanc suam erroneam de prædicamentis habuisse opinionem) ꝙ diuisio entis in decem genera facta ab Arist. in prædicamentis ad primam spectet Philosophiã, ita occurrendum dicimus non hinc concludi, quòd opus ille sit proprie Metaphysicum: Sed id quidem, quòd ad Metaphysicum subalternetur huiusmodi diuisio, & decem generum in Organo habita consideratio. Sicuti prædicto loco contendit Alex. ad Philosophiæ nomen scientias omnes reuocari; ipsam etiam de actionibus & moribus hominum tractantem scientiam. Quando quidem oẽs scientiæ & artes sub Metaphysico, vti Architectonico, qui cõtẽplatur oẽ ens, cõtinetur. Sicuti colligitur ex dictis Arist. in lib. 4 Met. vbi ait, quòd *oẽs scientiæ, & artes abscindentes partem entis, circa illud contemplantur accidens*. Etenim & locorum contemplatio, de quibus in lib. Top. ad Philosophum spectat, vt docet idem auctor in initio libri octaui Top. Quemadmodum etiam non est dubitandum, quin sit etiam quædam Philosopho conueniens speculatio, tum illa, quæ in Analyt. de sillogismo habetur, & de demõstratione; tum illa, quæ in libro Perihermenias traditur in vniuersali de oratione. Quæ tñ oẽs contemplationes, qm ad regulas sciendi diriguntur, idcirco ad Organi partes, & ad Logicam pertinent; sub qua considerandi rõne

[Margin: li. 4. Met. cap. 1.]
[Margin: li. 8. Top]

con-

consistere etiam tractatum prædicamẽtorum, eo modo, vti habetur in Organo, asserimus. Non autem huiusmodi perscrutationem consentimus esse proprie Metaphysicalem, licet a Metaphysico diuisio entis in prędicamenta pendeat, sicuti & hęc oĩa Metaphysicæ subalternẽtur. Vnde dicimus, quòd tractatio syllogismi, & scientiæ demõstratiuæ, & orationis scd̃m rationem veri & falsi animaduersio & explicatio, a Philosophi pendet contemplatione, vt non nisi vir Philosophus potuerit hęc in ordinem redigere & explicare, sicuti & loca spectantia ad dialecticam facultatem Philosophi quoq; munus est inquirere & expẽdere. Nec non & sophisticas argumẽtationes animaduertere & discutere; quæ oĩa ad entis rõnem, quę in mente cõcipitur, reuocantur. Neq; tñ concedendum, singulis prædictis speculationibus ita Philosophiæ nomen conuenire, vt inter partes Philosophiæ Logica sit recensenda; sed Organi, seu Instrumenti a Philosopho sapienti viro constituti, proprie rationem & nomen sibi vendĩcauit: cum in ipsa, quę habentur contemplationes, ad alias scientias capessendas deseruiant, & ad hunc finem Logica sit constituta. Quare dictum Alex. quòd tãquam Achillem induxit Mirandulanus pro sua tutanda opinione, non solum non tollit, quin immo confirmat, prędicamenta ad logicum negocium pertinere, licet eiusmodi perscrutatio non nisi per Philosophum primum (quod idem Alex. insinuat) recte oĩa speculantem constitui eo modo potuerit, vti effectũ est. Quin, cum dicat Alex. quod diuisio entis facta ab Arist. in decem genera, pertineat ad primam Philosophiam, ita distingui insinuauit Metaphysicum a prędicamentis, tanquam alio quodam opere comprehensis.

Tertium vero genus probationis, quod induxit Mirandulanus ad suam hanc de prędicamentis astruendam sententiam, huic est innixum fundamento, quòd termini, de quibus in Logica est mẽtio, sunt communes, & extra prędicamenta, cum sint affectus, siue passiones entis, vt ens est; quod supponit esse extra prędicamenta. Veluti est ***necessarium, contingens, genus, species, causa, principium,*** & eiusmodi, quæ ait, conuenire enti, vt est ens; non autẽ proprie, aut substantiæ, aut alio prędicamento: Vnde infert, prædicamenta ad Logicum non pertinere. quod & hac alia via confirmare contendit. Nã cum Logica, inquit, huc tendat, & hunc scopum habeat; vt doceat modum cognoscendi, qui præcipue pertinet ad definitionem & demonstrationem; & propterea Logicæ incumbat munus docendi de syllogismo ob demonstrationem, & de oratione ꝓ syllogismum, & de nomine, & verbo ꝓ orationem; & cum penes horum omnium probationes & conclusiones, nullibi ex prædicamentis termini desumantur; qñ neq; in explicatione nominis & verbi, aut orationis, neq; in tractatu syllogismi, aut demonstrationis, aut definitionis, substantia adhibeatur; neq; aliud prędicamentum (idq; inductione colligit percurrens prædictas omnes tractationes) hinc consequẽter infert, prædicamenta ad Logicum non attinere, cum ad modum cognoscendi non conferant, quem tradere Logica profitetur.

Verum huic vniuersæ argumentationi pluribus modis facile est occurrere. Primo quidem negando, quòd ens sint extra prædicamenta, vt ipse supponit, nisi inquantum entis nomen est omnibus cõmune, vt ita supra omnia existat. At ſm essentiam acceptũ, dicimus nullam ab ipso ente essentiã denotari seorsum a prædicamentis, ad quæ analogicę se habet; vt docet expresse Arist. in lib. 4. & alibi in Metaphysica. Consequenter dicimus, terminos illos, quos Mirandulanus supponit esse extra prædicamenta, cadere sub aliquo prædicaméto, vti Genus, Species, Principiũ, Causa, & huiusmodi, quę sub notione prædicamenti dicti ad aliquid reducantur, & ideo non excludun tur, sed includuntur prędicta in hoc Logicę opere, vt termini quidã, qui & in alijs partibus Logicę abhibentur.

libro 4. Met. c. 1.

Deinde ad illam partem argumentationis, quòd prędicamenta modo sciendi non deseruiant illud in primis repetimus, quòd antea constitutum, ex prædicamentorum tractatione hanc valde vtilem percipi cognitionem, vt rerum omnium simplices notiones generales, in quibus nostri intellectus. Sita est prima operatio, comprehendantur; videlicet, quomodo hęc se habeat iuxta decem suprema genera, & quomodo hæ voces omnes simplices & incóplexę, in quantum sunt significantes, in hæc cadunt prędicamenta. Vnde inferendum est, modum cognoscendi ex prędicamentorum tractatione desumi penes simplicium notionem generalem explicationem. Quemadmodum & ex tractatu orationis (de qua in libro Perihermenias) erudimur, quo modo altera nostri intellectus functio sese habeat penes simplicium notionum complicationem, et circa veri et falsi ordinem et modum. Quod similiter de syllogismo et de alijs logicę partibus asserendum est. Accedit, quòd cum nomen et verbum in libro Periher. explicentur ab Aristotele hunc in modum, quòd sint voces significatiuę, et per hanc dictionem, SIGNIFICATIVAE innuatur (etiam ex sententia Mirand.) significatio notionum; addamus nos, et consequenter rerum; qm̃ (vt docet ibidem Arist.) notiones sunt simulacra rerum; & ideo voces, quatenus sunt significatiuæ, considerãtur in Organo, vt sunt notiones generales rerũ vocibus explicatæ: quémadmodum quoq; ex sententia Porphyrij, constitutum est antea, dũ de subiecto huius operis prædicamentorum tractaremus. Hinc igitur deducendum est, prædicamenta ad logicam attinere, vtpote ea, vnde nominis & verbi definitio, quatenus sunt voces significatiuæ, ex ipsorum cognitione est desumenda, quemadmodum & orationis definitio ex cognitione nominis & verbi desumitur: & syllogismi definitio ex oratione; & ea, quæ traditur de demonstratione, definitio, ex syllogismo fit perspicua. Sed (vt antea quoq; innuimus) & modus prædicamenta explicandi, quem Arist. in hoc opere secutus est, facile etiam nobis persuadere debet, non opus hoc esse Metaphysicum, sed logicum. Veluti, dum vocum præmissa est diuisio illa & explicatio, ꝙ aliæ sint complexæ, aliæ vero incomplexæ: & simul explicatũ est, incomplexas voces omnes, quæ sint significantes, in decem certa genera concludi singulas voces significantes comprehendentia: quéadmo-

admodum & æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum explicatio considerationem propriam Logicæ concernit.

Adhuc, prætermissa Analogorum explicatio, vt quæ obscurioris esset perceptionis, in Organo non proponenda ob eorum difficultatem, hoc idem manifestat. Idem etiam maxime confirmat substantiæ compositæ, (vti præcipue substantiæ & nobis apprime notæ) cōsideratio potissima in hoc opere habita, prętermissis simplicibus substantijs, tum abstractis a materia, tum illis etiam, quæ sunt partes cōstituentes substātiam compositam, ipsa materia, & forma; de quibus potissimum agitur in Metaphysica, quatenus entis continent rōnem. Sed & in singulo prędicamento explicando superficialis, & valde crassa, & minus exacta traditio facta in Organo, si comparetur speculationi de illis habita in Metaphysica hanc tractationem Logicā facile insinuat; quemadmodum in singulis prædicamentis explicandis, penes hoc plura aīaduertimus, ne eadem rursus hic repetamus.

Postremo, cum idem huius erroneæ opinionis assertor, supponat opus hoc Prędicamentorum pręmittendum Philosophiæ de natura, qm̄ in eo quędam notiones generales tradantur, Philosophiæ naturali & alijs oībus artibus & scientijs admodum vtiles, qm̄ in oībus supponatur notitia tradita de prædicamentis; hinc etiam ex Mirandulani quoq; propria sententia (qui propulsare prædicamenta ex Logica conatus est) colligitur in Logica eadē esse retinenda; vtpote ea, quæ cognitionem generalem communium notionum contineant ibi explicatam ad vsum scientiarum, quod quidem non nisi Logico artifici est tribuendum, qui Organum, seu instrumentum pro modo sciendi tradere profitetur. Quod & magis ex his confirmare licet: qn̄ non solum ad alias scientias hæc tractatio conferat, illisq; sit pręmittenda (vti sentit ipse quoq; Mirandulanus) verum etiam ad vsum aliarum partium Organi, quod ille inficiatur: cum tn̄ Aristotelis enūciata eius opinioni manifeste refragentur. Nam in lib. 1. Top pręsupponit Arist. notitiā prędicamentorū, tāquam antehabitā: dū inquit: *Deinceps prædicamenta sunt, atque illa quattuor rerum, quas diximus distinctiones differentia qua referuntur. sunt autem numero decem, substantia, quantitas*, & quæ sequuntur: Et inde Alexander intulit prædicamenta ad Logicam pertinere, & esse librum Arist. Sed & lib. 4. Top. tradit Aristot. locum considerandi, si genus & species sint in eodem prędicamēto, vel in diuerso, vnde in hoc ēt notitia Prędicamentorū pręsupponitur. Idē in lib. 1. Priorum Anal. in Sect. 3. hæc habet. *Inesse autem hoc huic, & verificari hoc de hoc, tot modis accipiendum*, quot modis prædicamenta distincta sunt. Pręterea in lib. 1. Poster. Anal. vbi disputat Arist. non esse processum infinitum in prędicatis, id docet (inter alia huius disputationis argumenta) dum supponit, decem tm̄ esse prędicamēta, & in illis esse statum, quę & enumerat: quod certe non perciperetur ab eo, qui prius notitiam Prædicamentorum nō teneret: Vnde & pręcedere posterioribus Analyticis debent prędicamenta. Et hęc quidem instātia

Libro 1. Top. c. 1.

Libro 4. Top. c. 1.

lib. 1. Pr. Anal. sectio. 3.

li. 1. Poste. c. 18.

multum vrgebat Mirandulanum: qui, vt ei satisfaceret, ad hoc confugit auxilium, inquiens, quòd Arist. eam rationem ex communibus construxit, & non ex proprijs ipsius Analyticæ: quod certe est fugam petere, non soluere argumentum. Quandoquidem, quomodocunq; sit ibi ratio illa instituta ab Aristotele, omnino est eiusmodi, vt in ea insinuetur, & supponatur notitia Prædicamentorum. Adhuc in libro quoque 2. Posteriorum Analyticorum, docet methodum tractandi, & explicandi scientias, in hoc ẽt consistere, vt accipiatur genus subiectũ, & consideretur, in quo genere Prędicamẽtorum sit, nũ sub quãto, aut quali, aut alio genere prędicamenti; quæ animaduersio manifeste supponit notitiam præhabitam prædicamentorum. Addamus etiam in libro Perihe r. hæc haberi de verbo, quòd sit signum, seu *Nota eorum, quæ vel sunt in subiecto, vel de subiecto dicuntur*, quæ verba non explicantur ab Aristotele, licet sint obscura, qm̃ supponit ea iam explicata in prædicamentis, in ea parte, quæ ante prædicamenta dicitur. Ex quibus omnibus cõprobatur, ante omnes alias partes Organi, ex Aristotelis sententia, supponendam & præmittendam esse notitiam prędicamentorum, tanquam ad Logicam necessariam, & non solum ad vsum aliarum scientiarum deseruientem reponendã fuisse. Quod autem vir iste cogitauit, prædicamenta, si in Metaph. essent reponenda, fuisse collocanda post initium lib. 7. sicuti ante exposuimus; certe, qui hanc eius sententiam diligenter perpenderit, conferens quæ tractantur in dicto lib. Metaph. cum his, quæ habentur in hoc opere prędicamentorum, facile conijciet, quàm absurda & incommoda foret huiusmodi repositio prædicamentorum in lib. 7. Metaph. In quo de prædicamentis exacta sub ratione entis traditur speculatio, longe diuersa ab ea, quæ habetur in hoc Organi libro. Addamus, in eo libro 7. Met. in initio, inter significata substãtiæ, etiam illud afferri significatum, quod pertinet ad ipsum qđ quid est, de quo nulla est mentio in libro Prædicamentorum; sicuti neque de forma, & materia, ꝙ sint substantiæ: de quibus tamen omnibus in libro 7. Met. & præcipua & exacta speculatio. Vnde concludendum, omnino erroneam esse Mirandulani opinionem, tum penes hoc, ꝙ prædicamenta non pertineant ad Logicam, tum quòd sit opus Metaphysicum extractum e prima Philosophia; tum ꝙ reponendum esset in libro 7. Metaph. eo modo, vti explicatum est.

li. Perih.

Cum autem idem auctor in hoc suo de prædicamentis commẽto, impugnet secundas intentiones, circa quas, communis Philosophorũ schola asserit Logicam versari, & eas supponit ab anima conflatas, non existentes extra animam in rerum natura; hanc eius impugnationem etiam perpendamus, & vt censeo, propugnabimus, & prosternemus. Arguit igitur Mirandulanus in oppositum. In primis iactitans, ꝙ huiusmodi secundæ intentiones ab Aristotele numquam fuerint nominatæ. Deinde vero ad ostendendum, quòd nullo modo dari possint, hanc infert argumentationem. Nam, si primis notionibus adiungantur secundæ, futurum, inquit, vt simul non consistant; veluti esset dicere, ꝙ homo est species; siquidem huic termino SPE-

cies

CIES, nihil respondeat ex parte rei, cum non nisi in anima comprehendantur. Si autem seorsum a primis notionibus secundæ notiones considerantur, ita, inquit, erit consideratio de re vana & futili: Vnde hinc concludi censet, non esse secundas intentiones, quæ sint ex plurium collatione, vt communis existimat schola Philosophorum: sed gigni, ait, simul cum apprehensione prima facta in intellectu, in quo vniuersale concipitur: adeo quòd (iuxta eius sententiam) commune, quod conuenit omnibus indiuiduis humanæ naturæ, tanquam affectus, seu passio entis, præsto adest in ipsa prima intellectus nostri cóceptione. Verum, aduersus hanc recentem huius viri opinioné, illud primo dicimus, ꝙ si ipse perpendisset illud enunciatum Arit. in proœmio de anima, vbi ait ***Animal, vt vniuersale, aut nihil est, aut quid posterius***, hinc facile intellexisset ab Aristotele secundam intentionem fuisse insinuatam, nempe notioné secundam rerum, qua aliquid commune pluribus eiusdem naturæ connotatur ab anima cóprehensum; veluti quòd hominis natura sit pluribus indiuiduis communis. Vnde si hæc notio comprehenditur ab anima, certe non prima, sed secunda erit: inquantum notio de homine iam concepta, posterius ab anima intelligitur sub hac alia ratione, quatenus est communis pluribus indiuiduis. Vnde tanto magis rationem secundæ intentionis, seu notionis obtinebunt termini illi, quibus prædicta communia ab anima nominantur: Veluti, quòd collectio vnius naturæ pluribus indiuiduis communis, sit species; collectio vero naturæ pluribus speciebus communis, sit genus, & similia. Vnde non erit, futile, neque falsum dicere, quòd homo est species; sicuti neq; futile, neq; falsum est dicere, quòd homo est natura quædam communis pluribus indiuiduis: quod quidem in prima rei intelligibilis perceptione ab anima non comprehenditur; sed posterius. Quare (vt habet Aristoteles in loco ante citato lib. 1. de Anima) huiusmodi conceptio, seu notio, nempe ***Animal, vt vniuersale, aut nihil est, aut quid posterius***: nihil quidem existit, si referatur ad ea, quæ sunt extra animam; cum huiusmodi vniuersale non subsistat in ipsis rebus, quatenus est vniuersale; quod etiam in lib. 7. & 10. Metaph. Aristoteles longa disputatione comprobauit. Aliquid autem posterius intelligi atq; dici potest, & si extra animam non inueniatur huiusmodi vniuersalis notio, quatenus est aliquid in anima: posterius autem, quoniam, post primam conceptionem conficitur, & comprehenditur ab anima hæc alia communis conceptio atq; notio; Quod autem hęc vniuersalis notio sit quidam affectus & accidens entis (vt habet Mirand.) id minime inficiamur, ita tamen vt dicamus huiusmodi affectum, & accidés entis eatenus esse entis affectum, quatenus ab anima talis notio vniuersalis post primam conceptam notionem est confecta. quandoquidem & entis negatio ad entis nominationem reuocatur; vt patet apud Aristotelem in libro 4. Metaph. Verum & in maximũ duximus figmétum illud, quod induxit Mirand. nempe ꝙ in prima perceptione simplicis intelligibilis sit annexum vniuersale, vt est cómune pluribus. Nam, quòd simplex quæque apprehensio intellectiua sit vni-

Libro 7. Met. ca. 8 & lib. 10. Met. c. 4.

Libro 4. Met. c. 2.

uersalis, ad hunc sensum concedendum est, inquantum rerum formę non inexistunt mēti, eo modo, quo sunt extra intellectum in materia propria existētes, tanquā res particulares, & indiuiduę; sed sensum a conditionibus materialibus inexistunt intellectui, vt docet Arist. in lib. 3. de Anima. Non aūt concedendum est Mirandulo, ꝙ in simplici formarum apprehensione inexistentium intellectui, simul consistat huiusmodi affectus, & hoc accidens entis: nēpe quatenus formæ pluribus sunt cōes, nisi tunc, qn̄, post apprehensionem simpliciū formarum aīa deinde cogitarit, ꝙ talis forma veluti hoīs, quam cōceptam habet in sua prima notione, & coīs singulis hominibus. Siquidem aliud est forma rei apprehensa, & aliud est illud commune & vniuersale, quod conficit mens, dum cogitat, quòd sit communis pluribus rebus extra animam existentibus forma illa, quam de rebus iam obtinet in mente apprehensam. Quòd si re vera consisteret vniuersale in intellectu (vt aliquid commune) ex prima apprehensione formæ id ipsum etiam correspondere deberet rebus extra intellectū, quatenus scilicet res ipsæ obtinent formam eam, cuius est notio in intellectu: licet deinde indiuidua, ob materiam, cui coniunctam habēt formam, inter se inuicem distinguantur; vt docet Arist in lib. 7 Metaph. Atqui forma sub ea notione comprehensa, vt est communis pluribus, nulli rerum particularium inexistunt: sed tantum in anima manet; quatenus notionem primam ita deinceps concipit, vt, quatenus est communis pluribus indiuiduis, illam cogitet: & ita cōstituitur intentio, seu notio secundum subsistens tantum in anima, eo modo, vti dictum est.

lib. 3. de Ani. c. 4.

Libro 7. Met. c. 11

Finis libri Prædicamentorum.

IN LIBRVM PERIHERMENIAS SEV DE INTERPRETATIONE Explanatio.

De operis subiecto, seu intentione.

IN hoc opere propositum est agere de oratiõe, sed non de quacunq;. non.n. de Optatiua, Deprecatiua, Imperatiua, & huiusmodi, quę ad poetæ, & oratoris munus & considerationem attinent; sed de ea, in qua aut verum, aut falsum continetur, & dicitur oratio enunciatiua; sed & de hoc ipsa nõ agitur more grammaticorum, qui orationem, iuxta congruum & incõgruum cuiusq; idiomatis, siue gręcum, siue sit latinum, siue alterius generis considerant; sed in quantum veri, aut falsi est enunciatrix. Verum, cũ enũciatio alia sit simplex, et absoluta, dicta etiam Cathegorica, veluti est, *Socrates currit*, alia vero conditionata ex suppositione consistens, dicta etiam hypothetica, vt hæc, *Si Socrates currit, Socrates mouetur*; non ignorandũ, de simplici enunciatione Cathegorica potissimam hic esse considerationem, tanquam de ea, per quã, quę de ipsa afferuntur, ad orationem etiam Hypotheticam manifestãdam spectant, iuxta regulas, quæ traduntur de absoluta oratione. Addamus ad hæc, quod de enunciatiua oratione non erit sermo, quatenus ꝓblematice profertur; veluti, cum ponitur in quæstione, *num anima sit immortalis, an non*: huiusmodi. n. oratio proprie ad Topicum negocium, id est, ad munus dispũtantium attinet, et problema appellatur. Neq; etiam, quatenus ad ratiocinandum assumitur, et propositio nuncupatur; cuius cõsideratio proprie spectat ad rõnem Syllogismi conficiendi, de quo in genere tractatur in libris, ꝗ Priora Analytica inscribuntur. Vnde relinquitur, tantũmodo iuxta veri et falsi considerationem, in vniuersum de oratione enunciatiua agi in hoc opere, cum de eius genere, et definitione, et de partibus eam componentibus, nec non et de eius speciebus, atq. proprietatibus exacte hic differatur.

De inscriptione operis.

INscribitur autem opus, Græce, Perihermenias, ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, qđ est interptari: vnde Latine dicitur de interpretatione. Quam tñ dictionem ad inscriptionem huius operis designandam nuspiam adhibuit Aristoteles in vniuerso hoc tractatu, cui tñ Gręci omnes expositores titulum prædictũ apposuerũt, quem etiam secuti sunt nostrates omnes Latini. Idcirco perpendendum, vnde nam huius inscriptionis ratio pendeat, et dicimus hac voce *interpretationis*, Grece Ermenias, denotari explicationem, seu manifestationem eorum, quæ latent in animo: proptere a, cũ oratio sit explicatiua eorũ, quæ latent in animo, iure huic tractationi, interpretationis nomen conuenit, ad significandum, quòd de oratione agitur, qua quæ

latent in animo extra proferūtur, vt ita fiat quædam interprætatio ad extra notionum in anima existentium, At, cū hoc de quacunq; oratione dici possit, & de partibus ipsarum, quæ sunt voces significātes (siquidem singula vox explicat, & interpretatur quidpiam in animo latitans) siue deprecemur, siue optemus, siue imperemus, siue enunciemus; attamen, cum aliæ orationes ad appetitiuā facultatem animæ attineant, veluti optatiua, depcatiua, & aliæ huiusmodi; ipsa autem enunciatiua interpretetur verum, aut falsum in animo ~~animæ~~ cōceptum, quod pertinet ad facultatem animæ rationalis, quæ præcipuum locum ob eius maximam dignitatē obtinet inter omnes partes animę: Idcirco, ad significandum tractari in hoc opere de potissima oratione enunciatiua inscriptio, Periher menias, seu de interpretatione admodum conuenienter fuit excogitata, & apposita.

De operis diuisione.

Hvius autem operis quinque sunt partes, seu sectiōes iuxta Græcorum diuisionem. In prima more Mathematicorum nonnullæ positiones afferuntur ad p̄sens negotium maxime conferentes, nec non & definitiones tradūtur tum orationis in genere, tum enunciationis, & eius specierum, quę sunt affirmatio, & negatio, tū partium, quæ sunt nomen, & verbum, ex quibus omnis componitur oratio, tum eiusdem denique proprietatis, quæ contradictio nuncupatur. In secunda vero Sectione explicātur, & stabiliuntur regulæ, quibus dignoscatur, quomodo vnicuiq; affirmationi vna est opposita negatio in quacunq; enunciatione, quæ constet ex nomine tm̄ & verbo; & qn̄ exurgat inter affirmationem, & negationē huiusmodi oppositio, seu cōtradictio adeo vt necessario altera earum sit vera, & altera falsa; & qn̄ id non sequatur necessario. Idq; perpenditur penes quascunq; huius generis enunciationes, siue de rebus existant in vniuersali prolatis, siue de singularib⁹ indiuiduis, iuxta cunctum tempus, præsens, præteritū, atq; futurum. Vnde & de futuris contingētibus (quo ad determinatam eorum veritatem & falsitatem) quęstio hinc satis ardua examinatur, atq; dissoluitur.

In tertia vero Sectione hoc idē ferme totū tractatur penes illud genus enunciationis, quod pręter nomen, & prædicatum, habet ēt adiunctum verbum, EST, tanquā tertiam dictionem, seu tertiū ad prædicatum; veluti est hæc oratio, *Socrates est bonus*, ad differentiam orationis ex noīe, & verbo tm̄ cōstitutæ, vt *Socrates est*, vel *Socrates currit*, siquidem in enunciatione habēte tertium adprædicatum plures oppositiones exurgunt. Vnde explicandum erat, quæ nam inuicē contradictorie opponantur, vt altera earum ex necessitate sit vera, & altera falsa. Hæc igitur, & alia quædam ad hæc consequētia explicantur, in hac tertia Sectione; veluti, qn̄ est, vel qn̄ non est vna enunciatio, & qn̄ quę diuisim vere sint prolata, vere etiā liceat coniunctim pronūciare, & qn̄ nō liceat: vel e contra, qn̄ liceat, aut non liceat diuisim proferre vere, quæ coniunctim vere fuerūt pronunciata. Veluti in huiusmodi orationibus. Num quemadmodū verum est dicere seiunctim, quòd

So-

Socrates est & animal,& rationale,ita etiam verum sit inferre coniunctim,ergo Socrates est animal rationale; Et e cõtra. Num, vt verum est dicere, ꝙ Socrates est animal rationale,ita etiam diuũctim vere liceat inferre,ꝙ Socrates est tum animal, tum rõnale. In quibusdam vero alijs orationibus nõ ita se res habet; sed,quæ coniunctim prolata vera erunt, diuisim falso enunciabũtur; Et è cõtra in nõnullis, q̃ seiunctim uera erũt, coniunctim falso dicentur: Veluti coniunctim vere est dicere, ꝙ Marsia est bonus tibicen; at non verum erit seiunctim inferre, ꝙ Marsia est bonus. Similiter verum est dicere seiunctim,quòd Socrates est citharedus,& quòd Socrates est bonus; non autem cõiunctim verum est dicere, quòd Socrates est bonus citharedes.

In quarta autem Sectione hæc eadem pertractantur circa genus illud orationis, in quo, præter ea, quæ dicta sunt,modus etiam adiacet in enũciatione; veluti est hæc oratio, *possibile est Socratem esse album*, aut *impossibile Socratem esse album*: in his. n. orationibus ipsi modi locum obtinent,veluti *possibile*, & *impossibile*, sicuti & *necessarium*, & *contingens*: quibus q-dem modis ipsum esse, aut non esse limitatur in oratione. Vnde in prædictis tribus enunciandi generibus,regulæ in hoc opere vniuersales traduntur, quibus dignoscatur,qñ, & quomodo circa affirmationes & negationes exurgat cõtradictio, ita vt necessario earum vna sit vera,& altera falsa.

In quinta deinde & postrema Sectione quæstio agitatur, quæ etiam dissoluitur; num maior oppositio inter orationes inuicẽ contrarias cadat, quales sunt, *Socrates est malus*: an inter contradictorias, eiusmodi sunt, *Socrates est bonus*, & *Socrates non est bonus*.

De ordine lectionis.

AD librum Prædicamẽtorum consequi hunc alium de interpretatione perspicuũ esse debet ex his,quæ in prefatione predicamentorum sunt adducta. Nã, quemadmodum in anima nostra primo ingenerantur rerum simplices notiones:moxq; harum inuicem fiunt cõplicationes; ita quoque ratio doctrinæ postulabat, vt in logico negocio (in quo seorsũ a rerum determinata tractatione regulæ vniuersales circa animæ nostræ operationes traduntur) priori loco rerum cõmunes,summeque generales notiones explicarentur, quibus circa omnes voces significantes, intellectus humanus informaretur;quod quidẽ ex prædicamentorum traditione depromitur. Deinde vero de oratione tractatio submittenda erat, qua notiones inuicem ab anima intrinsecus complicatæ ad extra vocibus explicãtur: quod munus in hoc præsenti opere absoluitur. Consequenter vero ad hãc perscrutationẽ deueniẽdum erit ad syllogismi tractatum, quo postremum atque perfectum munus animæ nostræ intellectiuę discursione quadam peractum continetur. Neque vero quidpiam referret,si supponeretur, præsens hoc opus posterius a Prioribus Resolutorijs, in quibus agitur de syllogismo,ab Aristotile esse confectum; provt colligi videtur ex eius verbis in sectione tertia hui⁹ operis, dũ inquit. *Has aũt sicuti in A-*

na-

nalyticis dictũ est, sint ordinata. Non. n. propterea est inferendũ, hāc de oratione enunciatiua tractationē ordine naturæ pariterq. doctrinę posteriorem esse ab illa; quæ est de syllogismo. Quandoquidem, cum syllogismus ex oratione enunciatiua cōstituatur, cōuenit, vt prius de oratione, q̃ de syllogismo tractetur. Sed & illud non est omittēdum, cōsueuisse Aristotelem (quod pluribus in locis licet obseruare in libris pręsertim de Animalibus) citare in opere, quod absque dubio priorem locũ sibi vendicat, aliqua, quæ tractanda in alio posteriori opere erāt, ac si hoc posterius opus illi alio priori esset præponendus. Ex dictis autem cōsequenter patet, librum hunc de enunciatione immediate subsequi ad tractatum Pręedicamentorum, a quo initium totius Organi desumi in superioribus lucubrationibus demonstratum est. Illud autem minime inficiandum, hunc de enunciatiua oratione tractatum, cum subsequēti tractatione Priorum Analyticorum, in quibus agitur de Syllogismo, vinculo quodam coniungi arctiori, quàm liber Prædicamētorum cum hoc alio de interpretatione connectatur. Siquidem oratio enunciatiua assumitur in definitione Syllogismi; quemadmodũ etiā Syllogismus ponitur in definitione demonstrationis: non autem apparet, quomodo in definitione nominis, & verbi, quę sunt partes constituentes orationem enunciatiuam, pręedicamenta accipiuntur: Vnde iure aliquis dubitans suspicaretur, librũ de Oratione seorsum a notitia Prædicamētorum & legi, & intelligi posse, cum hæc definitionem orationis nō ingrediantur, prout in definitione Syllogismi, tāquam eius genus, assumitur oratio. Cui quidem obiectioni occurrentes, dicimus, ꝙ cum voces omnes significantes, (vti in superioribus sermonibus constitutum est) & consequenter nomina & verba, quæ sunt voces, ex quibus omnis oratio enunciatiua cōstituitur, necessario significationem quandā cōcernant alicuius eorum generũ, quæ Pręedicamenta dñr, perspicuumq; etiam factũ est, quantopere notitia hæc crassa & generalis Pręedicamentum conferat ad omnem sermonem dijudicādum, ad scientiasq. oēs capessendas: ideo inferendum est, iure optimo initium Organi desumi a Pręedicamentis, horumque tractationem conferre quam plurimum ad librũ de oratione enunciatiua, quæ constituitur ex nomine & verbo, & consequenter ex vocibus aliquod ex Prædicamentis significantibus: idque pręsertim constituendũ est, ex eo quòd in definitione tum nominis, tum verbi, id opponitur, quòd sunt voces significantes. Vnde si significant, vtique, vt aliquod genus Pręedicamentorum significent, est necesse, cum in Prædicamentis rerum omnium notiones contineantur. Vnde & Pręedicamenta definitionem nominis, & verbi hac ratione ingredi dicendum est, & consequenter ad definitionem orationis enunciatiuę pertinere, quę constat ex nomine, & verbo.

Sol.

IN

IN PRIMAM
Sectionem.

Explicatio proœmij in librum Perihermenias.

IN primis oportet ponere, & nobis constituere, q̃d nam sit nomen, quid verbum, & deinde quid sit Negatio, Affirmatio, Enũciatio, & Oratio, quæ quidem prius sunt supponenda, tanquam ea, ex quibus deinde alia deducuntur, quę hic sunt tractanda. Verum ante hęc, quędam veluti effata ab omnibus concedẽda præmittenda sunt, ex quibus magnum præsenti tractationi lumen, & adiumentum est accessurum, hæc vero sunt huiusmodi.

Ea, quæ sunt in voce (sunt autẽ nomina, & verba prolata, vel q̃cunque alia pars orationis, per quam aliquid ex hoĩum consensu & instituto significatur) sunt signa, seu notæ significãtes eas passiones, quæ sunt in anima, ipsas nempe notiones, seu conceptiones, quę de rebus in anima sunt impresse: quod patet, cũ vocibus notiones prędictæ significentur, & exprimantur.

Vocum autem dictarum, signa, & notæ eas significantes sunt, quę scribuntur, id est litterę, quæ conscribuntur, tanquam voces mortuę existentes. Quemadmodum autem litterę, quibus voces scribuntur, non sunt eędem apud omnes, sed alię, & alię (sicuti apud Hebręos alij sunt litterarum characteres, alij vero apud Gręcos, & alij apud Latinos) ita quoque, & voces, quarum notæ sunt litterę, quę scribuntur, non sunt eędẽ, sed diuersæ ẽm varia nationum idiomata. Ea vero, quorũ primo voces significãtes sunt notæ (sunt autem notiones animæ dictæ passiones, quæ primo vocibus significantur, & consequenter res ipsæ innuũtur) hæc sunt eadem apud omnes, vt puta eadem notio humanę naturę, est in mente Socratis, quę & in Platone. Et cum dictæ notiones sint rerum similitudines: ideo, vt notiones rerũ sunt eędẽ: ita quoq. oportet, vt & res sint eædem: & id iure, q̃n similitudines rerum notionibus animæ cõprehensæ, non possunt a rebus, quarum sunt similitudines, esse diuersę: de qua re in tractatu de anima intellectiua actum est, vt non sit huius præsentis, sed alterius negocij hæc consideratio.

Vt autem dignoscatur circa voces significantes, vti sunt nomina, & verba, quomodo se habeant penes veritatem, & falsitatem, id est supponendum: nempe intellectiuam facultatem aliq̃n existere absq. quòd verum, aut falsum cõplectatur, dũ solum simplices notiones, & rerum similitudines singulas seiunctim percipit, & intelligit. Aliquando vero ita se habet penes rerum similitudines, vt necessario aut verum, aut falsum circa eas comprehendat: quod q̃dem contingit, dum aut vnam notionem, & rerum similitudinem cum alia componit, vt puta, quòd homo est animal; aut alteram ab altera diuidit, & seiungit; veluti, quòd lapis non est animal; ita.n. in vtroq; hoc munere vel componendi, vel diuidendi inuicem notiones (vt dictum est) semper aut verum, aut falsum in mente constituitur.

Consequenter, cum voces, ipsa nomina & verba sint notionum in anima existentium notæ: hinc infe-

ferendum est, nomina & verba ad normam prædictam intellectiuæ facultatis, & ipsa quoq; tum vere, & falso, tum etiam sine veritate, & falsitate posse pronunciari. Nam si simpliciter nomen solum proferatur, veluti dicẽdo, HOMO, aut ALBVM, neq; verum, neq. falsum enunciatur; sicuti continget, si nomen cum verbo cõiungatur, aut dicendo, ꝙ *Homo est albus*, albedinem cum hoĩe componendo, aut quòd *Homo nõ est lapis*, diuidendo ab homine lapidem. Et huius quidem veritatis sit istud signum, & argumentum a maiori ad minus deductum, quòd neque per nomẽ hoc HIRCOCERVVS, quo plura significari videntur, verum aut falsum explicatur, nisi ei addatur verbum, esse, aut nõ esse, vel simpliciter, vel secundum tempus: vnde multo minus dicent verũ aut falsum nomina simplicia, nempe hircus aut ceruus, nisi eis apponatur verbum esse, aut non esse; vti dicendo, *hircus est*, aut *hircus fuit*, seu *hircus non est*, aut *hircus non fuit*.

Adnotationes in Proœmium Perihermenias.

P*Rimum oportet ponere.* Hoc est proẽmiũ huius operis, in quo proponuntur, quæ sint explicanda; quod etiam obseruatũ est ab Arist. in initio Priorum Analyticorum. (Lib 1. Pri. Ana.) Dum ita opus illud auspicatus est. *Primum dicere oportet circa quid, & cuius est intentio.* Vult igitur philosophus, vt primo ponantur seu supponantur, quæ non sunt probanda, sed tantummodo explicanda. In primis quid sit nomen, & quid verbum. Et iure quidem hæc in priori loco, cum ex his tanquam ex partibus componentibus constet oratio enunciatiua. Post hec autem subiũgit accedendum esse ad explicationem negationis, affirmationis, enunciationis, & orationis. Sed insurgit hoc loco dubitatio (Dubit.) non dissimulanda: quoniam ordinem hunc propositum in proemio non obseruat postea Arist. in progressu; in quo prius agit de oratione, deinceps de enunciatione, ac postmodum de eius speciebus, quę sunt negatio, & affirmatio, de qua priori etiam loco agitur. Et hic quidem tractandi ordo non solum conueniens, verum etiam est necessarius, cum generis notitia ad specierum intelligentiam requiratur. Huic dubitationi (Solut.) occurrendo dicimus, in tractatu ordinẽ cõpositiuum ab Arist. obseruatum esse, dum initium sumens a genere, hinc progressus est ad species, quæ ex genere componũtur. In enarratione autem proæmij secutus ordinem resolutiuum, priori loco species orationis, tanquam magis compositus enumerauit, ipsam negationem, & affirmationem, posterius vero earum genera, quæ sunt enũtiatio & oratio, vti res simpliciores: quẽadmodũ etiam negationem affirmationi anteposuit, tanquam negatione quodam modo magis composita existente, vt quę particulam negatiuam adiunctam habeat, qua caret affirmatio.

Sunt autem ea, quę sunt in voce, earũ quę sunt in anima, passionum notæ. Hoc loco affert Aristotiles quasdas suppositiones, seu effata valde digna, q̃bus fides adhibeatur, vt hinc nominum, & verborum & cõsequenter orationis natura magis elucescat, pateatq; q̃ tum verum, tum falsum ex vocibus pronunciatis consequatur: supponit igitur nomina & verba esse notas, quę significãt notiones, seu conceptiones, quasdam in anima existẽtes. Dicit autem, *ea quæ sunt in voce*, & non simpliciter vocem nominauit: quoniã *vox* simpliciter accepta non continet notas cõceptionum, sicut vox a natura prouenie ns formata ab animali ope instrumentorum, qualia sunt lingua, os, labia, & reliqua, quę ad vocis prolationem cõueniunt. Vnde, per *ea, quæ sunt in voce*, denotauit Arist. dispositionem quandam artifitialem syllabarum, ex quibus tum nomina, tum verba constituuntur; adeo vt in voce, ex literis syllabisq; constructa, certa quędam insit dispositio, qua aliquid significatur, non ex natura quidem syllabarum inuicem coniunctarum, sed ex hominum constitutione, atque consensu. Et cum dicat, quòd *quę sunt in voce* hoc est nomina, & verba, significant passiones, quę sunt in anima, hac dictione *passiones* intellexit conceptiones & formas, seu imagines rerum, quæ manent impressę in anima intellectiua. Nam, cum intelligere, seu intellectum e potentia fieri actu intellectũ, fit quoddam pati, vt habetur in libro tertio de anima: (Lib 3. de Ani. c. 4.) Idcirco non immerito Arist. huiusmodi conceptiones animæ passiones nũcupauit. Illę vero passiones animæ, quæ pertinent ad irascibilem, & concupiscibilẽ non sunt huiusmodi passiones, quæ vocibus dearticulatis iuxta dispositionem syllabarum explicentur. Sed voce solum quadam naturali ad extra depromuntur: quod pręsertim apud irrationalia animalia locũ habet: quibus in lib. 1. Polit. constituit Arist. (Lib. 1. polit. c. 2.) inesse voces, quæ sunt notæ molesti, aut iucundi, quibus bruta afficiuntur & agitãtur; non autem sermonem ipsis conuenire, quẽ soli homini natura cõcessit: vt hinc pateat, Sermonem consistere in vocibus dearticulatis iuxta quẽdam literarum & syllabarũ

ordinem, tanquam aliquid hinc ad vocem naturalem sit adiunctum, quo cōceptiones in anima existentes extra pronuncientur. Vnde explodenda hoc loco tanquam erronea Andromachi opinio, qui opusculū hoc Perihermenias non esse Aristotelis, ideo adiudicauit, quoniam in eo, (vt ex pręhabitis perspicuum est) notiones, seu intellectiones animæ, passiones nominētur; quasi id sit alienum a placitis Aristotelis. Cuius sententiæ omnes reclamant expositores, & merito. Siquidem Arist. lib. 3. de anima in ea parte, vbi agit de intellectu, manifeste dicit, quòd intelligere est quoddam pati. Vnde & cōceptiones intellectiuę passiones sunt dicēdę, non vt quæ corruptionem inferūt, vt solet calefactio frigefactio. nec non dolor & voluptas; sed quę perfectionem conferunt intellectui, eo modo, quo in eodem lib. 3. de anima ipsum intelligere fieri explicatū est.

[Marginal note: Androm. oppugn. ...nt.]

[Marginal note: Lib. 3. de ani. c. 4.]

Et ea quæ scribuntur. Aperit, quòd & literę, seu characteres sunt signa vocum significātium conceptus animę. Apte autem dicit, quòd *ea quę scribuntur*, sunt signa vocū significantium, hinc innuēs quod sicuti, quæ sūt in voce, quadam dispositione syllabarum ex hominum instituto ad significandos cōceptus adinuēta proferuntur; ita quoque, iuxta quandā similem dispositionem litterę scriptę designantur: de quibus subiūgit, quòd non sunt eędem apud omnes; quod quidem est perspicuum ex vario vsu characterum, quem sequuntur diuersę in scribendo nationes. Hinc consequenter infert, ꝙ neq; voces sunt eędem apud omnes; quod etiam perspicuum est ex varijs gentium idiomatibus: veruntamen id magis apparet circa ordinem scribendi, vt qui totus pendeat ex artificio, & inuentione hominum; cum vox simpliciter a natura proueniat; nō autem quę in voce explicantur secundum dispositionem & ordinem sermonis; qui (ut dictum est de litteris conscriptis) varius iuxta varia idiomata apud diuersas nationes inueniuntur.

Quarum autem hę primum notę sunt. Discrimen hoc loco affertur inter conceptiones animi vna cū rebus quarum sint imagines, & inter voces & literas, & est eiusmodi: quoniam voces & literę, vt sunt significantes, non sunt eædem apud omnes: sed cum ad placitum hominum sint in vsu, varijs modis vsurpantur: conceptiones autem animę, nec non res, quarum similitudines existunt in anima, sunt eędem apud omnes, eædem nempe imagines rerum, eędem & res secundum naturam existentes. Neq. vero in oppositum dici potest, quòd non sint eędem rerum notiones apud omnes, ex eo ꝙ varię sepęnumero existant hominum sententiæ de eisdem rebus. Nam dicimus, ꝙ huiusmodi sententię sunt enunciationes ex pluriū notionum coniunctione constantes, quas quidē varias, & interdū inter se cōtrarias ab vnoquoq; homine inuicem posse coniungi, non inficiandum est. At simplicium notionum in anima comprehensarum est alia ratio. Nam, cum sint rerum imagines, aut eas intellectus non attingit, & ita nullus in ipso fit conceptus rei; aut, si attingit, necessarium est, vt cuiusmodi est res extra intellectum, eiusmodi quoque sit in intellectu eā apprehendente rei imago. Ex quo sequitur, vt, quemadmodum res sunt eędem secūdum propriam formam, atq; naturam apud omnes gentes, ita quoq. necessario earum imagines sint eędem apud omnium hoium intellectum; adeo quòd non potest esse varietas inter rei formā, vt est in re, & inter imaginem rei, quatenus est in intellectu; nisi ꝙ existēdi modus alius est in intellectu, & alius extra intellectum: cuius rei consideratio, vti propria, pertinet, (vt habet hoc loco Arist.) ad lib. de anima. Notandum autē in hoc cōuenire, tum notiones animæ, tum voces, tum literas, quæ scribuntur, vt omnes sint notæ, & significationes aliquorum. Verum literæ sunt tum vocum, tum notionum, tum rerum ipsarum notæ; voces autē sunt notę notionum animæ, & cōsequenter rerum; notiones vero sunt rerum imagines, & simulacra. Vt autem anima supponitur tanquam materia, & subiectum, in quo rerū imagines imprimuntur, ita quoque ratione sermonis, quem loquimur, vox, qua pronunciamus partes orationis, est materia, cui inseruntur nomina, & verba, iuxta ordinem, & dispositionem syllabarū; vt habet Arist: in lib. 5. de genere animal. & ita quoq; literæ, ipsi characteres, qui scribuntur dearticulati, sunt materia, cui nomina, & verba, & aliæ partes orationis secundum prędictum ordinem syllabarum inseruntur.

[Marginal note: Solut.]

[Marginal note: Lib. 5. de gene. ani. c. 9.]

Est autem quemadmodum in anima &c. Ponitur hoc loco regula, de qua etiam mentio est habita ante prędicamenta, & desumitur ab ordine, qui contingit circa notiones animę. Nam si intellectus in simplici versetur apprehensione alicuius notionis, fit quidē vt ita aliquid intelligat, non autem vt verū aut falsum concipiat, nisi in quantum aut inuicem componit notionem cum notione, veluti intelligendo hominem esse animal, aut diuidit notionem a notione, vt dum intelligit lapidis formam, non esse formam animalis. Hinc cōsequitur, quòd in vocibus simplicibus seorsum pronūciatis non inerit veritas, aut falsitas; sicuti neq. in simplicibus est notionibus, quarum notæ sunt ipsæ voces. At in compositis, aut diuisis inuicem vocibus inerit veritas, aut falsitas, eo modo vti dictum est de notionibus. Ex quo colligitur, Veritatē et Falsitatem pendere a veritate, & falsitate notionū in anima existentium; sicuti harum veritas a rebus, quarum sunt imagines depēdet. Vnde dicebat Arist. in cap. de substantia, quòd veram esse opinionem & orationem, aut falsam, pendet ex rerum varia habitudine.

[Marginal note: Lib. prædicamen.]

Nisi esse, vel non esse addatur. Concludit, nomina, & verba neque verum neque falsum significare, siue sint simplicia siue composita, quale est nomen hyrcoceruus, nisi ipsis verbum, est, aut non est, addatur. Et cum subiungit, *vel simpliciter, vel secundum tempus*: aut hac dictione *simpliciter*, intelligit tēpus pręsens, de quo dicendum est, quòd proprie existat; hac vero alia dictione, *aut secundum tempus* intelligit verbum prolatum secundū tempus pręteritum, & futurum, vt fuit, vel

erit

erit, quę proprie non sunt; non quidē prę-
teritum, quoniam pertransijt, neq; futurū,
quoniam nondum aduenit. Aut per vocem
simpliciter, intelligit, verbum prolatum sine
adiectione aduerbij tempus significantis;
pro vt est dicere, cras erit bellum nauale.
Aut etiam secundum quorundam interpre
tationem, intelligi potest *simpliciter* ipsum
verbum est, accipi, cum apponitur ad substā
tiā, quæ semper eodem modo se habet: velu
ti dicendo homo est animal; *secundum tēpus*
vero, quando apponitur ad significandum
existentiam rerum transeuntium; veluti est
dicere, quòd homo est currēs, & aliud quid
huiusmodi; sed prior expositio magis vide
tur ad mentem Arist. vt patebit ex sequen-
tibus. Dubitatio autem illa mota a nōnul- [Dubit.]
lis, num voces significent potius cōceptus,
an res, certe ex traditis hoc loco ab Arist.
debet ita dissolui: quod potius significant
conceptus; quoniam immediate illos deno- [Solut.]
tant, & consequenter postea res, quarū ima
gines sunt ipsi conceptus; & idē debet esse
manifestum, tum ex hoc, q̄ nomina imponū
tur ex intellectus institutione; tum ex hoc
quòd non intelligerentur nomina, nisi per
ea notiones inexistentes intellectui mani-
festarentur. Et hinc cęcus a natiuitate, vo-
ces significantes colores, vt album & nigrū
non percipit, quid significent; quoniam no
tiones colorum in mente cōceptas non ha-
bet. Illa vero disputatio quā non nulli tra- [Dub.]
ctant de veritate, circa quę nam consistat,
debet pariter ex dictis hoc loco hunc in [Solut.]
modum definiri; nempe circa compositio-
nem notionum, aut earundem diuisionem
factam ab anima sitam esse cūctam veritatē
vel falsitatem; non autem proprie circa sim
plices notiones: quod etiam docuit Arist.
in fine lib. 6. Met. vbi determinauit, verum, [li. 6. Met. c. 2. & li. 9 Met. c. 6.]
& falsum non proprie esse in rebus, sed quā
dam concernere passionem ipsi menti con-
tingentem; vt dum mens componit notio-
nes, vt se habent in rebus; ita etiam verum
circa mentem contingat: falsum autem si
mens non componit notiones, vt se ha-
bent in rebus; quòd similiter dicen-
dum de diuisione, dum anima seiungit rei
vnius notionem ab altera notione secundū
negationem. Vnde a rebus quidem proue-
nit, vt circa mentem contingat veritas, aut
falsitas; quoniam, nisi respondeat, & conue
niat compositio, aut diuisio facta ab anima
cum ipsis rebus, quarum imagines compo-
nit, aut diuidit, non vtiq. vera erit operatio
intellectus, sed falsa. Ipsæ vero notiones
simplices (vt in locis citatis Met. determi-
nat Arist.) perceptæ, & cōprehensę ab intel
lectu, quodammodo non autem proprie di-
cuntur verum continere, sicuti neq; falsum
circa ipsas contingit: nisi forte appelletur
falsitas, earum ignorantia, quatenus ab ani
ma non attinguntur. Quòd si dictum est ab
eodem philosopho in lib. 2. Met. quod, vt se [Lib. 2. Met. c. 2.]
habent res ad esse; ita se habent ad verita-
tem, non idcirco inferendum, q̄ in rebus
proprie sita sit veritas, nisi quatenus a men
te instituitur circa ipsas speculatio; cum
tamen & id sit asserendum, ex quibusdam
rebus contingere, vt maius lumen veritatis
concipiatur in mente, quàm ex nonnullis
alijs. idq; iuxta pręstantiam, qua res aliquæ
ad alias comparatę obtinent in ratione
entis: sicuti luculentius de ijs in prædicto
lib. 2. Met. explicatum est. Illud etiam non
est prætereundum, quòd essi litteræ, quæ
scribuntur, similiterque voces, & conceptus
animæ referantur ad aliud: attamen in his
omnibus non est eadem ratio. Nam, quæ
scribuntur ad orationem, cuius sunt signa,
respectum habent: voces autem in oratio-
ne contentæ, sunt signa notionum animæ,
ad quas referuntur: notiones autem, & si
referuntur ad res, quas significare dicantur
non propterea tamen tollitur, quin ipsa sint
formę quædam per se existentes in anima;
quæ postea rerum simulacra dicuntur, quo-
niam species rei intellecta, eadem est cum
re, quæ intelligitur; nempe, quo ad formā,
vt ostenditur in lib. de anima. Illud etiam
est adnotandum, q̄ nomina & litteræ q̄bus
nomina scribuntur, non sunt signa eo mo-
do, quo exempli gratia, ramus apponitur
tabernæ pro signo vini, aut alterius rei vē
dendę; quia huiusmodi signa non continent
id, quod significant. At nomina, & litteræ
continent id, quod significant, vt non sint
quid aliud, quatenus significant; Sicuti ra-
mus continet quid aliud præter signum ta
bernæ. Adnotandum etiam ex prçmissis sup
positionibus a philosopho animæ naturam
contemplante, illam desumptam esse, qua
constitutum est, notiones animæ similitudi
nes quasdam esse rerum, easdemque apud
omnes gentes existere. quemadmodum &
ipsę res. Aliæ vero suppositiones; veluti, q̄
voces sint signa notionum; & quod litteræ,
quæ scribuntur, sint vocum notæ, ab arti-
fice logico, qui philosophi personam induit
sunt constitutæ; & suppositiones sunt ma-
nifestæ.

De Nomine.

NOmen autem est vox ad pla
citum, seu ex humana cōsti
tutione aliquid significans sine tē
poris connotatione, cuius nulla
pars est per se significatiua. Vnde
ex his omnibus partibus nominis
definitio constituitur. In qua pro
genere accipitur ipsa vox, vti illa,
quæ cōis est & vocibus illiteratis,
quæ scribi non possunt, vt sunt vo
ces brutorum, & vocibus littera-
tis, quæ scribi possunt, vel nil si-
gnificantibus, vt vox hęc BLI-
CTIRI, vel aliquid significanti-
bus; siue natura, vt sunt voces ani
malium, quibus molesti, aut iucū-
di, quæ perpetiuntur, signa edūt;

siue ex hominũ instituto, vt sunt nomina; quæ quidem, vt significant aliquid, à vocibus nil significantibus distinguuntur; quatenus vere significant ex hominum instituto, in hoc distinguuntur à vocibus brutorum, significantibus a natura, quod nominibus non cõuenit. Quatenus vero nomen significat aliquid sine cõnotatione tẽporis, in hoc distinguitur a verbo, quod est vox significans tempus, vt *currit*, & huiusmodi. Præterea nomen distinguitur ab oratione in hoc, ꝙ oratio est vox, cuius pars significat separata, vt in hac oratione, EQVVS FERVS, cuius singula pars significat aliquid, tum EQVVS seorsum, tum FERVS: at nominis pars nil significat, si sit separata ab alia parte; veluti in hoc nomine composito, EQVIFERVS, eius pars, & si seorsum ab alia aliquid significare videtur, sicuti EQVVS aliquid per seipsum significat: attamen re vera seiunctim ab alia parte nil significat iuxta significatum, quod totũ nomẽ compositum EQVIFERVS importat. In simplicibus autẽ nominibus quale est, EQVVS, eius pars separata neq; significat, neq. significare videtur.

Ad hęc, si negatiua particula, adijciatur nomini, veluti dicẽdo, NON HOMO, istud ipsum neq; nomen dicendum est, cum nil determinate significet: neq. negatio, qñ neq. verũ neq. falsum importat, vt cõtingit de omni negatione. Appelletur igitur huiusmodi vox, nomen infinitum: vt pote illud, quod & de ijs, quæ sunt, & de ijs, quę non sunt, verificari potest. Siquidem sub hac pronunciatione NON HOMO, possunt intelligi & quæ sunt, vt puta equus, plãta, & quæ non sunt, vt tragelaphus, chimera, & huiusmodi, quæ non existunt in rerum natura.

Vlterius Philonis, aut Philoni, & huiusmodi voces, non sunt ꝓprie nomina, sed casus nominis, vti voces a recto nomine cadentes: quæ tñ in reliquis omnibus allatis pro definitione nominis, cũ noĩe conueniunt. In hoc autem distinguuntur, ꝙ nomini in casu recto pronunciato si adiungatur verbum EST, vel FVIT, aut verũ aut falsum semper pronunciabitur: casibus autẽ nominis etsi adiectum sit verbum, vt dicẽdo, PHILONIS EST, attamen nondũ patebit si verum, aut falsum sit pronunciatum, nisi aliud quid adiungatur; veluti dicendo, PHILONIS EST LIBER, & alia huiusmodi.

Adnotationes.

N*Omen igitur* Etich. Octo sunt partes orationis: videlicet Nomen, Verbum, Pronomen, Participium, Aduerbinm Pręposítio, Interiectio, & cõiunctio, de quibus omnibus distincte tractãt Grammatici; quarũ etiam partium nonnullam rationem habẽt Rethores, & Poetę; vt pote illi, quibus curę sit ornata, & suauis oratio, quæ ab omnibus enumeratis partibus dependet. Verum artifex logicus, quum tantum orationem enũciatiuam consideret secundum rationẽ veri & falsi, quæ ex nomine, & verbo simul complicatis emanat (pronomine loco nominis & verbi vicem gerente) idcirco de his tantum duabus partibus orationis, de nomine scilicet & verbo tractat; Quòd autem priori loco agatur de nomine, rationabiliter id factum est, cum nomen designet substantiã, & subiectũ, cui inhęret verbum; quod sine nomine, seu sine subiecto, quòd nomine significatur, subsistere nequit: quemadmodũ patet, quòd currere, seu cursus non subsistit seu nõ fit, nisi animal existat cursum ipsum perficiens.

Vox significatiua. Cum vox (vt supra in paraphrasis est explicatum) sit communis & non significantibus, & significantibus vocibus vel a natura, vel ex hominum positione, & instituto; idcirco supponendum est, hoc loco accipi vocem pro genere nominis Neq; obstant (vt dicunt aliqui) quòd vox sit materia sermonis, vt habetur ab Arist. in lib. 5. de Gen. Ani, cui postea accidit forma quę ex hominum institutione pendet; quando

do etiam animal est materia, si referatur ad formam hominis, quæ illi accidat, & tñ animal genus est hominis. Cum autem Nomen vox significatiua dicatur, hinc elicitur contra Mirandulanum, quòd tractatus Prędicamentorum ad organum pertinet; quandoquidem ad hoc, vt intelligatur, q nomina sunt voces significãtes, oportet supponere, quòd aliquid significant; significari autẽ necesse est semper vnum aliquod ex decem generibus prædicamentorum, quę omnia, quę sunt, quadam generis notione complectuntur. Vnde consequenter inferendum est, huic libro Perihermenias pręcedere librũ Prædicamentorum, pro vt exactius in eo libro constitutum est. sed dubitatur, cur de vocibus hic agatur, cum de eijsdem actum sit in Prædicamentis? Cui dubitationi respondens S. Thomas inquit, in prædicamẽtis considerari tantummodo voces, pro vt sunt rerum significatiuę; hic vero, vt sunt partes enunciationis, quę etiam dictiones appellantur; quemadmodum & in Priorum Analit. vbi agitur de Syllogismo, voce, vt sunt termini propositionum, consideratur. Verum in pręfationibus Prædicamentorũ ostendimus, non agi in eo tractatu ex proposito de vocibus, vt voces sunt; sed de ipsis communibus notionibus rerum, quę tñ iuxta ipsarum vocum normam perpẽduntur, sicuti ibi explicatũ est. At hoc loco per se, & ex proprio scopo, agitur de vocibus, quatenus sunt nomina, & verba.

Contra Ant. Mirand.

Dubit.

S. Tho.

Ad placitum: Gręce κατὰ συνθήκην, Idest *secundum positionem*, seu institutionem hominum; vt hinc innuat Arist. nomina, & verba non esse a natura significantia, vt sunt voces animalium irrationaliũ, quibus explicãt internas ipsorum sensationes, quas sub ratione iucundi, aut molesti percipiunt. Et hoc contra Platonem, qui in Cratylo nititur ostendere, sermonem humanum esse a natura, id probare cõtendens, ex hoc, quòd instrumenta locutionis, vti sunt dentes, labia, lingua, & huiusmodi, ex quibus formatur vox, (& requiruntur ad loquendum) sint naturalia; vnde & syllabarum (iuxta litteras) quamcunque pronunciationem ibidẽ contendit ex quadam instrumentorum naturalium dispositione, seu positione sequi: de qua re Aristoteles in lib. 14. Met. apud nos 12. meminit, ibi opinionem Pythaghoreorum circa litteras duplices perpendens. Verum Plato eo in dialogo non id assequutus apparet, vt demõstret sermonem hominum simpliciter esse a natura; cum id probari nequeat, cum manifeste ex hominum positione sermonis significatio pẽdeat. Vnde & idiomatum varia apud homines genera inter se diuersa inueniantur, & in dies noua excogitentur vocabula in singulis quibusque linguis.

Contra Plat.

Lib. 14. Met. apud nos. 12. c. 6.

Sed sit nomen infinitum. Id in more positũ est apud Arist. vt, cum nomen aliquod alicui rei sit impositurus, quæ nomine careat, id insinuet, aut dicẽdo *hoc ita voco*: Sicuti in Prior: Analyt. dum ibi dixit, *terminum, autẽ voco*; aut dicendo. *Sit ita*: quemadmodum in hoc loco penes huiusmodi voces, *nõ homo non equus*, ait se appellare huiusmodi nomina infinita, propterea q & de ijs, quę sunt, & de ijs, quæ non sunt, verificari possunt, sicuti explicatum est antea. Excipitur aũt ab hoc ordine ipsum ens; cui, si adiungatur particula *non*, dicendo, *non ens*, solum ea, quæ non sunt, denotantur, non autem & ea, quæ sunt, cum eius negatum tollat simul omnia, q̃ sunt. Non idem autem censendum est de *vno*, pro vt aliqui dixerunt; quandoquidem, dicendo *non vnum*, possumus intelligere, & ea, quæ non sunt vnum, vt duo tria, & alia, quæ aliqd ens sunt, ita & ea, quę nullo mõ sunt vt hircoceruus, chimera, & huiusmodi.

Philonis autem aut philoni, Cum huiusmodi voces sint etiam nomina, in quantum definitionem assignatã nominis obtinent, vt sint significatiuæ ad placitum, & reliqua obtineant, quæ conueniunt nomini, non sunt autem ita absolute nomina, pro vt sunt voces recto casu prolatæ, vt Philo. Ideo Aristoteles huiusmodi voces recenset inter casus nominis, vt pote voces, quæ a recto nomine cadunt, a quo & deducuntur. Cum autem commodo non potuerit Aristoteles tradere definitionem nominis, solũ nomen rectum cumprehendẽdo, vnde & casus nominis in ea complexus est, ideo saltem distinguere voluit rectum nomen a casibus nominis hac ratione, q si nomini recto sit adiectum verbum, semper enunciatio prouenit aut vera, aut falsa; quod non contingit de casibus nominis; non .n. hoc locutione *philonis est*, verum, aut falsum enunciatur. Sicuti dicendo, *philo est*. Quòd si quis instet ex aduerso, quòd in huiusmodi enunciationibus, *Petro placet*, *me tędet*, & in alijs eiusmodi verum, aut falsum significetur, ad id dicendũ est in primis, quòd non in oĩbus huiusmodi locutionibus ita se res habet. Præterea in eo Sermone. *Petro placet* non proprie insinuatur verum, aut falsum, nisi aliquid suppleatur, quod nominis recti vicem gerat, vt puta dicendo, aut subintelligendo q Petro placet liber, aut quid aliud huiusmodi. Sed & in omnibus alijs casibus, si verbo illis adiuncto verum aut falsum resultare apparebit, facile, qui diligẽter animaduerterit, perspiciet, in huiusmodi sermonibus casum nominis recti uim obtinere: vt, si dicat, *amare, est velle benefacere*: id .n. æquipollet huic orõni, *amor est benefactiuus*: vel qd huiusmodi.

Dub.

Solut.

Potest autem dubitari, num ex definitione assignata nominis distinguatur nomen a nomine infinito, & a nominis casibus. Nam, cum dictum sit ab Aristotele, q neq; infinitum nomen, neq; casus nominis est nomen, sed casus nominis, hinc videretur dicendum, quòd nomen sit definitum, tã quã quid diuersum ab his alijs vocibus: In oppositum autem illud clamat, quòd quæ assumpta sunt in definitione nominis, conueniunt etiam infinito nomini, & casibus nominis; Siquidem & nomen infinitum significat aliquid, cum & ea, quæ non sunt, significare dicatur. Propterea dicẽdum est, Arist. potissimum scopum fuisse, vt traderet definitionem puri nominis recti; postea vero seorsum a definitione distinxit rectum nomen, tum a nomine infinito, tum a nominibus, quæ cadunt a recto nomine.

Dub.

Solut.

De

De Verbo.

VErbum autem eſt vox ſignificās tempus, cuius pars nihil ſignificat ſeparata, & eſt ſemper nota, ſeu ſignificatiua eorum, quæ de aliquo dicuntur. Hac autem definitione verbum diſtinguitur a nomine, quatenus eſt ſignificatiuum alicuius rei cum tempore ſimul connotato, vt VALET; qua voce, & valere, & in tēpore præſenti aliquid valere ſignificatur; quod non conuenit nomini, quale eſt valetudo, quæ tempus nullū adſignificat. Eatenus vero intelligitur verbum adſignificare tempus, quatenus aliud eſt ſignificare tempus, vt heri, cras, & aliud eſt conſignificare tempus, vti dictum eſt de verbo VALERE: In eo autē qđ dicitur de verbo, ꝙ eius pars nulla ſignificat ſeparata, diſtīguitur verbū ab oratione, cuius pars ſeorſum ab alia ſignificat; Quod autem appoſitum eſt in definitione verbi, ꝙ eſt ſemper notá, ſeu ſignum eorum, quæ de altero dicūtur, id etiam pertinet ad diſtinguēdum verbum a nomine; quod quidem non eſt ſignum (ſaltē ſemper) eorum, quæ de altero dicuntur; cum tñ in oratione enunciatiua ſemper requiratur nomen, vti ſubiectum, & ſuppoſitum exiſtēs, de quo aliquid aliud prędicatur. Verbum aūt in prædicatione enūciatiua ſemper concurrit, vt nota, & ſignum eorum, quæ de altero dicūtur; ſiue prædicatio ſit ex parte accidentium, quæ ſunt in ſubiecto, & ideo de ipſo, quatenus in eo ſunt, prædicantur; ſiue prædicatio ſit ex parte eorum, quę pertinent ad eſſentiam eorum, de quibus prædicantur vt de ſubiecto, iuxta ea, quæ ante Prædicamenta fuerunt explicata penes hos modos, & typos, *eſſe in ſubiecto*, & *dici de ſubiecto*.

Non valet autem, & non laborat, & huiuſmodi, quamuis adſignificent tēpus, & de aliquo ſemper ſint notæ, attamen verba proprie non dicenda ſunt. Neq; vero differentia vlla apparet appoſita, qua huiuſmodi dictiones ſint appellandæ. Ideo nominentur verba infinita, vti ea, quę & ad ea quę ſunt, & ad ea quæ non ſunt, aptari poſſunt; Sicuti ex hac dictione, *non valet*, poſſunt intelligi, & homo, & equus, & aliæ res, quę ſunt; nec non hircoceruus, chimera, & huiuſmodi, quæ in rerum natura non ſunt.

Similiter valebit, valebat, & huiuſmodi non proprie ſunt verba; ſed caſus verbi, vti deducta ab eo, quod eſt proprie verbū, a quo caſus prædicti diſtinguūtur; quatenus verbum, ad, ſignificat præſens tempus, quod ſimpliciter eſt: At caſus verbi ad ſignificant, quæ ſunt circa præſens tempus, nēpe, aut futurum, aut præteritū tēpus.

Ex definitione autem hac aſſignata verbi, colligitur, verba ſnm ſe prolata idem valere, quod nomina, in quātum & ipſa verba ſignificant aliquid, prout & nomina; & ideo hac rōne tanquam nomina cenſenda ſunt. Quòd autem verba ſignificent aliquid, prout & noīa, hinc debet eſſe perſpicuum. Nā qui dixerit, CVRRIT, hac voce ſuam ſiſtit mentem, actum currendi intelligendo; & qui audit, quieſcit notionem pariter eiuſdē rei percipiendo.

Sed & verba per ſe prolata (colligendum eſt) nō ſignificare ſi aliquid eſt, aut non eſt. Vnde non excedūt in hac parte nominis ſi-

gnificatũ, quòd etiam est huiusmodi, vt per ipsum non significetur, aut aliquid esse, aut non esse. Huius vero suppositionis, ꝙ verba per se prolata, non significent aliquid esse, vel non esse, licet significare videantur, argumentum huiusmodi ex loco Topico a maiori ad minus deductũ afferri potest. Siquidem perspicuum est, ꝙ esse aut non esse, siue est, aut non est, verbum a Grammaticis dictũ substantiuum, non est signum rei, vt propterea, per ipsum, seorsum, & solum prolatum, significentur aliquid esse, aut non esse (qñ & ipsum ens, si quis nudum ipsum ꝓferat absq; vlla alia adiectione, nihil est, nullamq. rem determinate significat) sed ipsum quidẽ verbum substantiuum, Est, consignificat quãdam compositionem rei ad ipsum coniunctæ, non autem ita, vt dicendo, Est, innuatur aliquid, quòd sit. Siquidem ex ipso per se prolato verbo Est, non est intelligere, & percipere quòd sit aliquid; nisi adhibeantur composita, quibus verbum Est, coniungatur: Sicuti dicendo, homo est, aut Socrates est. Hinc igitur deducitur, quòd si verbum substãtiuum, quod ꝓprie importat esse, per se prolatum, non significat aliquid esse; multo igitur minus alia verba, vt currit, ambulat, per se prolata (licet significent aliquid) significabunt aut esse, aut non esse id ipsum, quod significant. Vnde concludendum ad hoc, vt aliquid dicatur esse, aut non esse, oportere, vt ad verbum nomen quoque adiungatur; sicuti dicendo, homo est, homo currit.

Adnotationes.

Dubit. **V**Erbum autem est. Dubitatur, cur in explicatione verbi sit omissum, genus *vox*, scilicet assumpta in definitione nominis; item illa particula *ad placitum*. Nam si hęc omittenda erant, quoniam in tractatu nominis apposita, & explicata sint; quare igitur & non omissa est hæc alia particula, *cuius pars nihil significat separata*, cum hęc eadem in nominis explicatione sit assumpta. Hinc dubitationi aliqui respondẽt (inter alios Ammonius) quòd ad differentiam orationis, quæ ex nominibus sit constituta, vti est hęc, *homo albus*, ideo in nominis definitione oppositum est, quòd eius pars non significat separata, vt contingit de partibus orationis; hic vero, ad differentiam orationis, quæ ex verbis cõstitui possit, qualis est, *ambulare est moueri*, inquit oppositum esse in verbi definitione hanc particulam, *cuius pars non significat separata*. At. S. Thomas, aliter respondẽs inquit, idcirco hanc particulam, *cuius pars non significat separata*, appositam esse in explicatione verbi, quoniam verbum videtur habere magis rationem complexã quàm ipsum nomen. Vnde auferenda erat deceptio, quæ apud aliquos oriri potuisset opinandi, quod verbum constaret ex partibus significantibus inuicem separatis; sed non videtur hęc suspicio, quã innuit S. Thomas, locum habere, quando verbum, quod profertur, per se perpendendum est, & non coniunctum cum alijs verbis; & ita consideratum clare patet, quòd eius pars separata non significat. Forte dici posset nihil, omissum esse ab Aristot. pro definitione Verbi: qñ quidem, ex eo quod dixerit, quòd verbũ ad significat, innuit, verbum esse verbum significatiuum; & consequenter etiam ad placitum, per ea quæ dicta sunt antea, Aut ẽt dici potest, appositam fuisse in Verbi definitione hanc particulam, *cuius pars non significat separata*; quoniam, cum dictum sit, quòd verbum est consignificans tempus; hinc forte aliquis potuisset suspicari, quod in vna parte Verbi significaretur res, & in alia parte tempus, quod tamen falsum est.

Ammo.

S.Tho.

Solut.

Consignificat tempus. Non ait, quòd verbũ significet tempus, quoniam aliud est significare tempus, & aliud est consignificare tempus; quippe significatur tempus, dicẽdo, *heri*, *cras*; consignificatur autem tẽpus, cum vna cum re tempus etiam significatur, vt dicendo, *currit*, qua voce, *cursus* in præsenti tempore existens significatur; & in hoc distinguitur nomen a verbo.

Et est semper eorum, quę de altero dicũtur nota. His verbis explicatur, quod verbũ sit signũ, idest. quòd significet, & est a parte eorum quæ de altero dicuntur, Quod non nulli ita intellexerunt; nempe, quòd verbum significat semper actionem, vel passionem, pro vt accidens inhęrens substantiæ; & ideo illas particulas cõtextus, *quæ de subiecto, vel in subiecto sunt*, ita interpretantur, ꝗ accidens est in subiecto, & dicitur etiã de subiecto, cui inest. Sed hæc expositio multas patitur obiectiones: inter alias, tum hanc, quòd verbum substãtiuum excluderetur a verbi definitione; tum hanc aliam, quoniam, cum Arist: hac distinctione locutus sit, quòd verbum, *est Signum eorũ, quæ de subiecto, vel in subiecto sunt*, hinc palam innuisse videtur differen-

Impug.

ren-

tertiã quãdã; cum aliud ſit ſignificare aliq̃d eorum, q̃ de ſubiecto dicuntur, & aliud ſignificare aliquid, quæ in ſubiecto ſunt. Vnde utrumq; dictum ad ipſa ſola accidentia nõ videtur referendum, ſed ad diuerſa Etenim hec ante predicamenta ita fuerunt inter ſe diſtincta, vt hoc typo, *eſſe in ſubiecto*, intelligerentur accidentia: hoc vero alio typo, *dici de ſubiecto*, ea connotarentur, quę pertinent ad eſſentiam rei. Atque ideo ita interpretandus videtur præſens locus; quòd verbum, eſt ſemper ſignificatiuum eorum, quæ de altero dicuntur, ſiue prædicata ſint eſſentialia, vt homo eſt animal, ſiue accidentalia, vt homo eſt albus, & in vtraque quidem oratione, verbum, *eſt* concurrit ad ſignificandum, quòd predicatum in eſt ſubiecto, exiſtens ipſum *eſt*, tertium ad prędicatum, vt dicetur infra in tertia huius operis ſectione. Similiter in hac oratione homo eſt, aut homo currit, ipſum verbum, *eſt*, ſignificat abſolute exiſtentiam ſubſtantiæ; ſicuti in hac alia, albedo eſt, ſignificatur exiſtentia accidentis; in illa vero alia oratione homo currit, verbum ita prędicatur, vt ſignificet actionem quandam in ſubiecto exiſtentem. Sed dubitabit aliquis quomodo verũ eſt, q̃ verbum ſit ſemper ſignum eorum, quæ de altero dicuntur: quando in hac oratione, *ambulare eſt moueri*, non ſe habet ambulare a parte prædicati, ſed ſubiecti locum obtinet, cum tamen ſit verbum. Ad hoc dicẽdum, in primis, quòd verbum ſit nota eorum quæ de altero dicũtur, id dictum eſſe ad diſtinctionem nominis: q̃ & ſi aliquando eſt a parte prædicati, ſicuti in hac oratione, *homo eſt animal*, vicem prædicati obtinet *animal*, attamen non ita ſemper ſe habet nomen a parte prędicati. At verbũ ſemper eſt a parte predicati in quacunq; oratione enunciatiua. Præterea dicimus, q̃ in hac oratione, *ambulare eſt moueri*, & ſi verbum ſe tenet a parte ſubiecti; attamẽ etiam ſemper ſignum eſt connotans prædicatum: quippe, ambulare ineſt alicui ſubſtantiæ, quæ ambulat. Ex his autem, quæ hoc loco habita ſunt penes ea, quę aut ſunt in ſubiecto, aut de ſubiecto dicuntur, neque quomodo hæc ſint intelligẽda, hoc loco explicatum eſt, ſed ſupponuntur, tanquã ante explicata, colligi cõgrue poteſt librum Prędicamentorum, in quo hæc fuerunt expoſita, huic deſeruire tractationi, & conſequẽter antecedere debere prædicamenta, (tanquam partem Organi primam) huic operi dę enunciatione contra ſentẽtiam Mirandulani a logico negotio librum Prædicamẽtorum ex̃cludentis.

Dubit.

Solut.

Contra Miraud.

Non valet autem. Aperit, pro vt etiam fecit in tractatu nominis, q̃ huiuſmodi dictio *non valet* non eſt verbum, licet ſignificet tẽpus, & ſit ſemper de aliquo nota: Cur autẽ non ſit verbum, nullam affert rationem Ariſt. ſed ſolum ponit differentiam, quam habet cum verbo, quatenus negatur verbũ per appoſitam particulam negatiuam; In quo autem differat verbum infinitum a verbo negato in oratione, dicit S. Thomas, q̃ verbum infinitum continet vnam dictionẽ ſimplicem; in oratione autem verbum negatum, vim habet duarum dictionum, nempe tum verbi, tum particulæ negatiuæ. Verum non apparet, quomodo inter hæc cadat differentia; niſi dixerimus, quòd verbũ infinitum non eſt negatio, ſed verbum negatum; in oratione autem negatiua ſupponitur negari verbum a ſubiecto, vt ita limitetur negatio verbi negati a ſubiecto determinato, quod erit aut ens, aut non ens. Nõ ignorandum autem in lib. 1. Poſt. Analyt. cap. 10. vbi aſſignatur differentia inter demonſtrationem Quia, & aliam quæ ſimpliciter demonſtratio nuncupatiue aſſumptum eſſe verbum negatum ſub ratione infiniti; dum ibi oſtenditur, quòd planetæ ſint prope hoc ſyllogiſmo. Quòd nõ ſcintillat prope eſt: planetę non ſcintillant, ideſt ſunt nõ ſcintillantes; Vnde concluditur quòd planetę prope ſunt. in quo ſyllogiſmo minor propoſitio eſſet negatiua in prima figura, in qua ex minori negatiua non conſiſtit forma Syllogiſtica; vt docetur in lib. 1. Prio. Analyt. niſi accipiatur illud, *non ſcintillat* loco verbi infiniti; vt non ſit proprie negatio licet verbum ſit negatum iuxta modum tamen verbi infiniti.

S. Tho.

Impug.

li. 1. Poſt. Anal. c. 10

Differunt autem a verbo: Huiuſmodi dictiones, *valebat*, *valebit*, vult Ariſtoteles quòd nõ habeãt proprie rationem & vim verbi; ſed eſſe caſus declinantes ab origine verbi, a quo (ait, in hoc differre; q̃ verbum conſignificat præſens tempus: Illa vero alia, nempe caſus verbi conſignificant tempus conſiſtẽs circa ipſum præſens, nempe aut futurum, aut præteritum. Et hinc colligitur, dictum illud in proęmio huius operis, non ſignificari ipſis ſimplicibus nominibus aliquod verũ aut falſum, *niſi addatur eſſe, vel non eſſe, vel ſimpliciter vel ſecundum tempus*, hanc germanã recipere interpretationem, vt eſſe vel non eſſe *ſimpliciter* intelligatur ſecundũ præſens tempus; illud vero *vel ſecundum tempus*, referri ad caſus verbi ſecundum præteritum vel futurum, quæ ſimpliciter non exiſtunt: pręſens autẽ tp̃s ſemp̃ ex inſtanti cõtinuatur.

Ipſa igitur ſecundum ſe dicta verba. Adnotandum græce haberi duas has particulas: αὐτὰ μὲν καθ' αὑτὰ, vt ita legatur: *verba ſecundum ſe prolata ſunt, & nomina, & aliquid ſignificant*: ex quibus id vult Ariſtoteles innuere, quòd verba poſſunt dici etiam nomina, in quantum ſignificant aliquid; adeo vt mens proferentis conſiſtat, & mens etiã audientis quieſcat ad ſignificationem vocis iuxta verbum prolatę, vti etiam ſit circa nomen. Non autem abſolute dici poteſt, q̃ nomina ſint & verba; quandoquidem verbum, præter hoc, quòd ſignificat aliquid (& in hoc conuenit cum nomine) conſignificat etiam tempus, per quod diſtinguitur a nomine. Pręter hoc autem, quod inductũ eſt de verbis, quòd ſint, & nomina, vult Ariſtoteles ẽt deducere, quod verba ſecundum ſe prolata non ſignificant aliquid eſſe, vel non eſſe, ſicuti neq; nomina, Quòd potiſſimum circa verba vult patefacere, vt pote ea, in quorũ prolatione (vt dicendo curro, vel currit,) videtur denotari aliquod ſubiectum, quod, in curſu conſiſtit, quod tamen abſolute nõ ſignificatur. Adnotãdum autem particulam

illam *conſtituit enim qui dicit intellectum, & qui audit, quieſit*, per parentheſim eſſe legenda, adeo vt, quæ his precedunt, ſequentibus hūc in modum coniungantur. *ipſa ſecundum ſe dicta verba, & nomina ſunt & ſignificăt aliquid ſed ſi eſt, vel non eſt nondum ſignificant*: ita enim in plurium numero ipſum verbum ſignificare transferendum eſt, pro vt & in prioribus verbis eodem modo ſe habet.

Neque enim eſſe vel non eſſe eſt ſignum rei. Quòd verba ſecundum ſe prolata, & non coniuncta nomini (licet ſignificent aliquid, non tamen ſignificant eſſe, aut non eſſe id, quod ſignificatur; vt puta verbum *currit*, aliquid ſignificat, nempe currere, nec tamen ſeorſum prolatum ſignificat ꝙ ſit, aut nō ſit ipſum currere) probat Ariſtoteles argumento deducto ex loco a maiori ad minus; ac ſi hunc in modum argumentaretur. Ipſum verbum ſubſtantiuum *eſt*, ſeu *non eſt*, vel *eſſe*, aut *non eſſe* per ſe prolatum non ſignificat aliquid eſſe aut non eſſe, ſed dicit quidē, ſeu innuit quandam compoſitionem, quam tamen ſine compoſitis non eſt intelligere, .i. cum pronunciatur verbum ſubſtantiuum, *eſt* innuitur, ꝙ aliquid ſit, tanquam ſit oratio cōpoſita alicuius nominis cum ipſo verbo. Verum hanc compoſitionem rei cū verbo non eſt intelligere, niſi ſimul componatur res & verbum. vt dicendo *Deus eſt. Homo eſt*: ita enim aliquid eſſe ſignificatur: Vnde verba illa, *Neque ſi ipſum ens dixeris, nudum, ipſum enim nihil eſt*, per parentheſim (vti animaduertimus) ſunt legenda. Concludendum eſt autē ex dictis, quòd ſi eſſe, aut non eſſe, non ſignificat aliquid eſſe, ſi per ſe ſolū ſit prolatum, multo minus igitur alia verba, veluti, *currit ambulat*, ſignificabunt, quòd ſit, aut non ſit illud, quod ſignificant; quando & ipſum eſſe, & non eſſe, quo ſignificatur eſſe, & non eſſe, non ſignificat, quòd aliquid ſit, ſi ſeorſum tantummodo proferatur. Illa vero verba, quæ per parentheſim diximus eſſe legenda, ita videntur intelligi debere, quòd neque ipſum ens nudum, ac per ſe prolatum, eſt aliquid: quòd ſi eſſet aliquid, ſequeretur etiam, quòd per verbū *Eſt*, aliquid ſignificaretur eſſe: ſed (vt docuit Ariſt. in lib. 10 Met.) ens eſt ſolum cathegorema, nomen ſcilicet ſolum, quod nihil ſignificat, niſi appoſitum ſit alicui prædicamento, vel ſubſtanciæ, vel quanto, vel alijs: cum analogice, ſecundum prius, & poſterius, a ſubſtantia ad alia prædicamenta accedendo, de rebus verificetur: non autē æquiuoce ſe habet, vt viſus eſt intelligere Alexander, qui interpretatur, ideo dictum eſſe hoc loco, quòd ens nihil eſt, quoniam æquiuoce dicatur de entibus. Et quidem ipſe in lib. 5 Met. com. 13 refert verba hoc loco allata ab Ariſt. (quæ explicauimus) ad ipſum verbum *Eſt*, quòd ſit nihil, & non ad ipſum ens, vti nos expoſuimus, ſupponentes per ipſum verbum *Eſt*, explicari exiſtentiam. & ita aliquid, quòd per vocem hanc *ens*, non explicatur ſolum nomen cōe exiſtens, & nullam per ſe referens notionem, niſi quatenus rebus applicetur, vt dictum eſt. Ex quo colligitur contra Scot. quòd ens non eſt genus vniuocum, quoniam aliquam per ſe notionem ſignificaret, quod negat ſicuti, & alibi, hoc quoque loco Ariſt.

lib. 1. Met. c. 3.

Alex.

Cōc. ſcot.

Non ignorandum autem nonnullos ita interpretatos eſſe, quòd verbum ſubſtantiuum *eſt*, ſolum ſit copula, & ligamentum, quo iungitur nomen cum verbo. Vnde reſoluunt hanc orationem, *Homo currit* in hāc *homo eſt currens*, item hanc aliam, *homo eſt*, in hanc, *homo eſt ens*; quorum tamen interpretationi plurima refragantur. In primis, quod non apparet vis aliqua probationis, propter quam verba per ſe prolata non ſignificant, quòd aliquid ſit, aut non ſit, niſi & verbum Eſt, aliquid ſignificare ſupponeretur: cum ex verbo, Eſt, ſuam depromat Ariſt. probationem generalem, quod verba, & ſi ſignificant aliquid, non tamen id ipſum eſſe ſignificant. Præterea ſequeretur, ſolum verbum ſubſtantiuum, Eſt, fuiſſe definitum, ſi ita ſit interpretandum, quòd verbum, eſt ſemper nota eorum, quæ dicuntur de aliquo, ideſt copula, & ligamentum, vt iſti alij interpretantur. Tertio, ſi verbū ſubſtantiuum, Eſt, ſolum eſſet ligamentum, & coniunctio partium orationis, hac ratione nil ſignificaret: quemadmodum in oratione aliæ coniunctiones nil ſignificant. Denique infra Ariſt. in calce ſect. 2. inter enuntiationes ſimplices, has conſtituit, *homo eſt, homo non eſt*, ſicuti & has alias, *Homo currit*, & *homo non currit*: vbi etiam hæc habet de verbo ſubſtātiuo: *eſt enim vel fuit vel erit vel ſit, vel quæcunque alia huiuſmodi verba ex ijs ſunt, quæ poſita ſunt, conſignificant enim tempus.* Sed & in alijs enunciationibus habētibus, præter Eſt, etiam ipſum prædicatum, ſtatuit & ipſum Eſt, ad prædicari, vt ſit pars cum prædicato coniuncta, ut in hac oratione *homo eſt albus*. Nec obſtat, quòd in explicatione *termini*, in lib. 1. Priorū Analyt. nō habeatur mentio de verbo, Eſt, neque in conuerſionibus propoſitionum, & in alijs huiuſmodi. Nam, quod attinet ad termini expoſitionem, ibi hec habentur; *appoſito eſſe, vel diuiſo*, vt ita innuatur & ipſum *eſt*, ſimul ad prædicari; In ſimplicibus autem enunciationibus, vt *homo eſt* non contingit fieri conuerſionem; quando tantum valet ipſum *eſt*, quantum *homo*, & e contra: vti explicatū eſt ab Ariſtotele in lib. 4. Metap. Illud vero, quod aliqui dixerunt verbo ſignificari aliquid, & ita eſſe partem materialem orationis, ſicut & nomen; & rurſus per ipſum *eſt*, ſignificari compoſitionem per ipſum factū: & ideo eſſe partem formalem orationis, nō videtur omnino concedendum: quoniam in ſimplici oratione, ut *homo eſt* pars materialis erit ipſum *eſt* iuxta prædictam intelligentiam. Ac propterea dicendum ex his partibus omnibus, nempe ex nomine, & ex prædicato, & ex verbo *eſt* componi orationem; formam autem compoſitionis conſiſtere in vnione orationis, licet verbum *eſt* concurrat ad coniunctionem prædicati cum ſubiecto. Adnotandum etiam differre verbum ſubſtantiuum *eſt*, ab his alijs *currit, ambulat*, quoniam verbum *eſt* ſignificat exiſtentiam in genere; At *currere*, & *ambulare*, & huiuſmodi, denotant determinatam quandam exiſtentiam circa curſum, & ambulationem.

Periher. ſect. 2.

lib. 1. Pri. Analy. ſect. 1.

li. 4. Met. cap. 2.

DE

De Oratione.

ORatio aūt eſt vox ſignificeās aliquid, cuius partiū quædam ſeparata eſt etiam ſignificatiua, vt dictio, non autem, vt affirmatio: veluti huius orationis, ***homo eſt aīal***, pars hęc, ***homo*** ſeorſum accepta ſignificat aliqd, nempe humanam naturam; non aūt ſignificat, ꝙ homo ſit, aut nō ſit. Ac propterea ſignificat vt dictio, Gręce φάσις, non aūt vt affirmatio Græce κατάφασις, qua quidē ſignificatur aliqd eſſe; adeo ꝙ dictioni huic, H*omo*, niſi adiūgatur ***eſt***, aut ***non eſt***, aut ***erit***, aut ***fuit***, nihil per ipſam affirmabitur; aut negabitur. Hinc Oratio diſtinguitur a noīe, & a verbo, vt quæ voces quidem ſint ſignificantes, ſed non ita, vt ipſarum pars ſignificet ſeparata; neq; etiam ſi ſint voces compoſitę, vt SOREX: licet.n.pars huius dictionis, nempe REX, ſignificet ſeparata; non tñ aliquid ſignificat ſub ratione totius vocis ſeu dictionis compoſitæ SOREX, ſicuti in tractatu quoq; nominis explicatū eſt. Ad hæc oratio omnis eſt ſignificatiua, non vt inſtrumentum, quo voces a natura formantur, & explicantur; ſed ad placitum, & ſm̄ inſtitutionem hominum; quemadmodum etiā in explicatione nominis dictū eſt. Vnde erit hęc Orationis definitio; Oratio eſt vox ſignificās aliquid ad placitum, cuius etiam pars ſeorſum eſt ſignificatiua vt dictio. Quæ quidem definitio conuenit non ſolum enunciatiuæ orationi, cuius proprium eſt verum, aut falſum ſignificare: ſed etiam oībus alijs ſpeciebus Orationis, quæ id non præſtant; nempe & deprecatiuæ, & optatiuæ, & imperatiuæ, & alijs huiuſmodi: quæ quidem, qm̄ congruētius in facultate Rethorica, aut Poetica ſunt conſiderandæ, ideo interim ab his ſuperſedendum, & ad Orationem enūciatiuam tota præſens ſpeculatio eſt dirigenda.

Adnotationes.

O*Ratio autem eſt* &c: Conueniens fuit prius explicare, quid eſſet nomen, & quid verbum, antequam de oratione tractaretur, cum eius ſint partes materiales, ex quibus conſtituitur; ſicuti etiam, cum in hoc opere ſcopus ſit agere de enunciatione, debuit prius explicari oratio, quę eſt genus enunciationis.

Cuius partium ſeparata aliqua ſignificat aliquid vt dictio, non vt affirmatio. In hoc diſtinguitur oratio a ſuis partibus, nempe a nomine & a verbo; quoniam horum partes, ipſę ſilicet ſyllabę nihil ſignificant ſeparatę; oratio autem habet partes, quę etiam ſeparatę ſignificant aliquid vt dictum eſt. Illis vero dictionibus appoſitis in definitione orationis nempe *cuius partium aliqua*, aut limitat Ariſtoteles in oratione eſſe aliquam partē ſignificantem, vt dictū eſt de dictione, excludens ſyllabas, quę ſunt etiam partes orationis nihil ſignificantes; Aut excludit interiectiones & coniunctiones, quæ ponuntur in oratione, nihil ſignificantes. Aut ita locutus eſt, *cuius partium aliqua ſeparata ſignificat aliquid, vt dictio*, ad inſinuandum, (& hic germanus videtur eſſe ſenſus huius loci) ꝙ pars orationis ſignificat vt dictio, vt ita excluderet, ꝙ non ſignificat vt affirmatio; ſed ſufficit, vt ſignificet vt dictio. Non tollitur autem ob id quin etiā affirmatio poſſit eſſe pars alicuius orationis conſtitutę ex pluribus affirmationibus. Vnde ceſſat Aſpaſij, & Porphyrij dubitatio, qui aſſerebant orationem tantummodo ſimplicē hic eſſe definitam ab Ariſtotele; quoniam ſit limitata ſignificatio partium in oratione cōtentarum ad dictionem, & non etiam ad affirmationem; non animaduertentes, quòd in compoſita quoque oratione, vbi ſint plures affirmationes, id pręſto ſemper eſt, vt in ea inſint etiam partes, ipſę dictiones, ſignificantes ſeparatę: vt ideo ſtatuendum ſit, definitionem orationis in genere eſſe aſſignatum, que conuenit & ſimplicibus, & cōpoſitis orationibus: nec non & illis, quæ nō ſunt enunciatiuæ, qualis eſt deprecatiua, & alia huiuſmodi, in quibus nulla eſt affirmatio; inſunt autem dictiones plures, vt ita & in ijs pars orationis ſeparata ab alia ſignificet aliquid.

ſolut. dubit. ex Aſpaſio & porph.

Cætera igitur relinquantur. Alijs quoq; ſpeciebus orationis, quæ non ſunt enunciatiuę conuenit definitio aſſignata orationis, tum

optatiuæ, qualis est, *vtinam domum reuertar incolumis*: tum imperatiuæ, qualis est, *voca ad me filium meum*; tum deprecatiuę vt *amabo te porrige mihi panem*; tum vocatiuæ, vt, *o Christiane fælix fortunate, beate*, in quibus omnibus, pars separata significat, vt dictio, non autem, vt affirmatio, quæ in huiusmodi orationibus non continetur; veluti, ille, quibus neque verum neque falsum significatur q̄d solum præstant affirmatio, & negatio. Quòd si quis instet, quoniã in hac oratione, ò *Nestor*, hęc dictio o, nihil significat, dicendum, quod alia dictio, nempe *Nestor* significat. Aut dicendum, quòd non est oratio vocatiua quę dicta est, sed solum vocatio: dicit aũt Arist. quòd de his orationibus cõsideratio magis conuenienter relinquenda est oratori, & Poetæ, qui ornatui & suauitati sermonis operam nauant; cum tamen & huiusmodi orationibus præsens consideratio aptetur quantum sunt orationes significantes eo modo, quo oratio hic est definita.

inst.

solut.

De Enunciatione, & de Affirmatione & Negatione.

VT aũt ad orationis enunciatiuæ notitiam & eius definitionem perueniamus, hoc in primis est præmittendum, ꝙ vna prima oratio enunciatiua, tanquam omnium simplicissimã est affirmatio; deinde negatio: Aliæ aũt oẽs; si in vna oratione contineantur, erunt coniunctione vna. Ad hæc, istud etiam supponẽdum est, necessario oẽm enunciatiuam orationem constare ex verbo, vel ex casu verbi; adeo ꝙ non est pensandum, ꝙ ibi sit etiã oratio enunciatiua, vbi sint plures dictiones, ex quibus fiat vnum, nisi ijs quoq; verbum sit adiũctum: quod aliqs suspicaretur de oratione definitiua, qualis est hois definitio: videlicet animal gressibile bippes; quæ, etsi vnũ quiddam significat, & non multa, attamen nõ est oratio enũciatiua, nisi ei addatur verbum est, aut fuit. Quòd aũt definitiua oratio sit vna, vel quòd in ea multæ dictiones existentes sint quiddam vnum, non existimandũ id euenire, q̃m variæ hæ dictiones, vna ad vnam, & singulæ prope pronuncientur, nempe coniunctim vna post aliam; alioquin & hæc oratio, homo, bos, leo prope, & ita coniunctim, pronunciatæ, vnum quid euaderẽt; quod tñ est falsum. Verum alia est ratio, cur partes definitionis in vnã coeant naturam, quæ non in hoc loco, sed alibi est perpendẽda, quod fit in lib. 7. & 9. Met.

Sed vt clarior euadat hæc de enunciatiua oratione cõtemplatio, sciẽdum est, quòd vna oratio enunciatiua est vna, vel quatenus vnum significat, & non est in partibus orationis æquiuocatio; vel quatenus, coniunctione fit vna ex huiusmodi particulis, Si, Aut, Ergo, Quando, Et, Nisi; quæ in orationibus admisceantur. Contra vero erunt multæ orationes, vel si in partibus orationis sit æquocatio, vel si multæ sint orationes inconiunctæ. His igitur ita constitutis, dicendum, quòd tum nomen, tum verbum solum dictionem innuũt; adeo quòd ex sola prolatione nominis, aut ex sola prolatione verbi non fit enunciatio; siue (aliquo interrogãte) alius proferat solum verbum, aut solum nomen; siue ipse sua spõte huiusmodi voces seiunctas proferat. Horum autem, nempe nominis & verbi coniunctione, fit tum enũciatio simplex, vt aliquid de aliquo vel aliquid ab aliquo enuncietur: Deinde ex his simplicibus enunciationibus cõstituitur oratio q̄dã composita.

libr. 7. Meth. c. 12. li. 9. cap. 5.

Hinc enunciatio simplex hunc in modum erit definienda: quòd est uox significatiua, quòd aliquid sit, vel non sit, secundum temporis diuisionem.

Huius deinde species simplices, sunt affirmatio, & negatio: affirmatio quidem, enunciatio ali-

cu-

cuius de aliquo, vt homo est animal; negatio vero enunciatio alicuius ab aliquo, vt lapis non est animal.

Adnotationes.

Est autem vna prima oratio enunciatiua. *Ad uenandam definitionem simplicis enũciationis, quæ in omnibus alijs compositis orationibus inuenitur, methodum Arist. obseruat traditã ab ipso in lib. 2. Post. Analyt. vt supponat enunciationes cuiusq. generis tam affirmatiuas, quàm negatiuas, & eas, quæ sunt vna oratio, & eas etiam quæ non sunt vna oratio; nec non & simplices, & cõpositas; Item supponit nomen & verbum, vti partes, ex quibus componitur vnaquęq; enunciatio: ex his omnibus deinde eliciẽs, & assignans definitionem simplicis enunciationis, & eius specierum quę sunt affirmatio, & negatio.

Lib. 2. li. 2. Post. Analy. c. 14. & 15.

Necesse est autẽ. supponit opus esse, vt adsit verbum in omni oratione enunciatiua; & quorum hoc afferat, varij varia dixerũt. Verum eò tendere hãc propositionem, supponendum est, nempè ad tollendam suppositionem, qua quispiam existimare posset, orationem, in qua plures sunt dictiones, ẽt ꝙ non adsit verbum, enunciatiuæ orationis tum habere; & præsertim orationẽ definitiuam, quę plures partes obtinet ex quibus quiddam vnum cõstituitur. Vnde & de hac habet sermonem Arist. dum inquit ꝙ oratio hæc. *animal gressibile bipes*, est hominis, definitio: non est autem enũciatiua, nisi ei addatur verbum *est*, vel *fuit*, vel *erit*. Ex quibus manifeste colligitur, ipsum verbum *est* cõcurrere pro altera parte orationis enunciatiuæ, nempe pro prædicato; neque sine verbo subsistere orationem enunciatiuã: adeo quòd neq; oratio definitiua est enunciatio, licet rei definitionem contineat vnum aliquid concernentem. Vnde multo minus alię orationes, quæ verbo carent, erunt enunciatiuæ. Num autem definitio sine verbo exposita, sit enumeranda sub communi genere orationis, quòd sit vox significatiua, cuius pars significat separata, certe non dubitandum quin ei conueniat prædicta definitio, pro vt & alijs imperfectis orationibus conuenit: veluti est hæc *Iupiter omnipotens*. Verũ diceret aliquis, id incongrue factũ esse a philosopho, quod orationis eã tradiderit definitionem, quę etiam imperfectis orationibus cõueniat: Et ideo non nulli dixerunt, definitionem generalem enũciationis esse hanc, quòd sit ea, in qua verum, & falsum inest. Verum id non videtur esse definitio, sed quædam proprietas enunciationis.

Non enim eo quod propinquæ &c. ꝙ oratio hominis definitiua sit quid vnam ait Arist. nõ prouenire ex eo ꝙ partes ipsius propinque proferantur vna post aliam, quasi hinc inferendum sit, quòd propterea sint vnum: Etenim etiam dicendo, homo, bos, equus, quia propinquæ hę dictiones proferantur, essent vnum, quod tamẽ falsum est. Verum supponit quidem Arist. ꝙ partes definitionis sint vnum. At quomodo, & propter quid sint vnum ait, non esse præsentis negocij explicare, sed ad aliam pertinere tractationem, quæ non absoluitur; in logica, sed in opere Metaphysices: vbi explicandum quomodo ex materia, & forma fiat vnum; Et propterea non satis prudenter se gerere videtur, qui hoc in loco huiusmodi tractant disputationem, nullum habentes rationem iuuenum qui de modo sciendi sunt instituendi.

Est autem vna oratio enunciatiua. Explicat quæ sit vna oratio enunciatiua, quam duobus modis accipi declarat: quia vel est vna, quoniam significat vnum; vt non sit æquiuocatio in partibus orationis, vt *homo ambulat*: aut est vna coniunctione, sicuti sunt omnes orationes conditionarę, aut disiunctiuæ, aut aliquo modo coniunctę ex particulis, *si*, *quando*, *aut*, *ergo*, & alijs huiusmodi resultantes. Vnde & Syllogismus ob particulam, *ergo*, redditur oratio vna; vt dicendo, homo est animal, Socrates est homo, ergo Socrates est animal.

Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio. Explicat quid sit simplex enunciatio, dicens, quòd est ea quæ dicit aliquid de aliquo, vt *Socrates ambulat*, vel aliquid ab aliquo remouet, vt *Socrates non ambulat*. Composita vero oratio est ea, quæ ex huiusmodi orationibus constituitur tanquã ex ipsis composita. Si quis autem percontetur, num sit eadem definitio orationis, quatenus vna est, & quatenus simplex est; dicendum ꝙ non eadem est. Nam potest esse vna oratio coniunctione, & tñ non erit simplex; Et rursus potest esse oratio simplex, vt hęc, *Canis mouetur*, quę tñ nõ erit vna, cum hæc dictio *Canis* plura significet, & nõ vnum. Non est autem assentiẽdum his, qui dicunt, orationem definitiuam non esse simplicem, qm̃ in ea sint plures dictiones. Nam ex Aristotele illa est simplex oratio, quæ dicit aliqd de aliquo: sed definitio dicit vnum quid de definito, vnde erit simplex oratio, sicuti & vna est.

Est autem simplex enunciatio Hæc est generica simplicis orationis definitio, ꝙ sit vox significatiua, quòd aliquid sit, vel non sit, pro ut tempora sunt distincta. Quam definitionem Alexãder in lib. 1 Prior. Analyt. censuit non esse generis vniuoci, sed Analogici, his potissimũ rõnibus inductus. Nã inquit, vbi est prius, & posterius, ibi est analogia: sed affirmatio ponitur ab Aristotele prima enunciatio, vti simplicior, deinde negatio, vt magis composita (quod etiam patet ex definitione enũciationis, in qua primo ponitur, ꝙ significet aliqd esse; postea vero vel non esse) Vnde fit, vt non sit vniuoci generis ea definitio quę est tradita de oratione. Accedit, ꝙ esse præcedit non esse simpliciter; postremo negationes, tanquam priuationes quædam explicantur per affirmationes: Vnde & Aristot. in lib. 1. Poster. Analyt. probat demonstrationem affirmatiuam præstantiorem esse negatiua. Verũ hæc Alexandri opinio nullo modo admittẽ

Alex.

li. 1. Post. Anal. c. 21 impugnatur opinio Alex.

da eſt. Ex hoc potiſſimum fundamento: qm̃ in genere analogo eſſentia generis, primo in vna ſpecie inuenitur, ac deinde, propter illam in alijs; vt patet de ſanitate, quæ primo ineſt in humoribus, & propter ſanitatem in humoribus exiſtentē, conſequenter reliqua, vt puta exercitatio corporis, cibus, vrina, & huiuſmodi ſana dicũtur. Atqui per affirmationem non habet eſſe negatio in genere enunciationis, cum ſint inuicem oppoſitæ, adeo quòd eſſe vnius eſt oppoſitum ad eſſe alterius: Neq; vero refert, ꝙ rerum negatio per affirmationem intelligatur, ſicuti & habitus per priuationē: neq; ꝙ eſſe ſimpliciter ſit prius q̃ non eſſe, ſuppoſita præſertim æternitate mundi, iuxta ſententiam Ariſtotelis, cum tñ iuxta veritatem, ſpecies omnes rerum ex nihilo fuerũt creatæ, Deo tñ exiſtente æterno, & immutabili. Nam dicimus, ꝙ etſi non eſſe negationis lumine affirmationis percipiatur;, attamen negatio intelligitur, vt quid oppoſitũ affirmationi, & nullatenus cum eius eſſe cõmunicans. Vnde omnes inſtantiæ adductę in oppoſitum pro ſententia Alex. ruunt: Si & hoc ſubiunxerimus, falſum eſſe, ꝙ, vbi ſit prius & poſterius, vel quid ſimplicius, & magis compoſitum, vel vbi ſit perfectum, & imperfectũ, ꝙ abſolute ibi adſit genus analogum. Nã binarius numerus eſt prior ternario; ſicuti & triangulus eſt prior, & ſimplicior quadrato: necnõ & homo perfectior eſt ſubſtantia, q̃ bos; neq; tñ ſequitur ꝙ numerus ſit genus analogum ad binarium, & ternarium; aut figura ad triãgulum, & quadratum; aut animal ad hoĩem, & ad bouem. Sed oĩa pariter ſunt vniuoca genera. Quare concludendum eſt, orationem quoq. enũciatiuam eſſe genus vniuocum ad affirmationem & negationem; ita tñ (qm̃ nihil eſt accipere præter ſpecies enunciationis, quo enunciatio explicetur) vt neceſſe ſit ipſam definire per affirmationem, & negationē, quę ſunt eius ſpecies, pro ut factum eſt, idq. iuxta ordinem traditum ab Ariſt. in lib. 1. Poſter. Analyt. in tractatu de vniuerſali. **li. 1. Poſt. Anal. c. 5.**

Dubit. Sed alia difficultas videtur remanere a nemine, quem viderim, mota, ꝙ enunciatio nullo pacto poſſit eſſe genus affirmationis, & negationis: ſiquidem ita definita eſt: ꝙ ſit *Vox ſignificans aliquid eſſe, vel non eſſe*: hæc. n. definitio non videtur aptari poſſe affirmationi, quæ tm̃ ſignificat eſſe, & nõ non eſſe; neq; negationi, quæ tm̃ ſignificat non eſſe, non autem, & eſſe.

Solut. Cui dubitationi occurrendo dicimus, ex hoc, enunciationem eſſe vnum genus: qm̃ quatenus eſt enunciatio, habet vt & eſſe, & nõ eſſe ſignificare poſſit: ipſa autem affirmatio & negatio, in hoc cõueniunt, ut ſignificent aliquid. Diſtinguuntur deinde, quatenus una ſignificet eſſe, alia uero ſignificet non eſſe, quarum utraq; pars in genere enunciationis continetur.

Ad hæc uero conſiderandum eſt, plures in hoc tractatu definitiones de oratione dici poſſe: in primis illam communem, ꝙ oratio eſt uox ſignificatiua, cuius pars ſignificat ſeparata. Deinde illam, quatenus enunciatio continet uerum & falſum: in quo ſeiungitur a deprecatiua, & ab alijs huiuſmodi orationibus, licet poſſit dici, hanc eſſe proprietatē enunciationis, & nõ proprie definitionem. Tertio loco allata eſt definitio orationis, quatenus una eſt, ut una ſit, tum quia ſignificet, unum, tum quia ſit coniunctione una. Quæ quidem deſcriptiones poſſunt ēt aptari nonnullis alijs orationibus: ſed proprie diriguntur ad enunciationem, circa quam proprie præſens eſt cõtemplatio. Poſtremo allata eſt definitio enunciationis, quatenus ſimplex eſt; nempe quod eſt uox ſignificans aliquid eſſe, uel non eſſe: ita tñ, vt prius expoſitum fuerit ab Ariſtotele; ꝙ nomina, & verba ſunt dictiones, ex quibus deinde aut ſimplex conſtituitur enũciatio, aut compoſita, ea nēpe quę ex pluribus ſimplicibus enunciationibus conſtituitur.

Cum aũt nonnulli aſſerant has orationis diuiſiones eſſe ſcd̃m eius ſubſtantiam, nempe quatenus oratio vna eſt, vel plures, ſimplex, vel compoſita, affirmatiua, vel negatiua; alias vero diuiſiones eſſe, iuxta accidētia; veluti ꝙ vna ſit vniuerſali, alia particularis; vna finita, & alia infinita, & huiuſmodi; id minime concedendum videtur. Qm̃quidem cum ſit de eſſentia enunciationis, vt ſignificet aliquid eſſe, aut non eſſe, & ipſum eſſe poſſit his omnibus modis in oratione differre, ꝙ ſit finitum, aut infinitum; adiunctum ad prædicatum, aut non adiunctum; poſitum cum modo, aut ſine modo; vel ad res ſingulares, aut ad vniuerſales, vel cum ſigno, vel ſine ſigno: ideo dicendum vr̃, ꝙ ex his omnibus differētijs variæ ſpecies enunciationis exurgant, cum præſertim (vt patebit ex ſequentibus) varietas contradictionis circa verum, & falſum exurgat penes has omnes differentias. Illa vero diſtinctio enunciationis, per quam vna vera & altera falſa dicatur, aduertendum ꝙ non affert differentias, ex quibus certæ ſpecies enunciationis conſtituantur, cum non poſſit in genere dici, quæ nam enunciatio ſit vera, & quæ falſa; Sed oportet ex determinata rerum tractatione haurire has omnes doctrinas, & non ex regulis generalibus, quæ hoc loco tradnntur: vbi quidem ſtatui poteſt; ꝙ talis propoſitio ſit vniuerſalis, illa ſingularis, hæc cũ ſigno, illa vero ſine ſigno, & alia huius generis: proprietas autem conſequens ad enunciationem eſt, vt quęq; oratio enunciatiua poſſit eſſe aut vera, aut falſa.

De Contradictione.

QVoniam aũt in noſtra eſt facultate enunciare, tum ꝙ eſt, non eſſe, vt quòd homo qui eſt animal, non ſit animal; tũ quod non eſt, eſſe, vt quòd lapis qui non eſt animal, ſit animal; & rurſus in noſtra quoq; eſt facultate enunciare, qđ eſt, eſſe, vt quòd

ho

homo ſit animal, & quòd non eſt, non eſſe, vt quòd lapis non ſit animal, idq; tam circa præſens tempus, quàm etiam circa tempora extra præſens exiſtentia, nempe circa præteritum atq; futurum. Ideo hinc manifeſte deducitur, quòd & negari poteſt omne, quòd quis affirmauerit, & etiam affirmari oẽ, quod quiſpiam negauerit. Vnde deducitur hoc manifeſtũ conſectarium, quòd omni affirmationi eſt oppoſita certa quædam negatio; & omni negationi certa quędam affirmatio. Et id appellabitur contradictio: nempe affirmatio, & negatio inuicem oppoſitæ. Sed aduertendum ad hoc, vt habeat locum contradictio, opus eſſe, vt affirmatio, & negatio ei oppoſita, ſint eiuſdẽ verbi, ſeu prędicati, & eiuſdem nominis, ſeu ſubiecti, & vt lõge abſit ab ipſis ęquiuocatio; vt omnino ſint ſecundũ idem, ſiue tempus, ſiue modum, ſiue partem, ad tollendas ſophiſticas importunitates, de quibus in lib. Elenchorum actum eſt.

Adnotationes.

Q*Voniam autem enunciare eſt &c.* Hactenus explicata ſunt ea omnia, quæ in proęmio propoſita fuerant explicanda, q̃d ſit Nomen, Verbum, Oratio, Enunciatio, Affirmatio, & Negatio. Hic modo, pro complemento eorum quæ præmittenda erant adijcitur explicatio contradictionis, de qua nulla mentio habita eſt, in proęmio, vti ea, quæ eſt proprietas reſultans ex affirmatione, & negatione; quæ & manifeſtatur quadam deductione, & probatione, & eſt tanti ambitus, & momenti, vt iuxta eã conſtruatur vniuerſa huius operis tractatio; nempe, quomodo in quocunq; genere affirmationis & negationis, affirmatio, & negatio inuicem contradictorie opponantur.

Omne vtiq; contingit, &c. Manifeſtat his verbis Ariſtoteles, poſſe affirmari omne, quod negatur, & e contra negari poſſe omne, quod affirmatur; Et ratio probationis in hoc ſita eſt; quoniam licet enũciare, & quod eſt, eſſe, & quod non eſt, non eſſe; & etiam licet enunciare non eſſe, quod eſt, & eſſe, quod non eſt. Vnde, cum affirmatio ſignificet eſſe, & negatio non eſſe, nec poſſit aliter enunciari, niſi iuxta quattuor prędictos modos; propterea ſequitur, vt omne, quod affirmatur, negari poſſit; & omne quod negatur, poſſit etiam affirmari.

Et ſit hoc contradictio &c. Vult, quod omni affirmationi ſit oppoſita negatio, & e conuerſo omni negationi affirmatio; ſed quæ, & quales inuicem ſint oppoſitæ affirmationes & negationes, erit deinceps conſiderandum. Et de oppoſitione quidem orationum, quo neceſſario ſit vna vera, & altera ſemper falſa, in Sectione poſtrema prędicamentorum in genere dictũ eſt. Hic autem Ariſtoteles imponit nomen huic oppoſitioni; dicendo; *ſit hac contradictio*: & pertinet ad ipſam vocalem locutionem, in qua affirmatio contradicit negationi, & hæc itidẽ illi. Et hinc fluxerunt illa duo principia communiſſima, de quibus Ariſt. in lib. 1. Poſter. Analy. egit: exactius autem in lib. 4. Met. tum illud, quod impoſſibile eſt contradictionem ſimul eſſe veram, nempe affirmationem & negationẽ inuicem oppoſitas; tum illud, quòd de quocunq; aut affirmare, aut negare verum eſt.

li. 1. Poſt. Anal. c. 1. & libro 4. Metaph. c. 4. & 5.

Dico autem opponi &c. Ad hoc, vt contradictio locum habeat, animaduertit Ariſt. opus eſſe, vt affirmatio, & negatio inuicem oppoſitæ, habeant idem ſubiectum, & idem prędicatum: Vnde non erunt oppoſitæ huiuſmodi enunciationes, *Socrates ambulat, Plato non ambulat*: Neq; hæ *Socrates ambulat, Socrates non ſtudet*. Ad hoc non debet eſſe æquiuocatio, aut in ſubiecto, aut in prędicato: alioquin non erit oppoſitio contradictoria: veluti contingit, ſi dicatur, *Canis latrat*, intelligendo canem terreſtrem, & quòd *Canis non latrat*, intelligendo canem qui piſcis eſt. Ad hæc debet eſſe oppoſitio ſecundum eandem partem, & ſecundum eũdem modum, & ſecundum idem tẽpus, & alia huiuſmodi, quæ ſunt animaduertenda, ad tollendas importunas Sophiſtarum deceptiones, de quibus actũ eſt in lib. Elenchor. Vnde non erunt hæ oppoſitæ: *Aetiops eſt albus ſecundum dentes, & æthiops nõ eſt albus, ſecundum pedes*; Neq; hæ, *Plato mouetur tarde: Plato non mouetur velociter*; Neq. hę: *heri pluit, hodie non pluit*.

IN SECVNDAM Sectionem.

De contradictione enunciationis circa res vniuerſales, & ſingulares.

VT autem regulæ contradictionis circa enũciationes ſimplices manifeſtæ reddantur, hoc in primis eſt præmittendum; rerum alias eſſe vniuerſales, & alias ſingula-

res; Et quidem vniuersales sunt illæ, quarũ natura pluribus est communicabilis, vt de illis possit prædicari; veluti homo de singularibus hominib⁹ dicitur. Res aũt singulares intelliguntur illę, quarum natura non est communicabilis, sed in vno tantum subsistit indiuiduo; sicuti Socratis essentia ipsi soli conuenit, & non alij; & ideo res est singularis.

Necesse est aũt, vt enũciationes omnes sint aut de vniuersalibus rebus, aut de singularibus. Si igitur res singulares accipiantur, regula erit, quòd in quacũq; existendi ratione, siue sit necessaria, siue contingens, omnes affirmationes, & negationes de ijs omnibus cõstitutæ, contradictoriæ semper inuicẽ opponentur, tam in præsenti tempore, quàm in futuro; adeo quòd vna pars cõtradictionis semper erit vera, & altera falsa. Veluti in his; *Socrates* est, *Socrates non* est, *Socrates fuit*, *Socrates non fuit*. item, *Socrates ambulat*, *Socrates non ambulat*; *Socrates ambulauit*, *Socrates non ambulauit*. Circa autem futura contingentia erit alia considerandi ratio. Quod verò attinet ad res vniuersales aduertendũ, quòd hæ possunt aut vniuersaliter enunciari: vt *omnis homo est*, *nullus homo est*, in quibus homo res vniuersalis existens, vniuersaliter per hæc signa, *omne*, & *nullum*, enunciatur: Aut non vniuersaliter, nempe absq; signis vniuersalibus; vt *homo est*, *homo non est*; *homo est albus*, *homo non est albus*. Ad prædicatum autem ẽt, quòd rem concernat vniuersalẽ, non conuenit apponere signum vniuersale; quia huiusmodi enũciatio semper erit falsa; vt dicendo, *omnis homo est omne animal*, & ita de alijs. Accipiendo igitur enunciationes affirmatiuas, & negatiuas de rebus vniuersalibus vniuersaliter prolatis; hæ erũt inuicem contrariæ, *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*, quarum vtraq; falsa est in rebus contingentibus, licet in necessarijs altera vera sit semper, & altera falsa; veluti in his, *omnis homo est animal*, hęc semper vera, *at nullus homo est animal*, semper falsa; Vnde in his contrarietas quædam, non autẽ contradictio locum habet.

Quæ vero enunciationes habentur de rebus vniuersalibus, non vniuersaliter prolatis, hę nõ sunt contrariæ, licet quæ in ipsis res enunciantur, possint esse cõtrariæ ob modum inexistẽdi necessarium: Sicuti in his; *Homo est animal*, *homo nõ est animal*; Vel in his: *aliquis homo est animal*, *nõ omnis homo est animal*; quibus ob rerum significatarum conditionem, huiusmodi inerit contrarietas; vt vna alteram ex necessitate tollat, vt non possint simul esse veræ.

In vniuersalibus autem enunciationibus vniuersaliter prolatis; quæ nominatæ sunt cõtrariæ affirmationes, & negationes, nũquam poterũt esse simul veræ, sed ambæ erunt semper falsæ in ratione existẽdi contingenter, vt

mo

hæ, *omnis homo albus: nullus homo albus*: aut altera erit vera, & altera necessario falsa in ratione existendi necessaria, vt in ijs; *omnis homo est animal, nullus homo est animal*.

Quæ vero sub his contrarijs enũciationes continentur, & sub contrariæ dici possunt, de rebus vniuersalibus, signo non vniuersali, sed particulari probatæ, vt hæ, *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*, in rõne existendi contingenter possunt esse simul verę. Quam ob rem, vt circa vniuersales enũciationes determinata regula contradictionis habeatur, sic erit statuendum; quòd affirmationi vniuersali vniuersaliter prolatę, semper cõtradictorię opponitur negatio, qua signum tollitur vniuersale: adeo quòd semper vna vera erit, & altera falsa in quacũq; ratione existendi; nempe huic *omnis homo est albus*, erit opposita contradictoriæ, *non omnis homo est albus*, & huic negatiuę vniuersali, *nullus homo est albus*, contradictorie opposita erit hæc, *aliquis homo est albus*. Quod vero attinet ad vniuersales enũciationes non vniuersaliter, sed sine signo prolatas (& ideo indefinitæ dici possunt) hæ contradictorie inuicem non opponũtur, sed simul possunt esse veræ; vt *homo est albus, homo non est albus*, aut *homo est pulcher, homo non est pulcher*. potest.n. esse deformis, & dum fit, certe non est pulcher. Neq; vero pensandum, quòd huiusmodi enũciatio, *homo non est albus*, sit eadem cum hac, *nullus homo est albus*. Siquidem variæ, & diuersę sunt inter se enũciationes, adeo quòd erit verum dicere, *homo non est albus*, & non erit verum dicere, *nullus homo est albus*. Nam erit quidem verum, quòd Aethiops non est albus; non autem erit verum, quòd *nullus homo sit albus*.

Adnotationes.

Dubie.

lib. 1. de Ani.

QVoniam autem sunt hæ quidem vniuersales &c. Dubium hoc loco occurrit, quomodo existant res vniuersales, sicut dicit Aristot. in lib. 1. de Anima in proemio, *animal, vt vniuersale, aut nihil est, aut quid posterius*; & reuera non est aliquid ens vniuersale, vt ex professo docet Arist. in libro 10. Met. Verum dicendum est, dari essentiam rerum, vt puta Platonis adeo singularem, vt nulli alteri quàm Platoni, cuius essentia est, possit conuenire. Dantur præterea & essentiæ rerum pluribus communens qualis est essentia hominis oĩbus hominibus communicata, quæ & ab intellectu nostro apprehenditur seorsum ab indiuiduis. Atq. ideo dicuntur res vniuersales, quatenus de pluribus prædicari possunt, non antem q̃ hoc ipsum commune pluribus; quatenus cõmune, & vniuersale est, per se subsistat seorsum ab intellectu, a quo comprehenditur, & ita acceptum, quid posterius erit ab ipsa rei existentia: prout habetur in lib. 1 de Anima loco citato. Dicit aũt Arist. q̃ vniuersale est aptum de pluribus prædicari; forte ad excludendam opinionem Platonis, ponentis ideas rerum per se subsistentes, quæ in pluribus non existunt, vt supponitur hoc loco de vniuersali.

Libro 10. Met. c. 3.

Solut.

Contrariæ enunciationes, erunt &c. Vocat cõtrarius enunciationes huiusmodi: *omnis homo albus est, nullus homo albus est*, q̃m inter se maxime distant, adeo vt *omne*, tollatur per *nullum*, & *nullum* tollatur, pro *omne*, vt non stent simul: quemadmodum etiam album, & nigrum, vti extrema contraria, penitus inuicem seiunguntur: Non autem prædictæ enunciationes sunt inuicem contradictoriæ, cum possint esse simul falsæ in ratione existendi contingente: Non.n. huic signo *omni*, contradicit signum *nullum*: sed *non omne*. Sicuti etiam *nullo*, cõtradicit *aliquod*, vt ita totum per non totum in utraq. hac cõtradictione tollatur.

Non sunt contrariæ. Ait, enunciationes vniuersales nõ vniuersaliter prolatas non esse contrarias, sed significata per ipsas aliq̃n esse cõtraria. Vnde, cum enunciationes vniuersales non vniuersaliter prolatæ possint

in-

intelligi, tum illæ, quæ sunt sine signo vniuersali, ut *homo est albus*, & *homo non est albus*: tum illæ, quæ negant signum vniuersale, sicuti *aliquod*, tollit *nullum*, & *non omne* tollit *omne*, veluti hæ; *aliquis homo est albus, non omnis homo est albus*: ideo uidetur hoc intelligi posse de utroq; genere propositionum, quod non sint contrariæ cum pariter utrunque genus signo careat uniuersali: licet, quæ significantur per huiusmodi propositiones, sint aliquando cõtraria in ratione existendi necessaria, ut sunt hę: *aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal*, ita quidem, ut altera alterum omnino tollat: quod & de indefinitis dicẽdum est enunciationibus sine aliquo signo existentibus, nuncupatis indefinitis, quoniam a nullo signo limitantur: quemadmodum aliæ, habentes adiectum signũ, vel *aliquid*, vel *non omne*.

In eo vero quod prædicatur vniuersale &c. Animaduertit, ad prædicatum uniuersale non esse apponendum signum vniuersale; quoniam huiusmodi enũciatio semper erit falsa. Veluti dicendo, *omnis homo est omne animal*: sicuti & hæc alia, *omnis homo est omne risibile*. Nam ita est dicere, quod singulus homo est oẽ id, quod est risibile, quod falsum est: Apponere autem particulare signum, ut *omnis homo est aliquid animal*, id & superuacaneum est, & reddit orationem inconcinnam.

Videtur significare idem &c. Tollit Arist. quod non sit idem dicere, *homo non est albus*, & *nullus homo est albus*: quod (vt refert Ammonius) aliqui asserebant cõtra sententiam Aristotelis. Sed ipse hãc opinionem excludit, tum ex ipsa forma loquendi, cum differat dicere, *homo non est albus*, & dicere, *nullus homo est albus*: tum etiam, quoniam non necessario idẽ significant: quoniam verum erit dicere, quòd *homo non est albus*, quia Aethiops non est albus, at falsum, erit dicere, quòd *nullus homo est albus*.

Ammo.

Negationem vnius affirmationis esse; & quæ sit vna affirmatio, & quæ vna negatio.

MAnifestum autem ex his, quæ dicta sunt, quòd est vna affirmatio vnius negationis, si accipiãtur inuicem opposite: quod contingit, quãdo quod est affirmatum de aliquo, idem de eodem subiecto negetur, siue de re singulari, siue de vniuersali, aut vniuersaliter, aut non vniuersaliter sit affirmatio, & negatio; sicuti, huius affirmationis, *Socrates est albus*, opposita est negatio, *Socrates non est albus*; Huic vero affirmationi, *omnis homo est albus*, opposita est negatio, *non omnis homo est albus*; Et huic aliæ affirmationi, *aliquis homo est albus*, opposita est negatio, *nullus homo est albus*. Ac deniq; affirmationi, *homo est albus*, opposita est negatio; *homo non est albus*; vt ita in his omnibus pateat, certæ cuidam affirmationi certam etiam quandam opponi negationem. Si aũt aliud prędicatum de eodem subiecto, vel idem prædicatum negetur de subiecto, quod sit aliud ab eo, de quo habita sit affirmatio, in his nõ erit negatio opposita affirmationi; sed tantum erit enũciatio ab ipso diuersa. Vnde patet, quod vna affirmatio opponitur vni negationi contradictorie, & quæ sint hæ, dictum est; nẽpe, vbi tollitur per particularem affirmatiuam vniuersalis negatiua, & per particularem negatiuam, vniuersalis affirmatiua: vel vbi est de re singulari affirmatio, & de eadẽ re singulari sit negatio. Aliæ vero prædictę enunciationes sunt contrariæ. Ex dictis quoq; manifestum est, quòd non omnis cõtradictio ita se habet, vt altera pars sit vera, & altera falsa; quia vniuersalis affirmatio, & negatio vniuersalis, possunt esse simul falsæ: indefinitæ autem, & sub contrariæ possunt esse simul veræ, vt dictum est antea.

Est autem vna affirmatio illa, quæ significat vnũ de vno, siue de re singulari, siue de vniuersali, aut vniuersaliter, aut non vniuersaliter existat, Similiter negatio

tio est vna, quæ negat vnum de vno, illis omnibus modis, quibus & affirmatio est vna; Sicuti hæ: *omnis homo est albus, non oĩs homo est albus*, si tñ album unum significat, nempe vnã naturã. Quòd si duo diuersa significaret, tunc non vna affirmatio, & negatio, sed plures essent: Veluti, si *vestis* poneretur tanquam nomen commune, tum homini, tum equo; Vnde dicendo, quòd *vestis est alba*, non haberetur vna affirmatio; quia idem esset ac dicere, *homo equus est albus*, quæ sunt duę affirmationes, nẽpe *homo est albus*, & *equus est albus*.. Vnde in his non necesse est alteram esse veram, & alterã falsam: propterea quòd si de homine sit affirmatio, quòd sit albus, non erit eius opposita negatio, ꝙ equus non sit albus.

Adnotationes.

M*Anifestum est aũt quòd vna negatio &c.* Perspicuũ est hoc loco patefieri ab Aristotele, quòd omnis affirmationis est vna negatio. Quorsum autem hoc effatus sit, censuit Boetius id explicari propter illud dictum superius, quòd non esset idem dicere, *homo non est albus*, & *nullus homo est albus*. Verum clare patet, vniuerrsalem & cõmunem esse hanc explicationem ad omnes affirmationes, & negationes antea expositas, vt dicendũ sit, omnino ex proposito hoc loco determinari, ꝙ vnius affirmationis est vna negatio me quis expositum existimaret ob varium, & multiplicem modum propositionem antea assignatarum. Vnde & hoc additur, quòd si fuerit aut subiectum, aut prædicatum in negatione aliud ab eo, quòd sit in affirmatione, non erunt eiusmodi enunciationes inter se oppositæ.

Boet.

Quod igitur vna affirmatio. Concludit ex dictis, quòd cõtradictione vna affirmatio opponitur vni negationi, & sunt hę *omnis homo, est albus, non omnis homo albus; nullus homo albus aliquis homo albus*. Et cum subiungitur, *& contraria aliæ:* innuuntur, tum hæ *oĩs homo albus, nullus homo albus*, tum hæ *homo est albus, homo non est albus:* vel hæ *aliquis homo est albus, non oĩs homo est albus*. Et cum additur, *non omnis vera, vel falsa contradictio*, ex ijs significantur tum vniuersales contrariæ, quæ possunt esse simul falsæ, tum idefinitæ, & sub cõtrarię, quæ possunt esse simul veræ, vt dictum est in præcedentibus.

Vna autem affirmatio, &c. Quemadmodum de enunciatione explicatum est, quòd erat vna, quando significatur vnum ex parte nominis, & ex parte verbi; ita quoque de affirmatione, & negatione statuitur, ꝙ erit vtraque vna, nempe affirmatio vna, si idem de eodem affirmetur, & negatio vna si idẽ de eodem negetur. Alioquin, si fuerint nomina, & verba seu subiecta & prædicata, quæ significent plura, & diuersa, adeo ut sit in uocibus, Equiuocatio, sic nõ erit vna affirmatio, & negatio, sed plures erunt affirmationes, & negationes.

De veritate, & falsitate affirmationis, & negationis circa futura singularia.

QVOD in ijs quæ sunt, aut facta sunt, necesse sit alteram enunciationẽ secũdum affirmationem & negationẽ inuicem oppositarum veram esse, & alteram falsam perspicuũ est ex ante habitis, tum quo ad enunciationes vniuersales vniuersaliter prolatas, tum quo ad alias de singularibus rebus existentes, ita quidem, vt de quacunq; re, quæ aut sit, aut facta sit, necesse sit determinate in huiusmodi enunciationibus alteram partem contradictionis esse veram, & alteram falsam. Quod non euenit in enũciationibus vniuersalibus non vniuersaliter prolatis, cum harum affirmatio, & negatio inuicem oppositæ possint esse simul veræ, vti constitutum est antea. Verũ circa res singulares futuras, non similiter cõtingit, vt absolute de oĩbus quæ futura sunt, dici possit, ꝙ determinate, aut vera sit, aut falsa, vel affirmatio, vel negatio inuicẽ oppositæ. Quòd si quis id contenderit sustinere, in maximum incidet absurdum nullo pacto admittendum, vt apparebit ex sequentibus. Etenim, si oĩs affirmatio, vel

negatio eſt vera,aut falſa, neceſſe eſt etiam omne eſſe, aut non eſſe: Siquidem, quod verum eſt,etiam eſt,& quod falſum eſt,non eſt.Idcirco,ſi quis dixerit aliq̄d eſſe futurum, vt puta bellum nauale inter Chriſtianos & Turcas,& alius dixerit hoc idem non eſſe futurũ; manifeſtum eſt,neceſſe eſſe vt alter ipſorum, verum dicat,aut ille qui affirmat, aut ille qui negat futurum bellum inter Chriſtianos, & Turcas, ſi (vt ſupponitur) omnis affirmatio,& negatio,aut vera eſt,aut falſa. Quandoquidem nõ dicendum, ꝙ vtrumq; ſimul inſit eidem, nempe ꝙ bellum prædictum, ſit ſimul futurum,& non futurum, cum cõtradictionis partes ſimul ſtare non poſſint. Quòd autem ſequatur id quod aſſumptum eſt, ſic deducitur. Nam,ſi verum eſt dicere, ꝙ aliquid eſt albũ, aut non album,vtiq. neceſſe eſt vt ſit, aut album, aut non album: Sicuti etiam e cõuerſo, ſequitur ꝙ ſi eſt album, aut nõ album, verum etiã eſt affirmare,quod eſt album, aut negare,quòd non eſt album:adeo quòd ſi non eſt album, mentitur, qui dixerit quòd eſt album: Et ſi mentitur dicens eſſe album, vtiq. neq. eſt album: vt propterea concludendum ſit,quòd omnis affirmatio ex neceſſitate ſit aut vera, aut falſa. Atqui,hac ſtante ſuppoſitione, & deductione, ſequitur, quod nihil ſit, aut fiat a fortuna, neque ſit ipſum vtrumlibet:quod intelligitur illud, q̄d poſſit æque eſſe & non eſſe: vt hoĩem ſedere, & non ſedere:ſed omnia erunt ex neceſſitate: qñ oportet, vt dicat verum de quacunq. re, qui illam affirmet, aut neget. Patet autem quòd non erit ipſum vtrumlibet, ſi omnia ſunt ex neceſſitate. Siquidem vtrumlibet nõ magis ſic, quàm non ſic fieri debet: veluti Socratem ſedere, & non ſedere: quod tñ tollitur ex ſuppoſita neceſſitate. Præterea, Sicuti in his quę ſunt, veluti, ſi quid eſt albũ, verum eſt dicere quòd eſt album, ita quoq. (ſi ſimiliter ſe habet affirmatio circa futura) ſemꝑ fuit verum dicere, quod erit futurum album, quod nunc eſt: Quod aũt huiuſmodi ſemper eſt verum, id vtiq. non poſſibile eſt non eſſe, neq; non futurum; q̄d autem non poſſibile eſt non fieri,id impoſſibile eſt non fieri, & quod impoſſibile eſt non fieri, iſtud neceſſe eſt fieri: quare omnia, quæ futura ſunt neceſſe eſt fieri. Vnde redit deductio, quòd nihil erit ad vtrũ libet, neque a fortuna, quando quod eſt a fortuna,non eſt ex neceſſitate.

Neque vero ab hac difficultate ſe eriperet qui diceret q̄d neq. verum ſit affirmare aliquid futurum,neque verum ſit idem ipſum negare. Etenim hoc aſſerendo auferetur ſuppoſitio illa veriſſima, quòd ſi affirmatio eſt falſa,ex neceſſitate negatio eſt vera;& e cõuerſo,ſi negatio eſt vera,affirmatio eſt falſa; & tamen hàc immutabilem regulam tollit,qui dixerit vtramq; partem contradictionis non eſſe veram:Præterea,ſi eſt verum dicere, quòd aliquid ſit ſimul album, & magnum, vtique oportet vtrumq; eſſe:ergo etiam qui dixerit die craſtina aliquid futurum, vtiq; die craſtina illud erit album, & magnum quod dixerit eſſe futurum. At qui ſi neq. erit, neq. non erit die craſtina, hunc in modũ nõ cõtinget vtrũlibet:veluti,vt bellum nauale poſſit eſſe,& non eſſe; ſic enim neq.

erit,

erit, neq non erit: vnde aufertur ipſum vtrumlibet videlicet quod ęque fieri, & non fieri quidpiam poſſit.

Adnotationes.

IN *his ergo quæ ſunt, & quæ facta ſunt, &c.* Regulam contradictionis hoc loco eſt limitaturus Ariſtoteles. Nam quod attinet ad ea, quæ ſunt, & facta ſunt, ſtatuit in affirmationibus & negationibus inuicem cõtradicentibus ita determinatam eſſe veritatem, & falſitatem, vt ex neceſſitate ſit certa veritas, aut a parte affirmationis adeo vt ſit falſa oppoſita negatio; aut e conuerſo, vt ſit certa veritas a parte negationis, falſitas vero a parte affirmationis; idq; ſcd'm ordinem iam propoſitum penes cõtradictorias enunciationes. Verum de futuris ſingularibus in genere, ad omnia quæ fiũt, non rem ita ſe habere eſt oſtenſurus. idq; non reſpectu eorum, quæ fiunt ſemper eodem modo, ſicuti homo ſemper naſcitur animal, vt determinate ſit verum id affirmare futurũ, falſum autem hoc idem negare: ſed reſpectu eorum, quæ fiunt nõ eodem modo ſemper; ſed poſſunt fieri & non fieri; vt hominẽ fieri album, & nõ album, & naſci cũ quinq; digitis in manu, & etiam non naſci ſemper cum quinq; digitis in manu. Etenim in his ſtatuit Ariſtoteles contradictionem nõ ita eſſe determinatam ad veritatem, aut ad falſitatem, vt altera pars ſit determinate vera, & altera determinate falſa. Id autem hunc in modum deducit. Nam ſi in huiuſmodi cõtingentibus eſſet ex neceſſitate vera aut falſa affirmatio vel negatio, ſequeretur (qñ veritas ſermonis ex rebus ipſis dependet) ꝙ res etiam oẽs eſſent ex neceſſitate: ex quo deinde ſequeretur; ſi omnia fierent ex neceſſitate, ꝙ nihil eſſet a fortuna, neque raro cõtingens, quale eſt, dum terra foditur theſaurum inuenire; neq, aliquid eorum, quæ æque & fieri poſſunt, & nõ fieri; vt naſci hominem album, & non album. Vnde poſtea omnis auferetur cõſultatio, & negotiatio; nullã q; eſſet vtilitas perſuaſionis, neq; comminationis, quibus homines tũ alliciuntur ad bona facienda; tum etiã deterruntur a malis perpetrandis Idcirco, ne hæc tam magna abſurda admittantur, ſupponendum eſt, non omnia fieri ex neceſſitate: ſed quæ aguntur a nobis, ex noſtra libera voluntate pendere, & multa a natura ꝓuenire, quæ fieri, & non fieri poſſunt. Vnde & de huiuſmodi rebus ſtatuendum, ꝙ veritas & falſitas ſit indeterminata, vt poſſit tam vera eſſe affirmatio, quàm negatio, & ſimiliter vtraq; falſa.

Quare ſi eſt. Huiuſmodi eſt præſens argumentatio. Si vera eſt hæc ſuppoſitio, ꝙ oĩs affirmatio, vel negatio eſt vera, aut falſa, neceſſe eſt etiam omne illud, de quo ſit ſermo, aut eſſe, aut non eſſe. Vnde conſequenter, ſi vnus dixerit, aliquid eſſe futurũ, & alter dixerit, illud idem non eſſe futurum: vtique neceſſe eſt, horum alterum dicere verum, ſi omnis affirmatio aut vera eſt, aut falſa. Et cum ſubiungitur. *Vtrūque.n.non erit eiuſmodi.* Ex hoc innuitur, ꝙ vtrumq; non poteſt de eiſdem verificari, vt idem & ſit futurum, & non futurum; Et id patet ex ſenſibili oſtẽſione; qm̃, ſi verum eſt dicere, ꝙ eſt albũ, aut non album, neceſſe eſt eſſe album, aut non album: & e conuerſo, ſi eſt album, aut non album, verum etiam erit affirmare qđ eſt, aut negare quod non eſt album: adeo ꝙ, ſi non eſt album, mentitur, & falſum dicit, qui dicit eſſe album; & ſi mentitur dicens eſſe album, vtiq, neque album eſt. Vnde ſequitur, ſemper neceſſe eſſe affirmationem, aut negationem aut veram, aut falſam; & conſequenter omnia eſſe, & fieri ex neceſſitate; non eſſe aliquid a fortuna, aut quid eiuſmodi, quod ſit ad vtrumlibet, vt poſſit eſſe & non eſſe.

Amplius autem ſi eſt nunc aliquid album, &c. Aliud argumentũ ad idem; Nam ſi ſimiliter in futuris ſe habet veritas, & falſitas determinate, ſicuti ſe habet in his, quę ſunt; cum in his quæ ſunt, ſi nunc aliquid album eſt, determinate, verum eſt dicere ꝙ eſt album: ita igitur etiam determinate erat verum dicere, antequàm eſſet, ꝙ erit album. Vnde omnia erunt ex neceſſitate.

At vero neq. eſſe. Aufert non poſſe dici, ꝙ neq; verum ſit dicere, futurum eſſe bellum nauale die craſtina, neq. etiam dicere, ꝙ non ſit futurum. Nam ſi non eſt vera affirmatio, quòd futurũ ſit bellum nauale, oportet ex conſtanti regula aſſignata, quòd ſit vera negatio, dicens, quòd non ſit futurum bellum nauale. Alioquin rueret axioma ꝙ de quocunque eſt affirmare vel negare verum, & falſum: Siquidẽ tollitur vtrumlibet, quòd æque fieri, & non fieri poteſt aliquid, ſi admittatur, quòd neque erit, neque non erit bellum nauale.

Abſurda explicantur conſequẽtia ſuppoſitioni, qua dicatur determinatam eſſe veritatem circa futura contingentia.

EX prędictis igitur patet (ſi voluerimus aſſerere, quòd ſicuti in vniuerſalibus vniuerſaliter prolatis enunciationibus neceſſe eſt contradictionis determinate alteram partem eſſe veram, & alteram falſam, hoc idẽ etiam eueniat circa quaſcunque enunciationes rerum contingentium) hæc ſequi maxima abſurda, tum non eſſe vtrumlibet, ſiue ea quę fieri poſſint & nõ fieri, tum nihil fieri,

for-

a fortuna, sed omnia ex necessitate. Ad hæc deinde consequitur, non cõtingere igitur vt locus vllus humano sit consilio: videlicet, quòd si hoc egerimus, illud erit veluti si ita pugnabimus cum hostibus, victores euademus in bello, neque actionibus quas intentemus, locus erit: quãdoquidem, nihil prohibet mille annos; antea aliquem dixisse, quòd erit illud bellum; alium vero negasse, quòd non erit. Vnde, si ex necessitate omnia fiunt, necesse erit euenire id, quod aliquis prædixerit, vt nõ possit aliter fieri; sed necesse erit fieri id, quod tũc fuit verum pronunciasse esse futurum.

Sed & vrget hæc eadem difficultas, vel si quispiam dixerit, vel si non dixerit, contradictionem: quandoquidem manifestum est, quòd si omnia fiũt ex necessitate, res vtiq; ita se habebunt, vt determinate sic aut nõ sic fiant, siquidẽ erunt, aut non erunt res, nõ ex eo quòd de illis affirmatum vel negatum sit, aut mille annos antea, aut in quocunq; tẽpore, sed quia ita semper se se res habeant, vt ex necessitate fiant. Vnde verũ erit, in quocunq; tempore enunciasse, ꝙ ita fiant, cum omnino fiant ex necessitate omnia. At qui hæc sunt impossibilia, vti perspicuum esse potest, tum ex eo, quòd conspicimus esse principium futurorum, quæ a nostra voluntate depẽdent tam in consilio capiendo, q̃ etiam in operando, & exequendo ea quæ ex consilio præhabito agere statuerimus; tum etiam ex natura earum rerum, quæ non semper actu sunt, sed modo sunt, & modo non sunt, in quibus est ea possibilitas, vt, & esse, & non esse similiter possint. Quemadmodũ dicemus, de indumento, quòd possibile est ipsum incidi, non tamen ex necessitate incidetur; vt puta si conteratur: idem etiam dicemus possibile esse non incidi, ita quidem, vt non sit necessarium, vt nõ incidatur, quod patet, qm̃ conteritum fuerit: quod non euenisset, si ex necessitate erit, vt non incideretur: adeo quòd ita est possibile non incidi, vt possit etiã conteri: quod & de alijs omnibus rerum generationibus est asserendum, quæ pendent ab huiusmodi potentia, quæ ad vtrũlibet se habet. Hinc manifestum esse debet, quòd non omnia sunt, aut fiunt ex necessitate; sed aliqua æquę fieri, & non fieri possunt, de quibus ẽt non magis affirmatio, quam negatio, aut vera, aut falsa contingit esse: quamuis deinde in nonnullis rebus, quæ ut in plurimis fiunt, ueluti nasci hominem cum quinque digitis in manu, etiam affirmatio erit magis, & ut in plurimis uera, quàm negatio, quòd non nascatur homo cum quinq. digitis in manu, ita tñ ut possit, & hæc esse uera, & affirmatio eius opposita falsa.

Adnotationes.

V*Idemus enim principium futurorum, &c.* Impugnat deductionem factam, nempe, quòd omnia sint ex necessitate, qđ sequitur ad suppositionem, quòd omnium, sit determinata veritas & falsitas: primo ex hoc, quòd consultamus; & ex hoc ẽt, quòd aliquid agimus ex nobismet ipsis. Hoc aũt principium ait S. Thomas esse hominẽ, vti illum, qui quasi est dominus suorum actuũ, & habet in sua potestate agere, vel non agere. Verum id non videtur elici ex verbis Aristotelis, vt dicat hoc loco, quòd homo sit principium libere agens, licet hoc nõ negaret. Ait.n. quòd videmus esse principium futurorum ex hoc, quòd consultamus, & ex eo quòd agimus aliquid: inquantum enim incipimus consultare, & aliquid agere, hinc patet, quòd est principium, consultandi, & agendi. Vnde si est principium, iam aliunde

S. Tho.

non pendent hæc, neque ſunt, ex neceſſitate, tanquam aliunde prouenientia. Quòd ſi quis inſtet, quòd homo non poteſt, non velle fęlicitatem, quæ ſemper antecedit, vt ab ea dependeant omnes actiones humanæ; dicendum ad hoc, quòd de fine, qualis eſt fęlicitas, non initur conſilium ab homine: ſed de his, quę pertinent ad finem, quæ etiã non ſunt neceſſaria, cum de neceſſarijs cõſilium non ſumatur, vt docet Ariſt. in Ethicis. Ad hæc docet hoc idem Ariſtoteles circa ea, quæ in natura non ſemper actu ſunt, aut operantur, vt poſſint eſſe, & nõ eſſe; huiuſmodi.n. multa ſunt in natura, quæ poſſibilia ſunt eſſe; vt veſtimentum incidi, quod eſt poſſibile, & non neceſſarium, vt incidatur; ſiquidem comburetur: Et ſimiliter poſſibile eſt non incidi; alioquin prius non cõbuſtum eſſet: nam cum combuſtum ſit, hinc apparet ſublata neceſſitas ad hoc vt non incideretur: ex quibus concluditur, non omnia fieri ex neceſſitate.

Libro 3. 6. Eth.

Regulæ tradũtur, quomodo circa futura contingentia veritas & falſitas ſit determinanda.

VT igitur de contradictione uniuerſalis ſtatuatur regula, ita ſupponendum eſt, quòd illud quod eſt, dum eſt, ex neceſſitate eſt; ſicuti, & quod non eſt, dũ non eſt, ex neceſſitate non eſt. At poſtea non eſt dicendũ, quòd omne ens ſit ex neceſſitate, aut quod id quod non eſt, ex neceſſitate nõ ſit. Siquidem nõ idem eſt dicere, quòd omne, quod eſt, dum eſt, ex neceſſitate ſit, & dicere ſimpliciter, & ſine limitatione quod ſit ex neceſſitate. Quod pariter de non ente aſſerendum eſt: uidelicet, aliud eſſe dicere, dum non eſt aliquid, ex neceſſitate non eſſe: & aliud dicere abſolute, quòd non ſit ex neceſſitate. Vnde hęc eadẽ regula erit circa contradictionẽ, ut dicatur, omne aut eſſe aut non eſſe, ſiue futurum, aut non futurũ ex neceſſitate: non autem dicendum, alteram partem contradictionis ſe iunctam ab alia ex neceſſitate eſſe, aut non eſſe. Veluti, licet dicere, quòd neceſſariũ eſt, ut die craſtina fiat bellum nauale aut, vt non fiat: non autem eſt neceſſarium quod bellũ nauale fiat craſtina die; neque etiam eſt neceſſarium ut non fiat. Quamobrẽ, cum orationes enunciatiuæ ita ſint ueræ, uti & res ipſæ, & ab harum ueritate orationis quoq. ueritas dependet: idcirco manifeſtũ eſt, quòd de rebus, quæ ſe habent ad utrumlibet, & contraria ſuſcipiunt, ut poſſint eſſe, & non eſſe, affirmationes quoq; & negationes ita ſe habebunt, vt poſſit affirmatio, & vera eſſe, & falſa, & negatio ſimiliter uera & falſa. At nõ determinate dicẽdum eſt de huiuſmodi contingentibus futuris, quòd affirmatio ſit uera, neq. determinate quòd ſit falſa: quod ſimiliter de negatione eſt aſſerendũ. Non enim, ut ſe habent affirmationes, & negationes circa ea quæ ſunt, de quibus eſt determinata ueritas ab una parte contradictionis, & ab altera falſitas, ita ẽt ſe res habet circa ea, quę non ſunt & poſſibilia ſunt, tum fieri & eſſe, tum non fieri & non eſſe.

Adnotationes.

NOn enim idem eſt, &c. Id habet, quòd non eſt idem dicere, omne quod eſt, ex neceſſitate eſſe, & dicere abſolute, quod omne ſit ex neceſſitate. Nam primum enunciatum ſupponit exiſtentiam rerum, quę dũ ſunt, ex neceſſitate ſunt. Secundum aũt enũciatum pertinet ad ea, quæ eſſe poſſunt, & non ſunt ex neceſſitate. Vnde ſimiliter in affirmationibus, & negationibus, non erit determinata veritas, aut falſitas ab vna, uel ab altera parte. Idcirco adnotandum, quòd de futuris contingentibus quattuor erunt modi dicendi. Vnus, quòd ſit ex neceſſitate determinata veritas, & falſitas ab altera parte, qui modus excluſus eſt, quoniam ſic omnia fierent ex neceſſitate. Alter, quod vtraque pars contradictionis ſit ſimul uera, & falſa, qui etiam excluditur ex hoc, quoniam neceſſe eſt alteram partem contradictionis eſſe uerã, & alteram falſam, ut detur locus dignitati aſſerenti, quod impoſſibile eſt idem ſimul eſſe uerum, & falſum. Tertius uero modus erit aſſerere, quòd neutra ſit uera pars contradictionis, qui etiam excluſus eſt in præceden-

tibus, ut detur locus alteri dignitati, quòd de quocunque est, aut uerum, aut falsum enunciare. Quartus autem modus, & postremus relinquitur, q uerus est, quòd necesse est aut unam, aut alteram partem contradictionis esse ueram, aut falsam: ita tñ, ut nõ determinetur ueritas, aut falsitas, aut a parte affirmationis aut a parte negationis, cum tñ in his, quæ in pluribus fiunt, ut nasci hominẽ cum quinq; digitis in manu, sit magis determinata veritas a parte affirmationis, quàm a parte negationis.

Dubit.

Occurrit autẽ dubitatio, propterea quòd non uidetur uerum illud, quod Aristoteles supponit, quòd aliqua sint a fortuna raro euenientia, & nonnulla, quæ æque fieri, aut non fieri possint. Nam uidetur dici posse, quòd omnia fiat ex necessitate: Primo quidem, qm̃ quæ futura sunt, aliqñ erunt, & dũ erunt, ex necessitate erunt: Sicuti & Aristoteles supponit, quòd ea, quæ sunt, cum sunt, ex necessitate sunt. Deinde, qm̃ oĩum quæ fiunt, & eueniunt, est assignare aliquam causam, qua existente ex necessitate etiam effectus erit: ueluti est dicere, quòd fossio terræ est in causa, ut inueniatur thesaurus: quemadmodum, & quòd homo nascatur cũ quattuor digitis in manu, aut albus, aut niger fiat, aliqua materialis causa assignari poterit, & ita de alijs. Tertio ex suppositione eorum (qui dicunt omnia fieri, uti dependentia a certa cęli & stellarum causa, & fatum hoc appellant) sequitur quòd oĩa fiant, ex necessitate. Quod etiam cõcors uidetur sententiæ, quam pronunciauit Arist. in initio lib. 1. Meteororum dum dixit, *Necesse eẽ mundũ hũc inferiorẽ superioribus lationibus eẽ cõtiguũ, vt inde omnis virtus gubernetur.* Ex quo sequi videtur, q oĩa fiant ex necessitate.

Libro 1. Met. c. 1.

Postremò, Deus secundum fidei nostræ veritatem, omnia quæ apud nos futura sunt, habet in prospectum vti præsentia, quę ita cognoscit, vt eius scientia sit immutabilis; vt ideo dicendum videatur, q necesse sit omnia esse ex necessitate.

Solut. ad Primũ

Verum ad hæc obiecta respondentes, dicimus ad primum, verum esse, quòd id, quod futurum est, cum erit, tunc necessario erit; sicuti etiam, quod est, dum est, ex necessitate est. At quòd oẽ futurum sit necessarium, non necesse est; imo potest non esse, vt sunt ea omnia, quæ non eodẽ modo semper se habent, sed possunt esse, & non esse.

Ad 2m.

Ad secundum dicendum, non esse causam inducentem necessitatem; vt ex terræ fossione, dum eius fit cultura, inueniatur thesaurus: non enim semp ex huiusmodi operatione sequitur, vt thesaurus inueniatur; quin & eius inuentio hunc in modum facta succedit præter intẽtum colentis terram; & ideo hoc factum appellatur euentus a fortuna: Vnde Arist. in lib. 6. Met. docet, horum accidentium non esse causam vllam determinatam.

libro 6. Met. c. 2.

Sed & dicendum est, quòd etiam ex necessitate non est, vt q quærat ex proposito thesaurum, illum inueniat, cùm possit & ipsum inuenire, & non inuenire; sicuti etiam potest fieri bellum nauale, & non fieri. Quòd autem in rerum natura sit aliqua causa determinata quòd aliquis (exempli gratia) nascatur albus, aut niger, aut cum quattuor digitis in manu; vtique fatendum est, hæc prouenire ex aliqua dispositione materię; quam tamẽ dicimus non ita esse necessariam, vt inde pueniat huiusmodi determinata generatio in homine; quando ad naturam hominis nõ semper hęc consequãtur: sed varia põt esse causa, pp quam corpora aut alba, aut nigra fiant. Vnde & de his scientia apud nos esse non potest.

Ad 3m.

Ad tertium dicendum est quòd qui supponunt constellationes causas esse determinatas omnium, quæ fiunt, in hoc sunt reprehendendi, quòd temere, & insipienter hęc asserunt; quando non norunt, nec queunt dicere, quænam sit causa talis, aut talis euentus: vnde vana est eorum suppositio absque certa ratione enuntiata. Et ad id quod additum est, ex lib. Meteor. vtique dicendum est, quòd ad hoc, vt hæc inferiora conseruentur in eo ordine generationis, quem habent, opus esse vt dependeant a superioribus lationibus: neque tamen ppterea sequitur, ut omnia quæ hic fiunt ex necessitate fiant in ordine & natura rerum determinata; cum variari possint, vti dictũ est; tum propter cęlestium corporum variũ mutabilitatem, tum ob variam horum inferiorum mutuam commistionem: & præsertim id negandum est penes actiones, quæ ab humano consilio proficiscuntur, & ab hominis libera voluntate dependent.

Ad 4m.

Ad postremum deniq; argumentum dicendũ est, apud Deũ quidem omnia, quæ futura sunt, esse præsentia, vnde sequitur, q quæ futura sunt, eo modo sunt futura, vt Deus præcognouit esse futura. Sed aduertendum, q Deus præcognoscit quæ futura sunt apud nos, ac iam facta sint: quæ autem sunt, dum sunt, vt dictum est, necessaria sunt. Atqui Deus, iuxta ordinem rerum ex sua prouidẽtia constitutarum cognoscit ex entibus nõnulla ex necessitate semper fieri, quæ ita. Nam constituit vt essent, & quædam esse contingentia, quæ pariter ita constituit nõ existentia necessaria, vt ita vel ita fiant cũ varietate, licet cum sint facta, succedat postea in ipsis quoq;, vt sint ex necessitate, dũ sint. Sed & Deus singulas omnes vel minutissimas dispositiones materiæ cognoscit, quæ nobis sunt occultæ. Nec non & apud Deum nullus est euentus fortuitus, sicuti apud nos; cum ipse omnia regat, & puideat, vt nihil in hoc mundo fiat præter eius voluntatem, atque imperscrutabilem prouidẽtiam: quemadmodum apud nos ex Iesu Xp̃i fide id constat, & est indubitabile.

Libro 4. Met. c. 3.

Adnotãdum autem in lib. 4. Metaph. tractari de his principijs, quòd impossibile est esse simul veram affirmationem, & negationem: item, quòd oportet alteram partem contradictionis esse veram, & alteram falsam; non autem de futuris contingentibus, quomodo se habeat veritas, aut falsitas, ibi disputatur, vt fit in hoc loco. Ibi enim de principijs prædictis est consideratio, quæ erant supponẽda contra opinionem aliter sentientium. Hìc autem regulæ traduntur vniuersales applicandæ ad omnes artes, & scientias circa affirmationes, & negationes quomodo veritas, & falsitas in contradictorijs

rijs orationibus esse possit: quæ contemplatio, nonnisi viri philosophi esse potest; non tamen pars existens philosophiæ: sed ad Organum pertingens, seiunctim a rerum determinata speculatione: quod tamen maxima cum sapientia confectum esse, in Præfationibus iam demonstratum est.

De simplicissimis affirmationibus, & negationibus.

QVoniam autem, ut patet ex antehabitis, affirmatio sicuti, & negatio, est significans aliquid de aliquo, & illud de quo significatur, est aut nomen, aut innominatum, ut non homo, quod appellatum est nomen infinitum, cum tamen & ipsum aliquid significet. Idcirco dicendũ est, quòd omnis affirmatio, & negatio constabit aut ex uerbo, & nomine finito, aut ex uerbo & nomine infinito; numquam autẽ sine uerbo erit affirmatio, uel negatio: quandoquidem & hę dictiones, *est, fuit, erit, fit,* & alia huiusmodi, sunt uerba iuxta expositionem traditam de uerbo, ut quę & ipsa consignificent tempus. Idcirco prima omnium affirmatio erit huiusmodi *homo est*, & huius negatio, *homo non est*. Deinde uero erit hæc quodammodo magis cõposita, constãs ex nomine infinito, *non homo est*, & huius negatio, *non homo non est*. Similiter in enuntiationibus uniuersaliter ꝑlatis, erit hęc simplex affirmatio, *omnis homo est*, & huius negatio, *non omnis homo est*: Deinde erit hæc, *omnis non homo est*, & huius negatio, *nõ omnis non homo est*; quod similiter de alijs dicendum est, tum secundum pręsens tempus, tum secũdum tempora extra pręsens existentia.

Adnotationes.

QVoniam autem &c. in hac parte imponit finem Aristot. secundæ sectioni huius operis, iuxta Græcorum diuisionem. Et ideo exponit simplices enuntiationes vti primas, quæ constant ex nomine, & verbo tantum: cum deinde in sequentibus circa enuntiationes magis compositas sit alias regulas allaturus.

Vnum enim significat quodammodo infinitum nomen. Ponit infinitum nomen significare quodammodo vnum, cum tamen dictum sit superius, ꝙ infinitum nomen est huiusmodi, ut & de his, quæ sunt, & de illis, quæ non sunt, possit intelligi: Quod quidem si verum est, quomodo igitur dicitur hoc loco, quòd infinitum nomen vnum significat? Dicendum ad hoc, quòd *homo*, significat vnum determinate, nempe naturam hominis. At *non homo*, significat vnum non simplieiter, sed inquantum significat hominis negationem; quæ est vna, licet hæc, & ad ea, quæ sunt, & ad ea, quæ non sunt, possit applicari.

Dubit.

Solut.

Est enim, vel fuit. Aperte hoc loco Arist. habet, quòd ipsum verbum, Est, dictum substantiuum verbum, obtinet vim verbi, sicuti & alia verba, de quibus supra actum est: Idque comprobat ex hoc, quoniam consignificat semper, iuxtà definitionem de verbo assignatam. Vnde colligitur, falsam esse eorum opinionem, qui dixerunt, ꝙ verbum substantiuum sit solummodo ligamentum, quo cõiungitur prædicatum cum subiecto.

Ordo simplicium enuntiationũ constantium ex nomine tantum, & Verbo.

Harum alię sunt singulares sic inuicem oppositæ.

Socrates est, Socrates non est.

Aliæ vniuersales dictæ indefinitæ non contradictoriæ, vt

Homo est, Homo non est.

Aliæ similiter indefinitę habẽtes nomen infinitum non contradictoriæ.

Nõ homo est, Nõ homo non est.

Aliæ vniuersales dictæ contrariæ ex nomine finito constantes.

Oĩs homo est, Nullus homo est.

Aliæ etiam vniuersales, & contrariæ ex nomine infinito.

Omnis non Homo est.

Nullus non homo est.

Aliæ subcontrariæ ex nomine finito.

Aliquis Homo est.

Aliquis homo non est.

Aut ex nomine finito.

Aliquis non homo est.

Aliquis non homo non est.

Aliæ contradictoriæ ex nomine finito constantes.

Omnis homo est.

Aliquis homo non est.

Nullus homo est.

Aliquis homo est.

Aut sunt contradictoriæ habétes nomen infinitum.

Omnis non homo est.

Aliquis non homo non est.

Nullus non homo est.

Aliquis non homo est.

Et hęc omnia repeti possunt circa enunciationes, iuxta præteritum, vel futurum tempus pronunciatas.

IN TERTIAM Sectionem.

De duplici oppositione, quæ in enunciationibus exurgit ipso verbo Est, tertio adprædicato existente.

QVando autem ipsum *Est*, tertia in oratione dictio existens simul prędicatur, dupliciter hunc in modum oppositiones dicuntur: Ita autem intelligitur, ipsum, *Est*, tertium prædicari, cum in enunciatione (veluti in hac) *est iustus homo*, ipsum, *est*, tertium nomen, vel verbum in ea componitur. Vnde propter hoc, quod ipsum *est*, potest adiacere, & apponi, tum iusto, tum nō iusto: idcirco hinc exurgunt quatuor enūciationes, videlicet hæ: *homo est iustus, homo non est iustus:* item *homo est non iustus*, & *homo non est non iustus:* quarum duæ nempe hæ, *homo est non iustus, homo nō est non iustus*, ita se habet ad affirmandum, & ad negandum, & vna harum tanquam affirmatio, alteri tanquam negationi, opponatur, iuxta eundem ordinem, quo opponuntur inuicem priuatoriæ enunciationes: nimirum hę: *homo est iniustus, homo non est iniustus*. Etenim, sicuti hæc: *homo est iniustus*, tanquam affirmatio, habet oppositam, vti negationem, hanc aliam, *homo non est iniustus*: ita quoque hæc, *homo est nō iustus*, vti affirmatiua, habet pro negatione sibi opposita hāc aliā, *homo non est nō iustus*. Duæ vero aliæ, nempe, *homo est iustus, homo nō est iustus*, non ita opponuntur, vti priuatoriæ prædictæ, cum in ipsis prædicatum, nempe *iustus*, neque priuatiuæ, neq; negatiuæ apponatur: adeo quòd, quemadmodum in Analy. in lib. I. Prior. prope finē constitutum est, huius affirmationis, *homo est iustus*, erit negatio, non hæc, *homo est non iustus*, neque hæc alia, *homo non est non iustus*; sed hęc, *homo nō est iustus*. Illæ vero aliæ duæ erunt inuicē oppositæ; videlicet, *homo est nō iustus, homo non est non iustus*. Quomodo autem hæ quatuor enun

Lib. I. Pr. Anal. sectio. 3.

enunciationes inuicem conse-quantur, & quam mutuam habi tudinem inter se obtineant, tan-quam alterius negocij conside-ratio, libris Analyt. est relinquen da. Simili quoq; modo cũ prędi ctis se habebũt enũtiationes vni uersaliter prolatæ; nempe huius affirmationis; *est omnis homo iu stus*, negatio erit, *non est omnis homo iustus*: Huius vero, *est oĩs homo non iustus*, negatio erit, *nõ omnis est homo non iustus*; præ terquam quòd non similiter cõ-tingit, vt sicuti vniuersales non vniuersaliter prolatę enuncia-tiones possunt esse simul veræ, ita etiam vniuersales vniuersali-ter prolatę, quę secũdum diame trum opponuntur, sint simul ve rę: licet contingit aliquando, vt & oppositæ diametraliter sint ve rę: veluti hę: *aliquis homo est iustus: nõ omnis homo est iustus*: non autem simul erunt verę hę inuicem oppositę; *omnis homo iustus est*, & *nullus homo iustus est*, vt contingit in enũciationib' vniuersalibus non vniuersaliter prolatis; quemadmodum simul verę esse possunt hę, *homo est iu stus, homo non est iustus*.

Hę igitur sunt duę exurgẽtes oppositiones ex ipso tertio, *Est*, verbo apposito in oratione. Alię vero duę species oppositionis exurgent, si nomen infinitum su biectũ in enunciatione ponatur, & erũt hę, *non homo est iustus*, cuius negatio erit, *non homo nõ est iustus*. & hę alię, *non homo est non iustus*, cuius negatio erit, *non homo non est non iustus*. adeo quòd hę, quę constant ex nomine, seu subiecto infinito, ge nere distinguũtur ab alijs enun-ciationibus, quæ non habent no men infinitũ. Et ijs plures non erũt species oppositionis, quò ad hũc ordinem tertij adprędicati verbi. In quibus aũt enũciatio-nibus non aptatur, neq; quadrat ipsum *Est*, sicuti in huiusmodi, *ambulat, valet*, in his statuendũ est, huiusmodi verba idem præ-stare, ac si ipsum est apponere-tur in oratione, vt ita fiant enun ciationes ex nomine, & verbo constitutę. *Valet homo, non va let homo*: Similiter, *valet omnis homo, non valet omnis homo*. Et rursus hęc, *valet omnis non homo, non valet omnis non ho-mo*. Non.n.dicendum est, *non omnis homo*, sed particula nega tiua apponenda est ipsi subiecto, qđ pro infinito accipitur: ipsum autem *omne*, non significat vni-uersale, sed quòd vniuersaliter aliquid se habeat, vt dictum est supra: quod patet ex enũciatio-nibus sine signo prolatis, vt sũt hę, *homo valet, homo non valet*; & hæ alię, *valet non homo, non valet non homo*. quę quidem ab alijs differũt, in quibus aut *nul-lum*, aut *omne* apponitur; vt pateat ex his, hmõi signa non no men vniuersale significare, sed solũ ꝙ nomen vniuersale accipi tur vniuersaliter: & ideo dictum est, quòd non apponenda est par ticula negatiua ipsi signo in enũ ciationibus nominis infiniti, sed nomini, vt ita infinitum perma neat nomen infinitum.

Adnotationes.

QVando autem est tertium &c. Aggreditū hoc loco Arist. explicationē enūciationū, in quibus ipsum, *est*, adprædicatū, Græce habetur τρὰκατηγορηται, qđ antiqua lectio vertit, *tertium adiacens prædicatur*. Argilopilus autem sic: *insuper prędicatur*, omnino hoc vult Philosophus, quòd verbum, *est*, sit a parte prædicati, nempe coniunctum cum prædicato, quod dicitur de subiecto; adeo quòd & ipsū, *est* simul prædicatur; vt in hac oratione, *homo est iustus*, de homine prędicatur *iustus*, simul autē & *est*, prędicatur; adeo quòd per verbum *est* significatur homini inesse iustitiam; & ita *est*, non existentiā simpliciter hominis, sed existētiam iustitiæ in homine designabit. Vnde subiungit Arist. ipsum *est*, *componi tertium nomen aut verbum*, ita loquens: aut qm̄ & verba, vt significant aliquid, sunt vt nomina, vt explicatum est in tractatu Verbi; aut qm̄ ipsum, *est*, potest componi, vt nomen in euunciationibus modalibus, sicuti in hac *possibile est hominem ambulare*, adeo quòd ad subiectum apponatur ipsum verbum *est*, vt docetur infra in initio quartæ sectionis. Dicitur autem *est* tertiū adiacere, qm̄ in eiusmodi enunciatione, *homo est iustus*, tres sunt dictiones, & ita verbum *est*, ad duas alias dictiones relatum tertiæ dictionis officio fungitur: Non aūt ex eo quòd in tertio loco ordine quodā proferatur: cum possit & primum, & secundum, & tertium locum obtinere in enūciatione ad placitum enunciantis. Statuit igitur Arist. ex hac appositione ipsius verbi, *est*, tertij ad prædicati existentis in enunciationibus, dupliciter exurgere oppositionem inter affirmationem, & negationem penes easdē tres dictiones, quales sunt, *homo iustus est*. Et id quidem, qm̄ particula negatiua potest apponi, & non apponi huic dictioni *iustus*. Vnde si non apponatur, hæ duæ euenient enunciationes simul oppositæ: *homo est iustus, homo non est iustus*: Si autem apponatur negatio dictioni *iustus*, euenient hæ aliæ duę enūciationes pariter inuicem oppositæ; *est homo non iustus*; *non est homo non iustus*: & ita duobus modis fit in his oppositio: quod nō contingit, vbi sint tm̄ duæ dictiones, nomē & verbum, vt *homo est*, *homo non est*.

Quarum duæ quidem &c. Locus hic admodum obscurus adiudicatus est a pręcipuis etiam philosophis, qui & varie cum sunt interpretati. Itaque ad faciliorem huius loci intelligētiam, prius eam interpretationem afferemus, quam esse germanam, & ad mentem Arist. existimamus, deinde vero aliorū sententias perpendemus. Dicimus igitur id haberi ab Aristotele in hoc contextu, quòd ex quattuor enunciationibus, quas enumerat, & sunt hę, *homo est iustus*, *homo non est iustus*, *homo est non iustus*, & *homo non est non iustus*, harum duæ ita se habent inuicem ad affirmationem, & negationem: idest ad affirmandum & negādum, vt vna sit affirmatio, & altera ei apposita negatio: & intelligit has, *homo est non iustus*, *homo non est non iustus*, de quibus ait quòd inuicem se habēt, ad affirmationem & negationem, scđm eundem ordinem, quo, & priuatoriæ se habēt inuicē ad affirmandum, & negandum, & sunt hæ, *homo est iniustus*, *homo non est iniustus*, & quales ex ijs sint inter se oppositæ exponit: dū vult, huius, *homo est non iustus*, hanc esse negationem, *homo non est non iustus* Nam, vt priuatoriæ habent priuatum prædicatum, ita quoq. hæ aliæ habent prædicatum negatū. Aliæ vero duæ ex prædictis quattuor, *homo est iustus*, & *homo non est iustus*, non ita se habent: sed absolute in vna harum affirmatur prædicatum, in altera vero eius opposita, negatur. Et id quidem explicauit Arist. qm̄ aliquis potuisset existimare, q huius affirmationis, *homo est iustus*, esset negatio, aut hæc, *homo est non iustus*, aut hęc, *homo non est non iustus*, cum tm̄ neutra harum sit illius vera negatio: sed hęc, *homo nō est iustus*. De hoc autem ex proposito, & exacte magis egit Arist. in fine lib. 1. Prior. Anal. & est locus adeundus diligenterq; perpendendus ad faciliorem pręsentis loci intelligentiam. Et qđ hoc loco habeť Græce, κατὰ τὸ ϛοιχὴν & vertit antiqua lectio sequens sensum, quē prætendit, hunc in modum: *secundum consequentiam*: Argilopylus autem ita *similitudine rationis*, ibi Gręce nominat τάξιν, idest, *ordinem*: quem statuit esse eiusmodi: quòd huius, *homo est iustus*, opposita est hæc negatio, *homo non est iustus*, alię vero duæ, *homo est non iustus*, & *homo non est non iustus*, inuicē opponantur, sicuti & priuatorię, quæ sunt, *homo est iniustus*, & *homo non est iniustus*, inuicē opponuntur. In eodem autem lib. 1. Analyt. constituit Arist. in quendam ordinem pręd ictas enunciationes, collocans sub affirmatiua finiti pręḍicati, quę est, *homo est iustus*, tū negatiuā infiniti pręḍicati, *homo non est non iustus*, tum negatiuam priuatiuam, *homo non est iniustus*: sub negatiua vero finiti prædicati, qualis est, *homo non est iustus*, collocans tū affirmatiuam infiniti pręḍicati, *homo est non iustus*, tum affirmatiuum priuatiuum, *homo est iniustus*: Docet pręterea quomodo in ijs ipsis certa quędam cōsistat consequentia: Veluti q ad hanc, *homo est iustus*, consequatur, tum hæc, *homo non est non iustus*, vt in plus se habēs, tum hęc, *homo non est iniustus*, pariter in plus se habēs. Ad illam vero, *homo est non iustus* & ad hanc, *homo est iniustus*, cōsequitur vt in plus se habens hęc, *homo non est iustus*. Et quomodo ad plura se extēdant enunciationes, quæ ad alias consequuntur, ibidem dilucidatur, quod non fit hoc loco. Vbi id solum intendit Philosophus nempe palam facere rationem vere, & germane contradictionis, quę in singulis enumeratis speciebus enunciationum inuenitur: intelligendo (dum ait, quòd se habent ad affirmationem, & negationem) quomodo inuicem contradictorie opponantur, vt vnā vocem gerat affirmationis, & altera negationis illi oppositę: & non quomodo se habeant enunciationes infiniti prædicati ad affirmationē & negationem, idest, ad illas finiti prædicati ut ferme communis est interpretatio.

Lib. 1. Pri. Ana. sect. 3.

His ita expositis, facile exploditur expositio Harmelij ita interpretantis: quòd duæ, quæ sunt de infinito, pręḍicato, se habent ad affirmationem, & negationem, quæ sunt

de-

de finito prędicato, ſicuti ad has ſe habent priuatiuæ, duę uero, quæ ſunt de ſubiecto infinito, videlicet, *non homo eſt iuſtus*, & *non homo non eſt iuſtus*, non ita ſe habent ſcd̃m cõſequentiam, ad illas de finito prędicato, ut priuatiuæ. Etenim de eiuſmodi enunciationibus habentibus ſubiectum infinitũ nõ eſt mentio, in hoc loco; ſed hę tm̃ quattuor adnumeratę ſunt, *homo eſt iuſtus, homo non eſt iuſtus, homo eſt non iuſtus* & *homo non eſt, non iuſtus*, ad quas oportet uerba Ariſtotelis accommodare, nēpe, quòd duę harum ſe habent ad affirmationem, & negationem, ut priuatoriæ, duæ uero minime.

Idcirco quidam alij ita locum hunc expoſuerunt, quòd duæ, quę ſunt de infinito prędicato, ſe habent ad affirmationem, & negationem, ut priuatiuę ad hũc ſenſum, nempe quòd iſta, *homo eſt iniuſtus*, non eſt ſimpliciter, affirmatio: Et ſimiliter hęc, *homo eſt nõ iuſtus*, non eſt ſimpliciter affirmatio: At illę alię duę de finito prędicato, non hunc in modum ſe habent, qm̃, *homo eſt iuſtus*, eſt ſimpliciter affirmatio, & huius negatio eſt, *homo nõ eſt iuſtus*. Verum, ut inquit S. Thom. cum Ariſt. ſupponat hęc explicata in Anal. & nihil de hoc ibi tangatur: ideo hęc quoque exploditur expoſitio. Accedit, quòd nõ explicatur in hac interpretatione quomodo exiſtat in dictis enunciationibus cõtradictio, quod pręcipue intendit Ariſtoteles declarare.

Impug.

Ammo.

Ammonius ait, duas, nempe negationem finitam, & negationem infinitam, habere ſe ſcd̃m conſequentiam ad affirmatiuam finitam, & ad affirmatiuam infinitam ſicuti ẽt priuatiuæ, ad has ſimiliter ſe habent. Num ad hanc, *homo eſt iuſtus*, ſequitur, ut dici poſſit, quòd *hõ nõ eſt, non iuſtus*, & etiam, quòd *homo non eſt iniuſtus*. Illa uero, *homo eſt iuſtus*, uera erit ſolum de homine, qui ſit iuſtus. At hęc *homo non eſt iuſtus*, & hęc alia, *homo non eſt iniuſtus*, verificari poſſunt, & de homine iuſto, & de eo qui non ſit iuſtus, & de re, qua nullo pacto eſt homo. Similiter ad hãc infinitam affirmatiuam, *homo eſt non iuſtus* & ad hanc priuatiuam affirmatiuam, *homo eſt iniuſtus* ſequitur, vt in plus ſe habens, negatiua finita, *homo non eſt iuſtus*. Nam illæ aliæ ſupponunt hominem non iuſtum, aut iniuſtum, hęc uero, *homo nõ eſt iuſtus*, poteſt accõmodari ad aliud etiam, quod non eſt homo, qm̃ uerum erit dicere, quòd lignum nõ eſt homo iuſtus: non autem quod ſit homo non iuſtus, aut homo iniuſtus. Ita igitur duæ ſe habent (ſcd̃m hanc expoſitionem) aliæ uero duæ non ita ſe habent, intelligendo, ꝙ duæ ſimplices, nempe affirmatio, & negatio de finito prędicato, non ita ſe habent ad infinitas, ſicuti priuatiuę ad has infinitas ſe habent. Nam ſimplex affirmatiua finita in minus ſe habet, quàm negatiua infinita; ſed negatiua priuatiua in plus ſe habet, quàm negatiua infinita: Ex alia vero parte, negatiua ſimplex in plus ſe habet q̃ affirmatiua infinita, affirmatiua vero priuatiua in minus ſe habet quàm affirmatiua infinita. Verum hæc expoſitio admodum extorta videtur; qm̃ comparatio conformis non ſupponitur, ſed diuerſimoda, quam quidem verba Ariſt. non patiuntur. Oportet enim explicare, ꝙ duæ ex illis quattuor enumeratis, & ſunt, *homo eſt iuſtus, homo nõ eſt iuſtus, homo eſt non iuſtus, homo non eſt, non iuſtus*, ſe habent ad affirmationem, & negationem, vt priuatoriæ, & duæ earum, non ita ſe habent; & non aſſumere inter has quattuor, illas priuatiuas, quæ ex propoſito ab Ariſtotele nõ ſunt enumeratę, ſed ſolum ꝑ comparatione & ſimilitudine.

Impugn. Ammo.

Porphyrij autem expoſitio, quam ſecuti ſunt Boet. & S. Tho. eſt eiuſmodi, ꝙ dictarũ quattuor enunciationum, duę, nempe affirmatiuæ, vna ſimplex, & alia infinita, ſe habent ſcd̃m cõſequentiam ad affirmationẽ, & negationem hunc in modum, vt ad affirmatiuam ſimplicem ſequatur negatiua infinita, & ad affirmatiuam infinitam ſequatur negatiua ſimplex; duæ vero, nempe negatiuæ non ita ſe habent ad affirmatiuas, vt ex negatiuis ſequantur affirmatiuæ, ſicuti ex affirmatiuis negatiuæ. Quæ expoſitio etiã habet ſuas anguſtias. Nam Ariſtoteles, ait, ꝙ duæ ex quattuor enumeratis ſe habent ad affirmationem, & negationem: Prædicta autem expoſitio modo comparat affirmatiuas ad negatiuas, & modo negatiuas ad affirmatiuas, & non coniungit comparationẽ ad affirmationem, & negationẽ cõiunctim, vt ſupponunt verba poſita in contextu. Ad hęc, quæ dicũtur ex vna parte pro his quæ conſequuntur, ſimul etiam conſtat de his, quæ non conſequuntur: Vnde ſuperuacanea apparet expoſitio, cum idem ſit dicere, quòd ad affirmatiuas conſequuntur negatiuæ; & dicere, quòd ad negatiuas non conſequuntur affirmatiuę. Vnde patet expoſitionem, quam attulimus in præcedentibus, veram eſſe, & longe abeſſe ab omni difficultate ſupponendo, ꝙ præcipue ordo ſit conſideratus ab Ariſtotele, quo inuicẽ opponuntur dictæ illę quattuor enunciationes, tum finitæ inuicem, tum infinitæ inuicem; ſicuti, & priuatiuę inuicem opponuntur ſubiũctæ pro clariori infinitarum enunciationũ explicatione, & intelligentia. Vnde (vt expoſuimus) cum ait Ariſtoteles, ꝙ duę enunciationes nempe conſtantes ex infinito prędicato ſe habent ad affirmationem & negationem, vt priuatiuę, id intellexit quomodo ad inuicem ſe habeant in ratione affirmandi, & negandi: & non quomodo referantur veluti quadam conſequentia ad affirmationem & negationem finiti prædicati, vt quidam interpretantur.

Porph. & S. Tho.

Impug.

Hæc igitur quemadmodum in reſolutorijs, &c. De prędicto ordine oppoſitionis quomodo ſe habeat in enumeratis quattuor enunciationibus, remittit ſe Ariſtoteles ad lib. Analy. vbi, ob variam ſyllogiſmi conſtruendi rationem, quę exurgit, ſi accipiatur enũciatio affirmatiua infinita, *homo eſt iuſtus*, vel ſi accipiatur negatiua ſimplex, *homo non eſt iuſtus*; ideo ibi coactus fuit harum differentiã explicare; & hoc pręſtitit ex ſuppoſitione definitionis ibi aſſignatę de contingenti.

Sed non ſimiliter ſingulares, &c. Locus hic etiã per difficilis adiudicatus eſt, & varias recipit interpretationes. Ideo, quem cenſemus germanum eſſe ſenſum Ariſt. paucis expone-

mus, id prius adnotantes, priori loco Arist. cõnumerasse enũciationes vniuersales, sine signo existẽtes, indefinitas nuncupatas; & erãt hę, *homo est iustus, homo non est iustus, homo non est iustus*, & *hõ non est non iustus*; quibus ita expositis, transiẽs deinde ad vniuersales vniuersaliter prolatas enũciationes, subiunxit, simili modo eẽ oppositiões inter has ipsas, vt finita affirmatiua habeat oppositam negatiuam finitam, & infinita affirmatiua habeat oppositam infinitam negatiuam; nẽpe hunc in modum: *omnis homo est iustus non omnis homo est iustus; nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus*; quę oẽs sunt de finito predicato, sicuti hę alię erunt de infinito: *omnis homo est nõ iustus, nõ omnis hõ est non iustus, nullus homo est nõ iustus, aliquis homo est non iustus.* Ad hęc vero, cum subiungit Aristoteles, ꝙ *non similiter contingit esse veras angulares*, (sic antiqua lectio vertit, quòd Grece habetur, τὰς κατὰ διάμετρον Argilopylus ãt, *secundũ diametrum* transfert) *contingit autem aliquãdo esse veras*, hinc dicimus ostendi discrimen, qđ est inter vniuersales enunciationes sine signo prolatas dictas indefinitas & inter enunciationes existentes cum signo inuicẽ oppositas: propterea quòd indefinitę oppositæ possunt esse simul verę in ratione existendi contingenter: vt hę, *homo est iustus, hõ non est iustus.* At in vniuersalibus vniuersaliter prolatis, non contingit simul esse veras inuicem oppositas. *Contingit autem aliquando*; quod quomodo sit intelligendum, docet Aristoteles paulo post dum ita habet: *quoniam vero contraria est negatio ei qua est, omne animal iustum est illa qua significat quoniam nullum animal est iustũ hę quidem manifestum est, quoniam numquam erunt neq vera simul, neq in eodem ipso, his vero opposite erunt aliquando, vt non omne animal iustum est aliquod animal iustum est.* Ex quibus verbis apparet, particulares enunciationes in ratione existendi contingẽter posse simul esse veras; vt hæ, *aliquod animal iustum est, non omne animal iustum est*; vniuersales autem his oppositæ contradictoriæ numquam possunt esse simul veræ, in nulla ratione existendi, siue necessaria, siue contingenti; Nam hę, *omne animal iustum est, nullum animal iustum est*, ambæ sunt falsæ circa existentiam contingente: circa existentiam autem necessariam, semper altera erit vera, & altera falsa, vt in his, *omne animal viuens est*, hęc semper vera est, *nullum animal viuens est*, semper falsa. Vnde numquam simul erunt verę: & ita dissimiles erunt ab indefinitis, quæ possunt esse simul verę. Sed cũ appellantur, hę omnes enunciationes oppositæ per diametrum, hinc censemus denotari inuicem oppositas, quoniam vna tollat aliam; sicuti *omne*, tollit *nullum*; & *aliquod*, tollit *non omne*; Aut voluit innuere Arist. ꝙ debent accipi opposite in eodem genere enunciationum, ita vt finitæ affirmationi, opponatur negatio finita, & affirmationi infinitę negatio infinita: vt non affirmationi finitæ negatio infinita: aut affirmationi infinitę negatio finita: hę enim non sunt ita opposite, ut inuicem, tanquam per diametrũ diuidantur: quinimo hęc, *omnis homo est iustus*, erit vera semper cum hac, *non omnis homo est non iustus.* Hinc, cum Aristoteles non commisceat finitas cum infinitis, facile colligitur, eius verbis superius expositis non quadrare eorum expositionem, qui finitas enunciationes vna cum infinitis cõmiscent, exponẽtes, quomodo vna finita enunciatio, & alia infinita possint esse simul verę, & quõ hę inuicem non possunt esse simul verę.

Magis autem plures &c Exposuit Aristoteles enumerando prius enũciationes vniuersales finitas, & infinitas, deinde vero vniuersales vniuersaliter prolatas tam finitas, q̃ infinitas & post has illas, quæ sunt cum nomine infinito: hinc subiungit, plures his nõ esse oppositiones. Vnde computando enunciationes omnes, quę sunt aut de re singulari, aut de vniuersali, vel sine signo, vel cũ signo prolatę, tam eas, quæ constant ex solo nomine & verbo habentes subiectum finitum, vel infinitum, quàm illas etiam, quæ habent ipsum *est*, tertium adiacens ad pręedicatum cum subiecto finito, vel infinito, & cum prędicato similiter finito, vel infinito, omnes exurgent species enunciationum octo, & quadraginta, ex quo apparet ex hac omni varietate enumerata, varias quoque prouenire species enunciationis.

In his vero in quibus est non conuenit &c Docet in enunciationibus, in quibus verbum *est*, non cadit (vt in ijs: *homo ambulat*) similiter ita res se habere, quo ad oppositiones, ac si ipsum *est* apponeretur: volens hinc Arist. innuere, ꝙ sicuti fiunt oppositiones in enũciationibus habentibus nomen, & verbum *est*, ita etiam in his alijs fiunt, in quibus nõ adest verbum *est*. Nam hę similiter inuicem opponuntur, *homo ambulat, homo non ambulat, omnis hõ ambulat nõ omnis hõ ambulat*, at ita de alijs omnibus. Vnde non audienda videtur eorum expositio, qui dicunt, hoc loco, doceri ab Aristotele, quòd eiusmodi enunciatio, *homo ambulat*, æquiualet huic, homo est ambulans; quòd & si verum est, attamen id ex proposito non insinuant verba Arist.

Non enim dicendum est nõ omnis homo, &c. Ait, quòd in enunciationibus nominis infiniti vniuersaliter prolatis, vt est hęc, *omnis non homo valet*, non est apponenda particula negatiua ipsi signo, *omnis*, sed ipsi *homini*; & id quidem, qm̃ *omne*, & *nullum* significant non vniuersale, sed vniuersaliter: Vnde, vt permaneat vniuersalis enunciatio affirmatiua infinita, oportet apponere particulam negatiuam ad nomen, dicendo *omnis non homo valet*, & non dicere, *non omnis homo valet.*

Varia circa enunciationes documenta obseruanda.

OCcurrunt aũt varia documenta obseruanda circa affirmationes, & negationes. Inter quæ hoc erit primum, quòd hæ enunciationes, *omne animal iustum est*, & *nullum animal iustum*

stum

ſtum, numquam poſsunt eſſe ſimul veræ; his vero oppoſitæ, nempe, *aliquod animal iuſtum*, quę opponitur contradictorie huic, *nullum animal iuſtum*, erit aliqñ vera in rõne exiſtendi, contingenter cũ hac alia, *non oẽ aĩal iuſtũ eſt*, quę opponitur contradictorie illi, *omne aĩal iuſtũ eſt.*

Aliud documentum, ad hanc enunciationem, *omnis homo eſt non iuſtus* (ſi hoc verum eſt enũciare) ſequitur quòd etiam verũ ſit dicere, *nullus homo iuſtus eſt*; ſicuti & ad hanc, *aliquis homo iuſtus eſt*, ſequitur hęc alia, *non omnis homo eſt non iuſtus*; neceſſe enim eſt aliquẽ eſſe iuſtũ; & hæc opponitur contradictorie illi, *eſt omnis homo non iuſtus*, ſicuti illa alia, *aliquis homo eſt iuſtus*, opponitur cõtradictorie illi, *nullus homo eſt iuſtus*.

Aliud documentum, ſi ad interrogationem factam de ſingulari, Vtrum Socrates eſt ſapiens; verum eſt dicere, quòd non poteſt hinc inferri huiuſmodi affirmatio; ergo Socrates eſt non ſapiens: fallit autem regula in vniuerſalibus. Nam ſi ad interrogationem factam; num omnis homo eſt ſapiens, eſt verum dicere quòd non; non valet hinc inferre, ergo omnis homo eſt non ſapiẽs, hoc enim falſum eſt: ſed bene licet inferre, quòd non omnis homo eſt ſapiens, quæ eſt oppoſita contradictorie illi, omnis homo ſapiens eſt; alia vero, omnis homo eſt non ſapiens, huic eidem eſt contraria.

Aliud documentum; oppoſitæ enunciationes ſecundum nomina & verba infinita, videntur eſſe negationes, vt nõ homo, nõ iuſtus, quæ tamen non ſunt negationes. Nam omnis negatio ſignificat aut verum, aut falſum: prædicta vero nomina vel verba neq; verum, neq; falſum dicũt; immo quid minus ſignificant, quàm homo, aut quàm iuſtus.

Aliud documentum, hæc enũciatio, *eſt omnis non homo iuſtus*, & eius oppoſita, *non omnis non homo iuſtus*, non ſignificant vllam ex alijs enunciationibus, in quibus non adeſt nomen infinitum. Hæc autem, *omnis non iuſtus non homo*, ſignificat idem cũ hac, *nullus eſt iuſtus nõ homo.*

Aliud documentum, tranſpoſita nomina, & verba idem ſignificant; adeo quòd eſt idem, dicere, *eſt albus homo*, & *eſt homo albus*: alioquin qui hoc negauerit, incidet in hoc cõueniens, quòd vnius affirmationis erũt plures negationes, quod eſt contra regulas ante aſsignatas; Ita autem deducitur inconueniens. Si non eſt idem dicere, eſt albus homo, & eſt homo albus, cum conſtet, quòd huius affirmationis, *eſt albus homo*, eſt negatio hæc, *non eſt albus homo*; huius igitur, *eſt homo albus*, erit negatio, vel hęc *non eſt non homo albus*; vel hęc *non eſt homo albus*; ſed illa, *non eſt non homo albus*, eſt negatio huius, *eſt non homo albus*; qua erit negatio hæc alia, *non eſt homo albus*: ſed hæc eſt etiam negatio illius, *eſt albus homo*; quare duæ erunt negationes vnius af-

affirmationis; nempe huius, ***est albus homo***, erit negatio, tũ hæc ***non est albus homo***, tũ hæc, ***non est homo albus***; qđ incõueniens sequtur si dicatur ꝙ trãsposita nomina & verba nõ idẽ significant qđ nullo pacto admittedum est.

Aliud etiam documentum obseruãdum occurrit: quòd vel vnũ de pluribus subiectis prædicari, vel multa prædicata dici de vno subiecto, non est enunciationem vnam affirmatiuam vel negatiuã pronunciare, sed plures. Ita autẽ intelligitur vnũ significari, quòd si etiam sint plures voces significãtes vnum, non propterea tollitur, quin sit vna enunciatio; veluti est dicere, quòd homo est animal bipes mansuetum, cum enim ex his fiat vnum, ita definitio hominis erit vna enunciatio; non autem si sint multa ex quibus non vnum fiat; veluti si dicatur, quòd, ***homo albus, & ambulans mouetur***; non enim ex homine & albo, & ambulante fit vnum. Vnde erit quidem vna vox plura pronunciãs, non autem vna enunciatio. Consequens ad hæc aliud documentum subiungitur: quòd, cum interrogatio dialectica sit petitio, qua prouocatur interrogatus ad respondendum, vt afferat propositionem, alteram scilicet partẽ contradictionis: Veluti si interrogetur, quispiam, num est anima mortalis, an non, petitur ab ipso, vt alteram contradictionis partẽ afferat in responsione: Idcirco dicendum, quòd si fuerit interrogatio, in qua sint plura, ex quibus non fit vnum, non erit vna responsione respondendum, cum plura sint interrogata, licet vera sint: idq; ad euitandas captiones, quas ex aduerso posset inducere interrogãs; sicuti de his exactius perpensum est in lib. Topicorum.

Consequenter ad præcedentia erit hoc aliud documẽtum, quòd interrogare quid est aliquid (& est typus cõcernens definitionẽ) non est interrogatio dialectica, in qua (vti dictum est) datur optio respondenti, vt eligat alterã quã velit ex duabus partibus contradictionis, quod non contingit, si fiat interrogatio quid sit aliquid; vnde non interrogatio dialectica erit huiusmodi, sed demonstratiua, de qua pluribus agitur in lib. 1 Post. Analy.

Libro 8. Top. c. 3.

Ad hęc est etiam assignãda regula, quando prædicata, quæ seorsum posita sint vera, eadẽ simul etiam coniuncta sint vera, ut euadant vna prædicatio, & quando non ita se habeant. Item e cõuerso, quando coniũcta prædicata vera de aliquo, seorsum posita sint etiam vera de eodem, & quando non. Et hæc (vt dicitur in scholis) huc pertinent, vt intelligatur & sciatur, quando a sensu diuiso liceat inferre sensum compositũ in primo modo: & a composito sensu inferre diuisum in secundo modo. Vnde (qđ attinet ad primum postulatum) non est dubiũ, esse non nulla de aliquo prædicata vera seiunctim, quę simul posita sunt vera, & euadunt vna prędicatio: quemadmodum patet, ꝙ de homine est verum dicere, ꝙ est animal, & bipes seorsum; & ẽt cõiunctim, quòd est animal bipes: & similiter de Socrate, quòd est homo, & albus, & quòd etiam est homo albus. Verum non in omnibus ita se res habet. Nam de aliquo homine verum est dicere, ꝙ est Citharedus, & ꝙ bonus; neq;

tamen verum erit dicere de eodé quòd ſit Citharedus bonus; non enim ex vtroq; horum fit vnum. Siquidé bonus accipitur ſeorſum, vt denotat animi probitatem, ex qua & ex Citharedo vnum non componitur; cum ſit aliud Citharisticam artem obtinere, & aliud animum habere bonis moribus ornatum. Quòd ſi quis ex aduerſo contendat, in omnibus prędicatis, quæ ſeiunctim dicantur de aliquo, vere, eadem omnia coniúctim de eodé vere dici, in multa incidet incommoda. Nam, cum de homine ſit verum dicere quòd eſt homo, & etiá quòd eſt albus, verum etiam erit dicere ſimul, ꝙ eſt homo albus. Vnde & hoc omne ſimul, homo albus, erit verum dicere de homine, qui ſit albus, ꝙ eſt homo albus albus. Pariter, ſi Socrates, eſt Socrates, & homo erit Socrates, Socrates homo; & ſi homo, & bipes, erit homo, homo bipes; & ita in infinitum hæc cóplicari poterunt. Propterea ſtatuédum eſt, quòd quæ prædicata ſecundum accidens dicũtur, vel de eodem, vt album & muſicum de homine, vel alterum de altero, vt muſicum de albo, hæc vtique non erunt vnum; adeo quod non erit dicendum, quòd ſi homo eſt muſicus, & albus, quòd etiam ſit muſicus albus: neque ſi muſicum eſt album dicendum eſt, ꝙ muſicum ſit album. At ſi homo eſt animal, & bipes, erit etiam animal bipes; quoniam ex his fit vnum. Ad hęc vere aduertendum, quòd neq; ea quæ ſunt in altero debent complicari, vt ex illis fiat vnum: Sicuti, ſi homo eſt albus, non eſt cóplicandum, quò d etiam homo albus ſit albus: Quare hoc remoto, & acceptis prædicatis, quæ nó ſint ſecundum accidens, erit verũ proferre coniunctim, quæ etiam ſeorſum ſunt poſita; adeo quòd ex ipſis fiat vna pdicatio; ſecus aũt nó.

Quod vero attinet ad aliá partem, quando in oratione compoſita fuerint partes oppoſitæ, ita vt ex ipſis fiat contradictio, in his numq̃ erit verum inferre diſiunctim, quæ coniunctim poſſunt eſſe vera. Veluti dici poteſt, quòd iſte eſt homo mortuus, non tamen ꝙ ſit homo, licet inferre. Aut quod habet aliquis linguam inciſam, non tamé uerum erit dicere quod habeat linguá. ſimiliter eſt dicere uere ꝙ habet aliquis uiſum obcęcatum, nó auté, ꝙ habeat uiſum, ſed neq; ſemper uerum eſt inferre ſeiunctim prædicata, etiam ꝙ in nominibus non fuerint contrarietates, non autem fuerint ſecundum ſe prædicata, ſed ſecundum accidens; Nam erit verũ dicerę, ꝙ Homerus eſt poeta, non autem ꝙ Homerus eſt; cum, eſſe poetam ſit ſecundum accidens; Homerum autem eſſe, denotat ſimpliciter Homeri exiſtentiam. Hinc ſoluitur ſophiſma illud Sophiſtarum probantium, quòd nó ens ſit ens, hunc in modum. Quod eſt opinabile, eſt ens; non ens, eſt opinabile; vnde inferunt, quòd nó ens eſt ens. Nam dicédum, quòd nó ens, & ſi ſit opinabile, non propterea ſequitur, quòd ſimpliciter ſit ens, quoniam opinio de non ente, erit quòd non ſit, & non, quòd ſit.

Adnotationes.

Q*Voniam verò contraria eſt &c.* Cenſet S. Thomas in hac pa te Ariſtotelem occurrere diuerſis dubitationibus exurgentibus circa ea quæ prius fuerunt explicata. Verum melius fortaſſe eſt interpretari, tradi hic diuerſa documenta circa affirmationes, & negationes, & earum oppoſitiones.

S.Tho.

In-

Inter quę hoc primum ponitur, quod & antea licet obſcure innuerat Ariſt. quòd, circa vniuerſales vniuerſaliter prolatas enunciationes, non contingit oppoſitas ſecũdum diametrum eſſe ſimul veras, contingere autem aliquando: quod declarat hoc loco dicens. quòd huiuſmodi enunciationes *Omne animal eſt iuſtum*, & *nullum animal eſt iuſtum*, nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, nempe in rõne exiſtendi cõtingenter, ſed ambæ falſæ ſunt: in ratione autem exiſtendi neceſſaria, altera ſemper vera, & altera ſemper falſa erit: vt in his, *Omnis homo eſt animal*, *nullus homo eſt animal*; his vero oppoſitæ poſſunt aliqñ eſſe ſimul veræ, nempe in ratione exiſtentiæ cõtingẽtis, vt ſunc hę: *aliquod animal eſt iuſtum*, & *non omne animal iuſtum*.

Sequuntur vero hę &c. Hoc aliud documentum animaduertendum, quod inuicem conſequuntur hæ enunciationes; nẽpe, quod ad hãc, *eſt omnis homo non iuſtus*, licet inferre, *ergo nullus homo iuſtus*, & *non omnis homo non iuſtus*, licet inferre, *ergo aliquis eſt iuſtus*; quæ quidẽ patent ex ipſamet propria locutione, ſeu phraſi loquendi.

Qui vero dicit non homo &c. Tantum abeſt, inquit Ariſt. (& eſt aliud adnotandum) quod huiuſmodi nomina, ſeu verba, *non homo*, *non valet*, ſignificent negationem, quæ verum, aut falſum ſemper dicit, quin neq; ita ſignificãt aliquid, ſicuti hæc alia nomina, *homo*, aut *iuſtus*; ſed quid minus ſignificãt. Quod ita eſt intelligendum; qm̃ nomina finita, vt *homo*, ſignificant quid determinatum; infinita autem nomina, vt, *non homo*, ſignificant quid indeterminatum.

Omnis non iuſtus non homo, &c. Aliud aduertit, & tradit documentum circa ipſam locutionem, quod hæc, *Omnis non iuſtus non homo*. idem ſignificat cum hac alia, *nullus eſt iuſtus non homo*.

Tranſpoſita vero nomina, &c. Aliud eſt hoc documentum animaduertendum; nõ diuerſam reddi affirmationẽ, & negationem, ex eo quod in ipſis tranſponantur nomina, aut verba; Sed omnino erit idem dicere, *eſt homo albus*, & dicere, *eſt albus homo*. Quod probat Ariſt. deducens (ſi quiſq; id inficiari velit) ad hoc incõueniens, quod duæ negationes erunt oppoſitę vni affirmationi, cõtra ſuperius determinata. Ita autem deducitur inconueniens. Nam huius, *eſt albus homo*, manifeſte eſt hæc negatio, *non eſt albus homo*; Quòd ſi poſtea, *eſt albus homo*, non eſt idem cum hæc, *eſt homo albus*, tum dicendum, quod negatio eius erit vel hæc, *non eſt non homo albus*, vel hæc, *non eſt homo albus*; ſed prior eſt negatio huius, *eſt non homo albus*; igitur erit alia, *non eſt homo albus*; & ita huius affirmationis, *eſt albus homo* erunt duæ negationes; altera, *non eſt albus hõ*, & altera, *non eſt homo albus*; quod incõuenienẽs ſuſtinet qui velit cõtendere, quod tranſpoſita nomina & verba variant orationem; igitur dicendum quod non variant. Sed dubitabit aliquis ex aduerſo, qm̃ fiat petitio principij in hac probatione, cũ in ea ſupponatur illud, de quo eſt quæſtio, nempe, quod huius affirmationis, *eſt albus homo*, ſit hæc negatio, *non eſt homo albus*: etenim negabit hoc, qui ſupponit tranſpoſita nomina

Dubit.

& verba variare ſenſum orationis. Ad hoc dicendum, ſuperius oſtenſum eſſe, quod id, quod affirmatur, poteſt negari, & eam oppoſitam eſſe affirmationem negationi, quæ negat id quod affirmatur in affirmatione; ed ſic eſt, quòd id, quod affirmatur in hac affirmatione, *eſt albus homo*, negatur per hanc negationem, *homo non eſt albus*: Vnde remanet vrgens præhadita deductio aduerſus dicentẽ, quod nomina, & verba tranſpoſita mutent ſenſum orationis. Quæ vero dubitationes afferuntur hoc loco: veluti, quòd non idem valet, dicere, *omnis homo eſt animal*, & dicere, *ergo omne animal eſt homo*, & ſimiliter, nõ idẽ valet dicere, *homo eſt animal rationale*, ergo, *homo animal rationale eſt*: facile ſoluuntur. Nã in prima inſtantia mutatur ſignum vniuerſale, quod cum homini ſit appoſitum, dicendo, *Omnis homo*, non debet apponi animali, *Omne animal*. Secunda vero dubitatio tollitur, ſi dixerimus, idem intelligi poſſe, nẽpe definitionem eſſe hominis, tum dicendo, quod *homo animal rationale eſt*, tum dicendo, quòd homo eſt animal rationale.

Solut.

Dico autem vnum, &c. Quòd inter initia dixit Ariſt. in explicatione orationis; quæ nã eſſet oratio vna, & quæ plures, hoc loco magis aperit, dicens, vnam enunciationem eſſe non ſolum eam, in qua vnum nomen ſignificans vnum prędicetur de vno ſubiecto; verum etiam eam, in qua plura fuerint nomina, ex quibus vnum fiat; ſicuti animal bipes manſuetum ſunt vnum, quæ prædicãtur de homine. Dicit autem *fortaſſe*, hæc eſſe vnũ; qm̃ non eſt ſibi propoſitum hoc loco propriam explicare definitionem hominis. Ad hęc ſubiungit, quòd ſi plura fuerint ea, ex quibus non vnum fiat, tunc erunt plures enunciationes, & non vna; erit tamen vna vox, quæ hęc plura pronunciet.

De his autem dictum eſt in Topicis, &c. Ex his colligi poſſent libros, Top. ante hoc opus Perihermenias fuiſſe cõſcriptos ab Ariſtotele. Aut (vt dictum eſt ſuperius) nil prohibet, quòd Ariſtoteles citet aliqua explicata in alio opere, ex poſterius ab ipſo confecto.

li. 8. Top.

Et hæc ſæpe implicita in infinitum, &c. Colligit, quòd, ſi licet pronunciare cõiuncta, quæ ſeorſum ponantur, ita fiet proceſſus ad infinitum; vt puta hunc in modum: Si Socrates eſt homo, & eſt albus, ergo eſt homo albus; erit igitur etiam verum dicere, quod homo albus, eſt albus, & ita Socrates erit homo albus, albus, & rurſus poterit dici, quòd homo albus, albus, eſt, albus, & ita in infinitũ: Et hæc attigit quoque Ariſt. in lib. 4. Met. contra negantes hoc principium, *impoſſibile ſimul eſſe, & non eſſe*.

Libro 4. Met. c. 4.

Quæcũq; dicũtur secũdum accidẽs &c. Statuit ea, quę dicuntur ſecũdum accidens de aliquo, ſeorſum poſita, non ſimul coniuncta prędicari poſſe, & hęc duobus modis: Aut, ſi duo de eodem dicantur, vt de homine muſicum, & album: Aut ſi alterum de altero dicatur ſecũdum accidẽs, vt muſicum de albo; in his. n. prędicatio non poteſt fieri vna ex diuerſis nominibus. Adnotandum autem, quod ex homine, & albo fit vnum, nempe compoſitum ex ſubſtantia, & accidenti: non quòd album

poſtea

postea insit secundum se homini eo modo, vt accipitur dictum secūdum se in Poster. Analyt.

Amplius nec quaecunque insunt altera. Id deseruit ad ostendendum, ꝙ prędicata, ex quibus vnum fit, non sunt repetenda, quando insunt in iam accepto subiecto, de quo dicantur: Veluti de homine dicitur, ꝙ est animal bipes: Vnde non est repetendū postea: quòd animal bipes sit animal, aut bipes & quòd homo sit animal bipes, bipes; hęc.n. prius, in homine sunt supposita: Ab hac aūt difficultate non euacuatur prędicata dicta scd̃m accidens: veluti ambulans, de musico, aut de albo dicitur scd̃m accidens. Siquidē non inest ambulans in musico, aut in albo: Sed oportet deuenire ad substātiam, cui insit accidens: cum vni acidenti non coniungatur aliud accidens, quasi illi adueniens: sed semper accidens coniungitur substantiæ, vt ex his duobus fiat vnum: de qua re etiā est sermo in loco citato lib. 4. Metaph.

IN QVARTAM Sectionem.

Perpenditur oppositio contradictionis constituenda ex propositionibus modalibus nuncupatis.

HIs aūt ita determinatis, consequenter considerādū est, quomodo ad inuicem se se habeant affirmationes, & negationes ex typis, seu dictionibus, quæ dicūtur, modi constitutę, vnde, & modales enūciationes sunt nūcupatæ; eiusmodi sunt hæ; *Possibile esse, non possibile esse; contingens esse, non contingens esse; necesse esse, non necesse esse; impossibile esse, non impossibile esse*. Quādoquidem non desunt dubitationes penes has enūciationes non negligendæ. Nam ex ante explicatis, constat ꝙ enūciationes ex vocibus inuicem cōplexis scd̃m nomen & verbum tantū, aut etiam scd̃m tertiū adprędicatum, contradictionem sortiūtur penes esse, & non esse. Veluti huius, *hominem esse*, negatio est, *hominem non esse*; & huius, *esse hominem album*, negatio est, *non esse hominem album*; non aūt hæc; *esse hominem non album*; alioquin (quando de vnoquoq; aut affirmatio, aut negatio est asserenda) lignum, cū absq; dubio dici non possit, ꝙ sit homo albus, diceretur, per oppositum ꝙ sit homo non albus, quod tamen falsum est. Similiter in enūciationibus (in quibus non expresse apponitur *esse*, sed aliud verbum idem munus præstans veluti, vt in hac oratione, *homo ambulat*, quod idem valet, ac si diceretur, *hō est ambulans*;) ex particula negatiua apposita verbo negatio astruitur, & contradictio constituitur ad oppositum affirmationem; vt huius, *homo ambulat*, sit negatio, *homo non ambulat*, & non hęc, *ambulat non homo*. Hinc igitur iure videretur ex hac generali inductione inferendū, ꝙ etiam in alijs enūciationibus, in quibus adiūgitur vel *possibile*, vel *contingens*, vel *necessarium*, vel *impossibile*; ꝙ huius affirmationis, *possibile esse*, sit negatio, non hęc, *non possibile esse*; sed hęc alia, *possibile non esse*; & similiter in alijs; adeo ꝙ regula generalis in omnibus enunciationibus, astruēda videatur huiusmodi; ꝙ contradictiones oppositæ, omnes ex ipso esse & non esse affirmato & negato cōstituātur.

Atqui nobis ita asserentibus, consequitur ex aduerso difficultas magni momenti, continens

quiddam impossibile, quod hūc in modū deducitur. Etenim videtur, ꝙ idem possibile sit esse, & possibile non esse: Quandoquidem, qđ potest incidi, aut ambulare, potest etiam non incidi, & non ambulare. Et huius quidē rei hęc est ratio, & causa; qm̄ omne, qđ ita est possibile, non semper est actu, aut in actu operandi versatur: Vnde eidem inerit, dū non operatur, & dū actu nō est, ipsa negatio. Siquidem id potest non ambulare, quod habet potētiam ad ambulandū, & visibile seu videri potest id, quod est possibile vt videatur. Erit igitur verum, ꝙ idē & possibile est esse, & etiam possibile nō esse. Vnde, si hę sunt opposite enūciationes contradictorię, sequitur ꝙ affirmatio, & negatio de eodē simul erūt veræ, quod est impossibile ex cōmuni oīum sententia. Ex quo deducitur, statuendū, igitur esse, ꝙ huius affirmationis, *possibile esse*, sit negatio, non hæc; *possibile non esse*; sed hæc, *non possibile esse*: ex quo deinde sequitur, aut dicendū esse, ꝙ idem de eodē possit simul affirmari, & negari; aut statuendū, ꝙ in enunciationibus habentibus adiectas modos *possibile*, *contingens*, & alios huiusmodi, cōtradictiones non constituantur penes ipsum esse, & non esse; sicuti in alijs enūciationibus non habentibus modos, contingit; sed scđm aliā diuersam rationem. Atqui, cū constet esse impossibile, vt de eodē possit simul esse vera affirmatio, & negatio, eligendū igitur hoc aliud, ꝙ huius affirmationis, *possibile hominem esse*, sit negatio non hęc, *possibile hominem non esse*; sed hęc, *non possibile hominem esse*: quod similiter statuendū est de contingente; & de alijs huiusmodi modis adiectis; adeo vt huius enūciationis, *contingit esse*, sit negatio, *nō contingit esse*: & huius *necesse esse*, *non necesse esse*; & huius *impossibile esse*, *non impossibile esse*: ita quidem, vt, quemadmodum in alijs prædictis enunciationibus, *esse*, & *non esse*, sunt appositiones limitantes affirmationes, & negationes, subiecta vero, quibus apponuntur, sunt ipsæ res, *album*, & *homo*; dum dicitur, *est albus homo*, *non est homo albus*; ita in his alijs, *esse*, & *non esse*, euadit subiectum horū modorum *possibilis contingentis*, *necessarij*, & *impossibilis* in enunciationibus appositurum; adeo quòd, sicuti in alijs enunciationibus carentibus modo, per *esse*, & *non esse* verum, & falsum determinatur; ita quoque per modales enunciationes determinatur, & limitatur *esse*, & *non esse*: videlicet, quòd omne, aut est possibile, aut non possibile; contingens, aut non contingens; necessarium, aut nō necessarium; impossibile, aut non impossibile; adeo qđ, huius affirmationis, *est possibile*, erit negatio, *non possibile esse*, & huius, *possibile non esse*, erit negatio, non hæc, *non possibile esse*, sed hęc alia, *nō possibile non esse*: Vnde & inuicem se se consequi hę videntur; vt possint de eodē ve-

verificari: nempe: *poſſibile eſſe*, & *poſſibile non eſſe*: non autem hę, *poſſibile eſſe*, *non poſſibile eſſe* cum ſint ſimul contradictoriæ, poſſunt ſimul de eodẽ eſſe verę. Similiter hæ, *poſſibile non eſſe*, *non poſſibile non eſſe*, cum ſint cõtradictorię, numquam de eodem ſimul erunt verę. Pariter huius, *neceſſe eſſe*, negatio eſt, nõ hęc, *neceſſe non eſſe*; ſed iſta, *non neceſſe eſſe*: hæc vero alia, *non neceſſe non eſſe*, erit negatio illius, *neceſſe non eſſe*: & huius *impoſſibile eſſe*, erit negatio, *non impoſſibile eſſe*; & non *impoſsibile non eſſe*; ſed iſta habebit oppoſitã hanc aliam negationem, *non impoſsibile non eſſe*: vt omnino regula generalis, ſit ſtatuenda, quod ipſum *eſſe*, & *non eſſe*, in huiuſmodi enunciationibus ſe habet vt ſubiectũ in oratione; & quòd determinatio circa eſſe & non eſſe pro affirmatione, & negatione fiat per adiectiones horum modorum, *poſsibilis*, *contingentis*, *neceſſarij*, *& impoſsibilis*, vt omnino ex ijs affirmationes, & negationes conſtituantur huiuſmodi.

Poſſibile	*Non poſsibile.*
Contingens	*Non contingẽs.*
Neceſſe	*Non neceſſe.*
Impoſsibile	*Nõ impoſsibile.*
Verum	*Non verum.*

Adnotationes.

H*Is vero determinatis*. Congruo ordine doctrinę ad magis compoſitas enunciationes explicandas accedit Ariſt. Nam, ſicuti ſimpliciſſimę ſunt illę enunciationes, quę conſtant ex ſolo nomine, & verbo, qualis eſt, *homo eſt*, de quibus priori loco egit, poſtea vero de illis, quę magis ſunt compoſitę habentes ipſum eſt tertium adiectum prędicatũ, vt eſt, *hõ albus*; ita quoq. in hac poſteriori huius operis lectione, tranſit ad regulas tradẽdas earum enunciationum, quæ adhuc magis ſunt compoſitę, habẽtes, pręter ea, quæ dicta ſunt, adiunctas huiuſmodi particulas, & modos enũciandi, quales ſunt, *poſsibile hominem eſſe album*, *neceſſe cælum moueri*, *impoſsibile aſinum volare*, & appellantur a noſtratibus enunciationes modales, quaſi modificantes ipſum eſſe. Quas tñ Ariſt. nullibi hoc nomine nuncupauit, id tantummodo de illis effatus, quòd, ſicut ipſum *eſſe*, & *non eſſe*, in alijs ſimplicioribus enunciationibus imitant (tanquam ſubiecta ipſas res, de quibus eſt oratio) penes verũ, & falſum, ita quoq. hæ dictiones, *poſsibile*, *contingens*, *neceſſe impoſsibile*, determinant ipſum eſſe, & non eſſe tanquam ſubiectum, cui ſunt adiunctę. Et ſcopus eſt Ariſtoteles ſtatuere, quomodo in ijs ſe ſe habeat affirmationes, & negationes inuicem contradictoriæ; & quomodo inuicem conſequantur. Nam penes vtrumq. caput non deſunt dubitationes non omittendæ, veluti circa primã cõſiderationem, erit diſcutiendum, num negatio in iſtis modalibus enunciationibus penes ipſum eſſe ſit aſtruẽda, vti & in alijs, de quibus actum eſt ſupra, an alio modo. Circa alteram vero partem erit conſiderandũ, quomodo in iſtis modalibus enunciationibus ſe ſe habeat cõſequentia, & a quo pręcipuo modo, ex dictis modis ſit ſumendum initium conſequentiarum.

Nam ſi eorum quę complectuntur. Gręce habetur τ͂ συμπλεχαμένων. & innuantur voces inuicem complexę, ex quibus conſtant affirmationes, & negationes: quemadmodũ, & de vocibus complexis, & incõplexis fuit ſermo ante prędicamenta. Vnde & maior vocum complicatio ſignificatur in enunciationibus modos prędictos adiectos habentibus.

Fiũt.n quemadmodum in illis. Patefacit, ꝙ, ſicuti in ſimplicibus enũciationibus, vt eſt, *homo eſt albus*, ſe habent, vti ſubiecta, cum *homo*, tum *album*, quibus accedit verbũ, *eſt*, determinans circa ea veritatem, & falſitatem (eſt autem album quodammodo ſubiectum in hac oratione, inquantum circa ipſum, & circa hominem ab ipſo verbo determinatur veritas, & falſitas, licet deinde album in huiuſmodi oratione, quatenus inuenitur in homine, & de eo prędicatur, ſit prędicatum, & homo ſit ſubiectum albedinem in ſe recipiens) ita quoq. *poſsibile*, *contingens*, *neceſſarium impoſsibile*, ſunt de adiectiones determinantes, & limitãtes ipſum eſſe, & non eſſe; adeo vt in iſtis alijs enunciationibus ipſum eſſe reddatur vna cum alijs dictionibus (de quibus eſt contexta oratio) tãquam ſubiectum, cuius veritas, & falſitas limitatur a prędictis modis *poſsibile*, *neceſſe*, & alijs. Cum autem eſſe, & non eſſe limitet verum & falſum in alijs enunciationibus, & in illis, quę habent modum, a modis limitetur eſſe, & non eſſe: conſequenter dicendum eſt, per modos prędictos limitari verũ & falſum circa res ipſas: adeo vt verũ, vel falſum determinetur, quòd ſit, aut poſſibile:

aut

aut non possibile, contingens, aut non contingens, necessarium, aut non necessarium, impossibile, aut non impossibile. Vnde colligitur ipsum *esse* accipi in confuso, vt quid cõe, qđ potest esse vel possibile, vel ɔtingẽs vel necessariũ, vel impossibile. Ex quo etiã fit perspicuum, non absq; ratione dictum fuisse supra in tractatu enunciationum habentium, *est*, tertium adprædicatum, quòd verbum *est*, existit in oratione vt verbum, aut vt nomen adiectum ad alias partes: ijs enim significabatur, ipsum, *est*, verbi vicẽ gerere in enunciationibus sine modo existentibus: in habentibus vero modum subire locum nominis existens tanquam prædicatum relatum ad enunciationes sine modo existentes. Quare in enunciationibus habentibus modum, verbum, *est*, stat & euadit tanquam subiectum relatum ad modus, a quibus limitatur, vt dictum est antea. Colligitur etiã, quòd cum dicat, hoc loco Arist. quòd ipsum *esse*, limitatur per adiectionem *possibilis*, & aliorum modorum, sicuti & per ipsum esse res limitantur quo ad verum & falsum, hinc excludi hos modos dicendi. *fortiter currit, docte disputas*, & huiusmodi; quibus quidem determinatur qualitas prædicati, nõ autem totum esse rei: sicuti per possibile, & per alios huiusmodi modos limitatur totum esse rei, & qualitas veritatis, & falsitatis, quòd sit aut possibilis veritas, & falsitas, aut impossibilis, aut necessaria, aut contingens. Etenim res non determinarẽtur ad negationem, & ad affirmationem, & consequenter ad veritatem, & falsitatem, nisi ipsis apponeretur verbum *est*: vt dicendo, *homo est albus*, aut *non est albus*; & propterea, cum modi isti. *possibile, necessarium*, & *impossibile* limitant esse & non esse, consequenter limitant res ipsas, de quibus ipsum esse pronunciatur, & earum simul veritatem, & falsitatem. Similiter excluditur ab hoc modorum tractatu modus determinans tempus; veluti si dicatur, *hodie legit magister*; non enim huiusmodi modo significante tempus veritas aut falsitas denotatur; sed solum tẽpus limitatum pronunciatur, in quo aliquid sit factum.

Sect. 3.

Et has putare oportet esse oppositas dictiones. Statuit, quæ sint modales oppositę enunciationes: nempe hæ; *possibile esse, non possibile esse, contingens esse, non contingens esse, necesse esse, non necesse esse, impossibile esse, non impossibile esse* quibus adiunxit, & has *verum*, & *non verum* (vt ait. S. Thomas) vt insinuaret, præter quattuor prædictos modos alios inueniri, qui etiam compositionem enunciationis determinant, pro vt *verum*, & *non verum*, *falsum*, & *non falsum*. At melius forte diceretur, insinuari oppositionem ex vrgentem penes esse, & non esse in enunciationibus modo carentibus, cum verũ & falsum, iuxta hunc modum, in communi accipiatur; quod deinde limitatur per modos pręedictos, vt explicatum est antea. Vnde & in Prior. Analy. propositio, *de in esse*, accipitur tanquã quoddam commune genus ad necessariam, & ad contingentem propositionem; & interdum ibidẽ accipitur, vt distinguitur ab alijs propositionibus, quatenus solum conuenit verum; non autem aut necessarium aut possibile futurum; Sed tantũmodo vt est in actu. Adnotandum autem per hanc vocem *contingens*, gręce ἐνδεχόμενον, comprehendi accidentia solum contingentia; cum Vox hæc alia possibile, græce δυνατόν, possit etiam competere rebus necessarijs, & non solum contingentibus, vt parebit ex sequentibus; tum in hoc opere, tum ex ijs, quæ traduntur in lib. 1. Prior. Analy.

S. Tho.

Libro 1. Prior. Anal. c. 1. & 8 Sect.

De consequentia modaliũ enunciationum, iuxta antiquorum traditionem, quæ reprobatur.

ET quidem cõsequentię prędictarum enũciationũ quodammodo rationabiliter instituũtur ab ijs, qui ponunt, negationem *possibilis*, esse *non possibile esse*, & non hanc, *possibile non esse*. Siquidem ad *possibile esse*, consequuntur, & inuicem conuertuntur, tum *contingens esse*, tum, *non impossibile esse*, tũ *non necesse esse*.

Huic vero *possibile non esse*: sequitur *contingens non esse*, *nõ necesse non esse*, *non impossibile esse*, huic *non possibile esse*; sequitur *nõ contingens esse*, *necesse nõ esse*, *impossibile esse*. Denique huic, *non possibile non esse*, sequitur *non contingens non esse*, *non necesse non esse*, *impossibile non esse*; adeo vt descriptio harum enunciationum hunc in modũ constituatur, videlicet.

Possibile esse.

Non possibile esse.

Contingens esse,

Non contingens esse:

Non impossibile esse.

Impossibile non esse.

Non necesse esse.

Necesse non esse.

Pos-

Possibile non esse
Non possibile non esse
Contingens non esse
Non contingens non esse
Non impossibile non esse
Impossibile non esse
Non necesse non esse
Necesse esse

In hac autẽ descriptione perspicuum est, ad has, *possibile esse, contingens esse, non possibile esse, non contingens esse*, consequi contradictorie has alias, *impossibile esse, nõ impossibile esse:* sed conuerso modo, quatenus huic, *possibile esse*, sequitur negatio impossibilis, nempe *non impossibile esse*; negationi uero *possibilis*, quę est, *non possibile esse*; & negationi *contingentis*, quę est, *non contingens esse*, sequitur affirmatio, *impossibilis*, quæ est, *impossibile esse*. Siquidẽ affirmatio *impossibilis*, est hæc, *impossibile esse*, & eius negatio est, *non impossibile esse*: Verum tamen in hoc ordine spectandæ sunt enunciationes de necessario, quę non eo modo consequẽtur, vt dictum est de ijs, quę sunt de impossibili: sed quæ contrarię sunt inter se de necessario, se se consequuntur; & non illę, quę sunt contradictoriæ. Hæ. n. consequuntur ab vno latere *nõ necesse esse, non necesse nõ esse*, q̃ nõ sunt inuicẽ contradictoriæ, sed cõtrarię: Ab alio uero latere, hę aliæ consequentur, *necesse non esse, necesse esse*, quę pariter non sunt inuicem contradictorię; sed contrarię. Nam huius, *Necesse non esse*, negatio non est hęc, *non necesse esse*, cum ambę de eodem possint esse veræ; sicuti si necessarium est hominem non esse album, potest etiam dici, non necessarium hominem esse album. Et causa quidem, cur in proposita descriptione nõ similiter cum alijs consequantur enunciationes de necessario; hæc est: quoniam impossibile contrario modo ad necessarium idem valens, cum eo assignatur. Nam, quod est impossibile esse, hoc non dicendum necesse esse, sed necesse non esse: sicuti etiam, quod est impossibile non esse, hoc necesse est esse. Vnde, si enunciationes de impossibili ad illas de possibili, & non possibili inuicem contradictorias, firmiter & ipsæ inuicẽ contradictoriæ consequuntur, oportet vt & illę de necessario contrario modo ad easdem sequãtur. Quandoquidem non idem significat, *Impossibile esse*, & *necesse esse*, nisi conuerso modo, vt ad impossibile non esse, sequatur necesse esse; & ad impossibile esse, necesse non esse; atque ideo ordo propositus harum consequentiarum, vt non conueniens, reijciendus erit, & alius, qui sit aptior, instituẽdus.

Itaque illud in primis considerandum occurrit, num sit impossibile, vt disponantur enunciationes affirmatiuæ de necessario, quæ sunt, *necesse esse*, & *necesse non esse*, eo modo, vt dispositæ sunt in anteposita descriptione. Id autem facile hinc dignosci potest. Siquidem dicendum est, quòd illud, quod est necessariũ,

est etiam posſibile: alioquin, cũ de vnoquoque opus ſit affirmare, vel negare, ſi neceſſarium non eſt poſsibile, erit impoſsibile, qđ eſt maximum abſurdum: quod etiam ita magis aperitur. Nam ex ante conſtitutis, huic *poſſibile eſſe*, conſequitur, *non impoſsibile eſſe*; & huic conſequitur, *non neceſse eſse*, vnde ſequitur, quòd neceſſe eſſe, ſi non eſt poſsibile eſſe, erit non neceſſarium; & ita, quod ſupponitur neceſſarium, non erit neceſſarium. Atqui contradictio nõ poteſt eſſe ſimul de eodem vera; quare neque affirmationes de neceſſario rectè erunt diſpoſitæ in pręhabita deſcriptione, quum hinc ſequatur inconueniẽs, quod deductũ eſt. Verum & illud eſt conſiderandum, dici poſſe, quòd ad *poſsibile*, conſequatur, aut *neceſſe eſſe*, aut *neceſſe non eſſe*. Et id patet, quoniam perſpicuũ eſt, qđ poſſibile ad vtrumq; vergit, vt poſſit & eſſe, & non eſſe. At neutra dictarũ enunciationũ, quæ ſunt, *neceſſe eſse*, & *neceſse non eſse*; poteſt ad vtrũq; eſſe vera. Sed illud, qđ neceſſe eſt eſſe, non põt non eſſe; & quòd neceſſe eſt nõ eſſe, non poteſt eſſe: quare relinquitur, vt ad *poſsibile eſſe*, ſequatur illa alia de neceſſario, nempe *non neceſſe nõ eſſe*. Etenim hoc etiam verũ eſt dicere de eo, qđ neceſſe eſt eſſe, qđ & idem nõ neceſſe eſt nõ eſſe. Quãdoquidem & hęc, *non neceſse non eſſe*, erit contradictoria alteri de neceſſario, quę conſequitur ad hanc, nõ poſsibile eſſe, & impoſsibile eſſe; nempe *neceſse non eſse*, cuius negatio eſt, *non neceſse non eſse*. Vnde hunc in modum contradictorię enũciationes inuicẽ conſequuntur; vt nullum hinc inconueniens, aut impoſsibile proueniat.

Adnotationes.

Conſequentiæ vero quoq; ſecundum rationem ſiunt &c. Ait, quid ad ſuppoſitionẽ factam, quòd huic, *poſsibile eſſe*, opponatur, *non poſsibile eſſe*, & non hæc, *poſsibile non eſſe*, fiũt rationabiliter conſequentiæ, quatenus ſequuntur in ordine ſuprapoſito, ex ſentẽtia Antiquorũ; vt puta, ꝙ ad *poſsibile eſſe*, ſequatur *contingens eſſe, nõ impoſsibile eſſe, non neceſſe eſſe*; & ita iuxta alias enũciationes, quę ſunt quattuor ſecundum vnumquemq; modum; duæ finitæ, ſicuti *poſsibile eſſe, non poſsibile eſſe*, & duæ infinitæ, *poſsibile non eſſe*, & *non poſsibile non eſſe*, & ita de alijs modis. Verũ abſolute non approbat Ariſt. propoſitum ordinem conſequentiarum. Vnde ſubiungit. *Neceſſarium vero quemadmodum ſit, conſiderandum eſt*; hinc patefaciens, ꝙ illæ de neceſſario non rectè iaceant, ſicuti alię. Nam, *poſsibile eſſe*, habet oppoſitum, *non poſsibile eſſe*; & contingens eſſe habet oppoſitum, *non cõtingens eſſe*, & *non impoſsibile eſſe*; habet oppoſitum *non impoſsibile non eſſe*; quę omnes ſunt inuicem contradictoriæ; ſicuti, & aliæ poſitæ in ſecundo ordine; At illæ de neceſſario in primo ordine poſitæ ſunt hæ, *non neceſſarium eſſe*, & huic oppoſita, *non neceſſarium nõ eſſe*: in ſecundo autem ordine poſitę ſunt hę, *neceſſarium non eſſe*, & huic oppoſita, *neceſse eſt eſſe*, quæ nõ ſunt inuicem contradictorię; & ideo ordo præcedẽs reprobatur propoſitus ab antiquis; qm̃ modi de impoſſibili, iuxta ipſorum conſtitutionem, & illi de neceſſario, conuerſo modo inuicem conſequuntur, ita quidem, vt ad affirmationem finitam de impoſſibili, quæ eſt *impoſsibile eſt eſſe*, ſequatur infinita de neceſſario, *neceſſe nõ eſſe*; & ad affirmationem infinitam de impoſſibili, quæ eſt, *impoſsibile non eſſe*, ſequatur affirmatiua finita de neceſſario, quæ eſt *neceſſe eſt eſſe*; & ideo antiqui redarguũtur, qm̃ enunciationes de neceſſario non contradictorie, ſed contrario modo poſitas conſtituerunt.

At certe impoſsibile eſt. Magis etiam vrget propoſitum ordinẽ quo ad neceſſarias enũciationes, docens impoſſibile eſſe, vt iaceãt eo modo, vti fuerunt poſitę. Inquit.n. oportere vt illud, qđ eſt neceſſariũ, poſſit etiã eſſe poſſibile. Alioquin, cũ de quocunq; oporteat affirmationem, aut negationem eſſe veram, ſi neceſſarium non eſt poſſibile, erit igitur impoſſibile, quod eſt maximũ abſurdum. Quod etiam ita magis aperitur; qm̃, ad *poſsibile eſſe*, ſequitur, *non impoſsibile eſſe*; & ad hoc, ſequitur *nõ neceſſe eſſe*: quare, ſi ad

ne-

necesse esse, non sequitur, *possibile esse*, fiet vt id, quod dicitur necesse esse, non necesse sit esse, quod est dictu impossibile. Quare arguitur nō recte positum fuisse ab antiquis, quod ad *possibile esse*, sequatur, *non necesse esse*.

At neq; necessarium esse. Antea deduxit Aristot. non recte supponi ꝙ ad *possibile esse*, sequatur, *non necesse esse*. Hic modo patefacit, ꝙ, neq; ad *possibile esse*, sequitur *necesse esse*, aut *necesse non esse*, ob hanc rationem, quō possibile, & ad esse, & ad non esse vertitur. At, quod necesse est esse, falsum est dicere ꝙ possit non esse: & similiter, ꝙ necesse est nō esse, falsum est dicere, ꝙ possit esse. Quare a sufficienti partium enumeratione, si verum est ꝙ ad *possibile esse*, non consequitur, neque *necesse esse*, neque *non necesse esse*, neque *necesse non esse*, opus igitur est, vt huius contradictoria sequatur enunciatio, quæ est *nō necesse non esse*, & ita sub hoc, *possibile esse*, stabit *nō necesse non esse*; & sub hac, *non possibile esse*, stabit *necesse non esse*; Sicuti sub hac, *possibile non esse*, stabit, *non necesse esse*, & sub illa, *non possibile non esse*, stabit hęc, *necesse esse*, ita vt contradictoriæ sub contradictorijs collocentur. Sed occurrit dubitatio, quomodo dixit Arist. ꝙ ad *possibile esse*, neq; sequitur, *necesse esse*, neq; *non necesse esse*, cum hęc sint opposita contradictorię, & semper de quocunq; altera pars contradictionis sit ex necessitate vera, & altera falsa. Et augetur magis etiam difficultas, quā, in Prior. Analyt. in definitione contingentis dicitur, quòd ad cōtingens, sequitur non necessarium, quod hoc loco negatur. Huic dubitationi occurrentes dicimus; si quæratur, nū possibile sit necessarium, dicendum est, quòd non est, si accipiatur possibile, vt potest etiam nō esse; nam quod est necessarium, non potest non esse; & ideo possibile erit non necessarium. Verum si cōsideretur possibile, vt conuenit, & contingenti ad vtrumlibet, & etiam necessario, vt dicetur paulo post, sic dicendum est, quòd, ad possibile, neque sequitur necessarium, quā omne possibile non est necessarium; neque etiam non necessarium, quādo possibile conuenit etiam necessario. Et hęc ab Aristotile in hoc loco sunt statuta: In Prior. autem Analyt. dictum est, ad possibile sequi non necessarium, quatenus accipitur possibile pro contingenti ad vtrumlibet.

Dubit.

Lib. 1. Pr. Analy. cap. 12.

Solut.

De congruo ordine consequentiarum in modalibus enunciationibus.

VT autem harum enūciationum congruus, verus, & determinatus ordo constituatur, in quæstione ponendum est, num ad necessariū sequatur possibile, vt videtur dicendū. Alioquin, si possibile nō sequitur ad necessarium, sequetur eius oppositū, quod est, non possibile; aut hoc aliud, possibile non esse, quarum vtraq; de necessario est falsa: tum dicere, ꝙ illud, quod est necessariū, non est possibile esse; tum dicere, quòd id quod necessarium est, sit possibile non esse: ita.n. non erit necessariū. Verum & in oppositum ad hanc suppositionem, quòd ad necessarium sequatur possibile, non deest dubitandi causa & occasio. Nam videtur idē possibile & incidi, & non incidi; & similiter esse, & non esse. Quare, si statuatur, quòd ad necessariū sequatur possibile, ita fiet, vt necessarium sit contingens non esse, qđ est manifeste falsum. Itaq; pro huius ambiguitatis dissolutione, aduertendum est, quòd non oē possibile vel esse, vel ambulare, potest etiam opposita; videlicet, & non esse, & non ambulare; Sed sunt nōnulla, de quibus vere id dici non potest. Et primo quidem id apparet in potentijs irrationalibus, veluti de igne, q est calefactiuus, existēs sine potentia rationali, & non potest nō calefacere; cum tamen potentiæ rationales possint plura, & etiam contraria efficere, quæ non potest ignis, & aliæ huiusmodi potentiæ irrationales; sicuti & quæcunq; semper operantur, vti cœlum semper mouetur, non possint oppositum efficere.

Verumtamen non tollitur, quin etiam ex potentijs irrationalibus sint nonnullæ, quæ possunt opposita suscipere; nempe & esse, & non esse: veluti cera & mollis, & dura effici pōt. Sed quæ dicta sunt, huc tendunt, vt colligatur, quòd non omnis potētia est susceptibilis oppositorum, neq; ex illis, quæ secūdum eādem speciem dicuntur, vt

ſunt potentiæ irrationales. Siquidem & potentiæ aliquæ ſunt æquiuocæ inter ſe. Nam non eſt ignorandum, quòd ipſum poſſibile nō dicitur ſimpliciter, & ſecūdum vnum tantum ſignificatū: Sed aliud quidem dicitur poſſibile, quoniam verum eſt, vti illud, quod exiſtit actu; veluti aliquid dicitur poſſibile ambulare, quoniam ambulat; Aut magis ēt vniuerſaliter loquēdo, aliquid dicitur poſſibile eſse, quoniam iam eſt actu illud, quod dicitur eſse poſſibile. Aliud uero dicitur poſſibile, quoniam forte operaretur; ueluti aliquid dicitur poſſibile ambulare, quoniam vtique ambularet, & talis quidē potentia, ſeu poſſibilitas in ſolis mobilibus inuenitur. Illa uero alia, quæ actum concernit, de immobilibus quoque uerificatur. De utraque autem eſt uerum dicere, non impoſſibile eſse ambulare, aut eſſe; tum illud, quod ſit iam ambulans, & operans, ſeu actu exiſtens; tum illud, quod aptū eſt ambulare. Id autem, quod ſit poſſibile, & aptum operari, non autē actu operans, non verum eſt dicere ſimpliciter de omni neceſſario. Alterum vero poſſibile, quod concernit actum, de neceſſario dici pōt, quòd id, quod eſt neceſsarium hunc in modum, ſit poſſibile. Quamobrē, quoniam illud, quod eſt vniuerſale, vti illud, quod in plus ſe habet, conſequitur ad particulare, ſicuti, ad hominem ſequitur animal; ideo poſſibile, cum ad plura ſe extendat quam neceſsarium, vt explicatum eſt, ad neceſsarium conſequetur: ita quidem, vt de neceſsario dicatur etiā poſſibile, quatenus eſt actu. Et quidem forte neceſsarium, & eius oppoſitum non neceſsarium, eſt principium ipſius eſse, aut non eſse rerum omnium; vt propterea hæc alia, nempe poſſibile, cōtingens, impoſſibile, vt conſequētia ad neceſſarium, & ad nō neceſsarium, ſint conſiderāda, & in ordine ponēda.

Manifeſtum aūt ex dictis, quòd illud, quod eſt ex neceſſitate, eſt ſecundum actum. Vnde, ſi æterna ſunt priora non æternis; etiā actus erit prior quam potentia. Et quidem rerū aliæ ſunt ſine potētia actus, vt primæ ſubſtantiæ; alię vero ſunt cum potentia, vt res, quæ mutātur, quæ quidem natura & actu ſunt priores, tempore vero, & potentia poſteriores ſunt. Aliquæ vero res sūt numquam actu exiſtentes, ſed ſolum potentia.

Adnotationes.

M*Anifeſtum eſt autem.* Pro diſſoluēda dubitatione motu circa enunciationes modales, habet Ariſt. *poßibile*, accipi etiam pro eo, quod oppoſita non recipit, vt poſsit eſſe, & non eſſe, facere, & non facere: quemadmodum apparet in potentijs irrationalibus: ſicuti ignis poteſt calefacere, nō autem non calefacere: cum deinde potentiæ rationales poſsint ad oppoſita: ſicuti homo pōt ambulare, & non ambulare. Et cum dixerit, hoc patere primo in potentijs irrationalib. deinde ſubiunxit, *neq; quæcunq; ſemper actu agunt*, ſicuti cœlum ſemper mouetur: ideo in his omnibus datur poſsibile non ad oppoſita. Et notandum in lib. 9 Met. tractari exacte de potentijs rationalibus, & irrationalibus, tum circa agere, tum circa pati. Libro 9. Met. ca 4

Neq; quæcunq; ſecundum eandem ſpeciem dicuntur. Intelligit potentias irrationales ad vnum oppoſitorum determinatas, vt dictū eſt de igne, qui ſolum poteſt calefacere; & in hoc conueniunt omnes huiuſmodi potentiæ irrationales. Et cum ſubiungitur, *quædā vero potentiæ æquiuocæ ſunt*; hinc innuitur, quod omnes potentiæ non conueniunt in eadem ratione. Nam alia eſt potentia, qua aliquis, nō ambulans, poteſt ambulare, & alia eſt potentia, quam habet, qui ambulat: de ipſo.n. dici poteſt, quòd habet potentiam, vt poſsit ambulare: ſicuti & de eo, quod ſemper eſt, dici poteſt, quod poteſt eſſe. Et primo quidem modo accepta potentia, tantummodo in rebus mutationi obnoxijs inuenitur; alia vero cōuenit etiam rebus immobilibus, & neceſſarijs, & ob id dici poteſt, quòd ad *neceſſariū*, ſequitur *poſsibile*, vti illud, quod ad plura ſe extendit quàm neceſſarium.

Eſt quidē fortaſſe principium. Non ſolum ob rationem prędictam, debet poni priori loco neceſſarium, ad quod ſequatur poſsibile, vti illud, quod in plus ſe habet quam neceſſarium:

Verum etiam, quoniam necessarium est principiũ ipsius esse, & nõ esse omnium. Dicit autem, *fortasse:* quoniam alibi, nempe in Met. lib. 12. apud nos 14. est discutiendum, quomodo Deus sit ens necessarium, & causa omnium.

Dubit. Solut.

Quod ex necessitate est secundum actum est. At dicitur in Prior. Analyt. quòd contingens, quòd non est actu, est necessarium, vt est Eclipsis futura. Dicendum est, hic esse sermonem de his, quæ sunt, & non futura sunt, & de hujusmodi dicitur, quòd si sunt, ex necessitate (ad differentiam eorum quæ futura sunt modo contingenti) secundum actum sunt, & sempiterna sunt, de quibus etiam dicitur, quòd quæ actu sunt, priora sunt ipsa potentia. Et hoc dependet ex suppositione, quòd necessarium est principium omnium.

Vt primæ substantiæ. Quemadmodum Deus Opt. Max. est semper actu sine vlla potẽtia, semper intelligens, & alię etiam intelligentiæ, quę sunt semper, & non habent potentiam ad non esse: licet hæ quandam potentiam habeant ad intelligendum: Et de his considerandum in lib. Met. Forte etiam intelligi possent primæ substantię ipsę formę rerum, quarũ sunt actus, vt habetur in lib. 9. Met. prope finem.

Libro 9. Met. c. 10.

Alia vero sunt actu cum possibilitate. Hęc sunt generabilia & corruptibilia, quorũ species secundum opinionem Arist. qui ponit mundum ingenitum, (qui tamen secundum veritatem est creatus, ex nihilo a Deo) sunt ęternę, & ita in his actus est prior quàm potentia: in generatione autem rerum, tempore prior est potentia, quàm actus. Et de his exactius, in lib. 9. Met.

libro 9. Met. c. 5.

Alia vero numquam sunt actu, sed potestate tantum: Sicuti infinitum, numquam datur actu, de quo etiam est sermo in lib. 9. Met. & in lib. 11. apud nos 13.

Ordo consequẽtiæ in modalibus propositionibus iuxta sententiam Aristotelis.

Fin. Necesse esse.
Non necesse esse:
Infi. Non possibile non esse.
Possibile non esse.
Infi. Non contingens non esse.
Contingens non esse.
Infi. Impossibile non esse.
Non impossibile non esse.
Infi. Necesse non esse.
Non necesse non esse.
Fin. Non possibile esse.
Possibile esse.
Fin. Non contingens esse.
Contingens esse.
Fin. Impossibile esse.
Non impossibile esse.

Quid sit autẽ modus (vnde modalis propositio a nostratibus dicta est) clare patet, quod cum hic cõsideretur, vnde vis affirmationis, & negationis pendeat in enũciationibus iuxta veritatem, & falsitatẽ, quæ per ipsum esse, aut nõ esse rerum assignatur; ideo modus erit particula adiacens in enunciationibus, limitans rerum veritatem, & falsitatem penes esse, & non esse; quatenus, ESSE, aut est necessarium, aut possibile, aut contingens, aut impossibile.

IN QVINTAM ET VLTIMAM Sectionem.

Disputatio, Vtrum affirmationi magis opponatur contraria affirmatio, an negatio.

AD perfectam autem traditionem contradictionis, de qua hic institutus est sermo, relinquitur hoc problema explicandũ, nũ affirmationi magis opponatur cõtraria affirmatio, an negatio: veluti, num huic orationi, *Socrates est iustus*, magis opposita sit hæc contraria affirmatio, *Socrates est iniustus*, an eius negatio, *Socrates non est iustus*. Itaque, cum ea, quæ sunt in voce, ipsæ nempe pronunciatæ orationes, respondeant his, quæ sunt in animo, ipsis scilicet notionibus mentis, prout in initio huius operis cõstitutum est. Idcirco, questio proposita prius est examinãda circa internas animi nostri opiniones. Sed illud in primis est remouendum, ne exi-

ſtimemus aliquas opiniones idcir
co eſſe contrarias inuicem, qm̃ de
rebus ſint contrarijs; veluti ſunt
hæ:opinio boni, quòd ſit bonum,
& opinio mali,ꝙ ſit malum: hæ.n.
nequaquam inuicem ſunt contra-
riæ, cum ſimul ſint veræ; & forte
vtraq; vna eſt opinio, licet diuer-
ſo modo ſint prolatę.Vnde huiuſ-
modi opiniones potius ſunt dicen
dæ contrario quodammodo pro-
latæ,quàminuicem ſibi contrarię.

Vt igitur quæſtionem propoſi-
tam diſſoluamus, ſupponatur, ꝙ
ſit vna opinio boni, ꝙ ſit bonum,
& alia opinio, ꝙ bonum nó ſit bo
num:ſit vero & alia, ꝙ bonum ſit
illud, quod non eſt, neq; poteſt eſ
ſe;Vtiq; dicendum,ꝙ illarum opi
nionum,quibus aut opinamur bo-
no ineſſe, quod nó ineſt,veluti fu
giendum;aut opinamur non ineſ-
ſe bono,quod ipſi ineſt,vt ꝙ bonũ
non ſit appetẽdum, nulla propria
eſt ponenda cótraria opinioni de
bono,ꝙ ſit bonum; cum huiuſmo
di opiniones poſſint eſſe infinitæ.
Sed illa cenſenda eſt propriè opi-
nio oppoſita veræ opinioni de bo
no,ꝙ ſit bonum,quæ continet de-
ceptionem directe contrariam ve
ritati;ſunt autem huiuſmodi illę,
ex quibus fiunt generationes;quę
certe (vti determinatũ eſt in ſcien
tia naturali)fiunt ex oppoſitis;vt-
puta,ex non ente fit ens;& ex non
bono fit bonum; vt hinc innuatur,
opinioni de bono, ꝙ ſit bonum,eſ
ſe cótrariam illam opinionẽ, quæ
eſt de bono, ꝙ nó ſit bonum,vt ra
tio ad hoc probandum ita conſti-
tuatur. Si bonum & bonum eſt, &
non malum,& ſecundum ſe bonũ,
ſecundum accidens autem eſt nó
malum (ſiquidem accidit ipſi bo-
no non eſſe malum) & magis in
vnoquoq; vera eſt opinio,quæ eſt
ſecundum ſe, quàm quæ eſt ſecun
dum accidens,& ſimiliter falſa o-
pinio,quę ſcd̃m ſe eſt falſa,magis
eſt cenſenda falſa,q̃ ea,quæ ſecũ-
dum accidẽs eſt falſa: ſequitur igi
tur,ꝙ opinio de bono, ꝙ nó ſit bo
num,erit magis oppoſita (vti per
ſe exiſtens falſa) opinioni veræ,
quòd bonum eſt bonum:quemad-
modum etiam magis decipi cótin
git circa opinionẽ, quæ ſit magis
contraria veræ opinioni, q̃ circa
eam,quæ ſit cótraria per accidẽs;
ſicuti eſt opinio boni, quòd ſit ma
lum, quæ quidem non ſimpliciter
eſt contraria opinioni,quòd bonũ
eſt bonũ:ſed eſt implicita,& quo-
dammodo cóplexa: vti ea, in qua
inuoluitur opinio,quòd bonũ non
eſt bonum. Nam forte oportet,vt
qui opinatur, quòd bonum eſt ma
lum,etiam opinetur,quòd bonum
non eſt bonum: vt hinc conclud a-
tur, quòd negatio magis eſt oppo
ſita affirmationi, quàm affirmatio
ei contraria: nempe magis eſt có-
traria,huic affirmationi, *bonũ eſt bonũ*,
negatio,quòd *bonũ non eſt bonum*, quàm
hæc, quòd *bonum ſit malum*. Præterea,
ſi & in alijs ſimiliter ſe habet op-
poſitio, quæ inuicem non habent
cótrarietatem: ergo & in ijs eadẽ
debet eſſe,vbi eſt contrarietas, de
quibus eſt quæſtio. Nam conue-
niens eſt, vt in omnibus ſit cótra-
rietas penes cõtradictionem, aut
nullibi. Sed in quibus nó eſt con-
trarietas, in his eſt falſa opinio,
quæ veræ eſt oppoſita: ſicuti opi-
nari hominem non eſſe hominẽ,
falſa eſt, & opponit̃ veræ opinio-
ni, quòd homo eſt homo. Quare,
ſi hæ contradictiones ſunt cótra-
riæ, erunt & aliæ omnes.

Adhuc a ſimili licet ita argumẽ
tari. Nã ſimiliter ſe habet opinio
boni,quòd ſit bonum,& opinio nó

boni,

boni, quòd nõ ſit bonum, vtraque enim vera eſt, vt nõ ſint cõtrariæ, ſed cõtrario modo ſe habentes, vt dictũ eſt antea. Ad has autem hæ duæ aliȩ falſæ reſpondent: altera, quòd bonum non ſit bonum, & altera, quòd nõ bonum ſit bonum. His ita poſitis, quærẽdum eſt, quænam opinio opponatur huic veræ opinioni, quòd non bonum nõ eſt bonum: num opinio quòd bonum ſit malum? At hæc nequaquã eius erit oppoſita, cũ ambæ poſſint eſſe ſimul veræ. Siquidem iniuſtitia nõ bonum exiſtẽs, eſt malum. Sed neque opinioni de bono, quòd nõ ſit bonũ, opponitur opinio, quòd nõ bonum nõ eſt malum. Siquidẽ aliquid poteſt eſſe nõ bonum, qđ tñ nõ ſit malum: ſicuti puer nõ eſt iuſtus, & ita non bonus eſt, qui tñ neq. malus eſt, vt qui iniuſtus non eſt. Idcirco relinquitur, quòd opinioni de bono, quòd nõ ſit bonum, ſit contraria & vere oppoſita opinio, quòd non bonum eſt bonum. Quare ſi in ijs ita ſe res habet, pariter igitur & in alijs ita ſtatuendum erit, quòd opinioni, quòd bonum ſit bonum, vere oppoſita ſit opinio, quòd bonum non eſt bonum: & non illa opinio, quod bonum eſt malum.

Manifeſtum eſt autem, qđ hoc idem erit, ſi vniuerſalis ponatur affirmatio. Huic enim erit cõtraria vniuerſalis negatio, adeo quòd opinio, quòd omne, quod eſt bonũ, eſt bonum, habebit contrariam opinionem, quòd nullum eorum, quæ bona ſunt, ſit bonum. Quare, ſi ea, quæ voce & oratione proferuntur, ſimiliter ſe habent cũ his, quæ ſunt in mente, quorum voces ſunt ſigna, & probatum eſt de opinionibus, quòd veræ opinioni, ꝙ bonum eſt bonum, cõtraria eſt opinio, quòd bonum nõ eſt bonum, ſequitur dicendum, quòd affirmationi ſit vere cõtraria, oppoſita negatio: veluti huius, quòd bonũ eſt bonum, hæc negatio, quòd bonũ nõ eſt bonum, cum deinde cõtradictoriæ opponantur huiuſmodi aliæ, omnis homo eſt iuſtus, nõ omnis homo eſt iuſtus, & hæ aliȩ, nullus homo eſt iuſtus, & aliquis homo eſt iuſtus. Manifeſtum autẽ eſt ex dictis, quòd nõ cõtingit opinionem, aut cõtradictionem verã, cõtrariam eſſe veræ opinioni, & cõtradictioni. Nam cõtrariæ ſunt, quæ circa oppoſita verſantur. At circa eadem contingit, vt aliquis verum dicat: contraria autem non contingit eidem ſimul ineſſe.

Adnotationes.

V*Trum autem contraria.* Qui addubitarũt, ꝙ Ariſt. negationem & affirmationẽ inuicem oppoſitas appellauerit contrarias, & non contradictorias, cum tamen ſint cõtradictoriæ, non aduerterunt, contradictorias dici etiam poſſe contrarias, & eſſe preterea quæſtionem de enunciationibus affirmatiuis inuicem oppoſitis, quæ contrariæ dici poſſunt, non autem contradictoriæ; vt ideo quæſtio de contrarijs iure fuerit inſtituta. Accedit, ꝙ prope finem Ariſt. diſtinguit contrarias enunciationes vniuerſales ſecundum affirmationem, & negationem a contradictorijs.

Quæ nam harum contraria eſt vera. Quȩritur, quȩ nam ſit contraria verȩ opinioni, quòd bonum eſt bonum: num illa, quòd bonũ non eſt bonum, an hæc, quòd bonum eſt malum. Et cum ſubiungitur, *& ſi eſt vna, ſecundum quam contraria.* Id innuitur, quod in eundem ſenſum cadunt opinio, quòd bonũ eſt malum, & quòd bonum non eſt bonum. Siquidem paulo infra dicitur, quòd qui opinatur, quòd bonum eſt malum, etiam opinatur quòd bonum non eſt bonum, & ideo repetitur quæſtio, ſecundum quam harum opinionum, quarum idem & vnus eſt ſenſus, ſit contrarietas ad opinionem, quòd bonum eſt bonum.

Infinita enim vtrȩque ſunt. Veluti de bono, poteſt eſſe opinio quòd non ſit appetendũ, non vtile, non honeſtum, & alia innumera cenſeri poſſunt non ineſſe bono, quȩ tamen bono inſunt: ſicuti etiam poteſt eſſe opinio de bono, quòd ſit fugiendum, quòd inhonorabile, & alia cenſeri poſſunt ineſſe bono, quæ tamen ei non inſunt. Vnde huiuſmodi

ſunt indeterminata, & ideo non determinata eſt falſa opinio in his, quę varia, & multiplex eſſe poteſt.

Sed in quibus ineſt ipſa deceptio. Vult, quòd verę opinioni cõtraria ſit ea opinio falſa, per quam deceptio fit: vti eſt illa, quòd bonum nõ eſt bonum: nã hęc per ſe ſimpliciter eſt falſa; ſicuti & ſimpliciter vera eſt opinio, quòd bonum eſt bonum, & nõ illa, quòd bonum non eſt malum, quę complicat in ſe illam aliam, quòd bonum eſt bonum.

At vero nec illa qua eſt, quoniam non malum. Neque huic, quòd non bonum eſt nõ bonũ, cõtraria eſt, quòd nõ bonum eſt nõ malum, quĩ ſimul eſſe poteſt aliquid nõ bonum, qđ tñ non eſt malum, prout de chymera notat Caietanus dici poſſe, quòd nõ eſt bona, neq. tamen dici quòd eſt mala. Aut dicemus, vt habetur in tractatu de oppoſitis poſt prędicamenta, quòd datur medium inter prauũ, & ſtudioſum: Vnde puer neque bonus dicendus eſt, neque prauus.

Caiet.

Manifeſtum eſt autem. Docet, quòd nõ cõtingit cõtrariam eſſe veram opinionẽ, aut contradictionem alteri opinioni verę: idq; quĩ contraria non poſſunt eidem ineſſe: At circa eadem poteſt aliquis verum dicere: vt, quòd bonum, eſt bonum, & quod malum eſt malum: Sed in cõtradictione poteſt vera eſſe vtraq. pars: vt quòd aliquis homo ſit iuſtus, & aliquis homo non ſit iuſtus.

Ammo.

Adnotandum autem nõnullos in dubium reuocaſſe, ſicuti Ammonius, quod nõ fuerit hęc quæſtio cõfecta ab Ariſtotele, tanquam ipſius ingenio nõ digna: Et non aduerterũt pluribus in locis, & in Metaph. & in Sciẽtia naturali Ariſtotelem, tribuere maiorẽ vim oppoſitionis, affirmationi, & negationi, q̃ alijs contrarietatibus cuiuſcunq. generis, qui etiam in Poſt. Analy. tractauit quęſtiones de demonſtratione affirmatiua, & negatiua, quę nam ſit preſtantior, & ſimiliter de vniuerſali & particulari. Sed & Alexander in oppoſitum ſententiam eorum, qui aliter opinati ſunt de quæſtione in hoc opere ꝓpoſita, ita habet in Com. 15. lib. 10. Metaph. *Propoſitum eſt de loco docere priuationem & contrarietatem ad contradictionem referri, & eaſdem quodam modo contradictiones eſſe, vt ipſe dicet. Quòd ſi verum eſt contradictio nimirum quàm priuatio, & contrarietas magis eſt oppoſitio, quod cũ ita ſit, ego non video, cur quidam ſic pracipientes, cum ipſi placeat contrarietatẽ magis opponi, quàm contradictionem, tamen gratia exercendi auditores, dixiſſe in quinta particula de enunciatione cõtradictionem magis opponi, quàm contrariam.* Et ſane ſi in dicto lib. 10. Met. & poſt prędicamenta in tractatu de oppoſitis, vult Ariſtoteles, ad cõtradictionem reduci alias oppoſitiones. Hinc igitur concludendum, iuxta propriam eius ſententiam, ac propter veritatem ſtatuiſſe, id, quod ſtatuit hoc loco circa propoſitam quęſtionem.

Alexan.

Finis librum Perihermenias.

IN

IN PRIORA ANALYTICA

Explanatio.

De subiecto operis.

VT subiectũ nobis pateat, de quo agitur in libris, qui Prior. Analytici inscribũtur, illud in primis aĩaduertendum est, in ijs libris, & in alijs ad hos posterioribus subiectum, a scopo distingui, vt apparebit ex sequentibus. Et id ipsum est, ac si dixerimus, aliud esse subiectum seu materiam, de qua in hoc opere tractatur, & aliud scopum, ad quem huiusmodi tractatio dirigitur. Ad hæc, illud etiam est aduertendum, cum libri, nuncupati Priores Analytici, alios innuãt posteriores Analyticos prioribus consequentes, ideo bifariã de Prioribus Analyticis haberi potest consideratio: aut, quatenus Posterioribus Analyticis coniunguntur, & in vnum coeunt communem cum illis tractatum: aut secundum proprium materiam, quæ in Prioribus Analyticis, seorsum a posterioribus absoluitur.

Quam ob rem, primo tractantes mutuam Priorum & Posteriorum Analyticorum cõnexionem, quã & vtriusque operis auctor Aristoteles præsupponit dicimus, ex eius sententia, commune subiectum horum omnium librorum esse demonstrationem, quod manifeste aperuit in initio huius operis ita sermonem exordiens. ***Primum est dicendũ, circa quid & cuius sit præsens contẽplatio: nempe*** (vt subiungit) ***circa demonstrationẽ:*** hinc innuens subiectum cõmune Prioribus, & Posterioribus Analyticis. Et subdẽs postea: ***& sciẽtiæ demõstratiuæ;*** hinc significauit scopum, ad quẽ dirigitur vniuersa hæc de demonstratione tractatio, nimirum in gratiam scientiæ demonstratiuę; quod, quomodo est accipiendum, infra luculentius in expositione contextus explicabitur. Itaque dicimus, Priorum & Posteriorum Analyticorum subiectum, de quo in ijs libris agitur, esse demonstrationem in gratiam scientiæ demonstratiuæ perscrutandum, ita tamen, vt, cum demonstratio sit syllogismus scientiam efficiens, ideo de ea prius tractetur, quatenus est syllogismus; idest, oratio secundum quendam certum ordinem propositionum disposita, quod absoluitur in Prioribus Analyticis; cũ deinde in Posterioribus explicetur demonstratio, quatenus est syllogismus scientiæ effectiuus; dũ tractatur, ex quibus conditionibus scientia astruatur, quam affert demonstratio, vna cum vniuersa doctrina ad scientiam demonstratiuam spectante. Quòd si quis ex aduerso instet, non cõuenire, vt tractat⁹ Syllogismi speciatim ad demonstrationem apponatur, cum syllogismus sit genus quoddam non solum demonstratiuæ, verum etiam dialecticæ, & sophisticæ ratiocinationis; Huic dubitationi occurrentes, dicimus verum esse, ꝙ syllogismus est genus cõmune predicatis omnibus ratiocinationibus.

Dubit.

Solue.

Ve-

Verum, cum alicubi explicanda esset tractatio syllogismi vna cũ aliqua suarum specierum, ne singillatim cum vnaquaq; specie absque Methodo superuacaneeq; traderetur: idcirco optima rõne factũ esse dicimus, vt generalis de syllogismo traditio, tractatui de demõstratione copularetur: vtpote illa specie syllogismi, quæ inter omnes præcipuum locum obtinet, ob eius præstantiam & dignitatẽ: cui etiam deseruit facultas dialectica, præsertim ad demonstratiuæ scientiæ principia magis manifestanda ex locis probabilibus, vt docet Aristoteles in lib. 1. Topyc. Nec nõ eidem subordinatur Elenchorum, seu captiosarum rationũ cõtemplatio; quatenus, perceptis cauillis atq; fallacijs, quas adhibent sophistæ molestias præbẽtes studiosis scientiarum, de ijs edoctus demõstrans, lõge facilius sciẽtiam demõstratiuam, ab erroribus tutam, atq; purgatam construere valeat, & alijs eam capessendam exhibere. Et hæc quidem de subiecto, quod est commune Prioribus, & Posterioribus Analyticis, ita in vniuersum sint enarrata.

Iam vero seiũgentes proprium tractatum Priorum Analyt. a Post. Analyticis, dicimus, Priorũ librorum proprium subiectum esse syllogismum in genere, vt aptari potest tum Demõstratiuæ, tum Dialecticæ, tum Sophisticæ ratiocinationi: nec nõ etiam inquantum & inductionem, & modos omnes argumentandi, quos Rethores adhibent, sub exemplum, & enthimema, complectitur, & quidquid aliquo modo ad ratiocinandi potentiam reduci potest. Quæ omnia, quomodo se habeant, ex ipsa operis explanatione erũt ꝑspicienda.

De diuisione operis Priorum Analyticorum.

HOrum autem Priorum Analytic. duæ sunt præcipuę partes, inter se, iuxta primi & secundi libri ordinum distinctæ. Et quidem quæ in lib. 2. cõtineantur (ne hic omnia præpostere tractentur) in eius libri propriam interpretationem differimus. Interim autem ad primum librum præsentem nostram dirigẽtes cõtemplationem, dicimus, huius libri tres esse sectiones. In prima docet Aristoteles, sub quibus nam formis seu figuris, & quot modis cõstrui possit oratio Syllogistica, quæ recte se habeat penes omne genus propositionum: siue sint vniuersales, aut particulares, aut indefinitæ ꝓpositiones: siue sint inexistẽtes, aut necessariæ, aut possibiles. Ad hæc, quando, & quomodo ex certis ꝓpositionibus oratio non syllogistica consequatur.

In secũda vero Sectione traditur Methodus generalis venandi propositiones ad vnumquodque genus syllogismi in genere iuxta omnes figuras astruendum.

In tertia atq; postrema edocetur modus, quo instruamur, tum quomodo syllogismi compositi in simplices resoluatur, & simplices in proprias propositiones: tũ quõ imperfecti ad perfectos reduci queant, singuli ad proprias figuras, & figuræ aliæ ad primam, quę est potissima omnium figurarum.

De inscriptione librorum Priorum Analyticorum.

INscribuntur autem libri, in quibus agitur de Syllogismo, Priora Analytica, a verbo Græco;

co, ἀναλύω, quod Latine interpretatur, RESOLVO: PRIORA q̃dem, qm̃ tractatio syllogismi, vt dictum est, præcedit tractatũ demóstrationis: vnde libri de demóstratione, posteriores Analytici, illi vero de syllogismo, priores iure merito sunt nuncupati. Dicti vero sunt hi libri Priores, ANALITICI, ob Methodum, de qua in ipsis agitur, resoluendi. s. syllogismos, tum compositos in simplices, tum imperfectos in perfectos, tum singulos in propriam formam atque figuram: nec nó omnes in optimã, quę est ordine prima & potissima omnium figurarum. Quæ quidem resoluendi ratio, inter omnes tractatus syllogismi, proculdubio est prȩstantissima: vti ea, quam nemo possit rite absóluere, qui prius optime non callueri, partim quot modis astruantur figuræ syllogismorum, quod in prima Sectione libri edocetur; partim, qua Methodo propositiones cóparentur pro syllogismis omnibus in genere cóficiẽdis; quod absoluitur in 2. sect. lib. primi. Vnde rationabiliter admodum factum est, vt hi libri Priores, a digniori & prȩstãtiori parte, ANALYTICI, seu RESOLVTORII sint inscripti. Qua vero róne Posteriores libri, in quibus agitur de demóstratione, Analytici, & ipsi inscribantur, in eorum propria explicatione erit enucleandum.

De ordine, seu loco, quem sortita sunt in Organo Priora Analytica.

PErspicuum autẽ esse debet ex ijs, quæ prȩfati sumus in libris Prædicamentorum, & Peryhermenias, ꝙ Priora Analytica medium quodam modo locum inter Organi partes iure sibi vendicarunt; vtpote opus illud, qđ libro Prædicamentorum, & libro Perihermenias cósequitur: antecedit autem Poste. Analytica, in quibus agitur de demóstratione, necnó & Topicos, & Sophisticos libros. Etenim cũ syllogismus sit oratio quædam enũciatiua, idcirco ratio docendi postulabat, vt syllogismi tractatũ præcederet opus de oratione, & huic antecederet tractatus Prædicamentorum. Quemadmodum etiam tractatio syllogismi, cum sit genus ad Demonstratiuam, Topicam, & Sophisticam argumentationem, ante vniuscuiusque harum specierum perscrutationem, erat præmittenda, vt de hoc minime sit dubitandum.

IN PRIMAM SECTIONEM

lib. 1. Prior. Analyt.

Explanatio.

Proœmium, in quo aperitur, de quibus in vniuerso opere sit agendum, & quæ tanquã suppositiones sunt præmittenda.

COnuenit primo aperire, antequam negociũ a nobis intentum aggrediamur, circa quid tanquam circa ꝓprium subiectum, hæc prȩsens versetur cótemplatio, & cuius rei gratia suscipiatur. Et dicimus, circa demóstrationem futurã esse hanc speculationem, ipsamq; habendã in gratiam sciẽtiæ demóstratiuæ, eo scopo, vt hinc desumantur regulæ ad sciẽtias omnes demóstratiuas recte, riteq; cóstruẽdas, easdemq; dijudicandas. Consequenter est aperiendum, definiendo, quid sit propositio, quid terminus, & quid syllogismus, & qualis

lis pfectus, & qualis imperfectus: post hæc explanandum , quid sit esse in toto, & quid de omni, seu de nullo prædicari

Adnotationes.

PRimum *dicere*. Proœmiolo quodam vtitur hoc loco Arist. quod est commune Priorib. & Posterioribus Analyticis; in quo detigit, tum subiectum, quod in ipsis tractatur, tum scopum, ad quē prædicta tractatio dirigitur: nec non more Mathematicorum nōnullas præmittit suppositiones, quæ huic tractationi maximo vsui sunt futuræ. Aduertunt autem Io. Grammaticus & Magentinus, ex vsu Atticę elegantiæ, in primorib. huius libri vocibus, iis nempe: *primum dicere &c.* Græce ita se habent, πρῶτον εἰπεῖν omissam fuisse ab Aristotele particulam, χρὴ, seu δεῖ quæ est subintelligēda: nempe, ita interpretandos. *Primum dicere oportet.*

Io. Grā. Magent.

Circa quid, & cuius est speculatio. Gręce hęc ita leguntur: περί τι, καὶ τίνος ἡ σκέψις ἐστὶν. Quę verba ponderans Alexander, in primis miratur, cur varię huic phrasi orationis Gręce expresse, partim in genitiuo, & partim in accusatiuo, non respondeat in eisdem casibus subsequens locutio, sed tota sub vnum eumdemq; casum sit allata. Græce.n. ita legitur: πρῶτον εἰπεῖν περὶ τι καὶ τίνος ἡ σκέψις ἐστὶν. ac si latine dicatur. *Primum dicere oportet, circa quid, & cuius est speculatio*. Ad quæ postea hęc alia subiunguntur secundū alterā Alex. lectionē: ὅτι περὶ ἀπόδειξιν καὶ ἐπιστήμην ἀποδεικτικήν. ac si dicatur latine: *circa demonstrationem & scientiam demonstratiuam*: cum tamen videretur, postremas dictiones reddēdas fuisse in genitiuo casu hunc in modū: καὶ ἐπιστήμης ἀποδεικτικῆς id est *scientia demonstratiuæ*; vt ita posterioris sermonis casus præmissę ꝓpositionis casibus responderent. Deinde vero supponens Alexander aliam lectionem cōem, & vulgatam: ὅτι περὶ ἀπόδειξιν καὶ ἐπιστήμης ἀποδεικτικῆς, id est, *circa demonstrationem & scientiā demonstratiuā*, adeo vt illi priori particulę, circa quid, respondeat hęc alia, quū *circa demonstrationem*, illi vero alię particulæ, *& cuius speculatio* respondeat hęc alia, & *scientiæ demonstratiuæ*: vult Alexā. per illud, *circa quid*, proponi subiectū, circa quod versetur pręsens contemplatio; & responderi, quod est circa demonstrationem, Et cum subiungitur, *& scientiæ demonstratiuæ* vult his verbis innui habitū animę, cui incumbamus, agēdo de demonstratione. Quā interpretationem sequutus est etiam Ioan. Grāmaticus, inquiens, demonstrationē esse operationem procedentem ab ipsa scientia demonstratiua, tanquam ab habitu. Verum, cum Arist. (vt supponit in eodem Commēto Io. Gramaticus) prope finem lib. 2. Post. Analyt. hęc habeat. *De syllogismo & de demonstratione, quid vtrumq; est, & quomodo fit manifestū: simul vero & de scientia demonstratiua idē.n.est*; propterea non videtur consona distinctio prędicta, allata ab istis pręcipuis interpretibus, vt habitus expositus (iuxta ipsorū sententiam) per scientiā demonstratiuā, distinguatur a demonstratione; adeo q̃ dicendū sit, scopum esse Arist. agere de demonstratione. ita tñ vt hęc functio dicatur spectare ad scientiam demonstratiuam; hoc est, ad habitum demōstrationis. Siquidem loco citato lib. 2. post Analyt. cōcludit, se egisse *de syllogismo, & de demonstratione quid sit vtrumq, & quomodo fiat, & de scientia demōstratiua, quod idē est.* Ex quibus verbis manifeste significatum est, quòd agere de demonstratione, est idem ac agere de scientia demōstratiua: vt hinc innuatur, nō habitus, cui incumbamus agendo de demonstratione, sed ipsa sciētia demonstratius, de qua actum sit, dum actū est de demonstratione. Quam ob rem, vt tō habeatur huius variatæ secundum casus locutionis, quā pręmisimus, ita pręsens locus nobis interpretādus videtur, vt per hāc dictionē, *circa quid*, denotetur subiectum, circa quod versatur pręsens contēplatio, & est (vt subiungit Arist.) *circa demonstrationē*. Per illā vero aliā particulā; *& cuius sit*, innuatur vniuersalis scopus tractationis: nempe, in cuius gratiā suscipiatur hęc de demonstratione contēplatio. Qūquidē particula, *cuius* typus est ad denotādum scopum, & causam finalē, dictam *cuius gratia* vt perspicuū est ex lib. 2. Phys. & ex lib. 1. Metaph. Vnde iure subinductum est, quòd in gratiam scientię demōstratiuę, seu ob scientiā demonstratiuā suscipitur speculatio de demonstratione; nēpe ad hunc finem, vt habeatur, qūo sit construenda sciētia demōstratiua. Siquidē, quæ tradūtur in abstracto de demōstratione, ex quibus cōstare debeat, eadē circa vnāquāq. sciētiam particularem, vt est Arithmetica, aut Geometria, obseruare conuenit: vt ita quodāmodo idē sit, agere de demōstratione, & de sciētia demonstratiua, in cuius gratiā tēdit pręsens de demōstratione cōtēplatio.

Io. Grā.

li. 2. Post. Anal. c. 18

Libro 2. phy. c. 3. Met. c. 3. Libro 1.

Vnde adnotandū est, in artibus distingui subiectū, seu materiā, de qua agitur, a scopo seu a fine, in quem dirigitur subiecti tractatio. Quod prę cęteris artibus, in medica facultate licet pręcipue intueri: in hac.n. (tanquam de proprio subiecto) agitur de natura corporis humani, ac de eius partibus, & de humoribus, & alijs, circa quę versatur sanitas, aut ęgritudo: scopus aūt huius vniuersæ cōtēplationis dirigitur ad tuendā, vel ad restituendā in hoīe valetudinem. Similiter in Ethicis, & Politicis contēplationib. subiectum est ipse homo, & domus, & partes domus, & vniuersa ciuitas, & eius partes, quæ, quales esse debeant, in hunc finē examinantur, vt hinc recte cōstituatur & cōseruetur homo, & domus, & ciuitas, in qua ciues bene atq; beate uiuant. Idcirco dicimus, q̃ tractatio demonstrationis, de qua in lib. Analyt. habet pro subiecto demonstrationē; cuius deinde explicatio dirigitur in hunc finē; nēpe in gratiā scientiæ demōstratiuæ, vt hinc norma desumatur ad quasq; particulares scientias contexendas, & dijudicādas. In ipsis aūt scientijs non existit prædicta distinctio, vt subiectum, de quo in quauis scientia agitur, ita distinguatur a scopo, vt scientia habita de subiecto, in alicuius rei finem, tanquam in quid aliud, dirigatur.

Non.n.ſcientia de natura, cuius ſubiectum eſt res naturales contemplari, habet alium finẽ, quàm ipſammet de rebus naturalibus contemplationem, atq; ſcientiam: niſi forte quiſpiam dixerit, ſciẽtiarum finem eſſe, animam ſcientem reddere, & eam ab ignorantia vendicare. Quod ſane non ſolum omnibus ſcientijs eſt commune, verum etiam artibus, quatenus & in ipſis ſpeculationes habentur ad animum noſtrum erudiendũ circa ea, quæ in ipſis tractantur. Sed & nihil prohibet in ſcientijs vnam earum partẽ alteri ſubordinari: ſicuti in ſcientia naturali elementorum, & partium ſimplicium contẽplatio deſeruit, & ordinatur ad explicationem rerum magis compoſitarum: quod, & circa Organi partes factum eſſe antea animaduertimus. Verum id, aliud & diuerſum eſt ab eo, quod nunc innuimus, de ſubiecto, & de ſcopo, ad quem ſubiecti tractatio dirigatur.

De Propoſitione.

PRopoſitio eſt oratio affirmatiua, vel negatiua aliquid de aliquo enuncians. Huius vero alia eſt vniuerſalis, quando omni, aut nulli aliquid ineſſe enunciatur; veluti quòd omnis homo eſt animal, aut ꝙ nullus lapis eſt animal. Alia particularis, quando alicui, aut non alicui, ſeu non omni (quod idem valet) aliquid ineſſe enunciatur; veluti ꝙ aliquis homo currit, aut nõ omnis homo currit; ſeu (quod idem eſt) nõ aliquis homo currit. Alia vero eſt indefinita ſeorſum a prędictis ſignis ꝓnunciata; veluti quòd cõtrariorũ eſt eadem diſciplina, aut quòd voluptas non eſt bona.

Differt autem propoſitio demõſtratiua a dialectica, quòd demõſtratiua eſt acceptio determinata alterius partis cõtradictionis, quã accipit demõſtrans, vt qui nõ interroget, tanquam ab alterius reſponſo ſumpturus alterutram partem cõtradictionis, vt facit dialecticus; qui percontatur ab eo, qui cum ſermocinatur, num anima (exempli gratia) ſit mortalis an immortalis, accepturus deinde in diſputatione partem illam contradictionis interrogatæ, ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuam, quam ſibi dederit, & conceſſerit reſpõdens, indeque ſuas texens aduerſus eum argumentationes. Verum, quod attinet ad ſyllogiſmũ conſtituendum, nihil intereſt vtra ex parte contradictionis conſtituatur ſyllogiſmus; quando & demonſtrans, pariter & interrogans vtuntur ſyllogiſmo, dum vterq; accipit aliquid de aliquo, aut ineſſe, aut non ineſſe. Vnde dicendum eſt, quòd propoſitio ſyllogiſtica eſt ſimpliciter affirmatio, vel negatio alicuius de aliquo, vel alicuius ab aliquo, vti prædictum eſt. Demonſtratiua autem eſt ea, quæ vera exiſtens aſſumitur iuxta ſuppoſitiones tanquam fundamenta in initium iacta, circa vniuſcuiuſque ſcientiæ demõſtratiuæ proprium ſubiectũ. Dialectica vero propoſitio relata ad percontantem, erit vtriuſque partis contradictionis interrogatio: relata vero ad ſyllogizãtem, erit ſumptio apparentis, & probabilis enunciationis, vti dictum eſt in Topicis. Quid ſit igitur propoſitio, & quomodo differant, tũ Syllogiſtica, tum Demõſtratiua, tum Dialectica, interim ſat ſint nunc enarrata, quum deinde in ſequentibus exactior de ijs futurus ſit ſermo.

Adnotationes.

P*Ropoſitio igitur eſt &c.* Quid ſit propoſitio in genere ſumpta ijs verbis docet Ariſtoteles: nempe quòd eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo. Vbi adnotandum, a nonnullis addi huic explicationi hæc alia verba, *vel alicuius ab aliquo*, vt velint illis verbis, *alicuius de aliquo*, denotari affirmationem, quæ eſt vna ſpecies propoſitionis; ijs vero alijs, *vel alicuius ab aliquo*, negationem, alteram ſpeciem pariter pro-

po-

positionis. Verum id non est necessarium
cum etiam negatio dici possit, enunciatio
alicuius de aliquo, quod deinde, & ad esse, &
ad non esse, & ita ad affirmationem & nega
tionem aptari, & limitari potest. Vnde sub-
iunxit Aristoteles, quòd & qui demonstrat,
& qui interrogat syllogizat, *sumēs aliquid de
aliquo esse, vel non esse.* Sed(quod longe maio
ris est ponderis) aduertendum est, ab Ale-
xandro assignatum propositionis definitio-

Alexan.

nem impugnari duplici ex capite: tum, quoniam
oratio non sit genus vniuocum ad affirma-
tionem & negationem; tū, quoniam definitio non
sit tradita secundum germanum & propriū
modum definiendi. Ac primo quidem, quòd
non sit genus vniuocum, pluribus cōtendit
argumentis. In primis, quoniam oratio primo cō
petit affirmationi, vti simpliciori, deinde
vero negationi, quæ est magis composita
oratio. Præterea, quoniam esse, quod affirmatio
ne assignatur, est prius quàm non esse, quòd
infertur negatione. Postremo, quoniam negatio
per affirmationem redditur manifesta: ex
quibus omnibus concludit Alexander, ab af
firmatione & negatione non æque partici-
pari essentiam orationis; & idcirco non esse
orationem earum genus vniuocum: quod(vt
explicatum est in Prędicamentis) ęque de-
bet a speciebus participari: Sed analogum,
quòd est eiusmodi, vt prius vni speciei, quàm
alteri conueniat. Idem etiam ex hoc alio ca
pite impugnat traditam de propositione defi
nitionem: quoniam(vt inquit) partes in ipsa defi-
nitione contentæ non sese habeant ad plu-
ra, quàm definitum: quod est peccatum con
tra normam definitionis, in qua partes defi
nientes, debent singulę ad plura se habere,
quàm definitum: veluti in definitione homi
nis, quòd sit animal rationale bipes, non so-
lum genus, ipsum animal in plus se habet quàm
homo, verum etiā & rationale, & bipes, quę
& de homine, & de alijs pluribus prædican-
tur. Atqui in assignata definitione proposi-
tionis, & si concedatur, quòd genus, ipsa ora
tio, vt est significans aliquid, ad plura sese
habeat quàm propositio: attamē partes alię
definitionis sumptæ pro differentijs(& sunt
affirmatio, & negatio) propositionem non
excedunt, cum affirmatio sit tantum propo
sitio, & non quid aliud, & similiter negatio.
Ad has autem difficultates inductas ab Ale-
xandro, volens satisfacere Ioan Gramma-
ticus, pluribus immoratur sermonibus. At

Io. Grā. Solut.

nos in lib. Periher. in definitione orationis,
exacte hæc omnia perpendimus; ostendi-
musq; nullo pacto concedendum, quòd ora-
tio enunciatiua sit genus analogum, ob hāc
potissimum rationem; quod negatio nō recipit
naturam enunciationis ab ipsa affirmatio-
ne, quam supponit Alexander primum locū
tenere in genere enunciationis, atq; ideo ip
sam esse genus analogum; Sed cum genus
analogum prius participetur ab vna specie
quàm ab alijs, & ob primam speciem aliæ
species participēt generis, vt patet de sub-
stantia, a qua reliqua prædicamenta(& sunt
accidentia in genere entis) recipiunt entis
communicationem, pro ut docet Aristote-
les in Metap. idcirco, cum affirmatio & ne-
gatio inuicem opponantur, fieri nequit, vt

li. 7. Met. cap. 1.

negatio recipiat naturā enunciationis me-
dia affirmatione, cui ex diametro sit oppo-
sita. Neq; obstat, quod affirmatio sit simplici-
ter negatione, vt propterea sit asserendum,
quòd enunciatio sit earum genus analogū;
quādo etiam in genere numeri binarius est
simplicior ternario; & in genere figurę, tria
gulus est simplicior quadrato; & in genere
viuentium plāta est simplicior homine; nec
fit propterea, quin numerus sit genus vniuo
cum ad binarium & ternarium; figura ad
triangulum & quadratum; & viuens ad ho-
minem & ad plantam quum æque ab ijs om
nibus speciebus proprium participetur ge-
nus. Ad aliam vero difficultatem inductam

Solut.

ab Alexandro, quòd definitio assignata pro-
positionis non sit conueniens, eo quod differē-
tiæ assumptę in definitione propositionis
(& sunt affirmatio & negatio) non excedāt
(vti requiritur in definitione) propositionē,
quę ponitur earum genus, & id probat, quoniam
affirmatio & negatio non ad plura se extē-
dunt quàm propositio: ita occurrendū est,
dicendo, non expetendam in omnibus exa-
ctam & numeris omnibus absolutam defini
tionem; veluti in ijs, in quibus nihil est acci-
pere præter singularia. Nam(vt docet Ari-
stoteles lib. 1. Post. Analyt. in tractatu de v-
niuersali) sunt nonnulla, in quibus non est

lib. 1. post Analyt.

aliquid accipere pręter singularia; sicuti ibi
docet de lineis non concurrentibus, & ta-
men de eiusmodi eo modo vt se habent, de-
bet astrui demonstratio. Quod similiter di-
cendum est penes definitionem eorū, quo-
rum existentiam, præter singularia, non est
inuenire: pro ut contingit etiam de propo-
sitione, quam dicimus in sola affirmatione,
& negatione consistere, per quas debet etiā
definiri; vt nil referat, quòd in hoc genere
entis affirmatio, & negatio species existen-
tes propositionis non ad plura se habeant,
quàm propositio ipsarum genus. Sed & di-
cimus, quòd propositio, quatenus genus est,
in plus se habet, quàm aut affirmatio, aut
negatio, vt pote, quæ potest esse, & affirma-
tiua, dicens aliquid esse, & negatiua dicens
inde aliquid non esse: neq; tamen propte-
rea fit, vt aut affirmatio fit negatio, aut ne-
gatio, affirmatio: Sed sunt duæ diuersæ in-
ter se & oppositæ species propositionis.

*Quare erit syllogistica quidem propositio simpli
citer affirmatio aut negatio.* Per hoc, quòd pro
positio syllogistica dicitur *simpliciter*, Græ-
ce, ἁπλῶς, affirmatio, aut negatio, innui-
tur propositio remota ab illis conditioni-
bus, quibus redditur aut demōstratiua, aut
dialectica. Et cum subiungitur, *secundum di
ctum modum*, his verbis, aut significatur id,
quod assumptum est in definitione, quòd
propositio est affirmatiua vel negatiua ali-
cuius de aliquo; aut innuitur, quòd omnis
propositio est aut vniuersalis, aut particu-
laris, aut indefinita.

*Et per suppositiones, quæ a principio sunt sum-
pta.* Græce hæc ita leguntur: καὶ διὰ τῶν ἐξ ἀρ-
χῆς ὑποθέσεων εἰλημμένη vt hoc velit Arist.
quòd propositio demonstratiua, quæ suppo
nitur vera, accipitur ex suppositionib, quæ
tanquam fundamenta vniuersæ doctrinæ
iaciuntur in initijs vniuscuiusq; scientiæ,

vt

vt patet apud Arithmeticum, & Geometra, & apud alios ſcientiarum doctores.

Quemadmodum in Topicis dictum eſt. Hinc videretur inferri poſſe, quòd libri Topicorũ ante hos Analyticos fuerint confecti ab Ariſtotele: neq; tñ propterea inferendum, ꝙ Topici, ante hos Analyticos ſint legendi, tanquam ad horum intelligentiam illi ſint neceſſarij, cum totum oppoſitum ſit dicendum; quando ſyllogiſmus in genere in prioribus Analyt. explicatur, cuius cognitio ad perfectam ſyllogiſmi Topici notitiã eſt neceſſaria. Sed remittit contemplationẽ propoſitionis dialecticæ ad libros proprios Topicorum, in quibus de ea ex propoſito tractatur.

Accurate quidem in ſequentibus dicetur. Iis verbis, aut innuit diſcrimen propoſitionis demonſtratiuæ & dialecticæ, de quo exactius in lib. 1. Poſt. Analyt. Aut hæc ad ipſam met propoſitionem ſyllogiſticam diriguntur, de qua magis exacte infra agetur, dum conſiderabitur, quatenus eſt aut neceſſaria, aut de ineſſe, aut contingens; iuxta quas differentias explicabuntur modi omnes conficiendi ſyllogiſmum.

De Termino.

TErminus autẽ eſt id, in quod diſſoluitur propoſitio, videlicet in prædicatũ, & in id, de quo eſt prædicatio; ſiue eſſe, aut non eſſe apponatur ad prædicata, ſiue diuidatur, exiſtens in ipſis, vt prędicatum.

Adnotationes.

T*Erminum voco, &c.* Ex hac particula, *voco*, manifeſte colligitur, ab Ariſtotele, primum fuiſſe impoſitum hoc nomen *terminus* partibus orationis, quæ cõcernunt tũ prædicatum, tum ſubiectum, de quo ſit prædicatio, vt ita excludantur particulæ, quæ vel ad copulam, vel ad ornatum orationis adhibentur citra veri & falſi connotationem. Non autem abſolute vox hæc, *terminus*, dicta a Græcis *ὅρος*, ab Ariſtotele fuit adinuenta, cum ex communi vſu loquẽdi pro viarum, & poſſeſſionum diſtinctione, longe ante vſurparetur, & apud Philoſophos ex quadam ſimilitudine, pro rerum definitione adhiberetur. Verum metaphorice Ariſtoteles traducens hanc vocem ad diſtinctionem ſignificandam partium in propoſitione exiſtentium, hac ratione eatenus eam innouauit, quatenus auctor extitit, vt appellarẽtur termini, partes ſingulæ propoſitionis: idque ad cõmodiorem intelligẽtiam eorum, quæ hoc loco ſunt tractãda de ſyllogiſmo: cuius tres termini aſſignabuntur; iuxta quorum ordinem & diſpoſitionem, vniuerſa ſyllogiſmorum cõplicatio cõſtituitur, & explicatur. Et cum terminus ſupponatur eſſe id, in quod diſſoluitur propoſitio, ſiue ſit prædicatum, ſiue ſubiectum, vtiq; hinc ſimul innuitur, ꝙ terminus eſt pars eſſentialis, ex qua cõponitur propoſitio. Verum cõuenientius explicatus eſt terminus hoc typo, ꝙ ſit illud, *in quòd diſſoluitur propoſitio*: ita.n. ſignificantius eius natura aperitur, quũ termini propriũ munus ſit diſtinguere vias & poſſeſſiones, & rerum definitiones, a quibus translatum eſt nomen termini ad partes propoſitionis.

Appoſitio, vel diuiſo eſſe, vel non eſſe. Alexãder his verbis ait ſignificari propoſitiones affirmatiuas & negatiuas: affirmatiuas quidẽ per hęc, *appoſita eſſe*; negatiuas vero per hęc alia, *diuiſo non eſſe*: adeo ꝙ, ſecundũ eius interpretationem intelligitur propoſitio affirmatiua, ſi apponatur eſſe, negatiua vero ſi diuidatur eſſe. Cõſpiciens autem huic ſuæ interpretationi aduerſari verba illa cõtextus, *vel diuiſo eſſe, aut non eſſe*, quibus apparet, per particulam hanc, *diuiſo*, non ſignificari negatiuam propoſitionem, quam & ad eſſe, & ad non eſſe pariter ſit appoſita: idcirco huic occurrẽs difficultati, inquit, ad hoc, vt magis propalaretur negatio, ideo *ad eſſe* adiunctum eſt, quoq; *non eſſe*. Ad hęc ſubiugit, ordinationem futurum totius orationis contextum, ſi ita legatur. *Appoſito eſſe, vel non eſſe vel diuiſo.* Et hęc aſſerit addita fuiſſe in explicatione termini, vt ab eius natura excluderetur *eſſe*, & *non eſſe*, quæ (vt ipſe ſentit) non ſunt partes propoſitionis, neq; termini: adeo ꝙ iuxta ſententiam Alexandri, non erit propoſitio enunciatio dicens *Socrates eſt*, niſi quatenus reſoluitur in hanc orationem, *Socrates eſt ens*: ita vt, *ens* euadat terminus vnus propoſitionis, locum tenens prædicati: *Socrates* vero alius ſit terminus, ſubiectum. ſ. propoſitionis, de quo ens prędicatur. Hanc autem de verbo, *eſt* ſententiã ſumpſit Alexander ex iis, quæ habentur ab Ariſtotele in lib. Periher. in tractatu de verbo: & ibi exacte a nobis oſtenſum eſt, falſo ſupponi, ꝙ verbum *eſt*, dictum ſubſtantiuum ſit tantum copula, quæ coniungat prędicatum cum ſubiecto; cũ tñ & prędicati in ſimpliciſſimis enunciationibus ſimpliciter locũ teneat, veluti in hac oratione, *homo eſt*; nec nõ & ad prędicati, ſeu prędicati tertiam dictionem in enunciationibus magis compoſitis, vt in hac, *homo eſt albus.* Quare, reiecta Alexandri interpretatione, vti admodũ voluntaria, & remota a germano cõtextu verborum Ariſtotelis; videndum, quõ locũ hũc ſit interpretatus. Ioan. Gram. qui Alexandro id etiam opponit, quòd hę particulę, *appoſito, vel diuiſo eſſe, vel non eſſe*, nõ opponantur inuicem cõtradictorie. Vnde ipſe hanc aliã induxit expoſitionem ex Iamblico: qui his duabus particulis; *appoſito vel diuiſo*, cenſuit, has alias duas ſupplendas eſſe, aut *ablato & compoſito*, tanquã aliis duabus particulis oppoſitas: vt ita particulę, *appoſito*, opponatur *ablatum*; particulę vero, *diuiſo*, opponatur *cõpoſitum*: adeo vt, iuxta horum interpretum ſententiam, ex iis omnibus particulis ſimul iunctis denotentur omnia genera propoſitionum; tum earum, quę modum habeant, tũ earum, quę carent modo: dum interpretantur,

Alex.

Io. Grã.
Iambl.

tur, in propositionibus carentibus modo apponi esse, vel non esse, ut cum dicitur, *Socrates est albus, Socrates non est albus*: auferri autē, cum dicitur, *Socrates ambulat, Socrates nō ambulat*. In habentibus vero modum componi esse & non esse: vtputa dicendo, *possibile est Socratem esse Philosophum, & possibile est Socratē non esse Philosophum*: diuidi vero, si reticeatur esse, vel non esse: vt dicendo, *possibile hominē ambulare, aut non ambulare*. Et hæc sunt in summa, quæ longa oratione refert Ioan. Gram. in expositione huius loci ex sententia quoq; Iamblici.

Cui illud opponi posse videtur, quòd non quadret interpretari, quòd diuidatur esse, aut non esse in propositionibus modalibus, in quantum ipsum esse, aut nō esse reticeatur. Fortasse simpliciter hęc erit interpretatio, vt dicatur terminum esse, *in quē dissoluitur propositio*, nempe in prędicatum, & subiectū: *apposito, vel diuiso esse, aut non esse*: intelligendo verbum *esse* tunc apponi, cum apponitur in propositione vti tertia dictio, vel a parte prędicati in propositionibus carētibus modo, vt in hac, *Socrates est albus*: vel a parte subiecti in propositionibus modalibus, vt in eiusmodi, *possibile est Socratē esse Philosophum*. Postea vero intelligendo, tunc diuidi verbū esse, cum seorsum a subiecto ponitur absolute pro prędicato: sicuti in simplicissimis enūciationibus, vt in ijs, Socrates est, vacuū nō est: Ita.n. ex solis verbis cōtextus, nulla in ijs additione, aut mutatione facta, vniuersa genera propositionum sub assignata definitione termini erunt comprehensa; tum earum, quę ex solo nomine & verbo constant, tum earum, in quibus verbum, *est*, ad prædicatum adiacet, tum & earum, quę modum simul adiunctum habent.

De Syllogismo.

SIllogismus autem est oratio, in qua quibusdam positis, necesse est quid aliud diuersum a positis sequi, eo quòd illa sint. Hæc aūt particula, *eo quòd illa sint*, ita interpretanda, quoniam.s. sequatur quid aliud a positis ob ea, quæ posita sunt; ita quidem, vt nullo alio externo opus sit termino ad hoc, vt ex acceptis quidpiam ex necessitate sequatur.

Perfectus autē syllogismus intelligitur, qui nullo alio indiget, præter accepta, ad hoc, vt appareat necessario sequi id, quod deducitur ex acceptis. Imperfectus vero syllogismus intelligitur, qui ad hoc, vt appareat necessario sequi id, quod deducitur ex acceptis, indiget vno, vel pluribus adiumentis ad manifestandū necessitatem cōsequentem ex acceptis, non autem quòd sint accipiendæ aliæ propositiones ab acceptis pro sequela necessaria inferenda.

Adnotationes.

SYllogismus *est oratio* &c. In hac syllogismi descriptione pro genere apposita est *oratio*, nō *ratio*, quę vim concernit discursiuam nostri intellectus. Siquidem (vt in nostris primis præfationibus cōstitutum est) cōceptus ad logicum negocium attinentes, quo facilius comprehendantur (cum ob ipsorum tenuissimam entitatem perdifficilis sint perceptionis) sub vocum significantium typos, in ipsa dearticulata oratione, sapienti admodum consilio explicantur. Hinc dicitur, quod syllogismus est *oratio*, & quidem oratio enunciatiua, non imperatiua, aut optatiua, aut alia huiusmodi. Quod debet esse perspicuum ex hoc, quòd syllogismus supponitur cōstare ex quibusdam positis, ex quibus aliud quid deducitur, sed positiones, sunt propositiones, quæ, vt enunciant verum aut falsum, sunt proculdubio orationes enūciatiuæ. Cū autem in syllogistica oratione nōnulla ponantur, ex quibus quid aliud sequitur; hinc colligitur, huiusmodi orationē distingui vti compositam ab oratione simplici, tum affirmatiua, tum negatiua: cum plures in syllogismo orationes comprehendantur, quæ tamē euadunt vna oratio cōiunctione, media hac particula ergo, aut *igitur*, per quam propositiones cum cōclusione colligantur. Vnde & vox, *syllogismus* quandam colligantiam, & collectionem insinuat.

In qua positis quibusdam alterum quid a positis ex necessitate contingit. Supponitur syllogismus esse oratio ita cōiunctione vna, vt positis quibusdam propositionibus, hinc cōtingat ex necessitate sequi quid diuersum a positis. Veluti existentibus ijs propositionibus, *omnis homo est animal, Socrates est homo*, ex ipsis sequitur & deducitur hæc illatio, *ergo Socrates est animal*. Vnde excluduntur illę omnes combinationes propositionum, ex quibus nulla necessaria cōclusionis sequela deducitur: vt sunt omnes illę cōbinationes asyllogisticæ, quæ aut in prima, aut in secunda, aut in tertia figura construi possunt: de quibus omnibus infra erit sermo, & explodentur a recta forma syllogistica. Dixit aūt Aristoteles, quòd *contingit aliquid aliud a positis ex necessitate*, vtens hac voce, *contingit*, vt denotaret, quòd syllogismus acceptus in genere, vt est communis etiam dialectico, nō infert cōclusionem necessariam ex necessitate rerum, quæ aliter se habere nō possunt; sed necessariam ex cōsequutione conclusionis prouenientis ex præmissis; quæ deinde potest

esse,

esse, tum rerum semper ita se habentium, quarum proprie est demonstratio: tum contingentium, quæ & aliter se habere possunt, ita tamen vt & in ijs, ex præmissis propositionibus ex necessitate sequela cõclusionis deducatur. Per illam vero particulam, quòd *quid aliud debeat sequi a positis*, excluduntur a definitione syllogismi illæ argumẽtationes, in quibus fit petitio principij; quod contingit, dum quod intenditur concludi, illud in præmissis accipitur, adeo ꝙ non probatur ex pręmissis; sed in ipsis assumitur, vt probatum, de quo vitio in sequentibus, quot modis contingat, explicabitur.

Eo quòd talia sunt. Istud est dicere, ꝙ syllogismus est ea oratio in qua necesse est, q̃d aliud sequi a positis, *eo quòd talia sunt*. Quæ verba explicans Aristoteles, inquit, per hęc intelligere ꝙ per ea, quę posita sunt in pręmissis, sequitur cõclusio, vt nõ sit necesse aliquid extraneum adhibere, vtputa aliquam aliam ꝓpositionem, ad hoc vt necessitas illationis existat: sed ex solis acceptis propositionibus omnino pendet, & infertur necessitas cõclusionis. Et per hoc excluduntur a germana syllogismi definitione, Enthimema, exemplum, & inductio, in quibus necessaria sequela nõ habetur ob ea, quæ in ipsis sint posita, quum oporteat reducere huiusmodi argumentationes ad formam syllogismi ex quibusdã alijs acceptis, ad hoc vt pateat sequela in illis inducta, vt patebit ex horum tractatu in libro sequenti. Excluduntur etiam, per prædicta, illæ orationum cõbinationes, in quibus nõ deducitur conclusio ex positis, sed aliqua in ipsis præsupponuntur. Veluti est hæc sermocinatio. *Quod per se mobile, est semper mobile anima est per se mobilis, ergo anima est immortalis*. Hæc quippe conclusio nõ sequitur ex præmissis; sed hęc alia sequeretur, quòd anima est per se mobilis, cui subiungendo hanc aliam propositionem, *quòd est semper mobile est immortale*, cum hac alia, *anima est per se mobilis* sequeretur prædicta conclusio, quòd *anima est immortalis*.

Adnotandum autem, ꝙ quæ dicuntur posita in syllogismo, ex quibus quid aliud ex necessitate sequitur, nunc non considerari, neq; supponi ꝙ sint vera absolute; sed sat esse, ꝙ supponantur vera ab ipsis ratiocinantibus; adeo ꝙ existentibus præmissis necessario deducitur hæc, vel illa conclusio. Ex quo infertur, ꝙ etiam ratiocinatio ducens ad impossibile comprehenditur sub assignata definitione syllogismi; quũ ex positis per aduersarium determinata sequatur conclusio; licet inter posita existat aliqua propositio falsa,: quæ deinde ex impossibili deducto redarguitur, ac consequenter eius oppositum, vt verum, comprobatur per illud axioma, quòd contradictionis oportet alteram partem esse veram, & alteram falsam.

Anotandum etiam, ꝙ propositiones syllogisticæ (vt docet Arist. in lib. 2. Phys. & in lib. 5. Met. in tractatu de causa consideratæ quatenus ex ipsis inuicem combinatis iuxta ordinem syllogismi educitur conclusio, habent rationem materiæ, ex qua educitur conclusio tanquam forma. Ratione autem problematum, quæ demonstrantur, præmissæ propositiones cõcurrere possunt, tum vt causa formalis, tum vt efficiens, tum vt formalis, tum vt materialis: vt palam fit in lib. 2. Post. Analyt. vbi etiam ostenditur, quomodo per formalem definitionẽ possit demonstrari definitio materialis.

Libro 2. Phys.c.3. lib. 5. Meta.

Libro [illegible] Anal.c.1[illegible]

Illud etiam non prætereundum id, quod hoc loco in suis Comment. habet Ioan. Grãmaticus: nempe nonnullos extitisse, qui cõtenderent non dari syllogismum, huiusmodi ratiocinationem ex aduerso adhibentes. Nam dicebant, aut probatur dari syllogismum, aut non probatur, quòd si non probatur, igitur non credendum dari syllogismũ. Si autem probari dicatur, ergo per syllogismum probabitur, de quo quęrendum, num & ipse probetur: quòd si probatur, ergo per alium syllogismum, de quo rursus erit quærendum, num & ipse probetur, & ita erit ꝓgressus ad infinitum: ex quo inferebãt, probari non posse quòd detur syllogismus, ac consequenter fidem non adhibendam ijs, qui asserunt dari syllogismum, cum id non demonstrent. Aduersus quos retorquet Io. Gram. argumentum hunc in modum. Vos, qui dicitis, non dari syllogismum, aut probatis, quod asseritis, aut non probatis. Si nõ probatis, vobis nõ consentiendũ in ijs, quę dicitis; Si autem probatis, ergo per syllogismum vestra astruitur probatio: Vnde, dum contenditis non dari syllogismum, vestra ipsorum ratiocinatione syllogismũ astruitis, inducitis, & suppositis. Ad hæc subiungit Io. Gram. aliud esse id, quod syllogismo concluditur, & aliud vti Syllogismo. Vnde infert, nõ prohiberi, vt aliquid syllogismo ꝓbetur, neq; tamen hinc probari, ꝙ detur syllogismus. Et sane Arist. in lib. 1. Post. Analyt. nõ probat ipse aliqua demonstratione, quæ sit proprie demonstratio, quòd detur scientia demonstratiua: verum illam ex cõmuni hominum consensu supponit, & qualis sit, explicat simul auferens difficultates ex aduerso inductas a nonnullis.

Io. Grã.

Perfectum itaq; voco syllogismum. Vult Arist. illum esse perfectum syllogismũ, in quo ita apparet sequela cõclusionis ex positis & acceptis propositionibus, vt nullo alio externo adiumento sit opus ad hoc, vt appareat; & huiusmodi est oratio syllogistica, quę cõtexitur in prima figura, vt apparebit ex sequentibus. A qua deinde perfectione cadunt omnes alij syllogismi, qui cõstruuntur in secunda & in tertia figura; quibus tamẽ cõuenit assignata syllogismi definitio: adeo ꝙ & in ijs, sicuti & in syllogismis primæ figuræ, sequela deducitur necessaria consequens ex duabus ꝓpositionibus, & ex illis tribus terminis, quibus inuicem propositiones cõplicantur. Verum postea in his alijs primæ, & secũdæ figuræ syllogismis nõ apparet ex assumptis necessitas illatę cõclusionis: sicuti apparet in syllogismis primæ figurę ex dicto de omni, aut de nullo: In illis autem alijs ad manifestationem sequelæ, necesse est cõuertere alteram sumptarum propositionum in terminis, vt ita oratio syllogistica ad formam primæ figurę reducatur: aut alio quodammodo illationis neces-

sitas manifesta reddatur. Ex quo colligitur, syllogismum ducentem ad impossibile, esse syllogismum imperfectum, vt pote, cuius necessitas nõ apparet ex solis propositionibus assumptis; sed alio quodam opus est adiumento, ad hoc, vt manifestetur eius sequela; prout infra explicabitur in proprio tractatu syllogismi ducentis ad impossibile.

Quid sit esse in toto, & dici de omni, vel de nullo.

IN toto autem alterum alterũ inesse, & alterum de oĩ altero prædicari, idem est, vt hinc regula hæc sumatur; quòd illud, quod prædicatur de omni aliquo, nihil est huius, de quo non prædicetur. Veluti de omni homine animal dicitur, ita quidem, vt nullus sit ex hominum numero, de quo animal non dicatur. Similiter dictũ de nullo erit huiusmodi, vt, si animal de nullo lapide prædicatur, ne vnus quidem erit lapis, a quo non negetur animal. Et hæc quidem supponenda erant, quæ ex ipsa sola explicatione patent. Et sunt tanquam fundamēta, cui innititur vniuersa syllogismorum structura; cum ex ijs astruantur syllogismi primæ figuræ, ad quã, vti perfectissimam, omnes alij reducuntur syllogismi.

Adnotationes.

IN *toto autem esse alterum in altero.* Ait hoc loco Arist. idem esse alterum in altero toto esse, & dici alterum de altero omni; ac si dicatur, idem esse dicere, hominem esse in toto animali, & animal dici de omni homine. Aduertit autem Ioan. Gram. nõ solũ inter se differre has Phrases orationis, *esse in toto*, & *dici de omni*, vt apparet; verum etiam in ipsis hoc esse discrimen; qm̃, quod est in toto, in minus se habet quàm totum, in quo est: siquidem totum, vt vniuersale, in plus se habet; sicuti ad plura se extēdit animal, quàm homo. In dicto autem de omni, illud, quod dicitur, vel in plus se habet, vel æqualiter cum eo, de quo omni dicitur. Veluti in plus se habet animal, quàm homo, de quo omni animal dicitur, cum & de alijs speciebus præter hominē prędicetur; Aequaliter autem visibile prædicatur de omni homine, non excedens hominis prędicationem.

Io. Grã.

Alexander autem ita explicat, esse in toto, vt dicat, quòd homo ita est in animali, vt nihil hominis sit accipere extra animal. At nobis alius esse videtur sensus horũ verborum: vt *alterum in toto altero esse*, sit ita intelligendum, quòd homo (exempli gratia) sit in toto animali, adeo vt nihil sit de natura animalis, quod non inueniatur in homine, cum proculdubio tota natura animalis sit in homine, & pręter hoc, quid aliud in homine. Hinc dictum est ab Aristotele, q̃ idem est, *alterum in toto altero esse* (denotando speciem in tota generis natura existentem, vt dictum est) & *aliquid dici de omni*, denotando prędicationem generis de omni specie sibi subiecta. Vnde, si dicimus, q̃ homo est in tota natura animalis, non propterea negamus, quin in plus se habeat animal q̃ homo, ad hunc sensum; qm̃ in pluribus etiam alijs speciebus pręter hominum inuenitur animal, de quibus tñ omnibus secundum eius omnimodam naturam prędicatur, adeo vt singula animalis species totam æque cum alijs speciebus animalis naturam in se obtineat; vnaquęq; autem species, præter essentiã animalis, aliquid actu obtinet, vt puta essentiam differentię, quę non est in genere, prout tractatu differentię apud Porphy. explicatũ est. Et huic nostrę expositioni consentiunt, quę habet infra Arist. in explicatione omnis syllogistici seruandi in prima figura dum ait: Cũ sic se habeant inuicem, vt vltimus sit in toto medio, & medius in toto primo: intelligendũ subiectum inexistens in toto prędicato.

Alexã.

Porph. c. de differ.

De conuersione propositionum, tum inexistentium, tum necessarium.

QVoniam autem omnis propositio, aut est de eo quod simpliciter inest; aut de eo, quod ex necessitate inest; aut de eo, quod cõtingēter inest, & harũ vnaquęq; aut est affirmatiua, aut negatiua; & rursus harum omnium vnaquęq; aut est vniuersalis, aut particularis, aut indefinita. Idcirco, quod attinet ad propositiones inexistentes dictas de inesse, quarum sex erunt genera, videlicet affirmatiua vniuersalis; negatiua vniuersalis; affirmatiua particularis; negatiua particularis, affirmatiua indefinita, & negatiua indefinita; dicimus, quòd secundum cõuersionē (in qua ter-

mini

mini propositionum, qui primo tenent locum subiecti, postea trā seunt ad locum prædicati, & qui sunt a parte prædicati permeant ad locum subiecti) hæ generales regulæ sunt statuende.

In primis vniuersalis negatiua inexistendi conuertitur in vniuersalem negatiuam hūc in modum: vt si verum est dicere, quòd nulla voluptas est bonū; verum etiam erit dicere, quòd nullum bonum est voluptas.

Vniuersalis vero affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam; nempe hæc, omnis voluptas bonum, in hanc aliquod bonum est voluptas.

Affirmatiua vero particularis conuertitur in particularem affirmatiuam; aliqua voluptas bonū, in hanc, aliquod bonum est voluptas.

Particularis autē negatiua non conuertitur. Non enim etsi verū est dicere, quòd aliquod animal non est homo, verum etiā est dicere, quòd aliquis homo non est animal. Vt autem generali quadam regula & probatione magis pateat adducta propositionū cōuersio, ita in litterarum elementis ostensio exercebitur.

Supposito igitur, ꝙ nullum B. est A, dicimus; quòd etiam erit verum, quòd nullum A, est B. Nam si non in hanc fit cōuersio, per regulam contradictionis (de qua in lib. Periher) fiet in eius opposita cōuersio; nempe in hanc, aliquod A, est B. Istud autem aliquod A, supponatur quod sit C. Hinc sequitur, quod si C, est B, C, erit aliquid ipsius B, & consequenter nō erit verum, quod suppositum est, ꝙ nullum B, est A. Siquidem aliquid ipsius B, quod est C, non est A. Igitur, vt stet suppositum, quòd nullum B, est A, oportet dicere, ꝙ si verum est, quòd nullū B, est A, etiam erit verum, quòd nullū A, est B, & ita probatum erit vniuersalem negatiuam in se ipsam cōuerti in terminis.

Quòd autem vniuersalis affirmatiua conuertatur in particularem affirmatiuam, hunc in modū deducitur. Nam, si hæc omne B, A, non conuertitur in hanc, Aliquod A, B, conuertetur in eius cōtradictoriam, nullum A, est B, sed hæc per prædicta, est conuersa huius, nullū B, A, quare falsum erit suppositum, quòd omne B, est A, igitur dicendum, quòd vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam in terminis.

Similiter particularis affirmatiua in particularem affirmatiuā conuertitur, hæc nempe, aliquod B, est A, in hanc, aliquod A, est B. Nam, si non in hanc, in eius contradictoriam cōuertitur, nullum A, est B: sed hæc, per prædicta, cō uertitur in hanc, nullum B, est A. Vnde simul stabunt, Aliquod B, est A, & nullum B, est A, quod est impossibile.

Particularis verò negatiua, de inesse, nequit ex regula generali statui, quòd in negatiuam particularem conuertitur. Nam, etsi in aliquibus terminis id possit verificari, veluti hæc, aliquis homo nō est albus, conuertitur in hanc, aliquod album non est homo; attamen de omnibus id non erit verum. Non.n. sicuti verum est dicere, quòd aliquod animal nō est homo, etiam verum erit dicere, quòd aliquis homo non est animal: quæ instantia & de plurimis alijs rebus afferri potest: cum etiā

vnicum exemplum ſat ſit ad perimendum, quòd regula nõ ſit generalis. Et hęc quidem de cõuerſione propoſitionũ inexiſtẽtium ita ſint dicta.

In propoſitionibus autem aſſerentibus aliquid neceſſario ineſſe, aut non ineſſe, eadem regula ſtatuenda conuerſionis, quæ eſt aſſignata de propoſitionibus inexiſtentiam ſolam aſſerentibus. Etenim dicimus, ꝙ negatiua vniuerſalis neceſſaria, (vt hæc) neceſſario, nullum B, eſt A, cõuertitur in hanc, neceſſario nullum A, eſt B. Nam ſi non in hanc, in eius oppoſitam conuertetur, quæ eſt, contingit aliquod A, eſſe B. Quare etiam contingit aliquod B, eſſe A. Et tamen ſuppoſitum eſt, ꝙ neceſſario nullum B, eſt A. Sequitur autem, ꝙ ſi aliquod A, cõtingit eſſe B, ꝙ etiam contingit aliquod B, eſſe A. Nam illud aliqđ A, quod cõtingit eſſe B, erit (verbi gratia) C, & ita C, erit aliquid ipſius B, prout deductum eſt antea in propoſitionibus de ineſſe.

Vniuerſalis vero affirmatiua neceſſaria: nempe hæc, neceſſario omne B, eſt A, conuertitur in particularem affirmatiuam, neceſſario aliquod A, eſt B. Nam, ſi non in hanc, in eius oppoſitam cõuertetur, non neceſſario aliquod A, eſt B, ergo etiam aliquod B, non neceſſario erit A, & tñ ſupponebatur, ꝙ omne B, neceſſario eſſet A.

Similiter hac eadẽ probatione conſtituetur, conuerti particularem affirmatiuã neceſſariã; in particularẽ affirmatiuã neceſſariã: videlicet neceſſario aliquod B, eſt, A, in hanc, neceſſario aliquod A, eſt B. Negatiua vero particularis neceſſaria nõ conuertitur; ſicuti quoq; dictũ eſt de particulari negatiua de ineſſe; & patet, per inſtantiam ex eodem exẽplo ibi adducto: non. n. ſi neceſſario aliquod animal nõ eſt homo, ſequitur quòd etiam neceſſario, aliquis homo non ſit animal.

Adnotationes.

Quoniam autem omnis propositio &c. Diuiſio hic aſſignatur propoſitionum aliquid eſſe aut non eſſe ſignificantium, in hęc tria capita concluſa. Siquidem omnis propoſitio, aut ſolum ſignificat aliquid eſſe, aut & neceſſario eſſe, aut & contingenter eſſe; ſiue ſit affirmatiua, ſiue negatiua, & tam vniuerſalis, quàm particularis, & indefinita. Hæc autem tradita eſt ab Ariſtotele diuiſio, tum vt doceret, quomodo omnis ꝓpoſitio in terminis conuertatur; tũ vt hinc haberetur, Syllogiſmos omnes in genere ex huiuſmodi propoſitionibus conflari, aut inuicem permiſsis, aut nõ permiſsis. Idcirco autem tradit regulas de conuerſione ꝓpoſitionum, quõ in explicatione modorum plurimorum, quibus Syllogiſmus aſtrui poteſt in ſecunda, & in tertia figura, horum conſtitutionum atq; ſequelam ex rõne cõuerſionis ꝓpoſitionum eſt manifeſtaturus, & comprobaturus: vt ita ad modos primæ figuræ reducantur, in qua neceſsitas ſyllogiſmorum, qui in ea aſtruſitur, ex dicto de omni, & de nullo redditur manifeſtiſsima. Non propoſuit autem Ariſtot. in procœmio hanc de conuerſione propoſitionum conſiderationem, vtpote, quoniam quandam exigeret probationem, nec in ſola explicatione eſſet manifeſtanda; prout factum eſt de termino, & de ꝓpoſitione, & de alijs inter initia operis, explicatis: quam docendi rationem obſeruauit etiam in procœmio lib. Periherm. quemadmodum ibi animaduertimus. Et cum prædicta propoſitionum diuiſio ſit generaliſsima, pertinens (vt animaduertit etiam Alexan.) ad rationem ſyllogiſticam generalem, hinc colligere licet, propoſitionem ſyllogiſticam, quatenus eſt ſyllogiſtica, exactius hoc loco, quàm antea diſtinctũ eſſe; dum in prędictos modos eſt diſtributa: quod ſuperius ſe facturũ innuerat Ariſtoteles. Alexan.

Nam si alicui vt C, non verum erit, quod dicitur. Quòd in elementis litterarum Ariſt. tradat regulas de conuerſione propoſitionum, quæ fit in proprijs terminis, & idem ſit obſeruaturus in explicandis modis omnibus ſyllogiſticis trium figurarum, id prudenti admodum conſilio confectum eſt. Ita enim fit, vt regulæ tradantur maxime generales: ſiquidem dum dicitur (exempli gratia) ꝙ propoſitio nullum B, eſt A, conuertitur in hanc, nullum A, eſt B, & hoc euidenti ratione probatur: hinc edocetur, quòd de quacunque re inſtituatur vera propoſitio vniuerſalis negatiua de ineſſe, erit vera in terminis eiuſdem reciproca conuerſio.

Quem-

Quemadmodum etiam, cum modi Syllogistici in elementis litterarum probabuntur hinc intelligetur, de omni re verificandos omnes fore huiusmodi modos syllogisticos. Quòd autem habet Arist. in prædictis verbis. *Nam si alicui vt C, nòn verum erit, quod dicitur,* hoc intendit, quòd si hęc propositio, nullum B, est A, nō cōuertitur in hāc, nullum A, est B, erit vera huius contradictoria, aliquod A, est B Sit igitur, istud aliquod A, ipsum C hinc sequitur, quòd C, erit B, & ita aliquid ipsius B, erit C, qm̄ de C, prædicabitur B, sub quo inest C. Quare etiā aliquod B, erit A, sicuti & C, est sub A. Igitur erit verum suppositum, ꝙ hæc propositio, nullum B est A, cōuertitur in hanc, nullum A, est B. Theophrastus autem & Eudemus (vt refert Alexander) prædictæ conuersionis probationem paucioribus se expedientes, hunc in modum inducebant. Si A, nulli B, inest, ergo A, ab ipso toto B, separatur; quare & B, erit separatum ab oī A.

Theoph. Eudem.

Si. n. alicui contingit, & A; alicui B, continget. Est sermo de negatiua vniuersali necessaria, quòd cōuertatur in se ipsa hunc in modum: necessario nullum B, est A, necessario nullum A, est B Nam si nō in hanc, in eius oppositum fiet conuersio, quę est contingit aliquod A, esse B, ergo ad similitudinē prędictæ rationis habitæ penes propositionē vniuersalem negatiuam de inesse, contingat etiam aliquod B, esse A, & tamen suppositum erat, ꝙ necessario nullum B, esset A. Quod autem huius ꝓpositionis, necessario nullum B, est A, sit opposita contradictoriæ hæc, contingit, aliquod B, esse A, patet ex determinatis in 4. sect. lib. Periher. in tractatu modalium propositionum.

li. Perih. sect. 4.

In parte vero negatiua. Ait nō cōuerti particularem negatiuam necessariam in se ipsam ob eandem causam, & instantiam, quæ adducta est circa particularem negatiuam de inesse: nempe, quoniam exempla sunt ex aduerso. Nam verum est, quòd necessario aliquod animal non est homo; neq; tñ verum, sed falsum est dicere, quod necessario aliquis homo non sit animal; & hoc sufficit ad destruendum, quòd particularis negatiua necessaria non conuertitur in se ipsam, quoniam non in omnibus fit conuersio, pro ut antea quoq; circa particularem negatiuam de inesse deductum est.

De conuersione contingentis in genere accepti prout dicitur multis modis contingens.

IN propositionibus autem sub typum cōtingentiæ expositis, (qm̄ cōtingere æquiuoce multisq; modis dicitur, tum quod est actu necessario, tū quod est actu nō necessario, tum quod est possibile, nō existens actu, sed potentia) regula erit generalis circa ꝓpositiones affirmatiuas, tam vniuersales, quàm particulares, quomodocunq; accipiatur cōtingēs, quòd vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam conuertitur, & particularis similiter affirmatiua in particularem, iuxta ordinem antea expositum in propositionibus, tam de inesse affirmatiuis, quàm necessarijs. Si igitur sit verum, ꝙ cōtingit omne B, esse A, dicimus, ꝙ erit etiam verum dicere (quomodocunque accipiatur cōtingens) ꝙ cōtingit aliquod A, esse B. Nam, si hęc nō est eius conuersa, erit igitur eius contradictoria nullum contingit A, esse B. At hæc, per præmissa in expositione necessariarum ꝓpositionum, cōuertitur in hanc, nullum contingit B, esse A. Id autem est cōtra suppositum antefactum, quòd contingit omne B, esse A, vnde concluditur, ꝙ huius cōuersa erit hæc, contingit aliquod A, esse B. Quod similiter de quacunque particulari affirmatiua contingente est asserendum; nempe conuerti in se ipsam: videlicet huius, contingit aliqđ B, esse A, erit conuersa, contingit aliquod A, esse B, & ratio ꝓbationis eadem est cum prædicta, vt hinc pateat, propositiones affirmatiuas modi contingentis, quomodocunq; accipiatur contingens, conuerti eo modo, quo & inexistentes, & necessariæ conuertuntur.

In negatiuis autem propositionibus variat regula. Nam in contingētibus sumptis vel ut existūt necessario, vel vt existunt, nō necessario, eadem regula, quæ assignata est antea penes ꝓpositiones de inesse, & illas de necessa-

rio erit, & in ijs alijs sub typum modi contingentis expositis: népe vniuersalis negatiua in se ipsam conuertitur; particularis autem negatiua non conuertitur.

Adnotandum autem discrimẽ esse inter propositionem contingẽtem negatiuam sub typum necessarij, & inter negatiuam contingentem sub typum inexistendi non necessario; quòd contingens, vt necessarium rebus necessarijs adnectitur; veluti dicendo; contingit nullum hominem esse ęquum. Contingens autem inexistendi non necessario rebus associantur, quæ nõ important necessitatem, sed quandam contingentiam inexistendi: vt si dicatur, cõtingit nullum vestimentum esse album; cum tñ in vtroq; significato contingentis sit regula, ꝙ negatiua vniuersalis in se ipsam conuertatur; adeo quòd si verum est dicere, ꝙ contingit nullum hominem esse equum, etiam contingit nullum equum esse hominem in significato contingentis necessarij: Et si contingit nullum vestimentum esse album, etiam cõtingit nullum album esse vestimẽtum in significato contingentis inexistendi non necessario. Nam, si non hoc, ergo eius oppositum erit verum, quòd aliquod album necesse est vestimentum esse: ergo & aliquod vestimentum ex necessitate album, vt patet per prę missa. Atqui hoc sequitur contra suppositionem iam factam, ꝙ contingit nullum vestimentum esse album: vnde dicendum, ꝙ contingens acceptum pro inexistentia nõ necessaria, in propositione vniuersali negatiua conuertitur in vniuersalem negatiuam. De propositione autem negatiua particulari secundum contingens in actu, vel necessario, vel non necessario; eadem quoque regula statuenda est, quæ & in superioribus; nempe, ꝙ harum neutra conuertitur, cum eadem instãtia adducta tum in propositione inexistendi, tum in illa de necessario militat in eisdem propositionibus expositis sub termino contingentis. Nam contingit quidem aliquid animal nõ esse hominem, non autem conuertitur, vt contingat aliquem hominem non esse animal.

In propositionibus autem negatiuis ipsius contingentis accepti pro eo, quod est possibile in plurimis eueniens, res opposito modo se habet. Nam dicimus, ꝙ vniuersalis negatiua contingens non conuertitur; particularis autem negatiua conuertitur. Et hęc quidem ita se habere infra manifestabitur, vbi de eiusmodi contingenti possibile erit sermo. Interim ad prædicta, & hoc addatur, ꝙ huiusmodi propositiones, *contingit nulli inesse*, & *contingit alicui non inesse*, figuram habent affirmatiuam. Siquidem, vt se habet verbũ EST ad alias partes enunciationis, dum ipsi non apponitur particula negatiua, vel in genere, vt dicẽdo, *est nõ bonũ*, vel simpliciter, vt dicendo, *est non hoc*, & in ijs formis orationis est affirmatiua; ita quoq; modus contingentis appositus propositionibus, se habet ad partes alias orationis enunciatiuæ; vt ideo enunciatio euadat affirmatiua, si quis dixerit, contingit nullum album esse hominem. Vnde autem proueniat, quòd huiusmodi propositiones, *est non album*, *est non bonum*, figuram obtineant,

neant affirmatiuam, & non negatiuam, in sequentibus in calce huius libri exacte explicabitur.

Adnotationes.

lib. Periher. sec. 4

E*T enim & necessarium, & non necessariũ.* Quòd necessarium possit dici contingens, perspicuum est ex vsu loquendi. Nam quod est necessarium, etiam contingens dicitur. Et id quidem, quũ (vt docet Arist. in lib Periher. in sect. 4) possibile ad plura se habet quàm necessarium, adeo ꝙ possibile, tum illud dicitur, quod existens actu, potest non esse, vt Socrates sedens potest non sedere; tum illud, quod non est actu, & potest esse, veluti possibile est Socratem sedere, qui non sedeat, pro ut etiam potest nõ sedere, tum illud deniq;, quod est necessariũ, in quantum ei non repugnat, vt dicatur, ꝙ possit esse, ita tamen vt non posit dici de necessario, quòd possit etiam non esse. Ac ꝓpterea varia significata adducta sunt hoc loco contingentis, quod concernit idem, quod possibile.

Quæcunq; vero vt in pluribus & in eo, quòd nata sunt, dicuntur contingere. Vt in plurimis nõnulla cõtingunt: veluti hominem nasci cũ quinq; digitis in manu. Et quũ aliqua ad vtrumlibet contingunt, vt hominem lauari, & non lauari, ideo adiectum est, *& in eo, quod nata sunt fieri*. Nonnulla etiam in paucioribus contingunt, vt nasci hominem cũ sex digitis in manu. Et de ijs varijs cõtingentibus latius actum est in lib. Periher. in sect. 2. in tractatu de futuris contingentib.

lib. Periher. sec. 2

Contingere nulli aut alicui. Ait affirmatiuã phrasem hanc esse, cõtingit nulli inesse, vel contingit alicui non inesse, quemadmodũ & hæc alia, est nõ album; de qua re actum est exactius in sect. 3. & 4. lib. Perihermen.

Dubit.

Verum contingit dubitatio, quũ Arist. dicat hoc loco, hanc esse negatiuam necessariam propositionem, necesse nullum hominem esse equum, cum in lib. Periher. 4. sect. huius propositionis affirmatiuæ *necesse esse*, statuerit hanc esse negationem, *non necesse esse*; affirmatiuam vero enunciationẽ hanc esse dixerit, *necesse non esse* & eius oppositã negatiuam, hanc *non necesse non esse*.

Solut.

Cui quidem dubitationi ita videtur occurrendũ, dicendo ꝙ in lib. Periher. cõsideratæ, & appositæ fuerunt regulæ generales circa cõtradictionem, quo ad omne genus enunciationis: ac propterea in modalibus enũciationibus ad modos apponẽda erat contradictio: Vnde huius enunciationis, *necesse esse*, opposita fuit cõtradictorię hæc, *non necesse esse*. In hoc vero libro, in quo est futurus sermo de propositionibus necessarijs tã affirmatiuis, quàm negatiuis, ex quibus, quatenus sunt necessariæ, edocetur, quomodo, & quales exurgere possint syllogismi, non erant apponẽdæ oppositiones ad modum necessarium; alioquin non amplius propositiones necessariæ, sed non necessariæ extitissent. Idcirco in syllogismis cõstantibus ex propositionibus necessarijs negatiuæ necessariæ propositiones erunt hę *necesse non esse, necesse nulli inesse, necesse alicui non esse*. In propositionibus autem contingentibus, significantibus res, quæ possunt esse, & non esse, longe alia & diuersa est ratio. Siquidem, quod potest ambulare, potest etiam non ambulare; adeo quòd & hęc propositio, *possibile non ambulare*, figurã habet affirmatiuam; sicuti & hæc alia, *potest ambulare* Ac propterea, vt constituatur ꝓpria negatiua contingens, oportet apponere particulam negatiuam ad ipsum modum contingens, dicendo, *non contingit esse, nulli contingit esse*. Quod autẽ habet hoc loco Arist. de verbo substãtiuo, *est*, quòd in quibus ad prædicatur non habens sibi adiunctam particulam negatiuam, semper affert figuram affirmatiuam, tum *omnino*, græce πάντως, vt in hac *est non album*, tum *simpliciter*, vt in hac, *est non hoc*; his verbis id significauit, ꝙ verbum *est*; reddit figuram affirmatiuã semper, siue sint propositiones adiunctum habentes prædicatum negatum, vt hæc, *est nõ album*, siue sint simpliciter & absolute, vt dicendo, *est non hoc*, vt ita *non hoc*, iaceat a parte subiecti.

Dubit.

Si quis autẽ percontetur, quare ita factum est, ꝙ in generali propositionum diuisione non sit habita hoc loco mentio propositionum habentium modum impossibilis adiunctum, cum tamen harũ fuerit sermo in lib. Periher. sect 4.

Solut.

Dicendum est, ibi regulas generales contradictionis fuisse traditas; ac ꝓpterea habitam quoq; esse rationem earum, quę essent cum modo impossibili. At hic, vbi futura est tractatio syllogismi, quatenus ad veritatem habendam dirigitur, vnde & falsæ; & multo magis impossibiles propositiones sunt explodendæ, nulla de impossibilibus propositionibus erat habenda consideratio. Accedit quòd in explicatione *possibilis*, simul apparebit, quid nam per impossibile sit intelligendum. Quòd autem in lib. Periher. sub modum *possibilis* Arist. posuerit *contingens*; hic vero *possibile* sub *contingenti* nil refert, cũ vterq; modus eadem pręseferat significata. Verum in lib. Periher. accommodate admodum, *possibile*, ad distinctionem impossibilis, constitutum est caput, sub quo positum est contingens. Hic vero, quoniam *contingens* magis apparet aptum ad significandũ illud, quod est actu, vel necessario, vel non necessario, ideo tanquam caput acceptum est, & sub ipso positum est possibile.

Disputatio de propositione inexistendi, seu de inesse.

HOc vero loco discutiendum est, quænam sit ꝓpositio inexistens, siue de inesse ob plures, & illas insignes difficultates, quæ de ea oriuntur, vt patebit ex sequẽtibus. Etenim Theophrastus propositionem de inesse cẽsuit, se habere,

bere, vt genus ad propositionẽ necessariam & contingentem, hac quidem potissimum inductus ratione: qm̃. s. propositio de inesse, aliquid significat esse. Vnde, cum esse sit genus ad necessarium, & ad contingens, hinc sequi videtur, quòd propositio enuncians esse, sit idem genus ad propositiones, quæ pronuntiant aut necessarium esse, aut contingens esse.

In oppositam vero sñiam multa adduci possunt. Illud in primis, quòd genus numquam simul cum speciebus ponitur in diuisione: nõ enim in diuisione animalis apte diceretur, quòd animalis aliud est animal, & aliud rationale, & aliud irrationale. Sed in diuisione ꝓpositionis tradita ab Arist. apposita est propositio de inesse, vna cum alijs propositionum speciebus, cũ dictum est, propositionem aliam esse inexistentem, aliam necessariam, & aliam possibilem; quo fit, vt recensendum videatur propositio de inesse inter species propositionis tanquam distincta a propositione necessaria & contingenti, & non vt genus earum. Idem etiã cõfirmatur ex varijs dictis Arist. Nam tradens in hoc libro diuersa contingentis significata, id protulit; quòd contingens, sit illud, qđ inest, sed nõ necessario inest: idq; ad differentiam tum eius, qđ non inest, sed potest inesse, & possibibile proprie nuncupatur; tum eius quoq;, quod necessario inest. Ex quibus colligitur, propositionem de inesse statui ab Aristot. pro ea, quæ dicit aliquid esse, sed non necessario, vt ita, tanq̃ species diuersa distinguatur a propositione necessaria. Idem infra acturus de syllogismis construendis ex propositionibus necessarijs hæc habet. *Quoniam autẽ aliud est inesse, aliud necessario inesse, & aliud contingenter inesse, quoniã multa sint, quæ insunt, quæ tamen ex necessitate non insunt, & multa, quæ omnino non insunt, sed inesse possunt.* Ex quibus pariter perspicuum est, propositionẽ de inesse distingui, tanquam speciem diuersam a propositione necessaria, & ab illa de contingenti. Ad hæc illud quoque addi potest, propositionem de inesse, cũ careat modo, hinc quoque distingui, vt speciem diuersam propositionis à propositionibus cum modo existentibus, quales sunt, tum propositio necessaria modum habẽs necessarium, tum propositio contingens modum habens contingentis.

Quam ob rem, cum ex vtraq; parte magnæ vigeant difficultates, vel si asseratur, propositionẽ de inesse genus esse necessariarũ & contingẽtium propositionum, vel si id negetur, & velimus eam esse speciem propositionis distinctam ab illis alijs: Idcirco ad tollendam hanc arduam controuersiam, ita nobis dicendum videretur distinguendo: quòd propositio, seu enunciatio aliquid esse, aut non esse significans absq; modi adiectione bifariam considerari potest, tum seorsum in communi sine vlla enũciationum distinctione, tum etiam vt distinguitur a certis alijs generibus enunciationum. Siquidem duobus ijs modis est cõsiderata ab Aristotele tum in lib Periher. tum in hoc præsenti opere. Quippe in libro Periher. inter initia actum est de enunciatione in cõmuni, prout significat esse, aut non esse, quod cõcernit verum & falsum iuxta

or-

ordinem contradictionis ex affirmatione & negatione exurgétis; siue esse, aut nõ (quod æquiualet vero & falso) supponeretur necessarium, siue non necessarium, sed contingens, vel præteritum, vel presens, vel futurum. Quare hunc in modum accepta ꝓpositio de inesse, proculdubio erit, vt genus ad propositionem, quæ dicat aliquid esse necessario, & ad eam, quæ dicat aliquid existere, sed nõ necessario, & ad eam, quæ significat aliquid futurum vel necessario, vel non necessario. Et hunc in modum eadem ꝓpositio accepta est in hoc lib. 1. Prior. in 1. sec. tum in tractatu conuersionis propositionis existentis, tum in eo, in quo agitur de syllogismis constãtibus ex vtraq; propositione inexistenti. Nam docens Arist. ꝙ ꝓpositio negatiua particularis non cõuertitur, ad id probandum induxit, tanquam instantiam hoc exemplum, qm̃ & si verum sit dicere, ꝙ non omne animal est homo, attamen propositio conuersa non est vera, ꝙ aliquis homo nõ est animal: quæ quidem propositio pertinet ad rationem existendi necessariam; prout etiam inductum est idem exẽplum ad probandum, ꝙ particularis negatiua necessaria non conuertatur in seipsam.

Rursus vero in lib. Periher. Aristoteles seiunxit propositionẽ de inesse a propositionibus modum habentibus: vbi etiam constituit oppositionẽ contradictionis, quæ pertinet ad propositionem de inesse, penes verum & falsum, tanquam oppositionẽ diuersam modalibus ꝓpositionibus, quę sunt, *possibile esse, non possibile esse, necesse esse, non necesse esse, impossibile esse, nõ impossibile esse.* Pariter in hoc lib. 1. Prior. Analyt. in generica propositionum diuisione constituit aliam esse propositionem de inesse, aliam necessariam, & aliam contingentẽ, quę significat aliquid futurum possibile: vnde & in tractatu conuersionis cõtingẽtis in genere accepti, attulit exẽplũ de ꝓpositione inexistẽti nõ necessaria, hãc nẽpe; *aliquid album nõ est vestimẽtũ:* de propositione autem contingẽti necessario hoc aliud exemplũ intulit, *aliquod aĩal nõ esse hominem,* sic distinguens propositionem de inesse ab ipsa necessaria; sicuti & a contingenti possibili eãdem propositionem de inesse distinxit.

Lib. Periher. sec. 4

Ex ijs dicendũ videtur, ꝙ propositio inexistens, seu de inesse considerata seorsum a modalibus propositionibus, est genus oĩum propositionum, quæ significant aliquid existere, aut nõ existere, siue actu, siue in potẽtia, siue necessarium, siue non necessarium, sed cõtingens, iuxta tempus presens, præteritum, & futurũ. Si autem accipiatur propositio de inesse, vt contra distinguitur a propositionibus modũ habentibus, hac ratione, & ipsa tanquam vna species erit recensenda sub generalissimo genere propositionũ, vti distincta species, & a necessaria propositione, & a contingenti. A necessaria quidẽ, tum qm̃ hæc habeat adiunctum modum, illa vero de inesse careat modo; tum qm̃ propositio necessaria tantũmodo significat, quæ insunt ex necessitate; illa vero de inesse, & quæ insunt ex necessitate, & quæ insunt non ex necessitate significare potest. A contingẽti vero pa-

riter distinguitur propositio de inesse, tū quatenus hæc caret modo, illa habet modum; tum quatenus propositio de inesse, & ea quę insunt ex necessitate, & quæ insunt nō ex necessitate significare potest; propositio autē cōtingens ad ea tantummodo, quæ possunt inesse cōtingenter, est limitata in proprio significato. Hinc in mistioribus propositionum prædictarū, de quibus infra erit sermo, propositio de inesse, modo in vno significato, modo in alio accipitur, vt apparebit. Itaq; concludēdo vniuersam hanc disputationē dicimus; propositionem inexistētem, si cōsideretur prout distinguitur a ꝓpositionibus modalibꝰ, ipsam reduci sub vno communi genere propositionum vna cum modalibus. Si autem absolute cō·sideretur, quatenus ad varios, & diuersos modos existendi referri potest, prout antea explicatū est, sic erit, vt genus ad huiusmodi varias species inexistendi. Et iuxta hunc sensum dici potest, verā esse sententiam Teophrasti, de qua egimus in initio huius disputationis, ꝙ propositio de inesse est vt genus ad propositionem necessariam & ad contingentem.

De syllogismo in prima figura constante ex propositionibus dictis de inesse.

IAm vero agendum est de syllogismo, & cōsequenter de demōstratione, prout postulat recta docendi ratio, cū syllogismus sit genus ad demōstrationem; vnde de syllogismo prius tractandum, & postmodum de demonstratione. Itaq; explicandum est, ex quibus & quando, & quomodo fiat omnis syllogismus hunc in modum exordiendo.

Quando igitur tres termini (in quos propositiones dissoluuntur tanquam in partes, ex quibus cōstant) ita inuicem sę habuerint, vt extremus terminus sit in toto medio, & medius terminus sit, vel nō sit in toto primo, hunc in modum dispositis existentibus terminis; necesse est syllogismum esse perfectum.

Intelligitur autem medius terminus ille, qui est in toto alio, vt puta B, in A, in ipso autē est alius terminus; vt puta C, in B, quo in ordine, medius terminus, B, est etiā positione medius, inter duos terminos extremos inter A, & C, ita.n. B, medius erit in his terminis, A, B, C.

Extremi autem termini intelliguntur, tum ille, qui in toto alio est, vt puta C, in B, & extremꝰ minor terminus nuncupatur, a quo etiam dicitur propositio minor in syllogismo; tum ille, in quo est alius terminus medius, nempe B, in A, & maior terminus nominatur, videlicet ipsum A; vnde & propositio maior appellatur.

Ex tribus itaq; terminis hunc in modū dispositis, e quibus duæ propositiones cōstituuntur, syllogismus perfectus conflatur ex necessitate præmissarum propositionum. Nā si A, de omni B, prædicatur, & B, de omni C, necesse est quoq; A, prædicari de omni C, ita vt sequatur hæc conclusio, quòd omne C, est A, & hoc ita patet. Siquidem dictum de omni (vt explicatū est antea) ita se habet, vt si quid de omni aliquo prædicatur, etiam prædicetur de omni eo, quod est contentum sub eo, de quo prædicatur. Vt si A, de omni

ni

ni B, dicitur, idem A, dicetur de omni cõtẽto ſub B, & ideo de C, contento ſub B, vt aſtruatur ſyllogiſmus ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis in prima figura, quæ eſt omnium perfectiſſima hunc in modum.

Minor. Omne C B.
Maior: Omne B A
Concluſio. ergo omne C A.

Si autem ſupponatur A, de nullo B, dici, & B, de omni C, prædicari, alius in eadem prima figura perfecta ſyllogiſmus aſtruitur ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus, altera negatiua, in qua extremus maior terminus A, remouetur ab omni medio termino B, & altera affirmatiua, in qua medius terminus B, de omni minori termino C, prędicatur, concludẽs vniuerſale negatiuũ hũc ĩ modũ.

Minor propoſ. Omne C B
Maior propoſ. nullum B A
Concluſio. ergo nullum C A.

Et patet ſequela deductæ cõcluſionis ex dicto de nullo: qm̃ ſi nullum B, eſt A, etiam nullum C, contentum ſub B, erit A.

Si autem primus, ſeu maior terminus cõſequitur medio termino, vt de illo omni prædicetur, medius autem terminus nullo minori termino inſit, ita vt propoſitio vniuerſalis maior ſit affirmatiua, in qua maior terminus A, prædicetur de omni medio B, minor vero ſit vuiuerſalis negatiua, in qua medius terminus B, de nullo minori termino C, prędicetur, ex terminis hunc in modum diſpoſitis, nõ neceſſe eſt ſequi aliquid ob ea, quæ poſita ſunt, neq; in vniuerſali, neq; in particulari; vt omnino ex huiuſmodi complicatione nil determinate colligatur, vt propterea, vt aſyllogiſtica ſit reijcienda. Patet autem ex prædicta complicatione nihil ſequi ex neceſſitate, quando ex ea cõtingit cõcluſiones ſequi, & de omni, & de nullo: de omni in his terminis, Animal, hõ, equus.

De omni.

Maior. Omnis homo animal
Minor. nullus equus homo.
Concluſio. ergo omnis equus animal.

De nullo uero in his alijs terminis, animal; homo, lapis.

Maior. Omnis homo animal
Minor. nullus lapis homo
Concluſio. ergo nullus lapis animal,

Similiter ſi maior terminus A, nulli inſit medio B, & B, medius nulli minori C, aſsyllogiſtica quoq; ex ijs proueniet cõplicatio ex duabes negatiuis vniuerſalibus, ex quibus nil determinatũ, ſed & de oĩ, & de nullo ſequetᷣ, & ideo reijciẽda ſit, vt aſsylloſtica.

De omni in ijs terminis, linea, ſcientia medicina.

Maior. Nulla linea ſcientia.
Minor. nulla Medicina linea.
Concluſio. ergo omnis Medicina ſciẽtia.

De nullo in ijs alijs terminis: linea, ſcientia, vnitas.

Maior. Nulla linea ſcientia.
Minor. Nulla vnitas linea.
Concluſio, ergo nulla vnitas ſcientia.

Ex dictis autem perſpicuũ eſt, quattuor complicationes in ordine primæ figuræ cõſtrui poſſe ex vtraque propoſitione vniuerſali: quarum duæ ſunt ſyllogiſticę, tũ ea, in qua ambæ propoſitiones ſint affirmatiuæ, & infertur concluſio vniuerſalis affirmatiua: tum ea, in qua maior ſit negatiua, & minor affirmatiua, & infertur concluſio vniuerſalis negatiua. Duæ vero ſunt aſyllogiſticæ, vel ſi ambæ ſint negatiuæ; vel ſi minor fuerit negatiua.

Si autem ſecundum prędictam terminorum diſpoſitionem, quæ primæ figuræ rationem obtinet, ita ſe habuerint propoſitionum termini, vt maior terminus A, de omni medio B, prædicetur, aut de nul-

nullo B, medius autē terminus B, alicui minori termino C, insita, ex ijs in prima pfecta figura duo alij modi syllogistici perfecti exurgent: Alter, cum ambæ propositiones fuerint affirmatiuæ, existente maiori vniuersali, & minori in parte, & sequetur conclusio in parte affirmatiua hūc in modū

Maior. Omne B A
Minor. aliquod C B
Conclusio. ergo aliquod C A.

Et patet ex dicto de omni.

Alter vero, quum fuerit maior negatiua vniuersalis, & minor in parte affirmatiua, & sequetur cōclusio in parte negatiua.

Maior. Nullum B A.
Minor. Aliquod C B.
Conclusio. ergo aliquod C non A.

Et patet ex dicto de nullo.

Et qm̄ propositiones indefinitæ æquipollent particularibus, vt idem valeat, homo currit, & aliquis homo currit, vt patet ex traditis in lib. Periher. idcirco duæ aliæ esse poterunt complicationes syllogisticæ in prima figura: Altera ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori affirmatiua indefinita, cōclusionem affirmatiuā indefinitam inducens. Altera ex maiori vniuersali negatiua, & minori affirmatiua indefinita, inducens conclusionem negatiuā indefinitam; & hæc patebit ex dicto de nullo, illa vero alia ex dicto de omni.

Si autem secus ab ordine præscripto se habuerint complicationes terminorum iuxta ordinem primæ figuræ, qualescūq; hę fuerint, omnes asyllogisticę prouenient; adeo vt ex ipsis nil sequatur ex necessitate, sed & de omni & omni, & de nullo in terminis notis: & omnes hunc in numerū cadēt. Nam aut erit complicatio ex maiori particulari, seu indefinita affirmatiua, minori vero vniuersali affirmatiua; & sequetur in ijs terminis, bonum habitus prudentia de omni in his alijs, bonū habitus ruditas, de nullo.

De omni. Aliquis habitus bonus.
Omnis prudentia habitus
Ergo omnis prudentia bona,
De nullo. Aliquis habitus bonus.
Omnis ruditas habitus.
Ergo nulla ruditas bona.

Aut erit maior particularis seu indefinita affirmatiua, minor vero vniuersalis negatiua, & sequit. In ijs terminis, album equus cignus; de omni.

Aliquis equus albus
Nullus cignus equus
Ergo omnis cignus albus.

De nullo in ijs alijs, album, equus, ceruus.

Aliquis equus albus
Nullus coruus equus
Ergo nullus coruus albus.

Aut erit maior vniuersalis affirmatiua, & minor particularis, seu indefinita negatiua, & sequetur. In ijs terminis, inanimatum, homo, nix, de omni.

Nullus homo inanimatus.
Nix non est homo
Ergo omnis Nix inanimata.

In his alijs, inanimatum, homo, cignus, de nullo.

Nullus homo inanimatus.
Cignus non est homo.
Ergo nullus Cignus inanimatus.

Verum quòd asyllogistica sit complicatio prædicta, in qua adest minor particularis negatiua, hunc etiam in modum cōfirmari potest. Nam, cum sit indeterminata locutio dicere A, alicui C, non inesse, qm̄ vagum est & indeterminatum ipsum aliquod (cui non inesse dicitur A) verificetur autē, quòd si A, nulli, vel non omni C, inest, etiam alicui nō inest; idcirco, cum in propositione vniuersali, posito, ꝙ nulli C, inest A, cōstitutum sit antea, quòd nō sequitur syllogismus in prima figura ex vniuersali minori negatiua, statuē-

dum

dum eſt etiam, quòd in hac eadẽ figura nõ habebitur ſyllogiſmus, ſi minor fuerit negatiua, aut particularis, aut indefinita.

Si autem ambo interualla, nẽpe binę propoſitiones fuerint particulares, ſeu indefinitæ, ſiue ſint ambæ affirmatiuæ, vel ambæ negatiuę, ſiue altera affirmatiua, & altera negatiua, aut altera indeterminata, & altera determinata, vel vtraq; indeterminata, ſeu indefinita; in ijs omnibus complicationibus nõ habebitur ſyllogiſmus, ſed omnes erunt aſyllogiſticæ complicationes: in quibus ſequetur, & de omni in ijs terminis [animal, album, equus] & de nullo in ijs alijs [animal, albũ, lapis] prout circa prædictas omnes complicationes eſt facile vnicuiq; animaduertere, ſyllogiſmos aſtruendo ex appoſitis terminis.

Et hęc, quo ad ordinem primę figuræ ſint ſatis: in qua ſyllogiſmi colligũtur perfecti, vt qui per ea quæ expoſita ſunt de dicto de omni, & de nullo, ex ſola poſitione terminorum ſint manifeſti: quod non continget de ſyllogiſmis ꝓuenientibus ex diſpoſitione terminorum iuxta ordinem, tum ſecundæ, tum tertiæ figuræ. Perſpicuum quoq; eſſe debet ex prædictis, quòd in prima figura omnia problemata ſyllogiſmo colliguntur; nempe, & vniuerſale affirmatiuum, & vniuerſale negatiuum, & particulare affirmatiuum, & particulare negatiuum.

Adnotationes.

D*icemus iam per qua* &c. Poſt ſuppoſitiones & explicationes antehabitas, quę ad ſermonum conſequentium intelligentiã & manifeſtationem erant neceſſarię, aggreſſus eſt Ariſt. tractatum de ſyllogiſmo edocens. *Ex quibus*, nempe propoſitionibus conſtitui poſſit, ſiue ſint inexiſtentes, ſiue neceſſarię, ſiue cõtingentes, vel inuicẽ permiſtę, & ſiue ſint vniuerſales, vel particulares, vel indefinitę; adhuc vel affirmatiuæ, vel negatiuę. *Et quando* nempe, & iuxta quam terminorum diſpoſitionẽ poſſit conſtrui ſyllogiſmus in certa quadã figura, quæ poteſt eſſe triplicis generis. Et *quomodo*; videlicet & iuxta quos modos, (qui poſſunt eſſe multi in vnaquaque figura, ſecundum varias propoſitionum explicationes) confici poſſit ſyllogiſmus.

Prius enim de ſyllogiſmo dicendum. Ait prius eſſe diſſerendum de ſyllogiſmo, quàm de demonſtratione ob hanc rationem; nempe quoniam magis vniuerſalis eſt ſyllogiſmus, quàm demonſtratio; vtpote cuius genus ſit ſyllogiſmus: quæ autem ſunt magis vniuerſalia, priori loco ſunt explicanda, vt ea, quę conferunt ad notitiam eorum, quę ſub vniuerſalibus continentur.

Voco autem medium quidem, quod eſt ipſum in alio & aliud in ipſo eſt. Deſcribit quid vocet medium, & quomodo ſe habeant ſyllogiſmi in prima figura. Ait igitur terminum medium illum eſſe, qui in alio eſt, nempe in maiori extremo termino, in ipſo autem alius terminus eſt, nempe minor extremus: idq; intelligitur ſecundum expoſitionem antea allatam de eo, quod eſt eſſe in toto: veluti homo eſt in animali, vt medius terminus exiſtens in maiori extremo; Socrates vero, vt minor terminus eſt in homine Cum autem ſubiungitur in contextu: *Quod & poſitione ſit medium*: ijs verbis aut ſignificatur, quòd medius terminus in ordine propoſitionum iacet in medio duorum aliorum extremorum terminorum: quod pręſertim apparet, ſi in priori loco ponatur minor propoſitio, & poſtea maior, hunc in modum. Omne C eſt B, omne B eſt A, ſequitur concluſio, quòd omne C eſt A. Aut (& melior erit interpretatio) innuitur ordo in elementis litterarum, quibus termini propoſitionum connotantur: quemadmodum in prima figura ſupponitur A pro maiori termino, C pro minori termino; & B ꝓ medio termino; ſicuti & elementum B eſt medium inter A, primum, & C elementum in horum ordine poſtremum.

Sic ſe habeant inuicem, vt vltimus in toto ſit medio, & medius in toto primo. Ex ijs perſpicuum eſſe debet, quòd eſſe in toto, de quo inter initia egit Ariſtoteles, ita eſt accipiendum, vt illud, de quo aliquid aliud prædicatur, ſit in eo, quod de ipſo prædicatur, ita quidem in toto, vt tota eius natura illi ſit communicata: pro vt dicemus hominem ita eſſe in toto animali, vt quicquid eſt de eſſentia animalis, id totum competat homini. Vnde colligitur, explodi ſententiam Alexandri aliter ipſum eſſe in toto interpretantis, vt ſupra animaduertimus in expoſitione ipſius eſſe in toto, & dici de omni.

Alex.

Si.n. A de omni B. Hoc loco patefacit Ariſtoteles, conſtare ex dicto de omni ante explicato, quòd ſi A prædicatur de omni B, & B, de omni C, etiam A, prædicabitur de omni. C. Quippe perſpicua eſt hæc deductio ex dicto de omni, per quod perfectus etiam apparet in prima figura ſyllogiſmus. Quemad-

mo-

modũ ẽt si A, de nullo B, pr̨edicatur, & B, de omni C, dr̃, etiam A, de nullo C, pr̨edicabitur, quod patet ex dicti de nullo intelligentia.

Nihil n necessarium accidit eo, quòd hæc sint. Excluduntur, vt assyllogisticæ, complicationes illæ, vbi minor propositio sit negatiua in dispositione primæ figur̨e: & quòd sint assyllogisticæ, ex hoc fit perspicuum: propterea, quòd ex eiusmodi complicationibus nulla sequitur ex necessitate conclusio; non vniuersalis, non particularis, aut affirmatiua, aut negatiua. Si quidem, in terminis notis, modo deducitur conclusio affirmatiua de omni, modo negatiua de nullo: vt ita & omne tollatur per nullum, & nullum per omne, quibus etiam auferũtur, & aliquod per nullum, & non omne per omne. Et ideo huiusmodi combinationes exploduntur vti assyllogistic̨e, quoniam a natura syllogismi abhorrent, in quo necesse est, iuxta eius definitionem, sequi ex necessitate quid aliud a positis, quod non sit in ijs.

Amplius quoniam indefinitum est B. alicui C non inest. His verbis hoc habet Aristoteles, quòd huiusmodi propositio, aliquod C, non est A, est indefinita, non quòd careat signo, cum habeat adiunctum ipsum signũ aliquod, sed qm̃ est indefinitum; a quibus non sub C, contentis, A negatur. Ad h̨ec postea subiũgit, id esse verum, quòd si nulli C, inest A, & si non omni, etiam A, alicui C, non inerit. Verum in combinatione, vbi minor propositio sit vniuersalis negatiua, quòd sit assyllogistica ostensum est antea, cum deductum sit sequi in terminis notis & de omni, & de nullo, Atqui, si deducitur, quòd de nullo C, pr̨edicatur A, etiam sequitur sub hac deductione concludi, quod A, quoque alicui C, non inerit; vnde concluditur, combinationem propositionum pariter assyllogisticam esse illam, in qua minor propositio sit particularis negatiua in prima figura, sicuti ẽt ostẽsum est antea, quòd est assyllogistica, vbi fuerit minor vniuersalis negatiua.

Neq; si ambo internalla. Nuncupat Aristoteles propositiones *internalla*, ad similitudinẽ magnitudinem, in quibus distantia, & interuallum reperitur: sicuti & dictiones a parte subiecti & pr̨edicati existẽtes *termines* propositionum nuncupauit ad similitudinum punctorum, ex quibus lineæ & cõsequenter distantiæ magnitudinis producuntur inter punctum & punctum existentis.

Omnes qui in hac sunt syllogismi perfecti sunt. Qui syllogismi colliguntur in prima figura, omnes sunt perfecti, adeo quòd apparet in ipsis sequel̨e necessitas ex ipsa met terminorum dispositione per dictum de omni, & de nullo; vt non sit opus aliquo alio adiumento ad manifestãdum huiusmodi necessitatem: sicuti necesse est in syllogismis iuxta ordinem secundæ & tertįe figur̨e confectis, vt apparebit ex sequentibus.

Voco autem figuram talem primam. Ordinem, seu dispositionem propositionum syllogisticarum, Arist. nuncupat figuram, aut ad modum Rethorum; qui certas orationis formas, tropos atque figuras nuncupare consueuerũt. Aut (quod magis arridet) ad imitationem mathematicorum; idq; quoniam vniuersa syllogismi cõstructio quodam modo correspondeat figuris magnitudinũ ex diuersis lineis compactis, veluti est triangulum, & circulus, Quemadmodum etiam propositiones sunt dictæ *internalla*, ad similitudinem magnitudinum spatio & interuallo quodam inter se distinctarum. Nec non dictiones, ex quibus propositiones construuntur, dicti sunt *termini*, ad similitudinem pũctorum, ex quibus linęe constituuntur, vt antea quoque animaduertimus. Dicta est autem prima figura, dispositio terminorum & propositionum ante explicata: vel quoniã in priori loco de ipsa actum est: aut potissimum ex hoc, quoniã primum locum inter alias figuras iure obtineat, vti pr̨ecipua & perfectissima omnium figurarum, vt docet Aristoteles in lib. 1. Post Analyt.

Lib. 1. post Analyt. cap. 11.

De secunda figura Syllogismorum.

SEcunda autem syllogismorũ figura, ex ea trium terminorũ inuicem cõnexarum dispositione cõstituitur, in qua vnus idemque terminus, aut omni vni inest, alteri vero nulli, aut ambabus, inest, aut neutri ipsorũ. Et in hac quidem dispositione terminorum in ordine elementorum ex litteris assumptorum, ꝙ primum est in ordine alphabetico, assignatur medio termino; secundum vero maiori termino, & tertium minori termino assignatur: vt patet in ijs tribus elementis M.N.O. in quibus M. stabit pro medio termino; N, pro maiori, & O, pro minori.

Quando igitur idem terminus, huic quidẽ omni, alteri vero nulli inest, vel vtriq; omni, aut nulli ipsorum inest, ex huiusmodi terminorum dispositione exurget ordo syllogisticus secundæ figuræ, in qua medius terminus prædicatur de vtroq; extremo termino. Termini autem extremi sunt illi, de quibus prædicatur medius terminus. Et extremus maior est, qui in ordine elementorum est propinquior medio termino. Veluti in ordine trium horum elementorum M.N.O, medio termino as-

signabitur M; huic vero cõsequẽs N, assignabitur maiori extremo: O, vero minori termino, vt ita in hac dispositione syllogistica, medius terminus sit prior in ordine elemẽtorum; licet in propositionib. sit extra terminos extremos, quatenus est semper a parte prædicati, tam respectu maioris, q̃ respectu minoris termini. Ex huiusmodi igitur terminorum dispositione certi syllogismorum modi construuntur, nõ tamen perfecti, vt ipsorum sequelæ necessitas pateat ex sola terminorum dispositione; vti contingit in modis primæ figuræ: verum egent externo quodam adminiculo ad hoc, vt eorum sequelæ necessitas manifesta reddatur.

Primo quidem igitur, si fuerit propositio maior vniuersalis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, ducitur semper ex hac cõpositione cõclusio vniuersalis negatiua hunc in modum.

Nullum N. est M.
Omne O M.
Ergo, Nullum O N.

Quæ deductio vera est: necessitas autem sequelæ nõ apparet, nisi maior propositio negatiua in seipsum cõuertatur; sicuti potest cõuerti, vt patet ex præmisso sermone de cõuersione propositionum: ita. n. reddetur syllogismus, secundi modi primæ figuræ. videlicet.

Nullum M est M.
Omne O est M.
Ergo. Nullum O est N.

Si autem fuerit maior vniuersalis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, ex hac etiam complicatione semper ducetur cõclusio vniuersalis negatiua hunc in modum.

Omne N M.
Nullum O M.
Ergo. Nullum O N.

Vt autem huius deductionis appareat necessitas, oportet cõuertere propositionem minorem in seipsam: ita n. cõcludetur per modum secundum primæ figuræ, ꝙ nullum N, est O, qua propositione, postea cõuersa redibit prima cõclusio, ꝙ nullum O, est N, hũc in modum.

Nullum M est O.
Omne N est M.
Ergo. Nullum N est O.
Ergo. Nullum O N.

Verum per rationem etiam ducentem ad impossibile prædictæ cõplicationis sequela probari potest: nempe, ꝙ ex ijs ꝓpositionibus, oẽ N, M, nullũ O, M, sequatur cõclusio, ꝙ nullum O, est N. Nam, si nõ hæc sequitur, eius sequetur cõtradictoria, aliquod O, est N, qua sumpta, & adiuncta cũ hac alia omne N, est M, deducitur iuxta modum tertiæ figuræ, ꝙ aliquod O, est M.

Omne N M.
Aliquod O N.
Ergo. Aliquod O M.

Et tamen suppositum erat, ꝙ nullum O, esset M, ergo sequetur conclusio, ꝙ nullum O, est N.

Si autem in prædicta terminorum dispositione ambæ propositiones fuerint affirmatiuæ vniuersales, asyllogistica exurget complicatio, in qua sequetur,

Et de omni in ijs terminis, substantia, animal, homo.

Omne animal substantia.
Omnis homo substantia.
Omnis homo est animal.

Et de nullo in ijs alijs, substantia, animal, numerus.

Omne animal est substantia.
Omnis numerus est substantia.
Nullus numerus est animal.

Similiter, si ambæ fuerint negatiuæ vniuersales, asyllogistica quoq; erit complicatio, in qua sequetur,

Et

Et de omni in ijs terminis, linea, animal, homo

Nullum animal linea.
Nullus homo linea.
Ergo. Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs alijs, linea, animal, lapis.

Nullum animal linea.
Nullus lapis linea.
Nullus lapis animal.

Si autem fuerit maior negatiua vniuersalis, existente minori particulari affirmatiua, conclusio ducitur semper particularis negatiua hunc in modum.

Nullum N M.
Aliquod O M.
Aliquod O non est N.

Quæ deductio cōuersione maioris propositionis in se ipsam ad quartum modum primæ figuræ reducitur, & ita perfecta redditur hunc in modum.

Nullum M N.
Aliquod O M.
Aliquod O non est N.

Si autem maior fuerit vniuersalis affirmatiua; & minor particularis negatiua, quartus & vltimus modus syllogisticus euadit secundæ figuræ, quo deducitur particularis conclusio negatiua.

Omne N M.
Aliquod O non est M.
Ergo. Aliquod O non est N.

Quæ deductio est imperfecta, nec cōuersione reduci pōt ad ordinem primæ figuræ, qm̄ particularis negatiua inexistens nō conuertitur, vt patet ex præmissis circa conuersionem propositionum. Et si maior propositio huius cōplicationis vniuersalis affirmatiua existens cōuerteretur, nō nisi in particularem affirmatiuam cōuerti posset, vt cōstitutum est in superioribus: ex duabus autē particularibus, vel ex minori particulari negatiua in prima figura syllogismi non habetur deductio. Itaq; relinquitur, vt prædicta deductio syllogistica secundæ figuræ, ex maiori vniuersali affirmatiua, & ex minori particulari negatiua, cōfirmetur rōne ducente ad impossibile hunc in modum. Nam si ex ijs, omne N, M, aliqd O, nō M, non sequitur conclusio, Aliquod O, non est N, sequetur eius contradictoria, omne O, est N. Atqui ex hac propositione cū ista alia, omne N, est M, concluditur in primo modo primæ figuræ, quòd omne O, est M, & tamē suppositū erat, ꝙ aliquod O, non est M, igitur dicendum ex maiori affirmatiua vniuersali & minori particulari negatiua concludi particularem negatiuam.

Si autem fuerit maior particularis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua; asyllogistica erit cōplicatio, in qua sequetur in ijs terminis, animal substātia coruus.

De omni.

Aliqua substantia non est animal.
Omnis coruus est animal.
Ergo. Omnis coruus est substantia.

Et in ijs alijs, animal album, coruus de nullo.

Aliquod album non est animal.
Omnis coruus est animal.
Ergo. Nullus coruus est albus.

Si autem fuerit maior particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, erit asyllogistica complicatio in qua sequetur,

In ijs terminis de omni, animal substantia vnitas.

Aliqua substantia animal.
Nulla vnitas animal.
Ergo. Omnis vnitas substantia.

Et in ijs alijs, animal substantia scientia, de nullo.

Aliqua substantia animal.
Nulla scientia animal.
Ergo. Nulla scientia substantia.

Si vero fuerint ambę negatiuę, existente maiori vniuersali, & minori particulari, asyllogistica, erit cōplicatio, in qua sequetur.

De

De nullo in ijs terminis, animal, nix nigrum.

Nulla nix animal.
Aliquod nigrum non animal.
Ergo. Nullum nigrum nix.

De omni autem non est accipere. Siquidem si M, alicui O, inest, & alicui non inest, si acciperetur N, inesse omni O, cum hac adiuncta propositione, nullũ N, est M, concluderetur ꝙ nullum O, est M, & tamen supponitur N, inesse alicui O, atq; ideo non est sumere terminos, quibus deducatur de omni in prædicta complicatione. Licet autem hoc manifestare ex indefinito. Siquidem verificatur, ꝙ M, alicui O, non inest. Sed si nulli inesse accipiatur, non fit syllogismus, vbi sint ambæ vniuersales negatiuæ, vt ostensum est antea.

Si autem fuerint ambæ affirmatiuæ, existente maiori vniuersali, & minori particulari, erit assyllogistica complicatio, in qua sequetur de nullo in ijs terminis, album, cignus, lapis.

Omnis cignus albus,
Aliquis lapis albus,
Ergo. Nullus lapis cignus.

De omni autem non est ostendere nisi indefinito, vt dictum est antea.

Si autem fuerint ambæ negatiuæ, existente maiori particulari, & minori vniuersali, assyllogistica erit complicatio, in qua seque tur in ijs terminis, album, animal coruus, de omni.

Aliquod animal non est album,
Nullus coruus albus,
Ergo. Omnis coruus animal.

Et de nullo in ijs alijs, album, lapis, coruus.

Aliquis lapis non est albus,
Nullus coruus albus,
Ergo. Nullus coruus lapis.

Si autem fuerint ambæ affirmatiuæ, complicatio erit assyllogistica, in qua & sequetur, de omni in ijs terminis, album animal cignus.

Aliquod animal album,
Omnis cignus albus,
Ergo. Omnis cignus animal.

Et de nullo in ijs alijs, album animal nix.

Aliquod animal album,
Omnis nix alba,
Ergo. Nullus nix animal.

Similiter si ambæ fuerint affirmatiuę particulares negatiuę, vel altera affirmatiua, & altera negatiua, semper assyllogistica erit complicatio, in qua & de omni ducetur, in ijs terminis, album animal homo.

Aliquod animal album,
Aliquis homo albus,
Ergo. Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs alijs, album animal inanimatum.

Aliquod animal album,
Aliquod inanimatum album,
Ergo. Nullum inanimatum animal.

Ex dictis autem est perspicuũ, quòd in hac secunda figura syllogismi iuxta certas terminorum complicationes fiunt, extra quas ex alijs complicationibus non licet syllogismum colligere, & qui fiunt, omnes sunt imperfecti, vt qui egeant, vel conuersione propositionum, vel ratione ducente ad impossibile ad hoc, vt eorum sequela necessaria appareat. Perspicuum est etiam, quòd in hac figura numquam concluditur problema affirmatiuum; sed semper negatiuum, vel vniuersale, vel particulare.

Adnotationes.

Maius vero extremum, quod ad medium iacet. In dispositione trium terminorũ pro astruendis syllogismis in secunda figura, huiusmodi supponitur terminorum dispositio, vt litterarum propositarum, quod in ordine primum est elementum illud assignetur medio termino, secundũ vero maiori termino, & tertium minori extremo; adeo ꝙ medius terminus non est medius in ordine elementorum, sicuti erat in pri-

ma figura. Ibi ſiquidem in ijs elementis, A, B, C, medio termino aſſignatum eſt elementum B, maiori extremo A, & minori termino C. In ſecunda autem figura in contextu, in ijs elementis M, N, O, aſſignatum eſt elementum M, medio termino, N, maiori termino, & O, minori termino. Qui ordo etiam obſeruatur in terminis notis de omni, & de nullo allatis ad improbandas complicationes aſſyllogiſticas in hac figura exurgentes: adeo vt terminus primo loco aſſignatus ſtet pro medio, ſecundus pro maiori, & tertius pro minori termino. Quãuis (vt adnotauit Ioan. Gram.) in hac figura ſecunda, minor, qui dicitur terminus, non eſt natura extremus minor, ſed poſitione; ſiquidem excedere poteſt & ſubiectum, & prædicatum in concluſione, veluti ſubiectum in ijs.

Io. Grã.

Omnis homo animal,
Nulla planta animal,
Ergo. Nulla planta homo.

In his alijs prædicatum.

Nulla planta animal,
Omnis homo animal,
Nullus homo planta.

Numerus ſubſtantia, iuxta opinionem pythagoreorũ, ſupponit Ariſt. numerum eſſe ſubſtantiuum; quamuis in proprio tractatu, in Metaph. hanc impugnet ſententiam.

Libro 1. Met. c. 11

Manifeſtum itaq; eſt ex dictis. Cõcludit ex vniuerſis complicationibus, quæ poſſint aſtrui iuxta diſpoſitionem terminorum in ſecunda figura, eſſe determinatas eas, ex quibus veri colliguntur ſyllogiſmi; omnes vero alias ab ijs, eſſe aſſyllogiſticas, & quæ ſint omnes, explicatum eſt.

Perficiuntur aſſumptis quibuſdam. Imperfecti dicuntur ſyllogiſmi omnes, qui deducſitur, in ſecunda figura; qm̃ vt eorum neceſſaria ſequela appareat, vel cõuerſione opus eſt propoſitionum, vt ita ad perfectos modos primæ figuræ reducantur, vel ratione ducẽte ad impoſſibile; in qua ſupponitur cõtradictorium eius, quod cõcludi intenditur; ex quo deinde, vna cum alia propoſitione vera deducitur aliquod impoſſibile aduerſus eum, qui negaret ſequelã cõtradictionis. Adnotandum autem, ꝙ ſiquis cõtenderet probare, ꝙ aliqua complicatio aſſyllogiſtica ſit ſyllogiſtica ratione ducente ad impoſſibile, id nõ ſufficeret, quando in terminis notis ex aduerſo liceat deducere modo ſequi de omni, & modo de nullo: ita. n. per inſtantiam manifeſte complicatio huiuſmodi arguitur, ꝙ ſit aſſyllogiſtica. Adnotandum etiam oſtenſionem ex indefinito, de qua eſt ſermo in hac ſecunda figura, intelligi debere de eo modo, prout ſupra explicatũ eſt in prima: qm̃ ſcilicet dicendũ eſt verificari, ꝙ A, alicui C, nõ ineſt, ſi nulli ineſt. Atqui, ſi accipiatur propoſitio vniuerſalis negatiua vtraq;, nõ ſit ſyllogiſmus in ſecunda figura, qm̃ in terminis, & de omni, & de nullo ſequitur; igitur eadem probatio ſupponenda, ſi vtraq; ſit negatiua, minor autem particularis. Dicitur aũt probari ex indefinito, qm̃ alicui C, nõ ineſſe A, nõ eſt limitatum, vt accipiatur determinate, cui nam ex ipſo nõ inſit, ſed indeterminate ponitur.

De tertia figura Syllogiſmorum.

Quando autem eidem tertio termino alius quidam inſit omni, alius vero nulli, vel ambo eidem omni, vel nulli inſit ex huiuſmodi terminorum diſpoſitione exurgunt ſyllogiſmi tertiæ & poſtremæ figuræ; in qua medius terminus is intelligitur, de quo alij duo extremi prædicãtur, exiſtente ipſo medio vltimo in poſitione elementorum extra duos extremos poſito; & ita quidem, vt ab ipſo medio in ipſa poſitione elementorum lõgius abſit maior extremus terminus, magis autem prope mediũ adſit minor extremus terminus. Veluti in ijs elementis P. Q. R. medius terminus cõnotabitur hoc poſtremo elemento R, & minor terminus elemento Q, quod eſt ꝓpinquius ipſi R, quàm ſit P, quod aſſignatur in hac figura maiori extremo termino. Huiuſmodi igitur ſtante terminorum diſpoſitione, multi ſyllogiſmorũ modi haberi poſſunt, in quibus ex neceſſitate ſit ſequela cõcluſionum, licet neceſſitas nõ appareat, niſi aut adminiculo cõuerſionis propoſitionum, qua reducuntur ad ordinem primæ figuræ; aut deductione ad impoſſibile, ſicuti cõtingit in modis etiam ſecundæ figuræ; vt propterea vtriuſq; figuræ ſyllogiſmi, tũ ſecundæ, tum tertiæ imperfecti cenſeantur.

Primus autem modus ſyllogiſmorum tertiæ figuræ erit, ſi ambę propoſitiones vniuerſales, & affirmatiuæ ſumantur, & ita ducitur

con-

cõclusio particularis affirmatiua, hunc in modum

Omne R P.
Omne R Q.
Aliquod Q P.

Et probatio sequelæ apparet conuersa minori propositione in particularẽ: ita.n. fit reductio syllogismi ad tertium modum primæ figuræ hunc in modum.

Omne R P.
Aliquod Q R.
Ergo. Aliquod Q P.

Probari etiã põt prædicta deductio ratione ducente ad impossibile. Si.n. dicat aliquis, nõ sequi cõclusionem prædictam, aliquod Q P. sequetur eius contradictoria, nullum Q P. cui adiuncta hac alia propositione, omne P, Q, sequetur in prima figura, quòd nullum R, P, hunc in modum.

Nullum Q P.
Omne R Q.
Nullum R P.

Contra suppositionem ergo ad euitandum hoc inconueniens, dicendum, quòd sequitur prædicta cõclusio, quòd aliquod Q, P.

Hoc idem etiam probari potest per expositionem hunc in modũ. Si.n. omni R, inest & P, & Q, accipiendo aliquod ipsius R, puta S, huic inerit & P, & Q, vnde sequitur, quòd aliquod Q, est P, conclusio iam deducta.

Secundus autem modus tertiæ figuræ euenit, si maior fuerit vniuersalis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, ex his enim conclusio ducitur semper particularis negatiua hunc in modum.

Nullum R P.
Omne R Q.
Aliquod Q non est P.

Et probatur deductio, cõuersa minori affirmatiua, vt sic euadat quartus modus primæ figuræ.

Nullum R P.
Aliquod Q R.
Aliquod Q non est P.

Probari etiam põt ratione ducente ad impossibile. Nam si ex prædicta cõplicatione nõ sequitur cõclusio, ꝙ aliquod Q, non est P, sequetur opposita, ꝙ omne Q est P, cui adiũcta hac alia, omne R, est Q, sequitur, ꝙ omne R, est P, contra suppositionem facta, quod nullum R, est P.

Omne Q P.
Omne R Q.
Omne R P.
Contra suppositionem.

Si autem ambæ propositiones fuerint vniuersales negatiuę, erit complicatio assyllogistica, in qua & ducitur,

De omni in ijs terminis, animal equus inanimatum.

Nullum inanimatum animal;
Nullum inanimatum equus,
Omnis equus animal.

Et de nullo in ijs, inanimatum homo equus.

Nullum inanimatum homo,
Nullum inanimatum equus,
Nullus equus homo.

Si vero maior fuerit affirmatiua vniuersalis, & minor negatiua vniuersalis, erit ẽt cõplicatio assyllogistica, in qua & ducitur in ijs terminis, aĩal equus, hõ de omni.

Omnis homo animal,
Nullus homo equus,
Omnis equus animal.

Et in ijs alijs, inanimatum homo, de nullo.

Omnis homo animal,
Nullus homo inanimatus,
Nullum inanimatum animal.

Si autem fuerit maior particularis affirmatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, tertius modus syllogismi euadet in hac tertia figura, deducens conclusionẽ particularem affirmatiuam.

Aliquod R est P.
Omne R est Q.
Aliquod Q P.

Et patebit sequelæ necessitas, conuersa maiori particulari in se ipsam: sic.n. reducetur syllogismus ad tertium modum primæ figuræ mutatis inuicem conclusionibus.

Omne R Q.
Aliquod P R.
Aliquod P Q.
Aliquod Q P.

Si autem fuerit maior vniuersalis affirmatiua, & minor particularis affirmatiua, exurget quartus modus syllogisticus in tertia figura conclusionem inducés particularem affirmatiuam; & patebit sequelæ necessitas ex conuersione minoris in se ipsam, vt ita inductio syllogismi fiat ad tertiũ modum primę figuræ.

Omne R P.
Aliquod R Q.
Aliquod Q P.

Si autem fuerit maior vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua, erit quintus modus tertiæ figuræ deducens conclusionem particularem negatiuam hunc in modum.

Nullum R P.
Aliquod R Q.
Aliquod Q non est P.

Et patebit sequelę necessitas per conuersionem propositionis, vt ita reducatur syllogismus ad modum quartum primæ figuræ.

Nullum R P.
Aliquod Q R.
Aliquod Q non est P.

Si autem fuerit maior particularis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, exurget sextus modus syllogisticus tertiæ figuræ, deducens particularem conclusionem negatiuam.

Aliquod R, non est P.
Omne R est Q.
Aliquod Q non est P.

Et huius sequelæ necessitas per cõuersionem nequit probari, cũ particularis negatiua non conuertatur; & si conuerteretur vniuersalis affirmatiua in particularem, sic cõplicatio exurgeret ex duabus particularibus propositionibus in prima figura, quæ est assyllogistica. Probabitur autem per rationem ducentem ad impossibile hunc in modum. Si enim ex ijs præmissis propositionibus, aliquod R, nõ est P, omne R, est Q, contenderit aliquis, non sequi hanc conclusionem aliquod Q, non est P, sequetur eius oppositũ. Omne Q, est P, huic igitur hac alia adiuncta, omne R, est Q, sequetur, ꝙ omne R, est P, contra suppositionem iam factam, quòd aliquod R, non est P, vt patet ex infrascripto syllogismo.

Omne Q est P.
Omne R est Q.
Omne R est P.
Contra suppositionem.

Omnes autem aliæ complicationes, quæ astrui possint iuxta ordinem, & dispositionem huius tertiæ figuræ, nõ existentibus ambabus propositionibus vniuersalibus, erunt asyllogisticæ. Veluti si erit maior vniuersalis affirmatiua, & minor particularis negatiua: nam sequetur in ijs terminis, animatũ homo animal, de omni.

Omne animal animatum.
Aliquod animal non est homo.
Omnis homo animatus.

De nullo autem non est accipere terminos; si determinate supponatur minor terminus alicui medio non inesse, & alicui inesse. Sed si indeterminate accipiatur, sic, quemadmodum probatur, ꝙ non sequitur syllogismus ex negatiua minori vniuersali, in tertia figura, ita quoq; patere debet, ꝙ non sequitur, ex minori particulari negatiua: quandoquidem, si verificatur P, nulli inesse Q, debet etiam verificari, ꝙ alicui non insit: quemadmodum & antea in quibusdam alijs asyllogisticis cõplicationibus tum primæ, tum secundæ figuræ deductum est.

Si autem fuerit maior particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, erit asyllogistica

complicatio, in qua & sequetur in ijs terminis, animal, homo, silueitre.

De omni. Aliquod siluestre animal,
Nullum siluestre homo,
Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs, animal, scientia, siluestre.

De nullo. Aliquod siluestre animal,
Nullum siluestre scientia,
Nullum siluestre animal.

Si autem fuerint ambæ propositiones negatiuæ, maiori existente particulari, & minori vniuersali, erit asyllogistica complicatio, in qua sequetur, In ijs terminis, animal homo, siluestre de omni.

Aliquid siluestre animal
Nullum siluestre homo
Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs alijs, animal, scientia, siluestre.

Aliquod siluestre animal,
Nullum siluestre scientia
Nulla scientia animal.

Si autem fuerit maior vniuersalis, & minor particularis, existẽte vtraq; negatiua, erit complicatio asyllogistica, in qua de nullo sequetur in ijs terminis, coruus, nix, album.

Nullum album coruus,
Non omne album nix,
Nulla nix est coruus.

De omni autem non est accipere terminos; sed (vt dictum est antea) licet ex indefinito manifestare etiam sequelam de omni.

Si autem ambæ propositiones fuerint particulares, vel indefinitæ, siue ambæ negatiuæ existant, vel affirmatiuæ, siue altera sit affirmatiua, & altera negatiua, sit quæcunq;, omnes huiusmodi cõplicationes erunt asyllogisticæ, in quibus, & sequetur, In ijs terminis, animal homo, album, de omni.

Aliquod album animal,
Aliquod album homo,
Omnis homo animal.

Et in ijs alijs, animal inanimatum, album, de nullo.

Aliquod album animal,
Aliquod album inanimatum,
Nullum inanimatum animal.

Ex dictis, potest esse perspicuũ, quando erit, & quando non erit syllogismus in tertia figura adeo vt ex necessitate habeatur iuxta certas ex prædictis terminorum cõbinationes; & iuxta alias omnes nõ habeatur syllogismus. Præterea perspicuum est etiam, ꝙ in hac figura nullum vniuersale problema cõcluditur, sed semper particulare, vel affirmatiuũ, vel negatiuũ: Item quòd omnes syllogismi tertiæ figuræ sunt imperfecti; vt pote, quorum necessitas sequelæ egeat manifestari, aut cõuersione propositionũ, aut ratione ducente ad impossibile, vt ita ad modos primæ figuræ reducantur.

Sed & hoc debet esse manifestum, ꝙ syllogismi omnes reduci possunt ad modos vniuersales primæ figuræ. Et.n. sullogismi vniuersalis secundæ figuræ perspicuum est, si conuertatur negatiua vniuersalis, reduci ad modũ primæ figuræ, in quo cõcluditur vniuersale negatiuam. Nam in secũda figura sic conficitur syllogismus. Nullũ B, A, omne C, A, ergo nullum C, B. At in prima figura hunc in modum, conuersa negatiua. Nullum A, B, omne C, D, ergo nullum C, B.

Syllogismi autem particulares secũdæ figuræ ad vniuersales primæ reducentur ostensione ducẽte ad impossibile. Si.n. ex ijs, nullum B, A, aliquod C, A, non sequitur conclusio, aliquod C, non est B, sequetur eius oppositum, omne C, B, huic adiuncta propositio, Nullum B, A, sequitur quòd

nullum C, A, quod eſt contra ſuppoſitionem; Et deductio hæc vt apparet, facta eſt per ſyllogiſmũ vniuerſalem primę figuræ. Syllogiſmi autem particulares primæ figuræ, & ſi ſint perfecti, reduci tñ poſſunt ad vniuerſales primæ figuræ; in primis ipſos reducendo ad vniuerſales ſyllogiſmi ſecũdæ figuræ, & mox ex hac figura ad vniuerſales primæ eoſdem transferendo. Sit enim ſyllogiſmus, in prima figura.

Omne B A.
Aliquod C B.
Aliquod C A.

Nam ſi non ſequitur prædicta concluſio, ſequetur eius oppoſitum; Nullum C, A, aſtruendo ſyllogiſmorũ in ſecunda figura quæ poſtea, conuertendo vniuerſalem negatiuã, euadit ſyllogiſmus vniuerſalis primæ figuræ.

Nullum, C A.
Omne, B A.
Nullum. B C.

Conuerſa autem negatiua propoſitione euadet ſyllogiſmus, in prima figura.

Nullus, A C,
Omne, B A,
Ergo. Nullum. B C.

Syllogiſmi vero tertiæ figuræ, qui aſtruuntur, ex vtraq; propoſitione vniuerſali, reducuntur immediate per ductionem ad impoſſibile ad modos vniuerſales primæ figuræ.

Alij vero, qui colliguntur ex altera particulari propoſitione, reducentur ad vniuerſales ſecundæ figuræ, & hi deinde ad vniuerſales primæ, ita vt omnes ſyllogiſmi reduci queant ad vniuerſales modos primæ figuræ.

Adnotationes.

Ponitur vero medium quidem extra extrema. In ordine elementorum adhibitorum in ſyllogiſmis tertiæ figuræ, medius terminus cõnotatur per vltimum elementum in ordine litterarum harum, P, Q, R, adeo ꝙ neque medium inter has locum obtinet, pro ut conſtitutum eſt de prima figura, in qua ſub ijs elementis, A, B, C, medius terminus cõnotabatur elemento B, ꝙ iacet medium inter A, & C, neq; etiam priorem locum habet, ſicuti in ſecunda figura in ijs elementis, M, N, O, medius terminus cõnotabatur elemento M. Siquidem in tertia figura in ordine horum elementorum, P, Q, R, elementum poſtremum, quod eſt R, aſſignatur medio termino, primum vero nempe P, maiori termino, & ſecundum quod eſt Q, minori termino. Qui ordo etiam obſeruatur ab Ariſtotele in aſſignatione notorũ terminorum; vbi in aſyllogiſticis combinationibus deducitur ſequi, modo de omni, & modo de nullo.

Et exponendo demonſtrationem facere. Quod ex vtraq; vniuerſali affirmatiua propoſitione ſequatur concluſio particularis affirmatiua, oſtendit Ariſtoteles, tum conuerſione alterius propoſitionis, reducendo ſyllogiſmum ad modum primæ figuræ, tum ratione ducente ad impoſſibile, tum expoſitione hunc in modum facta. Si P, de R, & Q, de R, prædicantur, ergo & P, de Q prędicabitur. Nam ſi & P, & Q, inſunt ipſi R, vtiq; alicui contento ſub R, inerunt; illud ſit S. Igitur, ſi P, ineſt ipſi S, & Q, pariter ineſt ipſi, S, oportet igitur fateri, ꝙ etiam P, inſit alicui Q, per dictum de omni. Siquidem cõuertitur quòd ſi Q, ineſt ipſi S, etiã S, inerit alicui Q, & ita P, inerit alicui Q.

Quando autem maior quidem ſit prædicatiua, minor vero particularis negatiua. In hac complicatione; ait, ſequi de omni in ijs terminis, animatum, homo animal; de nullo autem nõ haberi terminos, ex quibus per ſyllogiſmum deducatur. de omni enim ſic deducitur.

Omne animal animatum,
Aliquod animal homo.
Omnis homo animatus.

De nullo autem non eſt deducere probationem in terminis. nam ſi ponatur, ꝙ nullum Q, ſit P, cum etiam acceptum ſit, ꝙ omne R, eſt P, ſequetur, ꝙ nullum, R, ſit P, propterea ad indefinitum eſt cõfugiendum; ſumendo Q, ſub modum indefinitum, nõ eſſe P, & ſic cum oſtenſum ſit ex minori negatiua vniuerſali eſſe non poſſe ſyllogiſmum in tertia figura, eo ꝙ ſequatur in huiuſmodi cõbinatione & de omni, & de nullo; hinc concludendum, ꝙ pariter non erit ſyllogiſmus in tertia figura, quando minor fuerit particularis negatiua.

Fit ex neceſsitate ſyllogiſmus. At ſyllogiſmũ fieri ex neceſſitate, ſi termini ita ſe habuerint, vt explicauit: & è conuerſo, ſi ita ſe habuerint termini, erit ex neceſsitate ſyllogiſmus. Et id patet: qm̃ vbi ſint in hac tertia figura complicationes ſyllogiſticæ, cõprobatæ ſunt cõuerſione propoſitionum, aut deductione ad impoſsibile, aut per expoſitionem, & omnes ſyllogiſticæ combinationes adnumeratæ ſunt, & reiectę omnes, in quibus nil colligitur ex neceſſitate. Vnde ſequitur, vt de ſyllogiſmorum horum cõ

ſtructione doctrina ſufficienter ſit tradita, & confirmata.

Omnes reducuntur, ad prima figura vniuerſaliter ſyllogiſmos. Patefecit Ariſtoteles, omnes ſyllogiſmos poſſe reduci ad ſyllogiſmos vniuerſales primæ figuræ, & id quidem præſtitit iure merito, q̃m modi vniuerſales primæ figuræ ſunt præcipui inter omnes ſyllogiſmos. Siquidem prima figura præcellit alijs duabus figuris, vti perfecta imperfectis. In prima autem figura vniuerſales præcellunt particularibus ſyllogiſmis, quẽadmodum, & affirmatiui ſyllogiſmi præcellunt negatiuis, vt docet idem Philoſophus lib. 1. Poſt. Analyt.

Libro 1. Anal. c. 20

De ſyllogiſmis ex propoſitionibus neceſſarijs conſtruendis.

Quoniam autem in propoſitionibus, quæ enunciantur, aliud eſt ineſſe ſimpliciter, aliud ex neceſſitate ineſſe, & aliud contingenter ineſſe; Siquidẽ multa inſunt non tamen ex neceſſitate, vt hominem album eſſe; aliqua vero inſunt ex neceſſitate, ſicuti hominem eſſe animal; nonnulla etiam ſunt, quæ neq; ex neceſſitate, neq; vllo modo inſunt, ſed cõtingit, & poſſibile eſt ineſſe, vt hominem ſedere, & geri bellum nauale: Hinc etiam dicendũ, varios ſyllogiſmos ex vario dictarum propoſitionũ genere poſſe conflari. Idcirco, poſt explicatam rationem ſyllogiſmorũ, qui poſſunt conſtrui ex propoſitionibus de ineſſe, de alijs etiam ſyllogiſmis differendum, qui aſtruuntur, aut ex propoſitionibus neceſſarijs, aut ex contingentibus. Verum, quod attinet ad ſyllogiſmos ex propoſitionibus neceſſarijs cõſtruendos eadem ferme in omnibus regula atq; rõ tum conſtruendi, tum non conſtruendi ſyllogiſmos extat, quæ & circa propoſitiones inexiſtendi eſt aſſignata. Nam tum dictum, de omni, tum de nullo, ex quibus modi omnes ſyllogiſtici primæ figuræ perficiuntur, eandem vim obtinent in ſyllogiſmis ex propoſitionibus neceſſarijs conſtruendis, quam etiam præſtant in illis, qui ex propoſitionibus inexiſtentibus conflantur.

Differunt autem inuicem hæc duo genera ſyllogiſmorum. Primo; q̃m in ſyllogiſmis inexiſtentium propoſitionum modus connotans neceſſitatem nõ apponitur, vti fit in ſyllogiſmis propoſitionum neceſſariarum. Præterea in ſecunda figura, vbi eſt complicatio propoſitionis maioris vniuerſalis affirmatiuæ, & minoris particularis negatiuę in ſyllogiſmo conflato ex propoſitionibus neceſſarijs, necnon in tertia figura, vbi fuerit complicatio ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua, exiſtente vtraq; neceſſaria non eſt, monſtrare neceſſitatem ſequelæ deductione ad impoſſibile: ſicuti contingit in complicationibus inexiſtentiam propoſitionum in vtraq; figura. Verum per expoſitionem licebit, in huiuſmodi ſyllogiſmis, ſequelæ neceſſitatem patefacere hunc in modũ. Sit. n. ſyllogiſmus in ſecunda figura ex maiori neceſſaria vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua ſimiliter neceſſaria.

Neceſſario omne, B A.
Neceſſario aliquod, C non eſt B.
Ergo. Neceſſario aliqd', C non eſt A.

Quod igitur huiuſmodi ſequatur concluſio, ita poteſt oſtendi. Nam accipiendo aliquod C, qđ ſupponitur nõ eſſe A, nominetur D, fiet ſyllogiſmus in ſecunda figura ex duabus vniuerſalibus neceſsarijs.

Neceſſario omne B A.
Neceſſario nullum D A.
Ergo. Neceſſario nullum D B.

Quæ quidem ſequela conuer-

 ſione

sione propositionis negatiuæ apparet, reducto syllogismo ad secundum modum primæ figuræ; prout etiam ostensum est de syllogismo ex propositionibus de inesse constituto.

Hoc idem asserendum de syllogismo cõstructo in tertia figura ex vtraq; necessaria, existẽte maiori vniuersali affirmatiua; & minori particulari negatiua.

Necessario omne C A.
Necessario aliquod C non est B.
Necessario aliquod B non est A.

Quæ illatio ostenditur per expositionem, supponendo, ꝙ illud aliquod C, quod nõ est B, sit D, vt ita fiat syllogismus ex duabus vniuersalibus in tertia figura.

Necessario omne D A.
Necessario nullu[m] D B.
Necessario aliq[uod] B non est A.

Et patebit sequelæ necessitas per conuersionem vniuersalis affirmatiuæ in particularem, reducto syllogismo ad quartum modum primæ figuræ; sicuti ostensum est etiam de syllogismo ex propositionibus de inesse constituto.

Adnotationes.

D*Ifferunt autem in eo, quod adiacet terminis ex necessitate inesse*: Ait differre propositionem necessarium ab illa de inesse, quõ illi de necessario adiacet modus necessarius, qui abest a propositionibus de inesse. In hoc.n.semper inuicem distinguuntur, cũ tñ ꝓpositio de inesse possit importare existentiam rerum necessariarum, sicuti & cõtingentium, quẽadmodum in superioribus ostensum est. Verum, in quantum propositio de inesse caret modo, sic semper distinguitur a propositione necessaria modũ necessitatis adiunctum habente. Et hinc colligitur, syllogismum in Prioribus istis Analyticis cõsiderari generatim, & in abstracto, seorsum à scientijs, & a rebus determinatis iuxta modos quoscunq; sermocinãdi, adeo ꝙ propositiones necessariæ hic non cõsiderantur sub ea ratione, qua in Poster. Analyt. secundum demõstrationem & sciẽtiam demonstratiuam accipiuntur: sed solum secundum modum syllogisticum.

In media autem figura. Recenset hoc loco Arist. aliud discrimen inter syllogismos cõflatos ex propositionibus necessarijs, & illos, qui cõstituuntur ex propositionibus inexistentibus, penes cõplicationem maioris vniuersalis affirmatiuæ, & minoris particularis negatiuæ in secunda, & in tertia figura: quõ in neutra patet locus probandi sequelæ necessitatem ratione ducente ad impossibile, vti contingit in syllogismis cõflatis ex propositionibus de inesse: idq; propterea ꝙ si cõstruenda esset ratio ducẽs ad impossibile in syllogismis, propositionum necessariarum, oporteret accipere oppositum particularis negatiuæ necessariæ, quæ quidem esset vniuersalis affirmatiua cõtingens, ex qua, & ex alia vniuersali affirmatiua necessaria propositione, quomodo sequatur syllogismus, nondum est ostensum: sed patebit infra in tractatu syllogismorũ ex propositionibus necessarijs, & contingẽtibus inuicem permistis conflatorum. Et ideo hic erat supersedendum ab huiusmodi argumentatione ducente ad impossibile probatur autem vterq; modus syllogisticus ratione per expositionem nuncupata.

De syllogismis cõflatis ex vna propositione inexistente, & altera necessaria in prima figura.

QVoniam autem syllogismi construi quoq; possunt ex vna propositione inexistẽte, & altera necessaria, idcirco explicandum est in genere, quales, & hi esse possint. Et primo quidẽ in prima figura, in qua hæc erit penes mistionem harũ propositionum vniuersalis regula.

Si fuerit maior necessaria, & minor inexistens, sequetur conclusio necessaria.

Si autẽ fuerit maior inexistens, & minor necessaria, sequetur cõclusio non necessaria.

Si igitur ambæ propositiones vniuersales, & affirmatiuæ fuerint, existente maiori necessaria, & minori inexistẽte, sequetur cõclusio necessaria: & patet ex dicto de omni. Nam si A, necessario inest omni B, etiam necessario inerit omni C, cõtento sub B.

Necessario omne B A.
omne C B.
Necessario omne C A.

Si autem maior necessaria fuerit

rit negatiua, sequetur conclusio necessaria, & patet ex dicto de nullo: quoniam si necessario nulli B, inest A, etiam nulli C, inerit contento sub B.

Necessario nullum B A.
omne C B.
Ergo. Necessario nullum C A.

Si autem maior propositio nõ fuerit necessaria, tam in affirmatiuis, quàm in negatiuis syllogismis conclusio sequetur non necessario, vt in ijs.

Omne B A.
Necessario omne C B.
Ergo. Omne C A.

Et probatur hæc sequela rõne ducẽte ad impossibile. Nam si ex præmissis dicatur sequi, nõ hanc conclusionẽ, omne C, A, sed hanc aliam, necessario omne C, A; ideo assumpta hac propositione, & altera præmissi syllogismi adiũcta nempe necessario omne C, B, sequitur in tertia figura ex duabus necessarijs conclusio necessaria hunc in modum.

Necessario omne C A.
Necessario omne C B.
Ergo. Necessario aliquod B A.

Quæ cõclusio est cõtra suppositionem ante factam, ꝗ omne B, esset A, non necessario: quare dicendum, in pręmissa mistione sequi cõclusionem nõ necessariam: adeo ꝗ contingat A, inesse actu omni C, sed nõ necessario, quin cõtingat etiam A, non inesse omni C. Idem confirmatur in ijs terminis, motus, animal, homo: vt ita astruatur syllogismus.

Omne animal mouetur,
Necessario omnis homo animal,
Ergo. Oĩs homo mouetur nõ tñ necessario.

Hæc eadem regula etiam verificabitur in complicatione propositionis necessarię, & alterius inexistẽtis, tam in uniuersalibus, quàm in particularibus syllogismis. Nam sequetur conclusio necessaria, vbi maior propositio fuerit necessaria: si autem maior ꝓpositio non extiterit necessaria, sequetur conclusio nõ necessaria.

Adnotationes.

Contingit autem quandoq;. In hac parte Aristoteles agit de syllogismis, qui conflantur ex altera propositione necessaria, & altera inexistente, & statuit hanc regulam generalem in prima figura; ꝙ quando propositio maior fuerit necessaria, existente altera inexistente, semper sequetur conclusio necessaria; Quando autẽ fuerit propositio maior inexistens, & minor necessaria, sequetur cõclusio nõ necessaria. Quæ quidem speculatio ad exactũ, & perfectum tractatũ de syllogismo requirebatur, vel si huius generis syllogismi, misti ex hoc diuerso genere propositionum cõtingat in scientijs, siue apud dialecticum, siue in alijs communibus hominum sermonibus.

Digressio, seu disputatio penes, syllogismos mistos ex vna propositione inexistente, & altera necessaria.

EXaminanda autem occurrit hoc loco doctrina Aristotelis, qua statuit, ex maiori propositione necessaria, & ex minori inexistente sequi in prima figura cõclusionem necessariam; sequi autem nõ necessariam, si maior fuerit inexistens. Nam, vt refert Alexander in suis Coment. insurexerunt ex aduerso sequaces Theophrasti, & Eudemi, contendentes, numquam sequi conclusionem necessariam, vbi fuerit altera propositio inexistẽs, sed semper non necessariam: quam sententiam pluribus argumentis corroborare enixi sunt: hoc in primis ex loco a simili deducto. Nã quemadmodum (inquit) in omnibus syllogismis, vbi vna propositio extiterit deterioris cõditionis, quàm altera, veluti est negatiua, relata ad affirmatiuam, & particularis comparata ad vniuersalem,

ſalem, ſemper cõcluſio ſequitur ſimilis deteriori propoſitioni; vt puta particularis, ſi particularis accepta ſit propoſitio; nec non & negatiua, ſi altera fuerit propoſitio negatiua: Idcirco, cum ꝓpoſitio inexiſtens, quæ dicit actum nõ neceſſarium, ſit deterioris cõditionis, quàm neceſſaria, rationi admodum cõſonum videtur, vt cõcluſio conſequi debeat nõ neceſſaria, vbi fuerit propoſitio inexiſtens cõiuncta cum altera propoſitione neceſſaria. Præterea hãc aliam inducunt rõnem; Nam in hoc ſyllogiſmo, neceſſario omne B, A, omne C, eſt B, cum propoſitio minor non ſit neceſſaria, poterit igitur C, remoueri ab ipſo B, quo remoto, A, nõ inerit ipſi C, cõſequenter igitur patet, ꝙ ex prædicta complicatione non ſequitur cõcluſio neceſſaria. Tertio, & vltimo proferunt in terminis ſyllogiſmos, ex quibus etiam oſtendere, ſibi perſuadent, nõ ſequi concluſionem neceſſariã, vbi fuerit maior propoſitio neceſſaria & minor inexiſtẽs: Veluti in ijs: neceſſario omne grammaticũ habet ſcientiam, omnis homo eſt grammaticus, ſequitur ex ijs, ꝙ omnis homo habeat ſcientiam, non tamen neceſſario.

Idem in ijs alijs terminis, neceſſario omnis homo eſt animal, omne, quòd mouetur, eſt homo, ſequitur quòd omne, quòd moue tur, ſit animal, nõ tamen neceſſario. Ex quibus omnibus deducũt, veram non eſſe regulam inductã ab Ariſtotele, quòd ex maiori neceſſaria, & ex minori inexiſtente ſequatur concluſio neceſſaria. Et ideo dicunt, Ariſtotelem non intendiſſe ſtatuere, ex lege vniuerſali ſequi in prædicta miſtione cõcluſionẽ neceſſariam: ſed id tantummodo voluiſſe, quòd aliquando poſſit ſequi.

Verum ex aduerſo Alexander validiſſima coniectura oppugnat id dici non poſſe. Nã Ariſtoteles regulam prædictam, quòd ſequatur concluſio neceſſaria ex maiori propoſitione neceſſaria, & ex minori inexiſtente, ſtabiliuit ex dicto de omni in affirmatiuis ſyllogiſmis, & ex dicto de nullo in negatiuis. Vnde ſtatuendũ, quòd omnino regulam intenderit tradere generalem, & non eam, quæ infringi poſſit, quoniam in terminis ſequatur interdũ de omni, & interdum de nullo: qua quidẽ ratione infringere conſueuit Ariſtoteles omnes illas cõplicationes, quæ a forma ſyllogiſmi, vt aſyllogiſticæ, ſunt reijciẽdæ. Ad hęc, ad exempla in terminis notis ex aduerſo allata, optime occurrit Alexander, aſſerens, aſſumptas propoſitiones ambas non eſſe veras. Siquidem in prima complicatione, neceſſario omne grammaticum habet ſcientiam, omnis homo eſt grammaticus, falſa eſt minor propoſitio, quòd omnis homo ſit grammaticus; vnde nil mirum; ſi ex ijs non ſequitur concluſio neceſſaria. In altera vero cõplicatione, neceſſario omnis homo eſt animal, omne quod moue tur eſt homo (inquit Alexander) hanc minorem eſſe falſam, quòd omne, quod mouetur, ſit homo; vnde non mirum, ſi ex huiuſmodi propoſitione falſa, ſequitur cõcluſio nõ neceſſaria; quòd omne, quod mouetur, ſit animal. Addamus immo eſſe neceſſariam, si intelligatur de eo, quòd a ſe mouetur motu locali, quod certe neceſſe eſt, ut ſit animal.

Ve-

Verum Alexander nihil affert pro infringendis duabus alijs argumentis in oppositum adductis: quorum alterũ ductum est ex eo fundamento, quòd semper cõclusio sequatur propositionem deterioris conditionis, nempe vt cõclusio sit particularis, si altera propositio fuerit particularis; & negatiua, si altera propositio fuerit negatiua; Ex quo deducebatur, cõsequi etiam debere semper cõclusionem inexistentem, vbi altera fuerit propositio inexistẽs, quæ supponitur deterioris conditionis, quam necessaria. Cui argumentationi nos occurrentes, dicimus, nõ sequi conclusionẽ particularem, vbi fuerit altera particularis propositio, aut negatiuã, vbi fuerit altera negatiua propositio; Propterea quòd conclusio deteriorem syllogismi propositionem consequi debeat: sed hęc euenire ex ordine atq; natura ratiocinij. Siquidem ex vi ipsius dicti de nullo, si statuatur quòd nullum B, est A, sequitur, quòd nullum C, cõtentum sub A, sit A, idque ex ratione syllogistica. Similiter si nõ vniuersaliter, sed in parte accipiatur C, cõtentum sub B, ex ratione pariter syllogistica sequitur, quòd aliquod C, sit, aut non sit A, pro ut dictum de omni, aut de nullo acceptum fuerit; Et ideo nõ valet deductio, quòd cõclusio debeat sequi necessaria, sed inexistens, vbi altera fuerit propositio inexistens, qm̃ inexistens sit deterioris conditionis, q̃ necessaria. Quin immo in oppositum videtur retorquendum argumentum, quòd, si maior propositio fuerit necessaria, & minor inexistens, debet sequi semper cõclusio necessaria ob vim, quã obtinent tum dictum de omni in syllogistica ratione, vbi fuerint ambæ propositiones affirmatiuæ; tũ dictum de nullo, vbi fuerit altera propositio negatiua necessaria. Alterum vero argumentum a sequacibus Eudemi & Theophrasti inductum erat huiusmodi; ꝙ supposita minori propositione inexistente, vt puta, ꝙ omne C, sit B, non necessario, sed de inesse, potest C, remoueri ab ipso B, quo remoto, & si supponatur, quòd omne B, necessario sit A, attamẽ nõ sequetur, quòd A, necessario insit ipsi C, immo ipsi non inerit cum supponatur, quòd C, remoueatur ab ipso B, quo mediante deducendum erat, quòd A, necessario insset omni C.

Dubi. Vt igitur exactius hoc argumentum possit dissolui, subnectẽda est hoc loco hæc alia difficultas ex dictis Arist. emergens. Nã si verum est, quòd supposuit, non differre propositionem necessariam ab inexistẽte, nisi penes modum, quem habet adiunctũ propositio necessaria, cum eo careat propositio inexistens, hinc deducendum videretur, quòd in mistione propositionis necessarię, & alterius inexistentis semper sequi debeat conclusio necessaria, aut modum habens adiunctum necessariũ, vbi maior esset necessaria; aut sine modo, vbi esset maior ꝓpositio inexistens, vt ita semper cõclusio necessaria habeatur, aut cũ modo necessario, aut sine modo.

Solut. Pro hac autem valde ardua difficultate dissoluenda, illud in primis est animaduertendum, in eo loco, vbi dixit Arist. propositionem necessariam distingui penes modum, ab ipsa inexistẽte, qm̃ multa inexistente subiunxit,

quæ

quæ non inſunt ex neceſſitate; ex quibus clare colligitur, innuiſſe Ariſtotelem, quòd propoſitio inexiſtens nõ ſolum differat a propoſitione neceſſaria ob modum adiunctum in vna, & non in altera; verum etiam penes ipſam met inexiſtentiam, quæ poteſt eſſe & neceſſaria, & non neceſſaria in propoſitione inexiſtẽte, cum neceſſaria propoſitio vna cum modo ſemper habeat coniunctã neceſſitatem inexiſtendi. Idcirco repetenda ſunt hoc loco, quæ antea a nobis conſtituta ſunt in explicatione propoſitionis de ineſſe, quam ſtatuimus eius eſſe naturæ, vt careat modo, ſignificetque cõfuſe, & generatim aliquid exiſtere, abſq; determinatione, quòd exiſtere ſit, aut neceſſarium, aut non neceſſarium: Siquidem in vtroque ſignificato accipi poteſt propoſitio inexiſtens. Vnde dicẽdum videtur, ꝙ propoſitio inexiſtens diſtinguitur a propoſitione neceſſaria, tum in hoc, quòd caret modo, qui eſt adiunctus propoſitioni neceſſarię, tum in hoc, quòd indeterminate ſignificat aliquid inexiſtere, quod neceſſaria propoſitio ſignificat determinate, vt eſt neceſſarium. Hinc fit, vt poſſit interdum accipi propoſitio inexiſtens, quatenus ſignificat aliquid eſſe, ſed nõ neceſſario; interdum etiam quatenus ſignificat aliquid inexiſtẽs ex neceſſitate, licet modum neceſſarium adiunctum non habeat.

Quòd ſi accipiatur, vt ſignificat aliquid exiſtere nõ neceſſario, ita propoſitio inexiſtens non erit in genere accepta, ſed ſecundũ partem, vt ſit ita dicenda contingens in actu, quæ deinde diſtinguitur ab alia propoſitione inexiſtente, quatenus ſignificat aliquid ineſſe neceſſario, vt ſit hæc alia quędam ſpecies propoſitionis inexiſtẽtis. Et hæc quidẽ cõſona ſunt ijs, quę infra habet Ariſtoteles circa ſyllogiſmos cõflatos ex vna propoſitione neceſſaria, & altera inexiſtente in tertia figura; dum ibi ſtatuit, nõ inferri cõcluſionem inexiſtentem, niſi ambæ propoſitiones fuerint inexiſtẽtes: quod idcirco intulit, propterea ꝙ cõcluſio deducta nõ neceſſaria nõ poteſt dici abſolute inexiſtens, quũ ad eſſe nõ neceſſarium ſit limitata; ipſa autem & ad eſſe neceſſarium, & ad eſse nõ neceſſarium communiter ſe habet in genere accepta. Itaq; ſupponendo quòd propoſitio inexiſtens ſumatur in genere, nõ limitata ad tale, vel ad tale eſſe, & quòd propoſitiones ſumantur, quæ ſint veræ dicimus, quòd, cum inuicem miſceantur propoſitio neceſſaria, & altera inexiſtens in prima figura, cum fuerit maior propoſitio neceſsaria, & minor inexiſtens, ſemper concluſio ſequetur neceſsaria. Nec eſt cõcedendum, vt argumentabantur ſequaces Theophraſti, & Eudemi, quòd ſi minor propoſitio ſit de ineſse, poſſit minor terminus a medio remoueri, quo remoto rueret, vt dicunt ipſi, ſuppoſitum, ꝙ cõcluſio in hac complicatione ſequatur neceſsaria. Nam dicendũ eſt, poſse propoſitionem inexiſtẽtem eſse huiuſmodi, vt inhærentiæ neceſſitatem importet, & ita in re inueniatur, ſi fiat ſyllogiſmus ex veris propoſitionibus, & maiori neceſsariæ adiungatur minor inexiſtens. Et horum quidẽ ſyllogiſmorum, iuxta modos ſermocinandi, erat habenda ratio, vel ſi ſint propoſitiones inexiſten

tes

tes sine modo; vel si sint necessariæ, vel cõtingentes, vel inuicem permistæ. Quod si exẽpla in terminis notis afferri possent ex quibus colligeretur, nõ sequi necessariam conclusionem, etiam ꝙ maior esset necessaria minor vero inexistens, vtiq; nõ fuisset statuẽda regula, vti statuit Aristoteles, quòd in huiusmodi mistione sequetur cõclusio necessaria; qm̃ sufficeret ad infringẽdam regulam, quòd in aliquibus terminis ita nõ sequeretur; pro ut Arist. complicationes asyllogisticas hunc in modum infringit. At dicet aliqs, afferri posse terminos, in quibus non deducatur conclusio necessaria: vt in ijs: omnis homo necessario est animal, aliquod album est homo; non sequitur, quòd aliquod albũ necessario sit animal: Dicendum quod immo huiusmodi conclusio est necessaria: nam semper aliquod album erit necessario animal, pro ut cignus, si nõ necessitate per se existendi, saltẽ iuxta modum simpliciter existendi, quod satis est in huiusmodi syllogismorum generali consideratione: vbi, quæ insunt per se non perpenduntur, pro ut sit in lib. I. Post. Analyt.

dub.

solut.

Patet etiam in ijs alijs terminis, & syllogismis sequi conclusionẽ necessariam.

Omne ingrediens necessario a se mouetur,
Omnis homo ingreditur de inesse,
Ergo. Omnis hõ necessario a se mouetur.

Quod nutritur necessario viuit,
Omnis planta nutritur de inesse,
Ergo. Omnis planta necessario viuit.

Quod autem ex maiori inexistente, & minori necessaria non sequatur conclusio necessaria, ꝓbatum est per deductionem ad impossibile, & in terminis etiam fuit ostensum sequi conclusionẽ non necessarium, ita appellatam, quoniam inexistentia necessaria in ipsa non inesset.

De syllogismis mistis ex vna propositione inexistente, et altera necessaria in secunda figura.

IN secunda autem figura, existente vtraq; propositione vniuersali, si fuerit negatiua necessaria, sequetur cõclusio necessaria, quæ patebit ex conuersione propositionis negatiuæ: ita enim euadet syllogismus primę figurę, ex maiori necessaria, ex qua ostensum est antea sequi cõclusionem necessariam. E cõtra vero si negatiua fuerit propositio inexistens, sequetur cõclusio nõ necessaria, quæ patebit conuertendo propositionem negatiuam, vt fiat syllogismus in prima figura ex maiori inexistente, ex qua ostensum est antea, sequi cõclusionem nõ necessariam: quod etiam probari potest ratione ducẽte ad impossibile, & etiam in ijs terminis; animal homo album.

Necessario omnis homo animal,
Nullum album animal,
Nullum album homo sed nõ necessario.

Siquidem necessarium est nullum album esse hominem, donec nullum album est animal; quod tamen simpliciter non est necessarium, quũ etiam possit animal esse album.

Si autem fuerit altera propositio vniuersalis, & altera particularis, existente vniuersali negatiua necessaria sequetur conclusio necessaria, quæ apparebit ex conuersione negatiuæ necessariæ reducendo hunc in modum syllogismum ad primam figuram. In alijs autem omnibus complica-

tionibus, vbi propoſitio fuerit neceſsaria affirmatiua, aut particularis, ſequetur concluſio non neceſsaria, & oſtenſionis modus idem erit, qui adductus eſt antea.

Adnotationes.

Quare his quidem exiſtentibus neceſſaria erit concluſio. Quòd in complicatione propoſitionis negatiuæ inexiſtentis, & alterius neceſſariæ, ſequatur concluſio non neceſſaria in ſecunda figura, attulit Ariſt. probationem in ijs terminis, *album, homo animal*; ex quibus deducitur ꝙ nullum album eſt homo; ſed non neceſſario: in quo exemplo animaduertit, quòd licet, dum nullum album eſt animal, ſit neceſſarium, vt etiam nullum album ſit homo; attamen ſimpliciter id non eſt neceſſarium, quum cõtingat & animal, & hominem eſſe album.

De ſyllogiſmis ex miſtione propoſitionis inexiſtentis, cum altera neceſſaria in tertia figura.

IN tertia autem figura, ſi vtraq; propoſitio fuerit vniuerſalis & affirmatiua, ſequetur cõcluſio neceſsaria, quod patebit ex conuerſione propoſitionis inexiſtentis: ita.n. euadet tertius modus primę figuræ ex maiori neceſsaria vniuerſali, & minori inexiſtente particulari, ex quibus oſtenſum eſt ſequi concluſionem neceſsariam.

Si autem exiſtente vtraq; propoſitione vniuerſali, altera ſit negatiua, & hæc ſit neceſsaria, regula erit, vt ſequatur concluſio neceſsaria, quæ patebit conuerſione propoſitionis neceſsariæ in ſe ipſam: ita enim euadet modus quartus primæ figurę, in quo per ante probata ex maiori neceſsaria, & minori inexiſtente deducitur cõcluſio neceſsaria.

Si autem fuerit negatiua inexiſtens & neceſsaria affirmatiua, ſequetur concluſio non neceſsaria, quæ patebit ex conuerſione negatiuæ inexiſtẽtis: ita enim euadet modus quartus primæ figuræ ex maiori inexiſtente, & minori neceſsaria, ex quibus oſtenſum eſt antea ſequi concluſionem nõ neceſsariam: quod etiam ꝓbari poteſt per deductionem ad impoſſibile, & etiam in ijs terminis, animal dormire, homo.

Nullus homo dormit
Omnis homo neceſſario eſt animal.
Aliqđ animal dormit non neceſſario.

Si autem fuerit altera propoſitio vniuerſalis, & altera particularis, & vtraq; affirmatiua, exiſtente neceſsaria vniuerſali, ſequetur concluſio neceſsaria, quæ patebit ex cõuerſione particularis inexiſtentis, vt euadat modus tertiæ figuræ ex maiori neceſsaria, & minori inexiſtente, ex quibus oſtenſum eſt ſequi concluſionem neceſsariam.

Si autem neceſſaria fuerit particularis, ſequetur concluſio non neceſsaria, & patebit ex conuerſione particularis neceſſariæ, vt ita euadat tertius modus primæ figuræ ex maiori inexiſtente, & minori neceſſaria, ex quibus oſtẽſum eſt ſequi concluſionem non neceſsariam: quod etiam in ijs terminis, vigilare, bipes animal, manifeſtari poteſt.

Omne animal vigilat,
Aliquod animal neceſſario eſt bipes.
Aliquod bipes vigilat non neceſſario.

Si autem altera fuerit negatiua, vbi vna ſit particularis, ſi erit neceſsaria vniuerſalis & negatiua, ſequetur cõcluſio neceſsaria; quæ patebit ex conuerſione vniuerſalis neceſsariæ, vt ita euadat quartus modus primæ figuræ ex maiori neceſsaria negatiua, & minori inexiſtente, ex quibus oſtenſum eſt ſequi concluſionem neceſſariam.

In omnibus autem alijs compli-

cationibus, quæ possint astrui in tertia figura ex vna particulari propositione, & altera vniuersali, si necessaria fuerit particularis, vel affirmatiua, vel negatiua, sequetur conclusio non necessaria, & modus id probandi idem erit, qui adductus est antea.

Ex dictis autem manifestũ est, ꝙ syllogismus inexistẽdi non potest esse, nisi ambæ propositiones fuerint inexistẽtes: necessarij aũt esse potest, vna tm̃ propositione existente necessaria. In vtroq; autem genere syllogismorum, tum necessariorum, tum inexistentiũ, siue sint affirmatiui, siue negatiui, necesse est alteram propositionẽ similem esse conclusioni; vt, si sit conclusio inexistẽs, erit & altera conclusio inexistens; si conclusio necessaria, erit etiam altera propositio necessaria. Ex quo concluditur, ꝙ non potest esse conclusio necessaria, aut inexistens, nisi accepta fuerit propositio necessaria, aut inexistens.

Adnotationes.

P*Lanum itaq;, quod inexistendi syllogismus non est.* Habet hoc loco Aristoteles, ꝙ non erit syllogismus inexistendi, nisi ambæ propositiones fuerint inexistẽtes: At si fuerit altera tantum propositio necessaria, potest sequi conclusio necessaria. Quod quidẽ enunciatum, quo ad postremam partem est concors cum præcedentibus, in quibus ostensum est, & in prima, & in secũda figura, & in tertia, nonnullis in complicationibus ex vna necessaria, & altera inexistente deduci conclusionem necessariam. Quo autẽ ad eius primam partem exurgit magna difficultas, quo modo sit verum dictũ Aristotelis, ꝙ nõ sequatur conclusio inexistendi, nisi ambæ propositiones fuerint inexistẽtes: Siquidem multæ complicationes in prædictis figuris sunt adductæ, in quibus ex vna propositione inexistente, & altera necessaria colligebatur conclusio non necessaria, quæ certe inexistentiam continebat non necessariam. Huic difficultati occurrens Alexander, cum quo etiam sentit Io. Grammaticus, inquit, id dictum fuisse ab Aristotele ob complicationes tertiæ figuræ constituras ex vtraq; propositione affirmatiua, & vniuersali; quoniam in ijs ostensum est, sequi semper conclusionem necessariã, & non inexistentem. Verum hæc respõsio, (quamuis a præcipuis Philosophis emanarit) nullo pacto admittenda videtur: quandoquidem in multis etiam complicationibus primæ figuræ ostensum est, sequi cõclusionem nõ necessariã, vbi fuerit altera inexistens, & altera necessaria: quin, quoties fuerint ambæ affirmatiuæ, & necessaria ꝓpositio sit particularis, deductum est conclusionem semper sequi non necessariam. Vnde manifeste falsum conuincitur id, qđ attulit Alexander pro solutione propositæ difficultatis; in qua quidem ita adlaborat, vt hinc facile dignosci possit, quòd in ea enodanda minime sibi satisfecerit. Ab hac igitur difficultate ita euadere nos posse cẽsemus, si dixerimus, propositionem inexistentem verificari posse (prout antea cõstitutũ est) & de ijs, quæ necessario inexistunt, & de ijs, quę necessario non inexistunt. Idcirco, quum ex altera inexistente, & ex altera necessaria fit cõplicatio, in qua sequatur cõclusio non necessaria, sicuti contingit in plurimis complicationibus tum primæ, tum secundæ, tum tertiæ figuræ; hinc dici põt ꝙ non sequatur cõclusio inexistens, ꝓpterea ꝙ conclusio non necessaria sequens non est absolute inexistens, sed ad inexistẽtiam non necessariam limitata, vt idcirco nõ iniuria hoc loco illatum sit ab Aristotele, ꝙ nisi fuerint ambæ propositiones inexistentes, syllogismus inexistendi minime habeatur, nempe iuxta propositionem inexistendi in genere acceptam.

Dubit.

impug.

Solut.

Alexan.

Io. Grã.

In vtrisq; autem. Colligit Aristoteles hãc regulam generalem circa syllogismos tam necessarios, q̃ illos, qui dicuntur inexistendi, ꝙ cõclusioni erit semper similis altera propositio; vt si cõclusio sit inexistens; debeat eẽ altera ꝓpositio inexistẽs, si necessaria cõclusio, altera ꝓpositio erit necessaria.

Dictum est quasi sufficienter. Ita dictum est ab Aristotele: quoniã intra agetur quomodo consequantur conclusiones, tum si commistio fiat propositionis inexistentis cũ altera contingenti; tum si commisceatur propositio necessaria cum altera contingenti.

De contingenti.

CVm in triplex genus propositiones distinguuntur, in eas, quæ simpliciter aliquid inexistere, aut non inexistere significant, in eas, quæ sunt necessariæ; & in eas, quę cõtingentes appellãtur, & cum ex ijs omnibus tum seorsum, tum inuicem admistis astrui syllogismi possunt: Idcirco, cum de propositionibus inexistẽtibus, & necessarijs, & de syllogismis

iti

itidem ex huiusmodi propositionibus conflatis, tum seorsum, tum inuicem permistis iuxta figuras, & modos omnes syllogisticos per actum sit, reliquum est iam de cõtingentibus sermonem instituere, vt ita perfecta conficiendi syllogismos Methodus tradatur.

In primis autem explicandum est, quid sit contingens, illud nempe, quo neque necessario aliquid inesse, neq; simpliciter inesse significatur, quod quidem hunc in modum describitur. Contingens est illud, quod cum nõ sit necessariũ, si ponatur inexistere, nihil sequitur impossibile. Et sane ꝙ cõtingens ita se habeat, ex his facile dignosci poterit. Nã (vti patefactũ est in lib. Perih.) hę ꝓpositiones, ***non contingit esse, impossibile esse,*** & ***necesse non esse***, aut sunt eędem, aut inuicem sese consequuntur: Vnde, harum quoq; oppositæ, aut erunt eędem, aut inuicẽ se se consequentur; hę nẽpe, ***contingit esse, non impossibile esse, non necesse non esse***; ex quibus ita se habentibus perspicue deducitur, ꝙ contingens nõ est necessarium; & si ponatur inesse, licet non existat actu, nil tamen impossibile ex huiusmodi suppositione consequitur.

It. Perih. sect. 4.

Adnotationes.

QVando, & quomodo, & per quæ. Circa cõtingens est explicandum, *quando* fiat syllogismus, qm̃ non in omni figura ex ꝓpositionibus contingentibus astruitur; & *quomodo*, quoniam ex huiusmodi propositionibus varij modi syllogistici exurgunt. Et *per quæ*: nempe, ex qualibus propositionibus contingentibus affirmatiuis, negatiuis, vniuersalibus, & particularibus syllogismi construi possint.

Quo non existente necessario Ex hac dictione posita in definitione contingentis, tollitur tum ꝙ contingens non sit necessariũ, tum ꝙ non inexistat actu. Quod vero subiũctum est, *si ponatur inesse, nil ex hoc sequi impossibile*; id quidem patefacit Aristoteles ex enunciationibus oppositis, tum huic, *impossibile esse*, tum huic *necesse non esse*; & sunt hę *non impossibile esse*, & *non necesse non esse*; cum quibus conuenit hæc alia propositio, *contingens esse*: vnde deducitur, ꝙ id, ꝙ est cõtingens, nõ erit necessarium; & si ponatur inesse, nil hinc sequitur impossibile. Et probatio quidem est manifestissima, pendens ex vi contradictionis; Siquidem, cum de quocunq; vera sit affirmatio, aut eius opposita negatio, hinc sequitur opus esse, vt illud, qđ contingit esse, sit aut necessarium, aut non necessariũ; & similiter, aut impossibile, aut non impossibile. Vnde cum dici nequeat, ꝙ cõtingens sit necessarium, aut impossibile, cõuincitur ergo ex regula contradictionis, quòd contingens erit non necessarium, & nõ impossibile pro ut in eius descriptione expositum est.

De diuisione propositionum contingentium, & earum mutua conuersione.

ANtequam autem accedatur ad syllogismos explicandos, qui construi possunt ex propositionibus cõtingẽtibus, prius docendum est, quomodo propositiones contingentis, pro ut cõtingẽs pertinet ad possibile, omni seclusa necessitate inuicẽ conuertantur; non quidem contradictoriæ; quales sunt, ***contingens esse, non contingens esse***; sed illę, quæ inuicem opponuntur secũdum affirmatiuam figurã, quales sunt, ***contingit esse, contingit non esse, contingit omne esse, contingit nullum esse***, vel ***contingit aliquod non esse***: adeo quòd si verum est dicere, quòd contingit omne B, esse A, erit etiam verum dicere, quòd contingit nullum B, esse A, & è conuerso, si contingit nullum B, esse A, etiã contingit omne B, esse A. Et id quidem debet esse perspicuum ex hoc, quoniã contingens non est necessarium. Atqui, quod nõ est necessarium, id contingit nõ esse:

esse: quare, cum contingens non sit necessarium, contingit igitur non esse. Idcirco, quod contingit esse, contingit etiam non esse. Vnde omnes hæ propositiones, *contingit nullum esse*, *contingit omne esse*, erunt affirmatiuæ. Nam in huiusmodi modalibus ꝓpositionibus, ipse modus *contingens*, eandem rationem in enunciando verũ aut falsum obtinet, quam etiam habet ipsum verbum *est* in propositionibus carentibus modo: ex quibus illæ omnes sensum affirmatiuum habent, in quibus particula negatiua adest non adiuncta ipsi verbo est; veluti est hæc; *homo est non iustus*, vnde & hæc propositio, *contingit nullum hominem esse iustum*, affirmatiuum significatum reddet.

Ad hęc, illud etiam debet esse perspicuum, quòd contingens duobus modis accipi potest; tũ illud, quod in plurimis fieri cõsueuit, & nõ est necessarium (vt contingit hominem canos edere, vel augeri, vel minui, vel qđ absolute aptum est inesse, non habens necessitatem continue adnexam, cum non sit semper illud, cui aliquid contingat; sicuti non semper est homo, cui cõtingit canities; sed ipso existente, aut ex necessitate, aut in plurimis illi inerit huiusmodi accidens:) tum illud, quod est indeterminatum, quod & ita, & non ita potest esse; vt animal ambulare, vel ambulante Socrate fieri terremotum; omninoque illud, quod a fortuna prouenit, quod non magis ita, quàm contrario modo potest euenire. Vnde etiã diuersa est ratio conuersionis in vno, & in alio genere horum cõtingentium. Nam illud contingens, quod in plurimis fieri contingit, habebit oppositam hanc propositionem, *non necesse esse*; adeo quòd de eo, quòd in pluri mis contingit esse, verum est dicere, quòd etiam contingit non esse, quatenus non est necessariũ vt sit. Indeterminatum vero cõtingens, habet oppositam propositionem, cum qua conuertitur, æque indeterminatum; adeo qđ si contingit animal ambulare, æque cõtingit etiam nõ ambulare. Verum non ignorandum est, scientiam, syllogismumque demonstratiuum nõ versari circa contingentia indeterminata, eo quòd de huiusmodi non est habere medium nisi indeterminatum; contingentium autem, quæ sunt apta esse, est syllogismus demonstratiuus, & termo de huiusmodi contingentibus sunt sermones, & considerationes. De alijs quidem contingit fieri syllogismum, non autem de ijs inquiritur, quasi de ipsis accipi scientia possit: sed de his exactius infra agetur.

Adnotationes.

A *Ccidit autem omnes, quæ secundum contingens.* Ait, propositiones contingentis inter se cõuerti hunc in modum: nempe ꝓpositio dicens, *contingit omne B. A.* cõuertitur in hanc aliam, *conting. Nullum B, A.* & vtraq; est vera. Vnde huiusmodi cõuersio est alia a conuersione propositionum facta in terminis; veluti est dicere. si verum est quòd nullum B est A, etiam verum est, ꝙ nullum A, est B, prout antea circa propositiones necessarias & inexistentes constitutum est. In propositionibus autem contingentibus, quomodo se habeat in terminis

conuersio, non dum explicatum est, sed infra discutietur.

Vel omnino, quod aptum est a natura esse. In genere accipitur cōtingens, pro ut natura est fieri circa res, de quo ait Arist. quòd nō est necessarium, dum in proprio significato, & non æquiuoce accipiatur: & assignat hanc rationem, qm̄ nō est semper illud, cui contingit accidēs inesse, vt puta, contingit homini canos edere: adeo ut quiq; singularis homo non semper adest, cum deficiant, & intereant indiuidua: existente autem, & perseuerante in vita hoc, vel illo singulari homine, inquit Aristo. ꝙ aut necessario illi inerit accidens, veluti augeri, aut canos edere, aut in plurimis ita eueniet. Ita autē intelligendum est ex necessitate esse, ut edat homo canos, si perseuerauerit in vita, non autem est absolute necessarium ex necessitate, qua homo est semper animal, cum pręsertim neq; in senectute omnis homo canos semper edat: sed in plurimis q̄dem ita succedit, & ex ordine naturę humanæ ita euenirē deberet, quasi ex necessitate quadam naturali.

Eo quod indeterminatum est medium. Ait de eo contingens, quòd non magis sic quàm oppositio modo potest euenire, non haberi syllogismum demonstratiuum, neq; sciētiam, ob id, quoniam in huiusmodi medium est indeterminatum; scientia autem mediū, & causam determinatam postulat, vt patebit ex Post. Analyt. ex definitione scientię.

Et fere rationes & considerationes fiunt de sic contingentibus. Nempe de ijs, quæ vt in pluri mis eueniunt, grecæ legiturc λογοὶ vox, quę pro oratione, seu sermone verti potest, & non solum pro ratione, vt hoc habeatur, de huiusmodi cōtingētibus haberi sermones, seu rationes & considerationes. Ait autem *fere*, quoniam sunt etiam sciētiæ de rebus semper existentibus. Aut addita est particula *fere*, propter contingentia indeterminata, de quibus apud nōnullos possunt etiā esse sermocinationes. Vnde subiunxit Aristoteles, quod de huiusmodi cōtingentibus indeterminatis nil prohibet fieri syllogismos, licet non sit consuetum apud homines de huiusmodi habere perscrutationem.

Alexan. *Hac igitur magis determinabuntur in sequentibus.* Nempe, (vt explicat Alexander) quòd conuersio propositionis contingentis affirmatiuæ fiat in negatiuam, & è conuerso huius in affirmatiuam. Item, quòd contingēs indeterminatum sit inutile ad pręsentem inquisitionem addamus, vt de ipso scientia habeatur; de qua re maxime patebit in Post. Analyt. in tractatu scientiæ demonstratiuę.

De syllogismis propositionum contingentium in prima figura.

IAm vero ad syllogismos ex ꝓpositionibus cōtingentibus cōflandos accedentes, illud in primis nosse debemus, dictū de omni, penes contingens, duobus modis accipi posse, aut ita, vt quidpiam contingat vni omni, quod etiam contingit alio omni; veluti A, cōtingit omni B, quod etiam contingit inesse omni C. Aut ita, vt quidpiam contingat vni omni, quod inest alio omni. Veluti A, cōtingit inesse omni B, quod inest omni C. Hinc statuendum, ꝙ vtrouis modo accipiatur. dictum de omni, si vtraq; propositio fuerit affirmatiua, & vniuersalis, semper astruetur syllogismus habēs conclusionem affirmatiuā vniuersalem cōtingentē hunc in modū.

Contingit omne B, A,
Contingit omne C, B, aut oē C, est B.
Ergo. Cōtingit oē C, esse A, & patet ex dicto de omni.

Si autem maior fuerit negatiua vniuersalis, & minor affirmatiua vniuersalis, sequetur cōclusio vniuersalis negatiua contingēs, & patet sequela ex dicto de nullo.

Contingit nullum B, A,
Contingit omne C, B, aut oē C, est B.
Ergo. Contingit nullū C, esse A.

Si autem fuerit minor vniuersalis negatiua, aut ambæ propositiones sint negatiuæ, ex acceptis non erit syllogismus, nisi minor negatiua contingens conuertatur in affirmatiuam cōtingentem, vt pōt conuerti, quod patet ex pręcedentibus. Vnde huiusmodi complicationes, in quibus propositio minor contingens sit negatiua, cadunt a perfectione syllogistica, vt quæ egeant prædicta conuersione ꝓpositionum ad hoc, vt sequelę necessitas appareat. Et hoc eueniet, vel si maior fuerit negatiua, vel si fuerit affimatiua.

Si autem ex propositionibus vna fuerit particularis, dummodo maior sit vniuersalis, semper erit syllogismus contingentis, & per

perfectus in omnibus complicationibus; illa excepta, in qua minor propositio sit particularis negatiua. Ad hoc enim, vt in huiusmodi cõplicatione appareat necessitas conclusionis, oportet cõuertere propositionem negatiuã in affirmatiuam; vt fieri potest, & sic apparebit sequela.

Si autem maior propositio fuerit particularis, in quacunq; complicatione, sicuti etiã si ambæ sint particulares, vel ambæ indefinitæ, nullus habebitur syllogismus, pro ut duplici ostensione potest fieri manifestum. Primo, quoniã, vbi sit particularis ipsa maior ꝓpositio, veluti, ***contingit aliquod B, esse A,*** potest euenire vt B, superet A, ita vt A, ad æqualitatẽ ipsius B, non se habeat, neq; prędicetur de illis omnibus, de quibus B, prædicetur. Propterea ponatur, ꝙ illud, in quo B, excedit A, sit C. Hoc ita stante, inferendũ est, quòd A, de nullo C, dicitur, neq; de omni C, neq; de aliquo C, neq; de omni C, vt ita quicunq; syllogismus excludatur, in quo A, possit concludi de C. Patet autem huiusmodi deductio. Nam, quum propositiones cõtingentes conuertantur inuicem, sicuti constitutum est antea; idcirco, si contingeret A, nulli inesse C, etiam contingeret A, inesse omni C. Itẽ si contingeret A, non inesse omni C, etiam cõtingeret A, inesse alicui C. At suppositum est, quòd A, nulli insit C. Idcirco concludendum est, ꝙ existente maiori particulari contingenti in prima figura, nullus omnino haberi põt syllogismus. Quod etiam alio pacto ostendi potest in terminis nõtis, in quibus, & de omni deducitur in ijs, animal, album, homo.

Contingit aliquod album animal,
Contingit omnem hominem esse albũ,
Necessario omnis homo est animal.

Et de nullo in ijs alijs album, animal, indumentum.

Contingit aliquod album animal,
Contingit oẽ indumentum esse albũ,
Nullum cõtingit indumentũ esse aĩal.

Ex ijs perspicuum esse debet, ꝙ existente maiori propositione particulari contingente, nullus haberi potest syllogismus in prima figura. Siquidem omnis syllogismus, aut est de necessario, aut de inexistente, aut de contingenti: non.n.alterius generis possunt esse propositiones, ex quibus astruatur syllogismus. Verum neq; de necessario, neq; de inexistẽte syllogismo esse potest, quem in terminis notis sequatur, & de omni, quod tollit nullũ, & de nullo, quod tollit omne. Neq; etiam cõtingentis colligi potest syllogismus, aut affirmatiuus, aut negatiuus; quum in terminis notis sit deductum, & omni necessario inesse, & nulli etiam contingere: cõtingens autem non est necessarium. Quare patet suppositum esse verum, ꝙ syllogismus nullus colligi potest in prima figura, ex propositionibus contingentibus, vbi maior propositio particularis sit assumpta.

De syllogismis ex vna propositione contingenti, & altera inexistente in prima figura.

SI autem misceantur inuicem propositio cõtingens, & inexistens, haberi etiam possunt syllogismi in prima figura, & huius mistionis erunt hæ regulæ. Si ambæ fuerint vniuersales & affirmatiuæ, existẽte maiori contingente, & minori inexistente, sequetur

conclusio contingens vniuersalis affirmatiua, quæ patebit ex dicto de omni.

Contingit omne B A.
Omne C B.
Contingit omne C A.

Si autem fuerit negatiua cōtingens, sequetur conclusio negatiua contingens, quæ patebit ex dicto de nullo.

Contingit nullum B A.
Omne C B.
Contingit nullum C A,

Si autem propositio maior fuerit inexistēs; & minor cōtingens, semper syllogismi prouenient imperfecti, vt qui per deductionem ad impossibile sint approbandi; Erit autem in ipsis hoc discrimē, ꝙ, si fuerit maior inexistens affirmatiua, ducetur cōclusio contingens secundum definitionem assignatam contingentis.

Si autem maior inexistens fuerit negatiua, ducetur pariter conclusio contingens, sed non secundum assignatam definitionē contingētis, sed alio modo se habēs. Vnde, qm̄ ad comprobandum huiusmodi syllogismos ratio ducēs ad impossibile est adhibenda, in qua hæc cadet suppositio, ꝙ, si qđ cōtingit, & possibile est esse, constituatur actu esse, licet reuera nō sit actu, nihil ꝓpterea ex huiusmodi suppositione sequet̃ impossibile; idcirco hæc suppositio prius est explicanda, & confirmanda hunc in modum in elementis litterarum, vt speculatio generalis habeatur.

Supponatur igitur, ꝙ existente A, necesse est quoque esse B. Ex quo deducitur dicendum esse, ꝙ existente A, possibili, necesse est quoq; vt B, sit possibile: Alioquin dicendum, quòd sit impossibile. Atqui, si A, est possibile, vt suppositum est, vtiq; cum sit possibile, etiam actu fieret. Ete cōtra si B, est impossibile, vtiq; nō fieret. Vnde sequitur, quòd quoniam A, est possibile esse, & B, est impossibile esse, cōtingeret A, fieri sine B, & esse sine B; siquidem si fieret A, cū esset factum, iam vtiq; esset. At id aduersatur præhabitæ suppositioni, in qua dicebatur, ꝙ existente A, etiam B, esset. Idcirco, ad euitandum inconueniēs deductum, cōstituendū est, quòd si A, est possibile, B quoque erit possibile. Hinc sequitur, etiam cōstituendū esse, quòd si ponatur cōtingēs in actu, etiam quòd sit falsum dicere, quòd sit actu illud, quod non est actu; attamen neq; dicendum, quòd hoc sit impossibile, quū possit esse, & ex possibili non sequatur impossibile. Verum in hac ꝑscrutatione accipiēdum est possibile, & impossibile, non solum vt est in generatione, de quo nūc est sermo, quod quidem nō est actu, sed generari, fieriq; potest; verū etiam pro eo, quod significat verū, quod possibile est, & aliquo pacto actu est, vt nunc existens; & etiam pro eo, quod simpliciter existit; & pro alio quocunq; modo possibile dicatur; nam in omnibus significatis prædicta regula similiter se habebit.

Aduertendum etiam non inferendum, quòd ex vna tantum propositione ducatur syllogismus, eo quòd dictū sit, quod existente A, possibili, debeat etiam B esse possibile: duæ.n. propositiones ad syllogismum conficiendum requirūtur: sed ex suppositione deductū est id, quod intendebatur.

His igitur hunc in modū constitutis, dicimus, quòd si fuerit maior propositio inexistens, & minor contingens, vtraq; existente affir-

affirmatiua, ducetur semper conclusio affirmatiua contingés, iuxta assignatam contingentis definitionem hunc in modum.

Omne B A.
Contingit omne C B.
Contingit omne C A.

Et probatur huius sequelæ necessitas hac ratione ducente ad impossibile.

Si enim dicatur non sequi prædictam conclusionem, Contingit omne C, esse A, sequetur igitur eius opposita, non contingit omne C, esse A. At hæc æquiualet huic, necessario non omne C, A. Sumatur itaq; hæc propositio, & cum ea hæc alia præcepta, contingit omne C, B, quæ ponatur in actu, & dicatur, quòd omne C, est B, quod, licet falsum sit, non est tamen impossibile, pro ut antea constitutum est. Ex ijs igitur in tertia figura, ex maiori necessaria, & minori inexistente sequitur conclusio necessaria, ꝙ non omne B, est A, hunc in modnm.

Necessario aliquod C, non est A.
Omne C, B.
Necessario non oẽ B, A.

Atqui hæc conclusio, necessario non omne B, A, est contra suppositionem factam, quòd omne B, esset A. Est autem impossibile quòd omne B, sit A, & quòd necessario non omne B, sit A. Istud aũt impossibile sequitur ex propositionibus præmissi syllogismi; at non ex illa, quòd omne C, sit B. Nã etsi sit falsum, quòd C, sit actu B, non est tamen impossibile, quum possit esse; & ad possibile non sequi impossibile iam antea constitutum est. Sequetur igitur prædictum impossibile ex illa alia propositione, necessario aliquod C, non A, quare erit vera eius opposita, quòd contingit omne C, esse A. Vnde probatum erit, ex maiori inexistẽte affirmatiua vniuersali, & minori contingente affirmatiua vniuersali deduci conclusionem affirmatiuam contingentem vniuersalem.

Hoc etiam probari potest syllogismo primæ figuræ, si minor contingens supponatur existens, & maior, quæ erat inexistẽs, constituatur contingens: quod quidẽ non inconuenit. Siquidem, si verum est, quòd B, est A, verum est etiam dicere, quòd contingit B, esse A, vnde ita astruetur syllogismus in prima figura.

Contingit omne B, esse A.
omne C, est B.
Ergo. Contingit omne C, esse A.

Et patet sequelæ necessitas ex dicto de omni ipsius contingentis, prout deductum est antea.

Verum aduertendum est, vt sumatur propositio inexistens, simpliciter, prout secũdum huius generis propositiones fiunt syllogismi, & non determinata ad tempus, vt puta ad nunc. Nam si supponatur, ꝙ illud, quòd nunc mouetur, sit homo, fiet hunc in modum syllogismus de nullo.

Omne motum est homo,
Contingit omnem equum moueri,
Nullum contingit equum esse hominẽ.

Et rursus, si quòd nunc mouetur, sit homo; fiet etiam syllogismus de omni.

Omne motum est animal,
Contingit omnem hominem moueri,
Ergo. Necessario omnis homo animal.

Ac propterea propositiones inexistentes sunt accipiẽdę simpliciter, & non determinatæ ad tempus.

Si autem fuerit maior inexistẽs negatiua, & minor affirmatiua cõtingens, existente vtraq; vniuersali, semper ducetur cõclusio vniuersalis negatiua ipsius contingẽtis non inesse, vt non sit secundũ

definitionem aſſignatam contingentis hunc in modum.

Nullum B A.
Contingit omne C B.
Contingit nullum C A.

Huius ſequelæ neceſſitas probatur per deductionem ad impoſſibile. Videlicet; ſi non ſequitur prædicta concluſio, ſequetur eius oppoſita, non contingit omne C, eſſe A, quæ æquiualet huic, neceſſario omne C, A; ex qua cum alia minori propoſitione contingenti reducta ad actũ fiet ſyllogiſmus in tertia figura habens (vt patet ex præcedentibus) concluſionem neceſſariam, quæ eſt impoſſibilis; nempe, quòd aliquod B, neceſſario ſit A, hunc in modum.

Omne C neceſſario eſt A.
Omne C eſt B.
Aliquod B neceſſario A.

Suppoſitum eſt autem, ꝙ nullũ B, eſſet A. Vnde ſtatuendum, ꝙ in prędicta cõplicatione, vbi maior ſit negatiua inexiſtens, & minor cõtingens affirmatiua, ſequitur concluſio contingens non ſecũdum aſſignatam definitionem contingentis. Quod patet; quoniam prædicta concluſio, contingit nullum C, A, accipitur vt oppoſita propoſitioni neceſſariæ: adeo ꝙ concluſio, contingit nullũ C, A, ita eſt intelligenda, ꝙ C, neq; neceſſario eſt A, neq; etiam neceſsario nõ eſt A, vt propterea non ſit dicenda concluſio contingẽtis, quod verti poteſt ad vtrũlibet, & ex negatiua cõuerti in affirmatiuam, pro ut ſtatutũ eſt in definitione aſſignata, cõtingẽtis; ſed eſt limitata ad oppoſitionem, propoſitionis necesſariæ; vti deductum eſt.

Sed & in terminis notis oſtendi poteſt, quòd prædicta concluſio non eſt contingentis ſecundũ aſſignatam definitionem; ſed erit modo necesſaria in ijs terminis; coruus, diſcurrens, homo.

Nullus coruus eſt diſcurrens.
Contingit oẽm hominem diſcurrere.
Nullus homo neceſſario coruus.

Et in ijs alijs non necesſaria motus ſcientia homo.

Nullus motus ſcientia.
Contingit omnem hoĩem eſſe ſcientẽ.
Nullus homo mouetur.

Si autem fuerit minor cõtingens negatiua, exiſtente maiori inexiſtente, vel affirmatiua, vel negatiua, ex acceptis nõ erit ſyllogiſmus, ſed mutata propoſitione contingenti negatiua in affirmatiuam, exiſtente vtraq; propoſitione vniuerſali, ſequetur concluſio contingentis, prout in ſuperioribus deductum eſt.

Si autem minor inexiſtens fuerit negatiua, nõ erit ſyllogiſmus: nam in ijs terminis, album animal nix, ſequitur ex neceſſitate omni ineſse.

Contingit omne animal album,
Nulla nix eſt animal,
Neceſſario omnis nix eſt album.

Et ex ijs alijs, album animal pix, quòd nulli contingit.

Contingit omne animal album,
Nulla pix eſt animal,
Nullam contingit picem eſſe album.

Si autem fuerit altera propoſitio vniuerſalis, & altera particularis, ſequetur concluſio particularis, conformis cõcluſioni ductæ ex vtraq; vniuerſali: aut nõ ſequetur concluſio; pro ut neq; in complicationibus, ex vtraq, vniuerſali ſequitur. Numquam autem haberi poteſt ſyllogiſmus, quando maior propoſitio particularis ſit accepta: Nam in ijs terminis, animal, album, homo, ſequetur concluſio necesſaria.

Aliquod album animal
Contingit omnem hominem eſſe albũ
Neceſſario omnis homo animal.

Et in ijs alijs, animal, album indumentum, ſequetur concluſionem

nem contingendi inesse opposita illi alteri necessariæ.

Aliquod album animal,
Contingit omne indumentũ esse albũ
Non contingit indumentum esse aïal.

Adnotationes.

P*Rimo autem dicendum est.* Hoc loco vult astruere Arist. quod, si quid est possibile fieri, non sit autem actu, si supponatur in actu, licet suppositio sit falsa, attamen ex hac sequi non posse impossibile. Quod enũciatum protulit etiam, & manifestauit in lib. 9. Met. in tractatu de potentia.

li. 9. Met. c. 3.

Verum oportet accipere. Aduertit, propositam regulam, quod ex falso possibili non sequatur impossibile, locum habere non solũ penes possibile, & impossibile acceptũ secundum generationẽ, prout aliquid, & fieri, & non fieri potest: sed etiam secundum quod dicitur aliquid possibile, quia verificatur in quocunq; tẽpore; Aut *verum* accipitur pro necessario, vt exponit: Io. Gram. item pro inexistere, quod potest accipi, vt necessario inest, aut vt simpliciter inest. Et cum subiungitur. *Et si quo alio modo potest accipi*, vt puta, possibile sumitur, pro ut in plurimis aliquid contingit; vel vt est indeterminatum, vt exponunt Alexãder & Io. Grãmaticus, posset etiam intelligi possibile falsum, vt eius oppositum non sit necessario verum: de quo actum est in lib. 5. Met. in tractatu de potentia & impotentia. Diodorus autẽ dicebat, illud solum esse possibile, quod omnino futurum erat. Philon vero asserebat illud etiam esse possibile, quod impediretur vt fieret, vt conspici ostream in profundo maris. At Aristoteles media incessit via, cõstituens illud esse possibile, quod potest deduci ad actum, etiam quod non perueniat ad actum (vnde tollitur opinio Diodori) nõ autem censuit possibile illud, quod nullo pacto ad actum perduci potest; vnde tollitur sententia Philonis.

Io. Grã. — Alexan. — Io. Grã. — li. 5. Met. — Diodor. — Philon.

Amplius, existente A, B, esse. Hoc loco animaduertit Arist. se non intelligere, quòd ex A, tanquã vnica propositione syllogismus colligatur, quum ad syllogismum conficiendum duæ requirantur propositiones. Verũ pro faciliori explicatione propositi dogmatis, suppositum est A, loco propositionum, & B, locò conclusionis.

Sumere vero oportet omni inesse non secundũ tempus. Animaduertit propositiones inexistentes accipiendas esse simpliciter, & non determinatas ad tempus; alioquin sequentur absurda: & ita fieri debere asserit, quoniam propositiones, & syllogismi secundum modũ hunc simpliciter inexistẽdi cõstruũtur.

Sed eius, quod est nulli ex necessitate inesse. Docet, ex maiori negatiua inexistente, & minori affirmatiua cõtingente sequi conclusionem contingentis non secundum definitionem assignatam contingentis, quod erat non necessarium, (vnde & conuertibiles erant inuicem affirmatiuæ & negatiuæ propositiones contingentes,) sed ad id limitatum, vt concludatur nulli contingere. Idq; probatum est tum ratione ducente ad impossibile, tum in terminis notis: adeo quod hæc conclusio, *contingit nullum C, esse A*; ita est intelligenda, quòd neq; omne C, necessario est A, neq; etiam necessario (non est A, vt supra explicatum est in Paraphrasi.

Accipiendi vero melius sunt termini. Quod habet hoc loco, istud est, quòd melius, sunt accipiendi termini, quàm positi sunt in cõtextu: quandoquidem ex ijs terminis, *scientia motus, homo*, non conficeretur apta propositionum complicatio, nisi sciẽtia ad sciẽtem resolueretur, & motus ad moueri, vt patere potest cuiq; respicienti ordinem syllogisticum ex prædictis terminis astruẽdũ.

De mistione propositionis contingentis, & altera necessaria in prima figura.

SI autem misceatur propositio necessaria cum altera contingente in prima figura, regulæ syllogismorum, tã in vniuersalibus complicationibus; quàm in illis, vbi altera propositio sit vniuersalis, & altera particularis, & tam in affirmatiuis, quàm in negatiuis syllogismis, eædem erunt, quæ antea sunt assignatæ, in mistione cõtingentium, & inexistentium propositionum.

Si fuerit maior propositio cõtingens, vel affirmatiua, vel negatiua; semper ducetur cõclusio cõtingens secundum assignatã definitionem contingentis, & syllogismus ex acceptis propositionibus perfectus apparebit.

Si autem fuerit maior necessaria & affirmatiua, sequetur conclusio contingens secundum definitionem assignatam contingentis, & manifestabitur sequela ratione ducẽte ad impossibile, prout factum est etiã in mistione contingentium & inexistentium propositionum.

Si autem maior necessaria fuerit negatiua, ducetur conclusio ipsius nõ inesse, seu contingentis

non inesse, nõ secundum assignatam definitionem contingentis: numquam autem sequetur cõclusio ipsius necessarij. Siquidẽ aliud est non ex necessitate inesse, & aliud ex necessitate non inesse. Quòd autem sequatur conclusio, qualis prædicta est, ita fiet manifestum. Sit.n. maior necessaria negatiua, & minor contingens affirmatiua, sequitur conclusio de nõ inesse hunc in modum.

Necessario nullum	B	A.
Contingit omne	C esse	B.
Ergo. Nullum.	C est	A.

Nam si non sequitur prædicta cõclusio, eius opposita sequetur, nempe aliquod C, est A, ex qua, & ex hac alia, necessario nullum B, A, conuersa in seipsam hic fiet syllogismus.

Necessario nullum	A	B.
Aliquod	C	A.
Ergo. Necessario aliquod C nõ est B.		

Attamen supponebatur, quòd contingeret omne C, esse B. Vnde, si hoc est impossibile, dicendum est igitur ex prædicta complicatione sequi illatam conclusionem, quòd nullum C, est A, cũ qua stabit conclusio contingens, quòd contingit nullum C, esse A, & est coutingentis non secundũ assignatam definitionem contingentis: prout conclusum est etiã antea in mistione contingentis & inexistentis. Hoc solum.n. est discrimen inter mistionem necessarij, & contingentis, & inter illam inexistentis & cõtingentis, quòd in hac, existẽte illa de inesse negatiua, dicebatur colligi conclusionem contingentis nõ secundũ eius assignatam definitionem. In mistioue autem necessarij & contingentis, existente maiore negatiua necessaria, dicitur deduci cõclusionem ipsius non inesse, & etiam contingendi non inesse, nõ secundum eius assignatam definitionem. In reliquis omnibus, eadem est regula conficiendi, aut non conficiendi syllogismos in vtraq; mistione.

Adnotationes.

A*Liud est.n. non ex necessitate inesse.* Id est perspicuum, q aliud est dicere, non ex necessitate inesse & aliud ex necessitate non inesse: quippe hæc propositio est necessaria: illa vero alia non est necessaria, cum in ea negetur necessarium; statuit aũt Arist. in mistione necessarij & contingentis numquam deduci conclusionem necessariam, sed eam, in qua negatur necessariũ.

Manifestum est autem, quòd & eius, quod est contingere non inesse. Habet, q si conclusio est ipsius non inesse, erit etiam contingendi non inesse, non tñ secundum assignatam definitionem contingentis. Siquidem, quod non inest, contingit non inesse. Deducitur aũt conclusio de non inesse, existente vniuersali negatiua necessaria, & probatur per rõnem ducẽtem ad impossibile, vt verum sit, concludi non inesse, non tamen necessario non inessẽ: sed aut non necesse omne, aut non necesse alicui, & similiter non contingit omni Quòd si quis instet ex aduerso, quũ conclusio prædicta de non inesse, non erit similis alicui ex propositionibus, ex quibus ducitur, quum vna supponatur necessaria, & altera contingens; & supra statutum est, cõclusionem alteri propositionum esse debere similem: dicẽdum, supponi q sequatur etiam contingens, licet non secundum assignatam definitionem contingentis, vnde erit conclusio similis aliquo modo alteri ex propositionibus assumptis. Regula autem hæc erit semper vera, quòd ex maiori negatiua necessaria, & minori contingenti, sequitur conclusio de non inesse: idq; ob vim necessariæ propositionis; quod nõ contingit in mistione contingentis & inexistentis.

Dubit.

Solut.

De vtraq; propositione contingenti in secunda figura.

IN ordine autem secundæ figuræ, si ambæ propositiones fuerint contingentes, nullus ex ijs colligi poterit syllogismus. Et id debet esse perspicuum; quoniam syllogismi secundæ figuræ sunt imperfecti, & vt ad perfectionem reducantur, indigent inter cætera conuersione propositionum facta in terminis: quæ conuersio in

propositionibus vniuersalibus cõtingẽtibus non subsistit, sicuti ex dicendis apparebit. Nam si dicatur, quòd hæc propositio, contingit nullum B, esse A, conuertitur, in hanc, contingit nullum A, esse B; idcirco, cũ propositiones contingentes (vt patet ex præcedentibus) inuicem & affirmatiuæ in negatiuas, & negatiuæ in affirmatiuas conuertãtur, & tam contrariæ, quàm illæ, quæ ijs sunt oppositæ, sequetur, & quòd contingit omne B, esse A, & etiam ꝙ contingit omne A, esse B; quod falsum est. Siquidem contingit omnem hominem esse album; non autem contingit omne album esse hominem; Item contingit nullum hominem esse album, non autem contingit nullum album esse hominem, cũ non contingenter, sed ex necessitate aliquod albũ non sit homo, sicuti nix ex necessitate non est homo. Igitur, cum non conuertantur propositiones contingentes negatiuę vniuersales in terminis, & huiusmodi conuersione propositionum opus sit ad astruendos syllogismos secundæ figuræ, hinc constituendum est, syllogismum in secũda figura nullum haberi posse ex vtraq; propositione contingenti. Neq; vero ad probandum oppositum, locus erit rationi ducenti ad impossibile, ꝙ vniuersalis negatiua contingens propositio in terminis conuertatur, vt, siquis ita ratiocinetur. Si hæc propositio contingit nullum B, esse A, non conuertitur in hãc, contingit nullum A, esse B, conuertetur igitur in eius oppositam, non contingit vllum A, esse B. Atqui hæc eadem est cum hac alia, necessario aliquod A, est B. At cum hæc conuertatur in hanc, necessario aliquod B, est A, ita fiet, vt stent simul, necessario aliquod B, est A, & contingit nullũ B, esse A, quòd est impossibile: ex quo dicendum videretur, ꝙ propositio, contingit nullum B esse A, conuertatur in hanc, contingit nullum A esse B. Verum destruitur hæc argumentatio eo ꝙ falsum est hoc suppositum, quòd hæc propositio, necessario aliqđ B, A, sit opposita huic, contingit nullum B, esse A. Siquidem huic, contingit nullum B, esse A, opponitur, tum hæc, necesse aliquod B, esse A, tum hęc, necesse nõ omne B, esse A, quemadmodum etiã huic aliæ, contingit omne B, esse A, opponitur, tum hęc necesse aliquod B, esse A, tum hæc, necesse non omne B, esse A: Idcirco dicẽdum, quòd huius contingit nullũ B, esse A, non est opposita hæc sola propositio, necesse aliquod B, esse A: sed etiã hæc alia, necesse non omne C, esse A. Vnde remanet firma deductio ante habita, quòd propositio vniuersalis negatiua contingens in terminis non conuertitur: & consequenter statuendum, nullum syllogismũ astrui posse in secunda figura ex vtraq; propositione contingenti, quando ad manifestandã necessitatem sequelæ syllogismorum in secunda figura opus est conuersione propositionum in terminis, quam subsistere non posse in propositionibus contingentibus ostensum est.

Neque vero probari potest ratione ducente ad impossibile, ꝙ syllogismus habeatur in secunda figura ex vtraq; propositione cõtingenti. Nam si contendatur, ꝙ ex his propositionibus, contingit nullũ B, A, contingit omni C, A,

ſequatur hæc concluſio, cõtingit nullũ C, eſſe B; quoniam ſi non hæc ſequeretur hęc alia, cõtingit omne C, eſſe B, dicimus, quod hinc nullum deducitur impoſſibile, quum contingere poſſit & omne C, eſſe B, & nullum C, eſſe B. Si autem ſyllogiſmus vllus haberi poſſet in ſecunda figura ex vtraq; propoſitione contingenti, certe non eſſet eiuſmodi, vt deduceretur in eo concluſio de ineſſe, ſed contingens. At contingẽs eſſe non poteſt, quoniam eſſet aut affirmatiuus, aut negatiuus ſyllogiſmus. At neuter haberi poteſt; non affirmatiuus, propterea, quòd probabitur in terminis, equus, hõ, album, non ineſse

Contingit omnem hominẽ eſſe albũ,
Contingit nullum equum eſſe album,
Ergo. Nullus equus eſt homo.

Et cum concluſio illata ſit neceſſaria, dicẽdum etiam non ſequi concluſionem negatiuã contingendi non ineſſe, quare abſolute nullus haberi põt ſyllogiſmus ex vtraq; propoſitione contingẽti in ſecunda figura.

Adnotationes.

P*Rimum igitur oſtendendum.* Aſtruit hoc loco Ariſt. non conuerti propoſitionẽ contingentem vniuerſalem in terminis, (quod antea ſe explicaturum ſuppoſuerat, dum. ſ. ageret de conuerſione propoſitionũ in terminis) dicens, particularem negatiuam contingentem cònuerti, non autem vniuerſalẽ, cum tñ oppoſito modo oſtenſum ſit ſupra euenire de propoſitionibus inexiſtentibus & neceſſarijs, vt vniuerſales negatiuæ conuertantur, particulares autem negatiuæ nõ conuertantur.

Nam, non contingere nulli dicitur dupliciter. Ait quòd hæc propoſitio, *non contingit nullũ B, eſſe A,* duplicem recipit ſignificationem, tum hanc, quòd alicui B, inſit ex neceſſitate A; tum hanc etiam quòd alicui B, nõ inſit ex neceſsitate A, ex quo ſequitur, vt ex vi ſignificationis, quod A, non inſit alicui B, ex neceſsitate, non ſit verum dicere, quòd contingit A, nulli ineſſe B. Siquidem ex neceſſitate alicui nõ inerit: quemadmodum etiã ſiquid ex neceſſitate alicui ineſt, non eſt verum dicere, quod omni contingat ineſſe. Propterea deductio ad impoſſibile, qua aliqs intenderet demonſtrare, quod propoſitio vniuerſalis negatiua contingens in terminis conuertatur, nulla afferri poteſt, quæ alicuius ſint ponderis. Veluti, ſiquis ita ſermocinetur. Hæc propoſitio, contingit nullum B, A, conuertitur in hanc, contingit nullũ A, ineſſe B, alioquin ſi hoc negetur conuertetur in hanc, non contingit omne A, eſſe B, quæ cum ęquiualeat huic alteri, neceſſe aliquod A, eſſe B, & hæc cõuertatur in hanc, neceſſe aliquod B, eſſe A; ideo ſequi inferat, quod hæc, neceſſe aliquod B eſſe A, ſtet cũ hac alia, contingit nullum B, eſſe A, quod videtur impoſſibile, & propterea hinc ſubdere velit, dicendum eſſe, quod propoſitio contingens vniuerſalis negatiua in terminis conuertatur. Verum ex aduerſo pugnat duplex illud ſignificatum, quod antea animaduertimus competere, propoſitioni, non contingit omne A, eſſe B, tum hoc, quòd alicui B, inſit ex neceſſitate A, tum hoc, quod alicui B, non inſit ex neceſſitate A, vt propterea dicendum ſit adamuſiem contradictionem dictæ propoſitionis non aſſumi ſecundum vtrumq; ſignificatum in argumentatione ante deducta; Vnde firmum permanet ſuppoſitum iam factum, quòd propoſitio vniuerſalis negatiua contingens in terminis non conuertitur.

Neutra propoſitio accepta fuit in eo, quòd eſt ineſſe. Ait, quod ſi ex vtraq; propoſitione contingenti fieret ſyllogiſmus in ſecunda figura, vtiq; eſſet contingentis, cum nulla propoſitio ſit accepta de ineſſe. Vnde, cum nullam mentionem habeat Ariſt propoſitionis neceſſariæ, ſed ſolũ illius de ineſſe, hinc colligitur, ſumi ab ipſo propoſitionem inexiſtentem, quatenus etiam competit neceſſariȩ, ſicuti in præcedentibus explicatum eſt.

Si affirmatiuus quidem ponatur. Habet, nullum colligi ſyllogiſmum in ſecunda figura ex vtraq; propoſitione contingenti: non affirmatiuum, quoniam in terminis notis oſtenditur ſequi negatiuum, vt in ijs.

Contingit omnem hominem eſſe albũ,
Contingit nullum equum eſſe album,
Ergo. Nullus equus eſt homo.

Sed neq; concluſio deducta eſt negatiua contingens, cum ſequatur ex neceſsitate, quòd nullus equus eſt homo.

De miſtione contingentis, & inexiſtentis in ſecunda figura.

SI autem accipiatur vna inexiſtens, & altera contingens in ſecunda figura, regula erit, quòd quotieſcunq; inexiſtẽs fuerit negatiua & vniuerſalis, ſemper ſequetur concluſio contingens, non tamen ſecundum definitionem aſſignatam contingẽtis. Et patebit huius ſequelæ neceſſitas, ſi conuertatur

uertatur inexiſtens negatiua in ſe ipſam: ita. n. euadet ſyllogiſmus in prima figura ex maiori inexiſtente negatiua, & minori contingente, ex quibus oſtēſum eſt antea ſequi concluſionem contingē tem non ſecundum definitionem aſſignatam contingentis, ſed alio modo.

Si autem fuerit vtraq; propoſitio negatiua, conuerſa propoſitione contingenti in affirmatiua, eadem prædicta ſyllogiſmi ratio colligetur.

Si autem propoſitio inexiſtens fuerit particularis, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, nullus erit ſyllogiſmus. Sequetur. n. & de omni in ijs terminis, ſanitas animal homo.

Cōtingit omnem hominem eſſe ſanū,
Aliquod animal non eſt ſanum,
Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs alijs, ſanitas homo equus.

Contingit omnem equum eſſe ſanum,
Aliquis homo non eſt ſanus,
Nullus equus eſt homo.

De miſtione contingentis, & neceſſarijs in ſecunda figura.

SI autem fuerit vna propoſitio neceſſaria, & altera cōtingēs, exiſtente neceſſaria vniuerſali, & negatiua, habebitur ſyllogiſmus concludens aliquid non ineſſe, & contingens non ineſſe: & patebit ſequela, ſi conuertatur propoſitio neceſſaria: fiet n. ſyllogiſmus in prima figura, in qua ex huiuſmodi propoſitionum complicatione prædicta concluſio colligitur.

Si autem neceſſaria non ſit vniuerſalis negatiua, nullus habebitur ſyllogiſmus, prout dictum eſt in præcedenti miſtione: nam per eoſdem terminos probabitur, & omni ineſſe, & nulli ineſſe.

De vtraq; propoſitione contingenti in tertia figura.

SI autem ambæ propoſitionis ſint contingentes in ordine tertiæ figuræ, ſemper ducetur cōcluſio contingens ſecundum definitionem contingentis, dummodo harum altera ſit vniuerſalis. Nam etiam ſi ambæ fuerint negatiuæ, altera ipſarum poteſt conuerti in affirmatiuā, ipſa vero contingēs affirmatiua, ſiue ſit vniuerſalis, ſiue particularis cōuertitur in particularem affirmatiuam in terminis; & particularis negatiua in particularis affirmatiuæ figuram conuertitur. Vnde ſemper haberi poterit concluſio cōtingentis, modo conuertendo contingentem vniuerſalem affirmatiuam, modo particularem in particularem affirmatiuā, vt ita fiat reductio ſyllogiſmi ad primam figuram.

Si autem fuerit propoſitio negatiua contingēs particularis, fiet etiam (hac conuerſa ad figuram affirmatiuam) ſyllogiſmus cōtingentis; & ita erit in omnibus complicationibus ſecūdum ordinem tertiæ figuræ, prout conſtitutum eſt etiam in prima figura.

Si autem vtraq; fuerit particularis, aut indefinita, nullus habebitur ſyllogiſmus; nam ſequetur, & de omni in ijs terminis animal, homo, album.

Contingit aliquod album eſſe animal,
Contingit album eſſe hominem,
Omnis homo animal.

Et de nullo in ijs alijs, equus homo, album.

Contingit aliquod album eſſe equum.
Contingit aliquod album eſſe hominē.
Nullus homo equus.

De miſtione contingentis & inexiſtentis in tertia figura.

SI autem fuerit altera propoſitio inexiſtens, & altera contingens

gens dũmodo non ſint ambæ par ticulares, aut indefinitæ, & dummodo non ſit minor inexiſtens negatiua, ſemper in tertia figura habebitur ſyllogiſmus ipſius contingentis ſecundum aſſignatam definitionem contingentis; excepto ſi fuerit vniuerſalis negatiua inexiſtens; tunc.n.ſequetur concluſio nõ ſecundum aſſignatam definitionem contingentis, prout ſtatutum eſt quoq; de huiuſmodi cõplicatione in prima figura, ad quam reducetur prędictus ſyllogiſmus, ſi conuertatur propoſitio negatiua.

Si autem maior fuerit particularis negatiua, probabitur ſequela, prout factum eſt in prima figura, ratione ducẽte ad impoſſibile.

De miſtione contingentis, & neceſſarij in tertia figura.

EAdem aſſignata regula erit in miſtione contingentis, & neceſſarij in tertia figura, vt ſolũ hoc interſit diſcrimen, qm̃ ſi fuerit maior neceſſaria vniuerſalis negatiua, ducetur cõcluſio ipſius non ineſſe, & cõtingentis non ineſſe extra definitionem contingentis, vt dictum eſt in præcedentibus; & probationum in omnibus eadem erit ratio, quæ addu cta eſt penes huiuſmodi propoſitionũ complicationes in prima figura, ad quam oẽs cõplicationes tam ſyllogiſticæ, q̃ aſyllogiſticæ tũ ſecundæ, tũ tertiæ figuræ reuocãtur, & ex eiſdem traditis in prima figura regulis ſtabiliuntur.

Omnis cuiuſuis generis ſyllogiſmos in aliqua triũ explicatarum figurarum contineri.

HActenus tres ſyllogiſmorũ figuræ explicatæ ſunt, quales ſint, & quot modis in earum ſingula ſyllogiſmi aſtruãtur. Nũc patefaciendum eſt, ſyllogiſmos omnes abſolui ſub aliqua forma trium dictarum figurarum. Cuius quidem oſtenſionis hoc erit exordium. Nam dicimus, neceſſarium eſſe, vt omnis demonſtratio, vel (vt magis generatim loquamur) omnis ſyllogiſmus aliquid exiſtere, aut non exiſtere demonſtret; idq; aut in vniuerſali, aut in parte; item vel oſtenſiue, vel ex ſuppoſitione, ad quam reducitur etiã ſyllogiſm⁹ ducẽs ad impoſſibile.

Ac primo, quidem de ſyllogiſmis oſtenſiuis eſt differendum: qm̃, cum de ipſis (quod propoſitũ eſt) patefactum erit, idem etiam de ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile apparebit, & de omni alio ſyllogiſmo, qui ex ſuppoſitione depẽdet; Itaq; hunc in modum ratiocinantes dicimus) ꝙ ſi oportet ſyllogiſmo deducere, (exempli gratia) quod A, ineſt ipſi B, vtique neceſſe eſt, aliquid de aliquo accipere; alioquin nõ colligetur ſyllogiſmo, ꝙ A, inſit ipſi B. At vero ſi ad ratiocinandum, quod A, inſit B, accipiatur, ꝙ A, ineſt ipſi B, ita erit acceptum id quod a principio; id eſt illud, qđ ſyllogiſmo cõcludendum ſupponebatur: erit.n.acceptum ſine ꝓbatione, ꝙ A, inſit ipſi B, qm̃ A, ineſt ipſi B; quod eſt vitium circa ſyllogiſmũ, petitio principij nuncupatum, de quo agitur in libro ſequenti. Si autem accipiatur A, dici de C, non autem C, de vllo alio dici, neq; quidpiam aliud de C, neq; de A, aliud, ex huiuſmodi propoſitionibus nullus profecto exurget ſyllogiſmus. Siquidẽ ex eo, quòd aliquid de alio accipiatur, nil hinc ꝓuenit ex neceſ-

ſitate; cum oporteat, & aliam cũ eodem termino ſimul complicari propoſitionem. Si igitur accipiatur A, de alio dici, vel aliud de A, vel aliud de C, nil ꝓhibet ex huiuſmodi acceptis propoſitionibus aliquem aſtrui ſyllogiſmum: veruntamen non eum, quo concludatur A, ineſſe, aut non ineſſe ipſi B. Verum non etiã habebitur ſyllogiſmus, quòd A, inſit ipſi B, ſi C, ineſt alteri, & hoc alteri, & hoc alio, & non complicentur termini ad ipſum B. Etenim conſtitutũ eſt antea, quòd nullus vmquam erit ſyllogiſmus alterius termini de alio, niſi medium aliquod ſumatur, quod ad vtrumq; terminũ complicetur in prædicatione. Siquidem (ſimpliciter loquendo) ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtituitur: Syllogiſmus autem, qui ad hoc aliquid comprobandũ inſtituitur, debet conſtare ex propoſitionibus ad hoc idem deducẽtibus: ſyllogiſmus vero huius talis termini ad hunc terminum cõficiendus, conſtitui etiam debet ex propoſitionibus huius talis termini ad hunc talem terminum cõplicatis, impoſſibile eſt autem ipſum B, conficere propoſitionem ſe ipſo ſolo, niſi quid aliud de ipſo aut affirmetur, aut negetur. Quemadmodum etiam impoſſibile eſt concludere A, de B, niſi aliquid ipſis cõmune accipiatur, quod de vtroq; ſingillatim dicatur, aut affirmatiue de vtroq;, aut affirmatiue de vno, & negatiue de alio. Vnde concludendum eſt, ad hoc, vt alicuius termini de alio aliquo termino ſyllogiſmus habeatur, neceſſe eſſe accipere aliquid, quod vtriq; ſit commune. Id autem trifariam cõtingit. Aut enim A, de B, prædicabitur, & B, de C, vt pro medio concurrat B, iuxta ordinem primæ figuræ: Aut A, de vtroq; prędicabitur, nempe & de B, & de C, vt ita euadat medium A, iuxta ordinem ſecundæ figuræ: Aut deniq; A, & B, prædicabũtur de C, vt ita D, ſit mediũ ſcd̃m ordinem tertiæ figuræ. Extra has autem ternas figuras non contingit vllam aliam fieri terminorum connexionem pro ſyllogiſmis conficiendis; vt debet eſſe perſpicuum ex ante explicatis. Propterea concludendum eſt, cũ nõ poſſit haberi ſyllogiſmus extra ordinem trium dictarum figurarum, & in ijs ſingulis quot modis aſtrui poſſint ſyllogiſmi ſit explicatum, iam nil reliquum eſſe, quod circa ſyllogiſmorum cõpoſitionem generalem deſiderari poſſit: ſed omnino in tribus prædictis figuris inſiſtendum, etiam ſi idem terminus, vtputa A, de B, per plures medios trminos eſſet concludendus: Et hæc de ſyllogiſmo oſtenſiuo dicta ſufficiant.

Quòd autem & ſyllogiſmi ducentes ad impoſſibile ſecundum prædictas tres figuras aſtruantur, ex dicendis erit, perſpicuum. Nã, qui ſyllogiſmo aliquod impoſſibile concludere contendunt, hãc inſequuntur viam, vt, conſtituta primo circa illud, de quo ſit queſtio, contradictione, cuius altera pars ex neceſſitate eſt vera, & altera falſa, admiſſa & aſſũpta parte illa, quum aduerſarius tueatur, ex hac deinceps, & ex alia propoſitione, quæ manifeſte ſit vera, deducunt huiuſmodi cõcluſionem, quæ ex conſenſu quoq; aduerſarij appareat manifeſte falſa, & impoſſibilis. Vnde ad hoc euitandũ ſubinducunt poſtea ita argumentantes, oportere fateri ꝙ oppoſi-

ta pars contradictionis sit vera, & non illa, quã sequutus fuerit aduersarius, cum ex hac impossibile deduci sit ostensum. Veluti contendente aliquo, ꝙ diameter sit commensurabilis costæ, quod inficiantur Mathematici, si aliq̃s ex aduerso deducat ex huiusmodi positione cõsequi, quòd paria imparibus sint paria, quod q̃dem est manifeste falsum, & impossibile ex consensu quoq; contendẽtis, ꝙ diameter sit commensurabilis costæ; ita sustinens hanc positionem conuincitur, & redarguitur, ꝙ eius placitum sit impossibile. Vnde oppositum supponendum erit, vt verum, quòd diameter non est commensurabilis costę. Atqui falsum & impossibile deductum, quod paria imparibus sint paria, syllogismo ostensiuo astruitur, vnde consequenter concluditur, syllogismum quoq; ducẽtem ad impossibile perfici iuxta ordinem trium dictarum figurarum, per quas omnes syllogismi ostensiui conficiuntur.

Quod similiter dicendũ est de omnibus alijs syllogismis, qui ex aliqua suppositione dependent. Siquidem in omnibus, iuxta prędictas figuras fiunt syllogismi ad id, quod assumptũ sit a principio ex mutuo disceptantium consensu, vel ex aliqua alia suppositione. Veluti, si supponatur, quòd si quid per se mouetur, sit immortale, & ex hac suppositione ostendatur, quòd anima sit immortalis, vtiq; huius conclusionis syllogismus ostensiuus erit; & cõsequenter, cõfectus iuxta aliquum trium dictarum figurarum. Vnde patet syllogismos omnes cuiusuis sint generis, sub tribus explicatis figuris contineri.

Adnotationes.

Necesse igitur omnem demonstrationem. Arist. patefactum, quòd cunctus syllogismus in aliqua trium figurarum perficiatur, hac vtitur ostensione. In primis supponit, quòd syllogismi ducentes ad impossibile, & alij omnes ex suppositione constãtes perficiuntur syllogismis ostẽsionis. Vnde, probato quòd omnes ostensiui syllogismi in aliqua trium explicatarum figurarũ astruantur, sequetur, vt & de omnibus syllogismis ex suppositione cõstantibus idem sit probatũ; quando omnes, qui sunt ex suppositione syllogismi, per ipsos ostensiuos astruuntur. Ratio autem generalis propositæ probationis ex ijs pendet. Nã dicimus, quòd in omni syllogismo monstratur aliq̃d inesse alicui, aut non inesse. Accipere aut ita simpliciter, quòd hoc huic insit, vt puta quòd A, insit ipsi B, non est ostendere quòd A, insit ipsi B, sed est supponere in principio id, quod sumitur probandum. Hinc cõsequenter deducitur, opus esse, vt aliquis accipiatur terminus medius inter A, & B, ad ostendendum, quòd A, insit, aut non insit ipsi B, prout probari intenditur. Alioquin, nulla inter terminos cohęrentia existente, nulla etiam inter ipsos haberetur connexio, neq; demonstratio. Atqui si oportet accipere aliquem medium terminũ cũ illis duobus complicandum, quorum alterũ alteri inesse, aut non inesse sit syllogismo deducendum, vtiq; necesse est ipsum coniũgere cum vtroq; termino: aut hunc in modum, vt vterq; extremorum terminorum prædicetur de medio, vnde exurgit ordo tertiæ figuræ, vt patet ex traditis in superioribus: Aut ita, vt vterq; extremorum subijciatur medio termino, vnde euadit secunda figura. Aut ita, vt medius terminus subijciatur maiori termino, qui sit probandus inesse, aut non inesse, & prædicetur de alio minori termino, cui ostendatur, aut inesse, aut non inesse maiorem; vnde exurgit ordo primæ figuræ; neq; alio modo inter terminos fieri potest mutua complicatio. Vnde deducitur, omnem syllogismum ex necessitate perfici secundum aliquam trium dictarum figurarum. Quod patet ex sufficienti syllogismorum diuisione, & ex medij termini cum duobus alijs extremis complicatione, quæ præter prædictos modos nulla alia potest esse.

Quod autem ex principio, concluditur per confessionem. At syllogismos alios ex suppositione constantes hunc in modũ perfici, vt, quod assumitur & supponitur, probetur syllogismo ostẽsiuo. Veluti, si accipiatur quòd si anima a se ipsa mouetur, est immortalis, istud erit transumptum, quòd anima a se ipsa moueatur; id autem syllogismo ostẽsiuo, erit demonstrandum. Quòd autem anima si a seipsa mouetur, sit immortalis, id, vt manifestum, constituitur ex mutua disceptantium confessione. *Aut ex alia suppositione,* nempe ex aliquo principio, de quo non fuerit inter ipsos sermo; sed ex communibus locis probabilibus dependet: Veluti, quòd

illud,

Illud, quod ineſt vni ſpecierum, ineſt omnibus ſpeciebus, vnde probabat Ariſt. in lib. de cœlo, omnia corpora cęleſtia eſſe ſphęrica, ſi Luna eſſet ſphęrica.

Omnes ſyllogiſmos, ſecundum modos vniuerſales primæ figuræ perfici, & in omnibus requiri ſaltem alteram propoſitionem affirmatiuam, & vniuerſalem, & ſimilem concluſioni.

COlligendum eſt etiam ex dictis & hoc ipſum, quòd omnes ſyllogiſmi perficiũtur per primam figuram, & reducuntur ad modos vniuerſales eiuſdem primæ. Id enim patefactum eſt antea poſt tractatum trium figurarũ ex propoſitionibus inexiſtentibus conſtitutarum.

Colligendum eſt etiam ex traditis circa omnes ſyllogiſmos, ꝙ ſemper neceſſe eſt, vt vna ſaltem propoſitionum ſit affirmatiua, & vniuerſalis. Alioquin, aut nõ erit ſyllogiſmus, aut non ad poſitum; aut id quòd ex principio petetur. Veluti, ſiquis probare intendens, quòd muſica voluptas eſt honeſta, ita ratiocinetur: Muſica voluptas, eſt voluptas, voluptas eſt honeſta: ex ijs.n. aut nõ ſequitur ſyllogiſmus, aut erit petitio principij; aut quid aliud præter propoſitum deducetur: vt ſi quædam voluptas intelligatur geometrica, quòd ſit honeſta. Quod incõueniens magis etiã perſpicue colligi poſſet ex deſcriptionibus mathematicis. Idcirco, omnino colligendum eſt, opus eſſe, vt pro ſyllogiſmo aſtruendo altera ſaltem ꝑpoſitio ſemper ſit vniuerſalis. Et quidem, vt colligatur concluſio vniuerſalis, neceſſe eſt vtrãq; propoſitionem eſſe vniuerſalem; cum deinde particularis cõcluſio ex vtraq; vniuerſali propoſitione colligatur, vt in tertia figura, & etiam ex altera tantum vniuerſali, prout & in prima, & in ſcd͂a.

Ad hęc colligendum eſt, in omni ſyllogiſmo neceſſarium eſſe, vt vel vtraq; propoſitio, vel altera ſaltem ſit ſimilis concluſioni; vt ſi concluſio ſit affirmatiua, ambę propoſitiones erunt affirmatiuę; ſi negatiua, altera ex propoſitionibus erit negatiua; Si neceſſaria, vel contingens, vel inexiſtens cõcluſio, aut ſecũdum alia prædicamenta, etiam conſimilis ei erit altera ſaltem ex duabus propoſitionibus.

Adnotationes.

N*Am ſine vniuerſali aut nõ erit ſyllogiſmus.* Vt ſiquis cenſeat voluptatem eſſe ſtudioſam, & non addat omnem, nõ erit ſyllogiſmus. Non.n. colligi poterit, ꝙ talis voluptas, vt puta muſicalis, ſit ſtudioſa, cum nõ ſit accepta poſitio vniuerſalis, nempe, quòd omnis voluptas ſit ſtudioſa. *Aut non ad poſitum.* Ideſt, aut nõ erit ſyllogiſmus cõterẽs ad probandum propoſitum, ſi ſupponatur ꝙ ſit aliqua voluptas honeſta, vtputa geometrica: hinc.n. non probabitur quòd muſicalis voluptas ſit honeſta. *Aut quod a principio petitur.* Vt, ſi ſupponatur, ꝙ muſicalis voluptas ſit ſtudioſa: ſic.n. ſupponeretur id quod eſſet probandum. Vnde ad hæc euitãda, patet neceſſarium eſſe, vt altera ſaltem ex propoſitionibus ſit vniuerſalis.

Sed magis efficitur manifeſtum in diſcriptionibus. Inquit magis eſſe perſpicuum in diſcriptionibus mathematicis, quòd altera propoſitionũ in ſyllogiſmo debeat eſſe vniuerſalis: vel qm̃ ſub oculis ponantur diſcriptiones mathematicæ: vel qm̃ in illis exempla magis ſunt perſpicua. Veluti ꝙ æquiẽs, qui iacet ad baſim, ſit æqualis; aut quod anguli ad centrum ducti ſint æquales. Nam ſi ſolum accipiatur, angulum A, C, æqualem eſſe angulo B, A, & nõ ſumatur in vniuerſali, ꝙ anguli omnes ſemicirculorum ſint æquales, non haberetur ſufficiens demonſtratio de eo, quod intenditur probari. Aduertendum autem hoc loco, quod græce habetur ὅλως, conuerſum, ab interprete *omnino*, cum tñ proprie *vniuerſaliter* accipi debeat: Sicuti paulo poſt dictionem hanc aliã πᾶσαν, pro eo quod eſt *omnem* accepit Ariſtoteles, vniuerſalem ſemper innuens propoſitionem.

In omni ſyllogiſmo aut vtramq; aut alteram. Colligit in omni ſyllogiſmo, aut vtramque

pro

propositionem, aut saltem alterã similem esse debere conclusioni: vt, si cõclusio sit affirmatiua, erit vtraq; propositio affirmatiua; si negatiua, erit altera saltem propositio negatiua; & ita quo ad necessarium, inexistens, & contingens; quod & in superioribus contemplationibus explicatum est.

Considerare vero oportet & alia prædicamenta. Vt puta, si erit conclusio impossibilis, aut falsa, oportet, aut vtramq; propositionem, aut alteram saltem esse impossibilem, aut falsam: nõ autem si vera sit cõclusio, sequitur, quòd propositiones sint veræ, cum ambæ possint esse falsę, & ex ijs deduci conclusio vera; vt docebitur in lib. sequenti. Similiter si cõclusio sit opinabilis, etiam propositiones, vel ambæ, vel altera saltem earũ erit opinabilis. Si cõclusio immanifesta, ꝓpositiones quoq; erunt huiusmodi. Si conclusio cõtingentis in plurimis, vel in paucioribus, aut secundum naturam, aut secũdum electionem, tales erunt etiam propositiones, vel ambæ, vel earum altera. Vnde in sequenti huius libri sectione loquẽs Aristoteles de ijs, quæ vt in plurimis consequantur, habet ex hijs cõclusionem quoq; vt in plurimis euenire. Addit Alexander etiam prædicamenta in genere: vt si cõclusio sit sc̃dm prædicamentum, huius etiam generis erunt ambæ propositiones, vel altera saltem: posset etiam dici, quòd si conclusio fuerit naturalis, etiam propositiones erunt naturales, si Geometrica, propositiones erunt Geometricę, & ita de alijs.

Syllogismum simplicem ex tribus tantum terminis componi.

ID vero etiam exactius est stabiliendum, quòd suppositum est antea nempe syllogismum simplicem ex tribus tantũ terminis constare. Nam, ꝙ idem per plura media probari possit, nõ est inficiandum; sed ita plures syllogismi cõstituerẽtur, & non vnus tm̃: quẽadmodum etiam plures constituerentur syllogismi, si propositiones acceptæ in vno syllogismo essent per alios terminos, & per alias ꝓpositiones comprobandæ. Quòd autem pro vno syllogismo astruẽdo, tres tantum termini sint adhibendi, ita patefaciendum est.

Sit enim conclusio nomine E, quæ his terminis A, B, C, D, colligi possit: tunc dicendũ quod, aut A, B, inuicem connectuntur ad E, iuxta ordinem alicuius figuræ syllogisticæ, & sic habebitur syllogismus ex ijs tribus terminis confectus A, B, E. Aut A, B, non connectuntur ad E, sed ad alium terminum; vnde non erit syllogismus de ipso E.

Similiter dicẽdum de duobus terminis C, D, qui aut inuicem connectuntur ad E, & ita erit syllogismus de E, per alia media diuersa ab illis A, B: aut non connectuntur ad E, & sic non habebitur syllogismus de E.

Si autem termini C, D, E, connectentur ad A, B, vt propositiones assumptas syllogismo concludant, hinc plures cõstituentur syllogismi: Alter, in quo per A, B, cõcluditur de E. Alter (& hic ꝓsyllogismus appellari potest) in quo per C, D, concludantur acceptæ propositiones A, B. Si autem prę ter hæc quid aliud concludatur, plures erunt etiam syllogismi, & non inuicem coniuncti. Quòd si non ita termini accipiantur, vt ex ipsis exurgat syllogismus, tũc termini frustra erũt accepti, nisi forte ob inductionem, aut ob latitationem, aut ob aliud quid eiusmodi sint assumpti.

Si autem ex A, B, nõ E, sed qd aliud concludatur, & similiter si ex C, D, aut colligatur A, vel B, vel quid præter hæc: ita quoque plures erunt confecti syllogismi; non tamen ad habendam conclusionem de E, vti supponebatur. Quod si ex C, D, nullus construatur syllogismus, sic in vanũ erunt accepti termini; & syllogismus rei propositæ non erit. Ex ijs igitur patefactum est, quòd si astrui debet unius cõclusionis vnus syllogismus, ex tribus tantum termi nis astruetur.

Hoc autem ita constituto, manifestum est etiam, quòd ex duabus propositionibus, & non ex pluribus constabit quinque simplex syllogismus. Nam, tres termini binæ euadunt propositiones, nisi quid ad perfectionem syllogismi assumatur, vt dictum est antea circa perfectionem syllogismorum.

Hinc manifestum est etiam, quòd in qua syllogistica ratiocinatione propositiones non sunt pares, ex quibus propria conclusio colligatur (siquidem oportet aliquas ex superioribus conclusionibus esse propositiones) hæc ratiocinatio, aut non est per syllogismum deducta, aut disputans plura quam sint necessaria pro syllogismo colligendo interrogauit. At accipiendo syllogismos ex proprijs propositionibus conflatos, oportet in ijs omnibus pares esse propositiones, terminos vero impares; vt qui vnitate superent propositiones: conclusiones vero erunt dimidium propositionum, vt ita in simplici syllogismo tres sint termini, duæ propositiones, & vna conclusio.

Alia deinde regula exurget, si plures syllogismi inuicem complicentur, fiantq; pro syllogismi, qui astruentur, vel per plura media non continua, vel per continuationem mediorum sub eodē genere cōtentorum ordine quodam: & vtrobique ad assumptionem vnius termini accedet etiam altera propositio, & altera conclusio. Idcirco, iuxta hanc rationem, quando erunt impares propositiones, euadent termini pares. Et e contra, si pares erunt propositiones, termini erunt impares; & ita eueniet in quocunque propositionum, & terminorum incremento. Et cum vnica conclusio ex vno simplici colligatur syllogismo, in pro syllogismis numerus conclusionum potest eiusmodi incrementum accipere, vt tandem conclusiones superent numero, & propositiones, & terminos, sicuti vnicuique hoc experienti potest esse perspicuum.

Adnotationes.

N*Ecesse est ipsorum aliquid aliud ad aliud acceptum esse hoc quidem vt totum illud vero vt pars* Hac dictione, *totum*, innuitur vniuersalis, seu maior propositio. sicuti hac alia dictione, *pars*, particularis, seu minor propositio significatur.

Frustra erunt accepta. Termini, ex quibus non colligatur syllogismus, erunt frustra accepti, & positi in sermone; quod vsurpari solet a disceptantibus, vel de particularium inductionem, vel ad occultandum illud, quod probari intenditur. Et de his est proprius sermo in lib. Top. & Elench.

Nisi assumatur, quemadmodum dictum est a principio ad syllogismorum perfectionem. Ait, tres tantum terminos, & duas propositiones concurrere in syllogismo, nisi quid assumatur ad perfectionem manifestandam syllogismorum. Quod interpretatur Ioan. Grammaticus de inductione, vt dictum est paulo ante. Verum cum dicat Aristoteles, *vt dictum est a principio circa perfectionem syllogismorum*, innuere potius videtur ea, quæ accipiantur ad perfectionem eorum syllogismorum, qui in secunda & tertia figura concluduntur; cum præsertim, ratione ducente ad impossibile sequelæ necessitas cō probetur in ijs ipsis figuris.

Aut n extrinsecus aut ad medium ponetur intercidens terminus. Iijs verbis tangūtur duo modi, quibus pro syllogismis conficiantur. Aut densando media in eodem genere, cōtinuos inuicem terminos apponendo, vt fit in subalternis terminis. Aut extrinsecus eos assumendo, vt non sint inuicem continui termini, sed separati. Veluti, si sit probādum, quòd iustum sit bonum, his duobus medijs probari potest; tum qm̄ bonum est ordinis causa; tum qm̄ est eligibile: quæ quidem sunt duo media nequaquam inuicem continua, sed extrinsecus incidentia, & ex diuersis generibus pendentia.

Quando autem se habeat, quod antea significatum est, numerus terminorum, & propositionum, atque conclusionum ex syllogismis exurgentium, subscripta Tabella manifestabit.

In syllogismo simplici,	*Exurgunt.*
Corpus est substantia,	*Tres termini impares;*
Animatum est corpus,	*Duæ proposit. pares:*
Ergo. Animatum est substantia.	*Conclusio vna.*

In compositis syllogismis,

Corpus est substantia,	*Quattuor termini pares:*
Animatum est corpus,	*Tres proposit. impares:*
Animal est animatum,	*Duæ cōclus. hicq; additur vna,*
Ergo. Animal est corpus,	*Tātū propos. & vnus termin.*
Ergo. Animal est substantia.	

In magis compositis syllogismis.

Corpus est substantia,	
Animatum est corpus,	*Quinq; termini impares*
Animal est animatum,	*Quattuor proposit. pares:*
Homo est animal,	*Tres conclus. impares:*
Ergo Homo substantia,	*Hicq; addita vna propos.*
Ergo. Homo corpus;	*Et vnus terminus.*
Ergo. Homo animatum.	

In magis adhuc compositis syllogismis.

Corpus est substantia,	*Sex termini pares,*
Animatum est corpus,	*quinq; propos. impares,*
Animal est animatum,	*quattuor conclus. pares.*
Homo est animal,	*et hic addita est una propositio*
Socrates est homo,	*& vnus terminus.*
Ergo. Soc. est substantia,	*Horum omnium autem*
Ergo. Soc. est corpus,	*numerus si summa ducatur,*
Ergo. Soc. est animatum.	*cōperietur terminorum senarius, propositionū pariter senarius, et cōclusionū decenarius.*
Ergo. Soc. est homo.	

Quæ problemata facilius construi, aut destrui possint.

CVm autem quattuor sint problematū genera, vniuersale affirmatiuum, vniuersale negatiuum, particulare affirmatiuum, & particulare negatiuū, cōstetq; ex præcedentibus vniuersale affirmatiuum vno tantummodo in prima figura cōstrui, negatiuum vero vniuersale vno modo in eadem prima figura, & duobus modis in secūda; particulare autem negatiuum vno modo in prima figura, & duobus modis in secunda, & alijs duobus modis in tertia: particulare vero affirmatiuū

in prima figura vno modo, & tribus modis in tertia. Hinc igitur deducendum eſt, vniuerſalia problemata tam affirmatiua, quàm negatiua cœteris problematibus difficilius, quo ad ordinem ſyllogiſmi aſtrui poſſe; & adhuc difficilius problema vniuerſale affirmatiuum, quàm negatiuum. Particularia autem problemata facilius cõſtrui, & adhuc facilius particulare negatiuum, quàm particulare affirmatiuum; cum hoc quattuor tantum modis, illud vero quinq; modis ſyllogiſticis cõcludi poſſit.

Ex oppoſito autem problemata vniuerſalia facilius deſtrui poſſunt, & adhuc facilius vniuerſale affirmatiuũ vniuerſali negatiua. Si autem vniuerſale problema aſtruitur, etiam particulare aſtructum intelligitur, tam in affirmatiuis, quàm in negatiuis; quum deinde & particularia problemata, ſeorſum ab vniuerſalibus ſyllogiſmo concludi poſſint.

Adnotationes.

Q*Vod.n in pluribus figuris, & per plures caſus.* Nuncupat Ariſtoteles. *caſus*, modos varios, quibus in vnaquaq; figura colligi poſſunt ſyllogiſmi ad ſimilitudinem caſuum, quibus nomina apud Grammaticos diſtingui ſolent.

Diſputatio, num detur quarta figura ſyllogiſmorum.

HActenus de tribus figuris, in quibus ſyllogiſmi aſtruantur, actum eſt, & hinc ob Ariſtotele conſequenter deductum eſt, ſyllogiſmos omnes reuocari ad tres prędictas figuras, vt extra eas nullus alius eſſe poſſit. Cui tamẽ ſententiæ refragari videntur nõnulli, qui (auctore Galeno) aſſerũt quartam etiam dari figuram, in qua alij modi ſyllogiſmorum deducantur.

Horum igitur opinio, quibus innitatur fundamentis, eſt diſcutiẽda, vt veritas magis innoteſcat. Hi itaq; diuiſionem arripientes, quam ſequutus eſt Ariſtoteles in medio ſyllogiſtico enucleãdo, ex cuius diſpoſitione tres ſyllogiſmorum figuras aſſignauit, ex eadem diuiſione quartam etiam figuram prodire hunc in modum inſinuarũt. Et enim de medio termino ita diſſeruit Ariſtoteles, ꝙ poſſit medius terminus ad alios terminos diſponi, vel vt prædicatur de vtroq; extremo, ex qua diſpoſitione figura ſecũda ſyllogiſmorum conſtituitur; vel vt ſubijcitur vtriq; extremo, unde tertia; vel vt ſubijcitur maiori termino, & prædicatur de minori, vnde exurgit prima figura. Igitur aſſumentes, ſi qui quartam figuram aſtruere conantur, hoc aliud mẽbrũ diuiſionis ab Ariſtotele prętermiſſum, quod medius terminus poſſit etiã ita diſponi ad ambos extremos terminos, vt ſubijciatur minori, & prædicetur de maiori; hinc ex hac diſpoſitione terminorũ exurgere dicunt quartam figuram; in qua deinde docent tres modos ſyllogiſmorum aſtrui poſſe. Primus eſt, ſi ambæ propoſitiones accipiãtur vniuerſales & affirmatiuæ, ex qua complicatione, (inquiunt) colligi particularem concluſionem affirmatiuam, in qua minor terminus de maiori prędicetur, quod per conuerſionem vniuerſalis affirmatiuæ demonſtrant. Nam cum ex duab⁹ affirmatiuis vniuerſalibus in prima figura deducatur vniuerſalis affirmatiua concluſio, & in

hac complicatione maior terminus de minori prędicatur, vtique cum vniuersalis affirmatiua propositio in particularem conuertatur, minor etiam terminus de maiori prædicabitur, vt talis erigatur syllogismus.

Omne C B.
Omne B A.
Ergo. Omne A C.
Ergo. Aliquod. A C.

Cuius quidem syllogismi sequela, inquiunt, patere ex prima figura facta conuersione conclusionis, quæ colligeretur ex duabus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis.

Secundus vero modus syllogismi in quarta figura, iuxta horum sententiam, constitnitur si maior fuerit negatiua vniuersalis, & minor affirmatiua vniuersalis; ex qua complicatione, aiunt, deduci conclusionem negatiuam vniuersalem, in qua minor terminus a maiori remoueatur hũc in modũ.

Omne C B.
Nullum B A.
Ergo. Nullum A C.

Et huiusmodi sequelam dicũt esse manifestum per conuersionẽ cõclusionis vniuersalis negatiuę, quę colligitur in eisdem terminis in prima figura; in qua si deducitur quòd nullum C, est A, deduci etiam potest quòd nullum A, est C, cum negatiua vniuersalis in se ipsa conuertatur.

Tertius autem modus conficiẽdi syllogismum in quarta figura ab eisdem assignatur, quando fuerit vna vniuersalis affirmatiua, & altera particularis affirmatiua; ex qua complicatione colligi asserunt conclusionem particularem affirmatiuam.

Aliquod C est B.
Omne B est A.
Ergo. Aliquod A est C.

Et hanc sequelã patere dicunt ex conuersione particularis affirmatiuæ conclusionis deductæ in prima figura; in qua conuersione minor terminus de maiori prædicabitur. Et ita ostendisse sibi persuadẽt tres modos syllogisticos, qui colligantur ex dispositione medij termini iuxta ordinẽ quartæ figuræ; nempe negatiuum vniuersale vno modo; & particulare affirmatiuum duobus modis: negatiuum autem particulare, aiũt, non colligi in hac quarta figura, qm̃ particulare negatiuum in terminis non conuertitur. Hæc igitur sunt præcipua, quæ ab ijs adducta sunt, qui quartum genus, seu quartam syllogismorum figurã ad ternas illas explicatas deijcere commenti sunt.

Verum, si diligenter negotium hoc totum inspiciatur, certe inficiari non debemus, quin colligantur quæ dicunt sequi in dictis syllogismis. At non propterea cõsentiendum dari quartum genus figurarum: Sed dicendum, omnes illas illationes pendere, atq; deduci ex ipsa perfectissima omniũ figurarum prima. Nam, cum oporteat figuras syllogismorum prouenire ex medij termini dispositione, nequit dici, cum accipiatur medius terminus, qui subijciatur maiori, & prædicetur de minori, hinc exurgere quartam figuram, cũ prima ex hac dispositione oriatur. Sed neq; conuenit dicere, ꝙ quarta figura proueniat, cum medius terminus subijcitur minori, & p̃dicatur de maiori, vt isti supponunt; qm̃ id figmento est simile. Siquidem fieri nequit, quin, quod subijcitur medio termino, sit minor terminus, & quod prædicatur de medio termino, nõ sit maior terminus. Vnde in huiusmodi

modi complicatione omnino eua deri nequeunt a dispositione primæ figuræ. Accedit, quòd conclusiones, quas isti contendunt dedu ci in quarta figura, non consequũtur, neq; colliguntur ex syllogismo; vel (vt aptius loquamur) ex ipsa propositionum complicatione, ex ui, seu ex natura syllogismi iuxta traditam de syllogismo definitionem. Vnde in prima figura in omnibus complicationibus ꝓpositionum ex dicto de omni, aut de nullo consequũtur conclusiones omnes ex assumptis propositionibus, earumq; virtute. In secũda autem, & in tertia figura colliguntur etiam conclusiones ex virtute præmissarum; in quibus tamen ꝙ hæ, vel illæ conclusiones deducantur, vt appareant, fit ope conuersionis alicuius assumptæ propositionis; vel interdum etiã ratione ducente ad impossibile. In hac autem quarta figura, quã isti somniarunt, non ex acceptis certa quædam cõclusio infertur: Sed ex syllogismo iam confecto in prima figura, in quo colligatur quædam conuertibilis conclusio, ex conuersione huiusmodi cõclusionis, alia quoq; infertur conclusio. Quod quidem non solum ex prima figura, verum etiam ex omni syllogismo, in quo ducatur cõclusio conuertibilis, colligi pôt. Vnde Arist. in lib. sequẽti horum Priorum Analyt. docet eiusmodi existere, potẽtiam syllogismi, vt non solum vna conclusio, verum etiam plures conclusiones colligantur ex eodem syllogismo: ꝓpterea quòd ad conclusionem iã deductã inferri alia conclusio possit, facta cõuersione terminorum: ibiq; regulas assignauit, quibus, & qñ, & quomodo hæc possint

Libro 2. Anal. c. 1.

euenire. Quare, quæ afferũtur de nouo hoc quarto genere figurarum, ad potentiam syllogisticam sunt reuocanda. Et hæc ita intellecta vera erunt, & consona doctrinæ & sententiæ Arist. vt omnino statuendum sit, tres tm̃ esse figuras syllogismorũ, quas Arist. explicauit, ne entia absq; necessitate, & temere multiplicentur, & absq; vlla studiosorum iuuenum vtilitate; quum potius ingenia iuuenum ex eiusmodi assertione illaqueantur, nec vllum accipiant inde adiumentum ad sciendum; vt possunt experiri, qui huiusmodi adiunctos modos syllogisticos ex quarta figura perdiscere, & memoriæ commendare aggredientur.

IN SECVNDAM SECTIONEM Prior. Analyt.

Circa quæ exercenda sit Methodus venandi propositiones pro construendis syllogismis.

QVomodo autem semper syllogismorũ suppetat copia ad omne problema, & qua via ad ratiocinandum principia, & propositiones desumantur, nunc est aperiendum: qñ conuenit nõ solum contemplari, quomodo syllogismi construuntur, verum etiam oportet facultatem obtinere eosdem construẽdi. Hoc igitur vt commode præstari possit, illud in primis est prę mittendum, entium quædam esse, quæ de nullo vere secundum modum vniuersalem prædicatur, sicuti singularia sensibilia, Socra-

crates, Challias, & eiuſmodi, de ijs autem alia prædicantur, vt homo, & animal de Socrate dicuntur: nõnulla vero ſunt eiuſmodi, vt de alijs prędicentur, de ipſis autem nil dicitur, qualia ſunt ſuprema omniũ genera, videlicet ſubſtantia: Quantum, Quale; & reliqua prædicamenta. Quædam vero ſunt entia media inter genera generaliſſima, & ſingularia ſenſibilia eius naturæ exiſtentia, vt de ipſis res ſuperiores dicantur, & ipſæ de alijs inferioribus prædicentur: veluti homo, qui de indiuiduis, Socrates & Challias prædicatur, de homine autem animal dicitur. Ex ijs apparet, quaſdam res non aptas eſſe prædicari de alijs, nempe ipſa indiuidua ſingularia, quorum quodq; ferme eſt eiuſmodi, vt de nullo prædicetur niſi ſecũdũm accidens; vt ſi dicatur, hoc albũ eſt Socrates, & iſte deambulans eſt Challias. Quòd aũt ab indiuiduis ſurſum aſcẽdẽdo ad ea, quæ de ipſis prædicantur, detur ſtatus, vt non ſit proceſſus infinitus in prædicamentis, nunc ſupponatur, quod in ſequentibus fiet manifeſtum. Hac autem ſtante ſuppoſitione, certum nobis eſſe debet, quòd de ſupremis generibus nil niſi ſecundum opinionẽ prædicabitur, non aũt ſecundum rem: alioquin non eſſent ſuprema genera, ſi aliquid ſupra ſe haberent. Suprema autem genera poſſunt demõſtrari de ijs, de quibus prædicantur; ſicuti ſubſtantia de omnibus ſub ſe contentis. Singularia autem de alijs dici non eſt oſtendere: de rebus vero medijs inter ſuprema genera, & ſingularia licet & de ipſis alia demõſtrare, & ipſas de alijs inferioribus. Et ferme ſermocinationes, & conſiderationes de eiuſmodi ſunt medijs.

Adnotationes.

V*Erum & faciendi potentiam habere.* Aptus eſt ſuapte natura homo ad ſyllogiſmum; ordinem autem ratiocinãdi animaduertere, & certum ipſum ſibi ſtatuere, hoc ad Methodum pertinet: quemadmodum & hoc aliud, potentiam & facultatem nanciſci ad venandas propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmi de quacunq; re propoſita conſtruantur. Vnde penes hoc Methodus eſt etiam aſſignanda.

Omnium itaq; entium. Iure merito tradit hoc loco Ariſtoteles entium diuiſionẽ iuxta ordinem prędicandi, qui proprie pertinet ad artificem logicũ; vt hinc aperiatur, circa quæ entia propoſitiones ſint venandæ, vt ex ijs demonſtrationes aſtruantur.

Ferme.n ſenſibilium. Quorſum dixerit Ariſtoteles, quòd ſenſibilium nullum ferme de alio prædicetur, quaſi id in dubium reuocans, explicans Alexander, primo id refert ad qualitates indiuiduas, quæ inſunt indiuiduis ſubſtantijs, de quibus prędicantur: poſtea ſibi met obijciens, quoniam qualitates, vt prędicantur, hac ratione ſunt vniuerſales. Idcirco alio modo locum hunc explicat, inquiens dictum eſſe *ferme*, quoniã ſingularia ſenſibilia de nullo vere prędicantur niſi ſecundum accidens; ſicuti eſt dicere, q͞d iſte gracilis eſt Socrates, adeo quòd prædicetur Socrates de gracili; verum non ſecundum rectam prędicationem, ad ſecundum accidẽs, quatenus gracilitas ineſt Socrati; & ita ferme de nullo ſingularia ſenſibilia prędicantur, quoniam de nullo recta prędicatione, ſed ſolum ſecundum accidens dicuntur. *Alexan.*

Quod autem & ſurſum tendentibus. Dari ſtatum in prędicamentis ſurſum aſcendendo, ſupponit hoc loco Ariſtoteles; quod deinde inquit ſe demonſtraturum, & præſtabit in lib. 1. Poſt. Analyt. pluribus oſtenſionib. *li. 1. Poſt. Analyt.*

Niſi ſecundum opinionem. Aduertit, de ſupremis generibus, de quibus nil poteſt per ſe prædicari, non poſſe conſtrui demonſtrationes: ſecundum opinionem autem de eiuſdem diſſeri poſſe concedit: nam & de principijs ſcientiarum agi poſſe modo dialectico docetur in lib. 1. Top. vt poſsint ſecundum probabilitatem pateſieri atque confirmari. *li. 1. Top. c. 2.*

Et quaſi rationes. De rebus medijs inter ſuprema genera, & ſenſibilia ſingularia, ait *ferme* eſſe rationes, & conſiderationes; vtpote ea, de quibus poſſunt oſtendi nonnulla, & ipſa de alijs demonſtrari.

Regulæ generales venãdi propoſitiones ad ſyllogiſmos conficiendos.

IN primis itaq; & ante omnia ſupponẽdum eſt problema, de quo

quo sit ratiocinandum. Et cũ duæ problematis sint partes, vna subiectum, & altera prædicatum, veluti in hoc problemate, vtrũ anima sit immortalis, anima subiecti locum obtinet, prædicati vera immortalitas. Idcirco ab vno tabellæ latere describetur subiectum, vt puta, ANIMA, & ab altero prędicatũ, ipsa IMMORTALITAS. Deinde vero, vtriusq; partis problematis definitio singulæ parti erit supponenda; & similiter quæ sunt propria vtriusq; partis, vtrique apponenda erunt.

Ad hæc, tum quæ vtriq; parti consequuntur, tum ea, quibus vtraq; pars consequitur, sunt subscribenda: item ea, quæ ipsis non insunt adnotanda: Ea vero, quibus ipsa non insunt non apponenda, ne iterato frustra eadem conscribantur. Siquidem, cum negatio vniuersalis in terminis cõuertatur, tm̃ est afferre, quæ alicui non insint, quantum est apponere ea, quibus ipsum non insit: mutua. n. fit conuersio in terminis. Semper autem prædicta regula ita est obseruanda, vt seorsum, quæ non insunt subiecto problematis, sub subiecto ponantur, & sub prædicato quæ ipsi nõ insunt.

Ad hæc, ita distinguenda sunt, quæ problematis partibus consequuntur, vt seorsum apponantur, quæ spectant ad definitionem, & seorsum propria, & seorsum communia accidentia.

Insuper inuicem distinguenda sunt, quæ pendẽt ex opinione ab ijs, quæ secundum veritatẽ vtriq; parti problematis conueniunt. Qm̃, quanto plura venati erimus, eo facilius de proposito problemate syllogismos conficiemus, & quanto veriora comparabimus, eo etiam efficacius vnumquodq; demonstrabimus.

Aduertendum autem in sumptione eorum, quæ alicui problematis parti consequuntur, ita hęc accipi debere, vt subiectum, cui aliquid consequi dicatur, vniuersaliter sub eius consequenti contineatur. Veluti, si sit problema, num anima hominis sit immortalis, & pro syllogismo conficiendo sit accipiendum hoc predicatum, a se moueri, quod homini consequatur, oportebit vniuersalẽ sic erigere propositionem: omnis homo a se mouetur: alioquin nõ cõstruetur syllogismus, cũ ex solis indefinitis ꝓpositionibus nõ colligi syllogismum in superioribus sermonibus sit ostẽsum. Ea vero, quæ consequuntur, vniuersaliter non sunt accipienda, sed indefinite, & sine signo sunt exponenda: alioquin, quod est inutile, & impossibile, pronũciaretur: vt, si erigatur propositio dicẽs omnis homo est omne risibile, quod quidẽ est inutile enunciatum: aut ꝙ omnis homo est omne animal, quòd est impossibile.

Aliud etiam est obseruandum; si contigerit vt problematis subiectum per se contineatur sub prędicato, sicuti homo sub animali, & accepta sint, quæ prædicato cõsequuntur, non vltra hæc eadem erunt accipienda, tanquam consequentia subiecto. Siquidem, quæ consequũtur prędicato, quod alicui consequitur subiecto, etiam subiecto eidem consequuntur. Veluti, quod consequitur animali, cõsequitur etiam homini, cui animal consequitur. Alio autem modo procedendũ est circa propria. Nam, quæ subiecto problematis, vt eius proprio cõsequuntur, hęc

ad ſubiectũ ſunt apponenda: quæ vero ſunt propria prędicati, hæc ſub prædicato erunt conſtituenda: quandoquidem nõnulla ſunt propria ſpecierum, quæ non ſunt propria generũ. Illud etiam obſeruãdum eſt, quum a parte prędicati poſita fuerint, quæ ei non inſunt, ne vltra hæc apponantur a parte ſubiecti, vt cui etiam non inſint: hoc.n.eſt ſuperuacaneum, cum quæ non inſunt prædicato, conſequenter eius ſubiecto ineſſe nequeant.

Ad hæc aduertendum, ꝙ quæ ſint accepta vt talia, quibus conſequatur ſubiectũ, non vltra accipienda, vt ea, quibus etiam prædicatum conſequatur. Eſt enim manifeſtum, ꝙ dummodo prędicatũ per ſe inſit ſubiecto, quibus ineſt & conſequitur ſubiectum, eiſdem quoq; ineſt, & conſequitur prædicatũ. Veluti, quibus homo conſequitur, vt Socrati & Platoni, eiſdẽ etiam aĩal cõſequitur.

Inſuper accipiẽda ſunt etiam, & ſeorſum ponenda, & deſcribenda, quæ in plurimis, vel ad partes problematis cõſequuntur, vel quibus partes problematis conſequantur. Nã ad problemata, quæ vt in plurimis proponuntur, propoſitiones quoq; ad ratiocinandum, vel omnes, vel aliquæ vt in plurimis ſunt comparandæ: quũ concluſio (vt in ſuperioribus eſt conſtitutum) alteri, ex propoſitionib. ſimilis ſemper eſſe debet.

Poſtremo ſtatuendum eſt hoc præceptum, & hæc regula obſeruanda, ne vmquã ſimul accipiantur, quæ vtriq; parti problematis ſunt conſequentia; propterea ꝙ ex eiuſmodi conſequentibus non conſtruitur ſyllogiſmus, vt patebit ex ſequentibus.

Adnotationes.

SVpponentes ipſum primum. Pro regulis obſeruandis ad venandas propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmi conſtruantur; in primis aduertit Ariſt. debere ſupponi, & deſcribi problema (de quo ſit diſſerendum) in Tabella, ab vna eius parte deſcribendo ſubiectum, & ab altera prædicatum, vt cuique parti quæ conueniunt, ſubſcribantur. Et cum ſubiungit, *& definitiones* (quas oportet ſupponere ad ambas partes problematis) hinc colligere licet, hoc loco non tradi Methodum venandi, ſed aduerti ſolũ quòd debent ſupponi; quod fieri poteſt, vel eas ſumendo ex communi hominum ſentẽtia, vel excerpendo eas ex ſcientijs iam cõfectis, in quibus rerum, de quibus agitur, traditæ ſint definitiones, Methodus autem venandi, & cõficiendi rerum definitiones explicatur, tanquam in proprio loco, in lib. 2. poſt. Analyt.

li. 1. poſt. Analyt.

Namq; inutile alterum, & impoſsibile. Nempe eſt inutile apponere a parte prædicati hoc ſignum *omne*; veluti ſi dicatur, homo eſt omne riſibile: id.n.eſt inutile: eſt vero impoſſibile, veluti ꝙ homo ſit omne animal: ac propterea non apponendum ſignum, *omne* prędicato, ſed ſoli ſubiecto, quod etiam adnotatum eſt in lib. Periher.

li. Perih. ſect. 2.

Quæ ſequuntur vniuerſale. Hoc habet ꝙ, cũ ſubiectum contineatur ſub prędicato, ideo non ſunt apponenda a parte ſubiecti, quæ cõſequuntur prędicato; quod nuncupat *vniuerſale*; hinc ipſum ſupponens tanquam genus, ſub quo cõtineatur ſpecies, ipſum nẽpe ſubiectum: eſt.n. genus vniuerſale relatũ ad ſpeciem: vnde quæ cõſequũtur huic vniuerſali, non ſunt apponenda a parte ſubiecti; perſpicuum eſt.n. quòd & ipſi ſubiecto conſequuntur.

Amplius, quæ omnia ſequuntur non eligenda. Nempe, quæ ſeorſum cõſequuntur prædicato & ſeorſum ſubiecto, nõ ſunt apponenda, qm̃ ex ijs cõſtrui nõ poteſt ſyllogiſmus: binæ.n. exurgẽt propoſitiones affirmatiuæ iuxta ordinem ſecundæ figuræ; ex quibus ſyllogiſtica non cõſtituitur cõplicatio, vt patet ex ſuperioribus ſermonibus.

Aperitur quomodo ex propoſita Methodo oĩum problematũ ſyllogiſmi inueniri, & perfici queant.

QVod autem obſeruatione præmiſſarum regularum, quæcunq; problemata ſyllogiſmo cõcludantur, atq; ita iuxta propoſitam Methodum ſyllogiſmi omnes comparentur, ex dicendis poterit eſſe manifeſtum. Nam exordiendo a problemate vni-

vniuerſali affirmatiuo, certum eſt tunc hoc ipſum syllogiſmo cõcludi in primo modo primæ figuræ, cum maior terius de medio termino prædicatur, & medius terminus de minori. Hoc autem idem eſt ac dicere, quòd prædicatum problematis alicui rei conſequatur, quæ pariter conſequatur ad ſubiectum problematis: & pertinet hoc ipſum ad caput quoddã regularum præmiſſarum pro venãdi propoſitionibus syllogiſmorum. Veluti in hoc problemate, num omnis homo ſit viuens, inuẽto medio termino inter partes problematis, ipſo animali, cui cõſequitur viuens, quod eſt prędicatum problematis, animal vero, homini ſubiecto problematis exiſtenti conſequitur, erigitur syllogiſmus in primo modo primæ figuræ.

Omne animal eſt viuens,
Omnis homo eſt animal,
Omnis homo eſt viuens.

Si autem problema particulare affirmatiuum syllogiſmo ſit colligẽdum, id pariter perficietur inuento iuxta Methodum traditam termino, cui cõſequatur tum prędicatum, tum ſubiectum problematis, vt ita syllogiſmus colligatur cõcludens in tertia figura particulare affirmatiuum.

Omnis homo eſt viuens,
Omnis homo animal,
Aliquod animal eſt viuens.

Si vero vniuerſale negatiuum ſit concludendum, id perficietur iuxta eũdem Methodum duobus modis. Vno modo, ſi quid cõparetur, cui non inſit prædicatum problematis, ipſum autem conſequatur ſubiecto eiuſdem problematis: ita.n. ꝓueniet syllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ, vt in ijs terminis.

Nulla planta eſt animal,
Omnis vitis planta,
Nulla vitis eſt animal.

Alio vero modo idem problema vniuerſale negatiuum colligetur in ſecunda figura, ſi iuxta propoſitam methodum aliquid inueniatur, quod non inſint prædicato problematis, & conſequatur ſubiecto vt in ijs terminis.

Nullus lapis eſt animal,
Omnis homo eſt animal,
Nullus homo eſt lapis.

Si autem problema particulare negatiuum ſit syllogiſmo colligẽdum, id perficietur, ſi iuxta explicatam methodum aliquid inuentum fuerit, cui non inſit prædicatum problematis, & cui etiã ſubiectum problematis cõſequatur: ita.n. fiet syllogiſmus in tertia figura deducens concluſionem particularem negatiuam, vt in ijs.

Nullus homo lapis,
Omnis homo animal,
Aliquod animal non lapis.

Verum, vt hæc omnia exactius etiam exponantur, totum negotium in elementis litterarum eſt exercendum, vt ita regulæ propoſitæ magis appareant vniuerſaliter explicatæ.

Sint igitur partes problematis notatæ ijs terminis, vt A, ſit prædicatum, E vero ſubiectum. Quę vero ad A, conſequuntur, ſint B, & quibus A cõſequitur, ſint E. Ea autem, quæ non inſunt ipſi A, notentur hoc elemẽto D. Similiter quę cõſequũtur ad E, ſint F, & quibus E conſequitur, ſint G. Quę autem non inſunt ipſi E, ponantur ſub elemento I, vt deſcriptio ſit huiuſmodi.

Subiectum problem. E	*Prædicatum problem. A.*
Quę ad E conſeq. F	*Quæ ad A conſequunt. B.*
Quibus E conſeq. G.	*Quibus A conſequitur. C.*
Quæ ipſi E nõ iſunt I.	*Quæ ipſi A non inſunt. D.*

His ita cõſtitutis, ſi aliquid de E idem fuerit cum C, cui omni ineſt ipſum A, ex dicto de omni

ſequitur quòd A, ineſt omni E, vt hinc concludatur vniuerſale affirmatiuum in prima figura.

Si autem C & G idem eſſe cōtingat, cōcluditur aliquod C eſſe A. Siquidem, ſi omni C ineſt A, & E pariter ineſt omni G, ſi idem eſt G quod E, ſequitur, ꝙ A inerit alicui E, vt ſyllogiſmus colligatur in tertia figura iuxta primum modum, quo concluditur particulare affirmatiuum.

Si autem eorum, quæ ſub D, ſit aliquid idem exiſtēs cum aliquo de ipſo F, ex pro ſyllogiſmo cōcluditur, ꝙ nullum E eſt A. Nam, ſicuti D nulli ineſt A: ita cum cōuertatur vniuerſale negatiuū, A quoq; nulli D, inerit. Et quia idē ſupponitur F cum G: ſequitur igitur ex his, ꝙ A nulli F inerit. Et qm̄ acceptum eſt F vt cōſequens ad E, idcirco erit reductus ſyllogiſmus ad ſecundum modum primæ figuræ, in quo cōcluditur vniuerſale negatiuum, quòd nullum E eſt A.

Si autem eorum, quę ſub D, aliquid idem eſſe contingat cum ijs quæ ſub G, cōcluditur in tertia figura aliquod E non eſſe A. Nam ſi D nulli A ineſt, & idem eſt G, cum D, iā A nulli inerit E: Et qm̄ ipſi G conſequitur E patet in tertia figura concludi, ꝙ non omne E eſt A.

Si autem ſumatur B idem exiſtens cum G, fiet conuerſo modo ſyllogiſmus, ꝙ omne A eſt E. Et qm̄ affirmatiuum vniuerſale cōuertitur in particulare affirmatiuum; ideo concluditur etiam, ꝙ aliquod E eſt A. Quare patefactum eſt, iuxta Methodum propoſitam, omnia problemata ad ſyllogiſmum reduci, & conſequenter per eandem propoſitiones ad ſyllogiſmos omnes conficiendos comparari.

Obſeruandum eſt aūt, vt tum ea, quę cōſequūtur ad problema, tum ea, quibus problema conſequitur, accipiantur maxime vniuerſalia, ſub quibus particularia etiam continentur.

Ex ijs ita explicatis magis adhuc patere poteſt, ꝙ omnes ſyllogiſmi ex tribus terminis, & ex duabus propoſitionibus conſtituuntur; & ꝙ, iuxta propoſitam methodum, omnes reducūtur ad tria figurarū genera ſuperius explicata. Nam ſi aſſumatur iuxta regulas aſſignatas terminus, qui ſubiecto problematis conſequatur, & ei ſit conſequēs problematis prædicatum, ita medius terminus vtriq; problematis extremo complicabitur ſ͠m ordinē primæ figurę. Si autem medius terminus huiuſmodi aſſumatur, vt ei vtraq; pars problematis cōſequatur, ita ordo ſyllogiſticus exurget tertiæ figuræ: Secūdæ autem, ſi idem terminus negetur a prędicato problematis, & cōſequatur ſubiecto. Et n. ſecundum ternas has medij termini cū extremis terminis diſpoſitiones, oēs cōficiuntur ſyllogiſmi, vt oſtēſum eſt in pcedētib.

Adnotationes.

Q*Vod conſtruitur.* Iſtud eſt problematis prædicatum, ꝙ conſtruitur de ſubiecto: circa quod prędicatum, reſpiciendum eſt ad ea, quæ ſibi ſunt ſubiecta, vt illis cōſequatur. Nam accipiendo poſtea, quæ ſequuntur ad ſubiectum problematis, duæ comparabuntur propoſitiones ſecundū ordinem primæ figuræ, ex quibus vniuerſale affirmatiuum concludetur.

Si vero non quod omni, ſed quod alicui. Id dicitur, ꝙ ad colligendum, ꝙ aliquid inſit non omni, ſed alicui, ideſt ad colligendum particulare affirmatiuum, ſumendus erit medius terminus, cui conſequatur tam ſubiectum, quàm prędicatum problematis: ita. n. duæ comparabūtur propoſitiones, ex qui-

bus

bus in tertia figura particulare affirmatiuũ concludetur.

Nulli eorum quæ E: A, inerit ex pro syllogismo. Quòd habet Arist. hoc loco, istud est. Nam cum sit suppositum D, esse illud, quod nulli A, ipsi prædicato problematis inest. Et ꝙ F, sit consequens ad E subiectum problematis, hinc sequi (infert) ꝙ nulli E inerit A:, & hoc manifestũ esse ex pro syllogismo hunc in modum. Nam, cum supponitur E idẽ esse cum D, quod consequitur ad A, idcirco, sicuti concluditur, ꝙ nullum A est F, ita etiã cõcluditur, ꝙ nullum A, est E. Et quum propositio vniuersalis negatiua cõuertatur in terminis, hinc etiam patebit (& hoc per ꝓ syllogismum, quo probentur propositiones assumptæ) quod E nulli A inest.

Si vero ipsi G, B, idem conuersus fit syllogismus. Id est, si accipiatur terminus medius, cui subiectum problematis E consequatur, isq; idẽ terminus cõsequatur prędicato prꝙble matis ipsi A, hinc deducitur, quòd sicuti E, inest oĩ G, & G, omni A, etiã E oĩ A inerit. Non autem sequitur, ꝙ A insit omni E; qm̃ vniuersale affirmatiuum nõ conuertitur in vniuersale, sed in particulare: sed sequetur, ꝙ aliquod C, est A, per cõuersionem vniuersalis affirmatiuæ in particularem. Idcirco (vt dicit Arist.) fit syllogismus conuersus, cũ concludatur subiectum problematis de prę dicato; quod omni A, inest ipsum C, quum probãdum foret, quòd A insit ipsi C, quod deducitur conuersa propositione vniuersali affirmatiua in particnlarem.

Quæ combinationes prætermittendæ ex ijs, quæ ex parata methodo syllogismum non conficiunt.

VT autem explicata methodus recta cum ratione instituatur, & parata propositionũ copia ad syllogismos conficiendos apte sumatur, & ne omnia temere coniungantur, hæc erunt animaduertenda.

In primis, vt idem terminus assumatur, quo inuicem binę propositiones cõnectuntur, & non vnus in vna, & alius in alia accipiatur. Alioquin syllogismus nullus cõstituetur: vt perspicuum est ex ijs, quæ antea determinata sunt penes ordinem omniũ figurarum; in quibus syllogismi oẽs astruuntur ex vnius medij termini cum alijs duobus extremis coniuncti, & in vtraq; ꝓpositione assũpti.

Deinde & vbi idem terminus in vtraq; propositione sumatur, illæ combinationes sunt omittendæ, in quibus vtriq; parti problematis idem terminus cõsequatur. Ita n. erit assumptus medius terminus, qui de vtroq; problematis termino affirmatiue prædicaretur; & hoc esset iuxta dispositionem secundæ figuræ, in qua ex vtraq; ꝓpositione affirmatiua nullus certus colligitur syllogismus.

Præterea, non est medius accipiẽdus terminus, cui maior extremitas problematis cõsequatur: ipse vero minori termino problematis non insit. Ita.n. exurget combinatio propositionũ ex minori negatiua iuxta dispositionẽ primæ figuræ; in qua, existente minori propositione negatiua, nulla certa sequela syllogistica colligitur, vt patet ex præcedentibus.

Ad hęc nullo modo est accipiẽdus medius terminus, qui neutri problematis parti insit: ita.n. duæ astruerentur propositiones negatiuæ, ex quibus in nulla figurarũ syllogismus concluditur.

Illud etiam est animaduertendum, ꝙ secũdum propositam inspectionem, assumenda sunt, quæ sint eadem, & non diuersa, aut cõtraria. Siquidem proposita inspectio huc tendit, vt inueniatur medium, quod sane oportet, vt idem sit in vtraq; propositione, ad hoc, vt syllogismus constituatur; cum ex medijs diuersis syllogismus nõ resultet: qm̃ combinatio non haberetur propositionum ad deducendum syllogismum.

Pręterea vbicunq; cõtingat fieri syllogismum ex acceptione contrariorum, & ex ijs, quæ nõ cõtingunt inesse, ad prædictos methodi modos hæc reducẽtur. Nam si

B, &

B,& F ſint contraria, clare patet, ꝙ nulli eidẽ ineſſe poſſunt. Quare B conſequens ad A prędicatũ problematis, cõueniet cũ ijs,quæ ſunt ſub I,quo notantur,quæcunque negantur de E,quod eſt ſubiectũ problematis. Et quia B, ineſt omni A, cui conſequitur; & B nulli ineſt E, hinc ſequitur in ſecunda figura, ꝙ etiam A nulli ineſt E, quod ſimiliter de alijs dicẽdum eſt. Siquidem ſi illud cõtrarium,quod vni non ineſt termino problematis, accipiatur ineſſe alteri eiuſdem problematis termino, ſyllogiſmus ſemper ꝓueniet iuxta obſeruationem ordinis, & Methodi aſſignatæ.

Qui autem alia Methodo, nẽpe inſpectione contrariorum exiſtimarunt modũ ſyllogiſmos conficiendi comparari poſſe, hallucinati ſunt, qm̃ non animaduerterunt, neq; aſſequuti ſunt identitatem eorum,quæ cõſequuntur prędicato problematis, & eorũ, quæ negantur a ſubiecto problematis. Quod ſi inſpexiſſent, vtique non aliam viam a propoſita duxiſſent haberi poſſe venandi propoſitiones ad ſyllogiſmorum conſtructionem.

Adnotationes.

S*I conſequentia vtrumq; eadem ſunt.* Ijs verbis denotatur medius terminus conſequens vtriq; extremo, vt prędicetur de vtroq; affirmatiue: vnde exurgit complicatio aſſyllogiſtica ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura. Et ideo huiuſmodi medij termini ſelectio, vt inutilis eſt omittenda.

Aut ſi quæ ſequatur A, & quæ non contingit ipſi E. Denotatur ſelectio medij termini, cui maior terminus problematis conſequatur, ipſe vere minori termino problematis non inſit: vnde exurgeret diſpoſitio primæ figuræ ex minori propoſitione negatiua,& maiori affirmatiua, quæ eſt complicatio aſſyllogiſticę: atq; ideo huiuſmodi ſelectio medij eſt omittenda. Quemadmodum & illa, in qua accipiatur medius terminus neutri problematis parti inexiſtens: quoniam ita ex duabus negatiuis complicatio conſtrueretur, quæ vt aſſyllogiſtica in ſuperioribus eſt reiecta.

Qualia eadem accipienda. Dicet aliquis, ſi cõtraria aliquando ſunt aſſumenda pro ſyllogiſmo conficiendo; vtputa, cum vnus terminus repugnat vni extremo, & alteri ineſt, quomodo in ijs eadem accipientur? Dicendum, medium terminum ſemper aſſumi debere eundem ad hunc ſenſum, vt eo mediante, ita inuicem cõnectẽtur propoſitiones, vt ex illis ſyllogiſmus colligatur, aut affirmatiuus, aut negatiuus. Prohibet autem Ariſtoteles accipere contraria, quæ nõ ſint eadem, ita vt medius terminus nullatenus cohæreat cum terminis problematis.

Dubit.

Solut.

Inſpicere aliam viam a neceſſaria. Intelligit viam neceſſariam venãdi propoſitiones ad ſyllogiſmos conficiendos, illam, quam ſuperius tradidit: cum tñ nonnulli aliam viam ſint Commenti, nempe per inſpectionem cõtrariorum, in hoc aberrantes, qm̃ non cõſpexerint, neq; aſſecuti ſint identitatẽ, quę eſt inter ea, quę ſupponantur eſſe conſequentia prędicato problematis,& inter ea, quę ſupponantur non ineſſe ſubiecto problematis, cum poſſit eſſe idem medium, qđ conſequatur prędicato problematis, & remoueatur a ſubiecto eiuſdẽ problematis, vt propterea hinc colligatur, propoſitam methodum ſufficientem eſſe, nec non neceſſariam ad propoſitiones venandas pro ſyllogiſmis conficiendis.

Syllogiſmos quoq; hypotheticos excerpi, & confici iuxta propoſitam Methodum.

ADeo autẽ vniuerſalis eſt propoſita Methodus ad venandas propoſitiones ſyllogiſmorũ, vt nõ ſolum oſtenſiui ex ea excerpantur, verum etiam omnes hypotetici; tum qui ducũt ad impoſſibile, tum illi, qui per tranſumptionem efficiuntur. Et quidem, ꝙ ſyllogiſmi ducentes ad impoſſibile ex propoſitę Methodi regulis aſtruantur, ex hoc debet eſſe perſpicuum, ꝙ oſtenſiui oẽs concludi poſſunt eiſdẽ terminis per ſyllogiſmos,qui ducũt ad impoſſibile,& hi viciſſim per oſtẽſiuos, vt vtrobiq; medius terminus communis ad extremos iuxta ordinẽ prædictum ſit ſumendus. Veluti, ſi oſtenſiue intendatur cõcludi, ꝙ nullum E eſt A, per hæc, qm̃ omne A eſt B, nullũ E eſt B, ex qui-

bus sequitur in secunda figura, ꝙ nullum E est A. Id igitur si quis negauerit, accipietur eius opposi tum, ꝙ aliquod E est A, quæ propositio iuncta cum hac alia, omne A est B, inducet syllogismum cócludentem ꝙ aliquod E est B, quod est cótra suppositum, quòd nullum E esset A. Igitur, cum hoc sit impossibile, dicendum veram esse oppositam cóclusioné, quòd nullum E est A. Quod pariter de alijs problematibus fiet, vt ita syl logismi ostensiui demonstrentur per eos, qui ducunt ad impossibile, quemadmodum etsi per osten siuos ostenduntur. Nam si deductum sit per syllogismum ad impossibile, quòd nullum E est A, qm̃ sequeretur, quòd aliqđ E esset A, quod supponitur impossibi le: sic ostensiuo syllogismo cóclu deretur, quòd nullũ E est A. hunc in modum permutata propositione falsa in veram.

Omne A est B.
Nullum E est B.
Nullum E est A.

Vnde patet syllogismos ducétes ad impossibile eadem inspectione excerpi per antecedentia, & repugnantia, qua etiam ostensiui inueniuntur. Et tantummodo inter ipsos esse hoc discrimen, ꝙ in ostensiuis ambæ propositiones assumuntur veræ: in his vero, per quos fit deductio ad impossibile, altera propositionum falsa accipitur; ex qua deinde infertur con clusio impossibilis: sed de huiusmodi syllogismis exactior erit sermo in libro sequenti.

In alijs autem syllogismis hypoteticis, vt qui sunt secundum transumptionem, aut secundum qualitatem in subiectis, erit consi deratio non penes ea, quæ a prin cipio assumuntur, sed penes ea, quę pertinét ad transumptionem. Idem vero modus erit inspectionis in pro syllogismis huiusmodi astruendis, qui expositus est antea: oportet autem diuidere, quot modis syllogismi ex suppositione dicantur.

Illud etiam non est ignorandũ, quædam problemata, & alio quodam modo ex suppositione posse syllogismo colligi: népe vniuersalia affirmatiua & negatiua ex particularium inspectione. Veluti, si supponatur, esse eadem C, & G, cui consequatur A, & quòd G insit ijs solis, quæ sub G sunt, vtique ijs ita se habentibus, concludetur quòd A inest oı̄ C. Et rursus si G & D, supponantur eadem, & ipsi D, cósequatur A, E autem remoueatur ab ijs solis quæ sunt sub D, ijs ita se habentibus, concludetur, quòd A nulli inest E.

Cum autem circa syllogismorũ inuentioné regulæ sint allatæ de propositionibus inexistentibus, sciendum quòd eędem sunt obseruandæ circa propositiones necessarias, & contingentes; accipiédo contingens de ijs etiam, quæ non insunt, sed possunt inesse, cũ etiã de ijs existant syllogismi, vt osté sum est in præcedentibus.

Adnotationes.

NAmq; *& hi fiunt per consequentiam.* Docet hoc loco Arist. syllogismos, qui ducunt ad impossibile, inueniri, & perfici earumdem regularum prædictarum inspectione, quę penes syllogismos ostensiuos sunt expositæ; nempe per antecedentia, & consequentia; subintelligendo etiam repugnantia, ex quibus syllogismi omnes conficiuntur.

Quare conuersa hac propositione. Hoc est dicere, quòd accipiendo oppositum propositionis assumptæ in syllogismo ducente ad impossibile, népe permutata propositione falsa in veram (quod faciendum apparet, cũ ex illa falsa deducatur impossibile) erigitur syllogismus ostensiuus veram inferens

con

cōclusionem eo modo; sicuti in Paraphrasi expositum est.

Quicunq; sunt secundum transumptionem, aut secundum qualitatem in subiectis. Illi dicuntur syllogismi hypotetici per transumptionē, qui pendent ex quadam conditione supposita. Veluti cum dicitur, si sol est super terram, dies est, & postea transumitur ratiocinium ad hoc, quòd sol sit super terram. Stoici Paralipsim id appellabant, quā Metalipsim Peripatetici. Et quum subiungitur. *Aut secundum qualitatem in subiectis.* Innuuntur illi modi particulares ex transumptione ducti: veluti demōstrare per loca a magis & minus, a simili, & ab alijs huiusmodi: per hęc autē subiecta (de quibus agitur) qualitate quadam affecta supponitur, vt talia sint, & talia: sunt tñ omnes de ijs syllogismi ex transumptione: verum non omnes ad qualitatem subiectorum attinēt. Et ideo subiunxit Aristoteles, distinguendum esse, quot modi dicuntur syllogismi hypotetici.

Stoici. Peripat.

Non in ijs, quæ a principio, sed in transumptis. Non est, inquit, exercenda Methodus proposita circa ea, quę a principio ponuntur: Veluti cum dicitur, si sol est super terram, dies est; sed circa transumpta, nempe per eius probationē, ad quod trāsfertur propositio; sicuti penes hoc, ꝙ sol sit super terrā.

Est autem alio modo. Aduertit alium quendam modum ex suppositione syllogismos comparandi, quo ex inspectione particularium concludi potest vniuersale tam affirmatiuum, quàm negatiuum. Et quidem affirmatiuum sic. Vt si supponatur quòd C & G idem sint, & A consequatur ipsi G, & E ijs solis insit, quæ sunt sub G, sequetur colligendum per huiusmodi expositionē, quod A insit omni E. Negatiuum autem vniuersale ita deducetur. Nam si idē sint G & D, & A remouetur ab ipso D, sint autem (quæ sub D, sola ea, quibus E insit, vtiq; deducitur, quòd A nulli E inest; quando E competit omnibus illis solis, quę sub D, & A remouetur ab omni D: vnde & ab E remouebitur; Et hæc igitur regula est inspiciēda, quę non pendet ex inspectione a toto ad partem, vt fit, in syllogismis ex dicto de omni, & de nullo; sed ex parte ad totum probationis, & hac via vsus est Aristoteles superius in diuersis syllogismorum complicationibus comprobandis.

Eodem autem modo & in necessarijs. Sermonem exercuit Arist. in Methodo explicata circa propositiones inexistentes, prout circa illas, quæ sunt generalissimæ: ideo aduertit eandem etiam regulam obseruandā esse circa propositiones necessarias & cōtingentes. Et subiungens, quòd accipiendū est etiam contingens pro eo quod non inest, sed potest inesse; hinc innuit, propositiones contingentes etiam intelligi eas, quę sint actu, sed non secundum modum necessariū: ad differentiam contingentis quòd non est actu, sed potest inesse: vt hinc quoq; dignoscatur verissimum esse, quod in superiorib. constitutum est, propositiones inexistētes illas esse, quę dicunt existentiam tum possibilem, tum necessariam, seorsum ab omni modo, aut contingenti, aut necessario.

Et in alijs prædicationibus. Vt est, manifeste, vtile, honestum. Vt adnotarunt Alexander & Ioan. Grammaticus; de ijs. n. tractant dialectici, & syllogismos astruunt, qui penes huiusmodi prędicationes quoq; comparandi sunt iuxta Methodum propositam.

Alexan. Io. Grā.

Quomodo proposita Methodus exacte in proprijs scientijs, & artibus perficiatur.

EX determinatis antea perspicuum est, nō solū iuxta propositam Methodū cōtingere omnes fieri syllogismos; verum etiā quòd impossibile sit hoc opus vlla alia via assequi. Siquidem ostēsum est, quòd omnis syllogismus astruitur secundum aliquam triū dictarum figurarum: hæ autem astrui minime possunt nisi per ea, quæ aut antecedunt, aut consequuntur, aut repugnant terminis problematis: qñ ex ijs propositiones astruuntur, & medij fit assumptio; vnde syllogismi cōficiuntur omnes iuxta Methodum propositam. Quæ quidem eadem est circa omnia, tū penes Philosophiā, tum penes omnem artem atq; disciplinam. Siquidē in cuiuscunq; rei perscrutatione oportet inspicere, quæ ei insint, & quibus ipsa insit, ijsq; pluribus abundare; & hæc omnia iuxta dispositionem trium terminorum cōsiderare: ad cōstruendum quidem, hoc vel illo modo; ad destruendum vero alio, & alio; pro vt in supioribus explicatum est, quibus modis problemata tam affirmatiua, quàm negatiua syllogismo cōcludi possint. Et sane rerum veritatem spectantibus, conuenit Methodum prępositam circa ea, quę vere insunt, exercere: pro syllogismis vero dialecticis, propositiones secūdum opinionem erūt comparandæ. Verum nūc in vniuersum explicatum est, quomodo principia

syllogiſmorum ad ipſos conſtruē dos ſe habere debeant; & quomo do ea venari oporteat: ſimulq; di ſcuſſum eſt, quòd non cōuenit re- ſpicere ad omnia, neq; ad eadem ad cōſtruendum, & ad deſtruen- dum; aut pro vniuerſali, aut pro particulari conſtructione, ſeu de- ſtructione.

Sed & illud debet eſſe perſpi- cuū, quòd circa vnamquamq; ré oportet ſecernere proprias pro- poſitiones; vtputa de bono, aut de ſcientia. Siquidem exiſtunt cu- iuſq; rei propria principia; quæ quidem inuenire, & tradere mu- nus eſt experientiæ. Sicuti ad ſcié tiam aſtrologicā attinet tradere, quæ ſunt huic ſcientiæ ſubiecta. Et quidem ſufficienter, acceptis ijs, quæ apparent, ſcientiæ aſtrolo gicæ demonſtrationes erunt adin uentæ. Quod ſimiliter de quacun que alia ſcientia & arte eſt aſſeré dum: adeo, ꝙ ſi adinuēta ſint, quę inſunt circa vnumquodq;, tūc po ſtea noſtrū eſt, & in facultate no- ſtra poſitum prompte demonſtra tiones depromere, & manifeſta- re. ſit n. ſi nihil ſit omiſſum, iuxta hiſtoriam eorum, quę vere & ex- acte rebus inſunt, ita facultatem conſequuti erimus venandi, nec non conficiendi demonſtrationes cuiuſcunq; rei poſſit eſſe demon ſtratio: & cuius non poſſit eſſe, iti dem patefacere ex hic traditis no bis licebit. In vniuerſum igitur di ctum eſt ferme, quo nam modo oporteat ſecernere ꝓpoſitiones; quod etiam exactius tradetur in opere dialecticæ facultatis.

Adnotationes.

E*Adem & circa Philoſophiam: & circa artem qualemcunq; & diſciplinam.* Philoſophia antemomaſtice poteſt intelligi ſciētia ſola ſpeculatiua: Aut etiam practica ſimul, moralis ſcilicet, & politica; artes vero intelli- guntur ad factionem attinentes; vt medici na, ſtatuaria, pictura, quæ omnes adhibent ſyllogiſmos in ipſarum ſpeculationibus; & quæcunq; alia ars ſit particeps ratiocinij. *Per diſciplinam* aūt, Ariſt. comprehendit q̃d commune Philoſophiæ, & artibus, cum in omnibus ijs adipiſcendis diſciplina quædā ſit neceſſaria.

Ne aſpiciamus ad omnia, quæ dicuntur. Hoc habet, ꝙ ex propoſita Methodo inſtruimur penes hoc, ne reſpiciamus ad omnia, quæ quouis modo de terminis problematis di- cuntur. Nam ſcientes, quòd ex duabus af- firmatiuis in ſecunda figura non colligitur ſyllogiſmus, ideo nō erunt accipienda, quæ vtriq; termino cōſequantur: ſic. n. aſtruere- tur complicatio aſyllogiſtica ex duabus af firmatiuis in ſecūda figura. Et ſimiliter ſcié tes, ex quibus vniuerſale affirmatiuum col- ligatur, & ex quibus vniuerſale negatiuū, & ita de alijs, iā edocti eſſe poſſumus, vt nō accipiamus modos alienos; ſed eos tantum, qui ſunt proprij vniuſcuiuſq; problematis.

Experimenti eſt tradere. Ait munus eſſe o- pus experientiæ inuenire cuiuſq; rei prin- cipia: quibus adinuētis atq; perceptis mox ex doctrina hic tradita eſt petenda via a- ſtruendi de rebus ſyllogiſmos, & in ordinē, & modos cuiq; problemati cōgruos reducē di. In proęmio autem Metaph. adamuſſim explicatur, quomodo differat experientia ab arte, & quomodo cōparetur vſu ſenſuū: adeo, ꝙ experientiam ſumere, nil aliud eſt, quàm percipere, & ſenſu comprobare, quo- modo hoc, vel illud ita, aut ita ſe habeat: Et quidem in lib. 2 poſt Analy. in fine traditur quomodo principia ſcientiarum ab intelle ctu concipiantur.

li. i. Met. c. I.

li. 2. Poſt. Anal. c. 19

Si enim nihil ſecundum hiſtoriam. Accipitur hiſtoria pro traditione, & cōnexione rerū, vt ſe habent explicatarum nō ſine certo or dine. Et ita ſcientia de anima hiſtoria, in proęmio lib. 1. fuit nuncupata. Et ſimiliter libri de Animalib. hoc nomine *hiſtoria*, fue runt inſcripti, de rebus nempe ſecūdum ve ritatem tractatis, vt ſit diligens & exacta obſeruatio eorum, quæ traduntur: & in his inſinuantur tradita per manus a prioribus hominibus ad poſteriores rerum cognitio.

Ferme dictum eſt. Ait *ferme*, qm̃ in genere, ſub tradita Methodo modi omnes ſyllogiſ mos cōficiendi ſunt expoſiti: exacte autem de inuentione locorum actum eſt in opere dialecticæ facultatis. In quo edocetur, quat tuor eſſe inſtrumenta, quibus poſſumus a- būdare ſyllogiſmis medijs propoſitionib., quæ ad loca referuntur, de quibus in facul- tate dialectica exacte diſſeritur. Nec non in lib. 8. Top. exponitur, diuiſione quadam accipiendas eſſe propoſitiones, (pręter ne ceſſarias) ex quibus ſyllogiſmi dialectici cō ſtituantur. Sed & in lib. 2. poſt Analyt. tra- ditur Methodus venandi definitiones ad ſcientiarum conſtitutionem.

li. 1. Top. c. 11.

li. 1. Top. c. 11.

li. 2. Poſt. Anal. c. 14

De Methodo diuiſiua.

QVod autem generum diui- ſio, quam quidam ſummo- pere

pere commendarunt, vt exigua quædam pars explicatæ Methodi, hinc facile dignosci potest, cũ diuisio sit tanquã imbecillis quidam & imperfectus syllogismus, cum in ipsa petitur, quod esset demõstrãdum, & semper per diuisionẽ syllogismo colligitur id, quod excedit (vt magis vniuersale existẽs) illud, quod proponitur demonstrandum. Et id quidem primo latuit eos, qui hanc Methodum diuisiuam professi sunt, illã eximie commendantes. Quemadmodũ & in hoc fuerunt errore, qui existimarunt via diuisiua substantiæ, & eius quod quid est astrui posse demonstrationem: quod minime verũ est, vt patebit ex lib. 2. Post. Analy. Vnde hi redarguuntur; tũ quòd non assequuti sunt, quidnã cõtingat excerpi ex diuisione, quod possit syllogismo concludi: tum quòd ignorarũt Methodum superius expositam, qua syllogismi comparari possunt.

Vt autem perspicue appareant obiecta, quæ militãt aduersus Methodum diuisiuam, illud præ oculis nobis esse debet, medium terminum, quo syllogismus construatur præsertim affirmatiuus, semper in minus se habere debere, & non latius se extendere ad maiorem extremum terminum. Atqui huius ordinis contrarium molitur ipsa diuisio, vti ea, quæ mediũ semper assumat vniuersalius, quàm sit vterq; terminus problematis. Et. n. hunc in modum procedunt qui diuisiua Methodo vtũtur. Sit (inquiunt) A animal, B mortale, C immortale, D homo: quibus ita suppositis, conãtur deinde demõstrare quòd homo est animal: quoniam animal diuiditur in rationale, & irrationale, & subrationale supponitur homo; omne autẽ animal, subinuũt, est mortale, aut immortale: vnde inferunt quòd homo est, aut mortalis, aut immortalis. Ex ijs autem apparet contra regulas syllogisticas accipi mediũ terminum magis vniuersalem, (nempe ANIMAL, quod est vniuersalius) quàm sit aut mortale, aut immortale. Sed & in huiusmodi progressu accipitur & petitur, quòd homo est aial: sicuti etiam petitur, & non concluditur syllogismo, quòd homo sit mortalis: licet ex opposita diuisione possit inferri, quòd homo aut est mortalis, aut immortalis: quemadmodũ & ex eadẽ diuisione inferri necesse est, quòd animal aut est mortale, aut immortale.

Rursus ijdẽ supponentes A animal, B pedes habens, C sine pedibus, D homo; vlterius deinde progrediuntur, assumentes, quòd homo est aial mortale: Et diuisione subinducta, quòd omne animal mortale aut habet pedes, aut non habet pedes, subsumunt, quòd homo aut est animal mortale pedes habens, aut nõ habens pedes, ita semper subsumẽtes medium magis vniuersale, quam sit terminus maior probandus: semperq; petẽtes illud, quod esset demonstrandum: nempe, quòd homo sit animal mortale pedes habens: adeo vt nihil, iuxta hunc progressum diuisiuum necessario cõcludatur: neq; copia propositionum ad syllogismos conficiendos hinc proprie comparetur. Accedit, quòd ad destruẽdum problema nullatenus accommoda esse potest ipsa diuisio: quãdo syllogismi destructiui non colligantur nisi existente altera propositionũ negatiua: diuisiua autem Methodus suppo-

sitionibus

ſitionibus tãtum affirmatiuis innititur. Sed neq; de proprio, & accidenti, aut de genere via diuiſiua quidpiam colligi poteſt, neque de illis rebus, quæ dubiæ ſunt, an ita aut non ita ſe habeãt. Veluti de hoc problemate, num diameter ſit menſurabilis, aut immenſurabilis. Nam ſi accipiatur, quòd omnis lõgitudo ſit menſurabilis, aut immenſurabilis, & ꝙ diameter eſt longitudo, vtiq; ſequetur, ꝙ diameter ſit dicendus aut menſurabilis, aut immenſurabilis: ꝙ autem ſit immenſurabilis ſyllogiſmo non colligitur; ſed accipitur, & petitur tãquam probatum. Atqui ſyllogiſmo ducẽte ad impoſſibile demõſtratur, ꝙ diameter eſt immenſurabilis. Ex ijs igitur manifeſtum eſt, Methodũ diuiſiuam neq; deſeruire ad omnem rerum perſcrutationẽ; neq; in quibus maxime videtur locum habere pro venanda. ſ. rerum definitione, vtilem vndequaq; eſſe; ſed mancam apparere. Ex quibus itaq; demonſtrationes fiant, & ad qualia ſit reſpiciendum, ſecundũ vnumquodque problema, ex dictis eſt perſpicuum.

Adnotationes.

D*Iuiſio per genera, parua quadam particula.* Pro venandis ſyllogiſmi non nihil conferre poteſt diuiſio facta per genera, quatenus per eam explicantur; & excerpũtur differentiæ rerũ, quæ pertinent ad definitionem: principiũ aũt demõſtrationis (vt ſępius dicit in lib. Poſt. Anal.) eſt definitio. Et cùm ſubiungitur, *velut imbellis ſyllogiſmus*, hinc innuitur, nõ cõcludi via diuiſiua, quod intenditur demonſtrari, quum id petatur, & ſine probatione accipiatur, vnde iure imbecillis eſt, & imperfectus huiuſmodi ſyllogiſmus.

Ratiocinatur autem ſemper aliquid ſuperiorũ. Id eſt dicere, ꝙ medius terminus, de quo fit ratiocinium via diuiſiua, veluti dicẽdo, omne animal, aut eſt mortale, aut immortale, ſuperat alterutrum extremorum: eſt. n. magis vniuerſale, quàm ſit aut mortale, aut immortale, & quàm homo; cum tñ in prima figura medius terminus in minus ſe habere debeat quàm maior terminus: in ſecunda autem figura nihil affirmatiuũ colligitur; diuiſio autem dirigitur ad definitionem venandam, quæ affirmatiua debet eſſe.

De ſubſtantia demonſtrationem fieri. Redarguit fautores Methodi diuiſiuæ, qui exiſtimarint poſſe aſtrui demõſtrationẽ de ſubſtantiã, hoc eſt de eſſentia rerum, quæ etiã competit accidentibus: vnde ſubiunxit, *&* *de eo quod quid eſt*, vt ita magis in vniuerſum complecteretur etiam accidentiũ definitiones, licet magis proprie cõpetat definitio ſubſtantiæ, vt cõtra diſtinguitur ab accidentibus, vt docetur in lib. 7. Metaph. Non poſſe autem cõfici demonſtrationem ꝓprie de ipſo quod quid eſt, exacta diſputatio habetur in lib. 2. poſt. Analyt. vbi etiã de Methodo diuiſiua tractatur diuerſo tñ ſcopo ab hoc præſenti: ſicuti & de eadem in lib. 7. Metaph. agitur.

li. 7. Met. c. 1.

lib. 2. poſt Anal. c. 14

li. 7. Met. c. 12.

Ex quibus igitur demonſtrationes fiant. Nẽpe dictum eſt in genere, ꝙ ſyllogiſmi cõſtituãtur ex conſequentibus, antecedentibus, & repugnantibus: non autem hic eſt ſermo de conditionibus, quę conueniunt principijs demonſtratiuis; de quibus agitur in Poſt. Analyticis.

IN TERTIAM SECTIONEM lib. Pr. Analyt.

Generatim exponuntur, quæ obſeruanda ſunt in reſolutione ſyllogiſmorum.

NVnc vero explicandum eſt, qua nam arte, quaue ingenij opera ſyllogiſmi omnes, tum ſimplices, tum mutiles, tum incõplexi & inuoluti, ſinguli in propriam figuram ſecundum ordinẽ trium figurarum reſoluãtur. Hęc enim reliqua eſt pars huius præſentis operis; qua adiuncta alijs duabus partibus præcedentibus, quarum prima modos cõtinet ſyllogiſmos cõficiendi, altera facultatem tradit venandi propoſitiones ad ſyllogiſmos cõſtruendos, finem eſt habiturũ id, quod propoſitum fuit tradere de ſyllogiſmo: & quæ tradita ſunt, adhuc ẽt certiora, & manifeſtiora reddentur ex ijs, quæ ſubijcienda ſunt,

cum omne verum ſibi ipſi conſonum, & vndequaq; conſentiens eſſe debeat.

Ad hoc autem munus obeundum, & apte abſoluendum, nẽpe ſyllogiſmos in proprias figuras reſoluendi, quàm plurima competit animaduertere, & præſtare. In primis illud, vt ex propoſito ſermone duæ excerpantur propoſitiones, circa quas poſtea ad ſyllogiſmi manifeſtationem atq; reuolutionem fiat animaduerſio. Siquidem orationẽ in maiores partes diuidere, quàm in minores, promptior eſt via; compoſita autem ſunt maiora illis, ex quibus componuntur.

Deinde vero inſpicere oportet vtra harum propoſitionum in toto ſe habeat, vt ſit maior propoſitio, & quæ ſit minor. Et ſi ambæ, quæ ad ſyllogiſmum conficiendũ requirũtur, aſſumptæ non fuerint propoſitiones, ſufficere eam opus erit, quæ ſit omiſſa. Interdum.n. tam hi, qui ſcribant, quàm qui interrogant, vniuerſalem, ipſam maiorem propoſitionem proponũt, & reticent eam, quæ ſub ea continetur: aut è cõuerſo ſe gerunt, vt maiorem reticeant, & minorem proponant: aut vtramq; proponẽtes, eas ex quibus concluduntur, prætermittunt, & alia quædam ſuperuacanea interrogant. Vnde oportet animaduertere, num aliquid ſuperuacaneũ ſit aſſumptũ, & aliquid omiſſum, qđ ſit neceſſarium ad ſyllogiſmi integritatem, & hoc ſupplere: illud vero aliud auferre, donec ad duas propoſitiones perueniatur, ſine quibus non adeſt via ad huiuſmodi interrogatas orationes reſoluendas.

Et quidem nõnullarum orationum defectus facile eſt cõſpicere: nonnullæ vero latent, quæ videntur ſyllogiſmum continere, ex eo quòd ſit neceſſe aliquid contingere ex ijs, quæ in ipſis ſunt poſita. Veluti ſiquis ita ratiocinetur Nõ ſublata ſubſtantia, non aufertur ſubſtãtia: ſublatis autem illis, ex quibus eſt aliquid, id ipſum corrumpitur. Quippe, his poſitis, neceſſe eſt partem ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam: quod tamen ſyllogiſmo deductum non eſt, cum deſint propoſitiones ad hoc probandum. Huic ſermoni ſimilis eſt hic alius. Si homine exiſtẽte neceſſe eſt animal eſſe, & animali exiſtente neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam, hoĩe exiſtente neceſſe erit eſſe ſubſtantiam: quod tñ ſyllogiſmo nõ eſt concluſum, quum propoſitiones nõ eo modo ſe habeãt, vt poſtulat oratio ſyllogiſtica. Et in huiuſmodi quidẽ orationibus occurrit deceptio, eo ꝙ ſit neceſſe aliquid ex poſitis cõtingere. Et ſyllogiſmus eſt quid neceſſariũ. Siquidem ad plura ſe extendit & latius patet neceſſariũ, quàm ſyllogiſmus: oĩs. n. ſyllogiſmus eſt quid neceſſarium; non autem omne neceſſarium eſt ſyllogiſmus. Quare ſiquid ſequatur ex quibuſdam poſitis, non ſtatim tentandũ eſt huiuſmodi ſermonem reducere ad figuras. Sed primo oportet duas propoſitiones aſſumere; ac deinde eas in terminos ita diuidere, vt medius terminus ille ſtatuatur, qui in vtraq; propoſitione ſit contentus. Siquidem in omnibus figuris neceſſe eſt mediũ terminum in vtraque exiſtere propoſitione.

Si igitur medius terminus ita ſe habuerit, vt in altera ꝓpoſitione de quodam termino prædicetur, in altera vero quid aliud de ipſo di-

dicatur; aut ipſe de alio dicatur, aliquid vero aliud ab ipſo negetur, in vtraq; huiuſmodi terminorũ diſpoſitione erit ſyllogiſmus in prima figura; in quo (vt conſtat ex præcedẽtibus) medius terminus ſubijcitur maiori termino, & prædicatur de minori.

Si autẽ idem medius terminus prædicetur de vno, & negetur ab alio, vt ſtet vtrobiq; a parte prædicati, hinc patebit, quòd oratio ſyllogiſtica iuxta diſpoſitionem ſecundæ figuræ erit conſtructa.

Si autẽ alij duo termini de eodem medio termino prædicẽtur, perſpicuum erit ſyllogiſmum iuxta diſpoſitionem tertiæ figuræ eſſe cõſtructum, in qua medius terminus vtriq; extremo ſubijcitur: idq; verificatur tam in ꝓpoſitionibus ambabus vniuerſalibus, q̃ ſi vna tantum ſit vniuerſalis, & altera particularis. Hac itaq; inſpectione ſyllogiſticę omnes orationes ad proprias figuras reducentur. Et in qua oratione idẽ terminus pluries non dicitur, non erit ex ea colligendus ſyllogiſmus; quoniam non erit aſſumptus medius terminus, ſine quo nulla aſtruitur ratiocinatio.

Cum autem ex præcedentibus manifeſtum ſit, quale problema in ſingulis figuris concludatur, vt puta quòd vniuerſale affirmatiuũ in prima tm̃ figura colligitur, vniuerſale vero negatiuum tũ in prima, tum in ſecunda; particulare autem affirmatiuum in prima, & in tertia, & particulare negatiuũ in prima, & in ſecunda, & in tertia deducatur; hinc reſoluẽdi orationes in proprias figuras facilis, & expedita via redditur: dum animaduerterimus, non omnes figuras obſeruandas, ſed eam tantum, vel illas ſolas, in qua, vel in quib. ſingulum quodque problema cõcluditur; reliquę vero erunt omittendæ, in quibus conſtat, non cõcludi propoſitum problema. Et in quibus idem problema concludi poteſt, qui nam figuræ ſpecialis ordo in oratione propoſita ſit cõprehenſus, ex medij termini diſpoſitione patebit.

Adnotationes.

R*Elliquum. v. iſtud adhuc ex conſideratione.* Ait reliquam eſſe hanc ſpeculationẽ, quomodo ſyllogiſmi in proprias figuras reſoluantur; adeo ꝙ explicata hac parte, finẽ (ait) habiturum, quod propoſitum fuit in proœmio, ꝙ eſſet ſcopus agere de ſcientia demonſtratiua, & ob hanc de ſyllogiſmo: de quo (quantum attinet ad demõſtrationem) ſat eſſe videntur, quæ in hoc libro expediuntur: nempe ſyllogiſmos cõficiendi explicatio, methodi propoſitiones inuẽniendi traditio, & modi ſyllogiſmos reſoluendi in ꝓprias figuras eruditio; quæ in hac poſtrema huius libri parte abſoluitur opus ita quidẽ præſtans, & excellens, vt perfici abſq; partium pręcedentium cognitione non poſſit. Vnde & hi libri Analytici græce, reſolutorij latine ab hac doctrina præſtãtiſſima reſoluendi ſyllogiſmos hic tradita inſcriptĩ fuerunt; prout in prolegomenis explicatũ eſt. Quæ vero tractantur in libro huic cõſequẽti, ad omnimodam ſyllogiſmi perſcrutationem quadam reductione pertinent; prout ex libri illius explicatione erit perpendendum.

Accidit autem & prius dicta confirmari. Veluti, ꝙ ſub tribus ante explicatis figuris omnes ſyllogiſmi contexantur: quod quidẽ ex opere reſoluendi orationes ſyllogiſticas pariter cõprobatur; vt ita verum vndequaq; ſit ſibi cõſentiens: alioquin, quod ſupponitur verum, ſi ſibi omni ex parte non cõueniret, non eſſet abſolute verum.

Facilius namq; in maiora, quàm minora diuidere. Nempe facilius eſt orationem cõpoſitam ex pluribus partibus, partiri in propoſitiones, quàm in terminos. Siquidẽ termini nõ ita illuceſcunt quinam ſint, niſi diuidantur propoſitiones; vnde oportet illas prius diuidere. Dicit autem Ariſtoteles, facilius eſſe diuidere in maiora, quàm in minora, hinc innuens quantitatem magnitudinis: quæ (vt aduertit Ioan. Gram.) conuerſo modo ſe habet ad multitudinem. Nam, in maiori magnitudine in partes magnas facta diuiſio, numeri multitudo parua ſuccedit; maior autẽ in diuiſione magnitudinis facta in partes minores, quia ſic in plures facta erit partes.

Io. Gra.

Vtra in toto, & vtra in parte. His verbis nõ demõſtratur, ꝙ altera propoſitio ſit vniuer-

ſalis, & altera particularis; ſed ꝙ altera ſit maior, in qua vigeat dictum de omni, ſub quo minor propoſitio cõtinetur. *Aut has quidem proponunt, per quas vero concludantur, prætermittunt.* Intelligunt Alex. & Io. Grã. propoſitionem minorem omitti, quã aiunt perfici per vniuerſalem propoſitionẽ. Quorũ interpretationi obſtat dictio in pluriũ numero poſita, *has quidem proponunt*, vt ita maiorem, & minorem propoſitionem inſinuet proponi: omitti autem illas propoſitiones, ex quibus, quæ ſint in ſyllogiſmo, poſſunt comprobari, pro ut cõtingit ſæpe numero, & huic expoſitioni videtur poſtea Alexander adhęrerę.

Quare non ſi quid accidit poſitis quibuſdam. Hoc habet, ꝙ ſi in oratione propoſita aliquid neceſſariũ ſequitur, nõ propterea ſupponendum, ꝙ huiuſmodi oratio in ſyllogiſmum poſſit reſolui: Nam, inquit, neceſſariũ ad plura ſe extendit, quàm ſyllogiſmus; qñ omnis ſyllogiſmus importat aliquid neceſſarium; nõ autem e contra omne neceſſariũ eſt ſyllogiſmus. Nam qui ita ſermocinetur. Nam ſublata ſubſtantia, illis autem, ex quibus ſubſtantia cõponitur ſublatis, & quod ex illis componitur, corrumpi oportet; aliquid quidem neceſſarium enũciat, quod tñ in ſyllogiſmi rationem nõ cadit. Non.n. in huiuſmodi oratione expoſitis neceſſe eſt quid aliud ſequi, ob ea, quæ poſita ſint, vt requiritur in ſyllogiſmo iuxta traditam de eo definitionem.

Si itaq; & prædicetur, & ſubijciatur medium. Gręcę legitur, κατηγορῆ καὶ κατηγορῆται, qua vocis varietate vſus eſt quoq; Ariſtoteles in lib.1. poſt Anal. vbi tractat de modis dicendi per ſe, & voce actiua ſignificatur, medium dici de alio, paſſiua vero aliquid prædicari de medio.

Li.1. Poſt. Anal.c.4.

Quæ ſint aduertenda, ne in ſyllogiſmorum reſolutione decipiamur.

QVo autem facilius in proprias figuras ſyllogiſmos reſoluamus, diligenter animaduertenda ſunt, quæ negociũ in hoc opere faceſſere poſſunt, & parere deceptionem. Inter quæ illud in primis occurrit, quod & antea ſignificatum eſt, ne vbicunque aliquid neceſſarium in oratione appareat, ſtatim exiſtimemus id ad ſyllogiſmum poſſe reduci, cũ latius pateat neceſſariũ, quàm ſyllogiſmus, vt dictum eſt. Vnde oportet perpendere, num ex poſitione terminorum iuxta cõbinationem ſyllogiſticam, ſequatur, aut non ſequatur neceſſarium.

Aliter etiam cõtingit deceptio ob ſimilitudinem, in qua videntur termini in oratione eſſe diſpoſiti, pro ut poſtulat ordo ſyllogiſticus: neq; tñ ita ſe habent, licet parum abſit ipſorum a recto ordine diſpoſitio. Veluti ſi A dicitur de B, & B de C, ſic videretur ſequi, ꝙ etiam A dicatur de C, qđ tñ falſum erit: vt puta, ſi quis ita ratiocinetur. Ariſtomenes intelligibilis, ſemper eſt; Ariſtomenes eſt Ariſtomenes intelligibilis; nõ tñ ex ijs ſequitur quod Ariſtomenes ſit ſemper, cum ſit corruptibilis. Hæc deceptio pendet ex eo ꝙ nõ vniuerſalis ſit accepta propoſitio maior; ſicuti acciperetur, dicendo omnis Ariſtomenes intelligibilis ſemper eſt; quæ deinde ſic accepta falſa erit, qm̃ Ariſtomenes corruptibilis nõ eſt ſemper. Idcirco tanquam idem ſit dicere, hoc ineſſe huic, & hoc huic omni ineſſe, penes medium exiſtens deceptio nuncupatur.

Aliud etiam faceſſit negocium in ſyllogiſmorum reſolutione, eo ꝙ termini recte non proponãtur. Nam ſiquis ita ratiocinetur. Nulli morbo ineſt ſanitas, omnis homo eſt ſuſceptiuus morbi, videtur concludi, ꝙ nulli homini contingit ſanitas, ꝙ tñ falſum eſt. Et id prouenit, qm̃ termini perperam ſint poſiti. Quandoquidẽ ſi tranſmutentur ab habitu, ad vocẽ deductam ab habitu, vt dicendo nullum ægrum eſt ſanum, facile dignoſceretur falſitas ꝓpoſitionis, ꝙ cõtingat nullum ęgrum eſſe ſanum. Vnde ita ratiocinando; cõtingit nullum ęgrum eſſe ſanum, omnis homo æger, non ſequitur, quod contingat nullum hominẽ

eſſe

esse sanum; nisi supponatur conclusio ipsius cótingendi non inesse. At hoc non est impossibile, qm contingit nullum hominem esse sanum; sicuti etiam contingit nullum hominem esse ægrum; & ita astrueretur syllogismus in prima figura.

Similiter in secunda figura si fiat hunc in modum syllogismus: nulla ægritudo est sanitas, homini inest sanitas, nó sequitur ꝙ nulli homini inest ægritudo: deceptioq; cótingit ob prauam terminorum positionem.

Pariter in tertia figura contingit omni homini inesse ægritudinem; & tñ falsum est, ꝙ alicui ægritudini insit sanitas. Verum mutatis terminis ab habitu in aliam locutionis formam, aut propositiones acceptæ falsę apparebunt: aut alio modo vera cóclusio deducetur.

Aliud etiam affert difficultaté, & deceptionem in syllogismorũ resolutione, si semper velimus singulos terminos singulis terminis exponere, quũ sępe numero termini sint quædam oratione exponédi, & nó aliter exponi possint. Et hinc nonnulli in eum incidunt errorem, vt censeant immediatas propositiones posse demonstrari, quod falsum est. Et id, qm in nónullis ꝓpositionibus termini pluribus vocibus exponãtur; quemadmodum perspicuum est (inter cætera) de ea demóstratione, qua ostenditur triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis, cum hęc omnia, habere tres angulos æquales duobus rectis, pro vno termino apponantur. Idcirco non semper tentandum est reducere terminos oẽs ad singularia noĩa in resolutióe syllogismorũ.

Hinc etiam obseruandum est, ne termini omnes sub recto nomine ponantur. Nam aliqñ contingit, vt maior terminus de medio dicatur in recto, medium autem alio modo prædicetur de minori. Veluti in hac oratione; sapientia est scientia, boni est sapientia, có cluditur quòd boni est scientia; quum tñ in maiori propositione in recto casu esset prædicatio ꝙ sapientia est scientia.

Interdum etiam maior propositio in obliquo casu profertur, & minor in recto, vt in hac oratióe. Aequalis, vel contrarij est scientia, bonum est æquale & contrarium, ergo boni est scientia.

Interdum nec maior de medio, nec medium de minori in recto, sed in obliquo prædicatur, vt in hac oratione; cuius est scientia, huius genus est: boni est scientia, ergo boni genus est; cum etiam possit inferri cóclusio in recto, néque ergo bonum genus est. Quare non tentandum semper reducere terminos propositionum ad casum rectum, cum sępissime vsus loquendi postulet, vt nomina obliquo sint ponenda. Sed illud quidem accurate obseruandum est, vt inesse hac huic, vel hoc de hoc verificari tot modis accipiatur, quot sunt distincta prædicamenta, vel si simpliciter inexistant, vel secundum quid, siue có plexe, siue incomplexe; & hęc apponere in propositionibus aut in recto, aut in obliquo casu, vt cũq; contingit. Sed hæc exactius etiã sunt determinanda.

Adnotationes.

PRaeter necessarium: Deceptio contingit eiusmodi in oratione, vt existimetur

aliqua oratio syllogisticam formam habere, quam tamen non habet: Et hoc quidem, quoniam in oratione quidpiam necessarium cõtinetur: vt in hac; Si, existente homine necesse est aĩal esse, & existente aĩali necesse est substantiam esse, igitur existente hoĩe necesse est substantiã esse: id quippe est necessarium, quod tñ non sequitur ob posita, vt exigit syllogismi definitio.

Frequenter autem mentiri accidet. Ait, contingere non rectam, & veram cõclusionem inferri ex propositionibus, licet sint veræ, eo quòd non recte apponantur termini; vt si secundum habitum exponantur, cum alio modo exponi debeant veluti si ita dicatur. Nulli sanitati inest morbus, homo est susceptiuus sanitatis; ex quibus propositionibus, licet sint veræ, non sequitur cõclusio vera; hæc nẽpe, quòd nulli hoĩ inest morb⁹ sed dicendum, ꝙ nullum sanum est ægrum. Vnde permutandæ sunt orationis formæ, ne decipiamur in resolutione syllogismorũ.

Inesse autem hoc huic, & verificari hoc de hoc. Vt habet Arist. in lib. 2. Metaph. Verum ita se habet ad esse, vt sicuti res obtinet de entitate, ita quoq; se habet ad veritatem. Vnde idem est dicere (ꝓut hoc loco habetur) aliquid inesse alicui, & verificari aliquid de aliquo. Et cum subiungitur, accipiendum esse tot modis aliquid de aliquo, quot modis Prædicamenta, sunt distincta, hinc colligitur, ab Aristotele pręsupponi prędicamẽtorum distinctionem tanquam iam præhabitam. Et ideo huic operi pręmittendam, vti pertinentem ad Organũ, ꝙ est obseruandum ad infringẽdam opinionẽ Mirãdulani excludẽtis a logico negocio Prędicamenta.

Aliquo modo, aut simpliciter. Aliquo modo, & secundum quid ęthiops est albus secundum dentes: *simpliciter* aũt coruus est niger.

Amplius simplicia, veluti homo est animal: *aut complicita*, veluti Socrates Philosophus ambulat. Et cum subiungitur hęc melius esse distinguenda; avt id dictum est respectu propositionum simplicium, & implicitarũ, de quibus velit Aristoteles exactius cõsiderare. Aut a nobis id pręstandum, significauit; pro ut exponit Ioan. Gram. Aut respicit omnia capita superius explicata secundum expositionem Alexandri.

Alexan. Io. Grã.

De Reduplicato, & de varia terminorum expositione.

Reduplicatum autem in propositionib⁹ primo extremo termino apponendum, & non ad medium. Veluti si syllogismus esset astruendus, quòd iustitiæ est scientia quatenus bonum, ipsi bono, quatenus bonum, erit apponẽda reduplicatio.

Sit.n. A scientia, B quoniam bonum, C iustitia, ita astruetur syllogismus.

Boni est scientia quoniam bonum; iustitia est bonum, igitur iustitiæ, est scientia qm̃ bonum; & hunc in modum fieret syllogismi resolutio.

Non autem si medio termino reduplicatum apponatur. Nã erit quidem verum, ꝙ scientia est bonum; quod aũt iustitia sit bonum quatenus bonum, id falsum, & imperceptibile est.

Similiter si sit ostendendum, ꝙ salubre sit scibile, quatenus bonũ; aut quòd hircoceruus sit opinabilis, quatenus non ens: aut ꝙ homo sit corruptibilis, in quantũ est sensibilis; in omnibus ijs & similibus apponenda erit reduplicatio maiori termino, & ĩ medio.

Hoc etiam non ignorandũ est, non eandem esse terminorum positionem, qñ aliquid simpliciter sit concludendum, & qñ non simpliciter, sed vt aliquid, aut quo, aut quomodo. Nam aliud est ostẽdere absolute, ꝙ bonum est scibile, & aliud ostendere, ꝙ aliquid sit scibile, qm̃ bonum. Vnde si simpliciter scibile sit ostendendum, oportet assumere mediũ ens absolutum. Si autem qm̃ bonum est, oportet medium aliquod ens statuere. Sit.n. A scientia, qm̃ aliqđ ens, B aliquod ens, C bonum, verum erit A prædicari de B, nam scientia erit alicuius entis qm̃ aliquod ens: item bonum est aliqđ ens, vnde sequitur, ꝙ boni est sciẽtia, qm̃ aliqđ bonum. Siquidẽ suppositum est aliquod ens signum esse propriæ substantiæ; nẽpe accepti, vt quoddam est particulare. Quòd si medium positum sit ens, & maiori termino apponatur ens simpliciter, & non aliqđ ens, nõ erit syllogismus, ꝙ scientia est boni, quoniam aliquod bonum,

sed

sed quoniam ens, ac si ita erigatur syllogismus.

Boni est scientia, qm̃ ens, bonum est ens, ergo boni est scientia, quoniam ens.

Vnde patet, quòd secundum prædictam limitationis formam oportet exponere terminos, ex quibus conclusio secundum quòd sit deducenda.

Ad hæc obseruãdum est, vt nomen pro nomine, quod idem valeat, permutetur, ad faciliorem terminorum intelligentiam; nec non oratio pro oratione, & loco orationis, vbi id liceat, nomẽ apponere. Veluti si dicere, suspicabile non est genus opinabilis, nõ differt ab hac oratione, quòd opinabile non est aliquod suspicabile (idem.n.significatur) loco prędictæ orationis, termini SVSPICABILE, & OPINABILE apponendi erunt; vt ita astruatur propositio: opinabile non est suspicabile.

Præterea, qm̃ non est idem dicere, voluptatem esse bonum, & voluptatem esse ipsum bonum; idcirco non eodem modo exponendi sunt termini secundũ vnã, & secundum alteram formã orationis. Sed si astruendus est syllogismus, quòd voluptas est ipsum bonũ, terminus exponendus erit sub hanc typum accipiendo, ipsum bonum. Si autem alio modo sit astruendus syllogismus, quòd voluptas est bonum, terminus ꝓponetur bonum absq; vlla adiectione.

Vlterius aduertendum, quòd non est idem dicere, cui inest B, huic omni inest A, & dicere, cui omni inest B, & huic omni inest A. Etenim nil prohibet B inesse ipsi C, non tamen omni C. Veluti sit B aliquid honestum, C vero sit album. Quare si alicui albo inest aliquod honestum, erit quidẽ verum dicere, quòd albo inest honestum, non autem fortasse verum, quòd omni albo insit. Quapropter si A inest ipsi B, nõ omni autem C insit, de quo B dicitur, in hoc, vel si B insit omni C, vel insit solum, non solum non est necessarium, quòd A insit omni C, sed neq; quòd ei insit. Nam poterit B inesse alicui C, cui non insit A. Si autem de quocumq; vere dicitur B, huic omni inest A, sic contingет, vt A de omni illo dicatur, de quo omni etiam dicitur B. Si autem A dicitur de omni, de quo dicitur B, nihil prohibet B inesse ipsi, non autem A inerit omni C. Aut neq; ei inerit, quoniam.s. neque de omni C dicatur A. In tribus itaq; terminis manifestũ est, quòd de quocunq; omni dicitur B, etiam A dicetur. Et si B de omni C dicitur, etiam A de omni C dicetur. Quòd si B de omni non dicitur, neq. A dicitur: Si autem B non de omni C dicitur, non necesse quòd A omni insit C.

Non est autem existimandum, quòd aliquod absurdum contingat ex positione facta terminorũ sub elementis, quibus explicata est forma, & ratio syllogismorũ. Non enim hæc adhibita sunt tanquam supponeretur, dum diceretur A inesse ipsi B, quòd huic vere inesset; ac si in eiusmodi elemẽtis reuera aliquid astrueretur. Sed hæc ita præstita sunt, ꝓput & Geometra hanc vel illam lineam pedalem & absq; latitudine ponit, non ita reipsa existentem, sed ad rem magis ante oculos ponendã, & non quod ex eiusmodi suppositione suam astruat demõstrationem

nem, quæ aliunde pendet. Omnino enim vbi non fuerit aliquid vt totum ad partẽ se habens, & quid aliud se habens ad illud vt pars ad totum, prout ordo syllogisticus exigit, vt sit q̃d in toto se habens, & aliud sub ipso contentum vt pars, nullatenus, ex ijs quæ nõ ita se habuerint, syllogismus aliquid ostendens obtinebitur. Expositio autẽ sub terminis assignata huc tendit, ac si hac via ponantur sub sensu addiscentis, quæ ꝓponuntur; non autem ꝙ absque illis ostendi non possint, quæ traduntur.

Adnotationes.

B*onum.n. quoniam bonum.* Docet hoc loco de reduplicatione apponenda ad maiorem terminorum, vt est dicere, boni est scientia q̃m bonum; iustitia est bonum, vt deducatur, ergo iustitiæ est scientia q̃m bonum. Si autem ita diceretur, iustitia est bonum q̃m bonum, id esset falsum, & imperceptibile; falsum quidem q̃m iustitia non est ipsum bonum, licet sit bona: imperceptibile vero, q̃m nõ apparet, quid significetur hac oratione, iustitia est bonum, quoniam bonum.

Quando simpliciter aliquid. Est discrimẽ aliquid proferre, seu ratiocinari simpliciter; veluti absolute dicere; ꝙ bonum est scibile: *aut aliquid*, vt ꝙ scientia est aliquod bonũ; *aut quo*, nempe in quadam parte, sicuti æthiops albus secũdum dentes: aut *quomodo*, vt tragelaphus opinabilis vt non ens.

Namq; aliquod ens erat propria substantiæ. Hoc est rei non simpliciter, secundum quid cõsideratæ, signum, & explicatio eius essentiæ continet aliquod ens: adeo vt consideretur, vt est aliquid, & non absolute vt est ens.

Qui in parte. Syllogismi particulares intelligũtur illi, in quibus aliquid cõcluditur secundum quid, & non simpliciter, prout modo dictum est.

Non oportet autem existimare. Occurrit hoc loco Arist. tacitæ obiectioni: q̃m potuisset aliquis existimare, ꝙ ex ꝓpositione terminorum A B C, & alijs huiusmodi ex litterarum elementis desumptis cõtemplationes de ordine syllogistico traditę pendeant: q̃d inficiatur, asserens hæc assumpta fuisse ad faciliorem doctrinæ allatæ perceptionem; tanquam hinc sub oculis omnia ponantur, & quasi sentiantur, quum huiusmodi apposita elementa imaginationi optime deseruiant ad speculandum. Quemadmodum cõsueuerunt etiam Mathematici, ad faciliorẽ demonstrationum perceptionem, suppone re lineam aliquam pedalem esse, & sine latitudine, quæ tñ reuera non erit huiusmodi; non quòd intendant ex eiusmodi suppositionibus pendere vim suarum demonstrationum. Ita igitur in explicato de syllogismo tractatu adhibita sunt elementa litterarũ, vt facilius singula perciperentur, quæ tradita sunt, quorum tñ veritas ex ijs non pendet: sed vniuersa speculatio ex dicto de omni, & de nullo, & ex conuersione propositionum, & alijs huiusmodi comprobatur.

Ex hoc colligitur, iure optimo logices contemplationem iuxta vocum traditionẽ afferri ad faciliorem intelligentiam notionum, quæ dicuntur secundę & posteriores, quæ satis sunt obscuræ, vt quę exiguam habeant entitatem: quemadmodum in primis Organi præfationibus latius animaduertimus.

Traduntur nonnulla documenta ad faciliorem syllogismorum animaduertimus.

ET vt facilius adhuc resoluendi syllogismos doctrina absoluatur, hæc etiam erunt animaduertenda. In primis non esse existimãdum, quòd in eodem syllogismo, in quo & pro syllogismi adhibeantur, omnes cõclusiones in eodem eiusdem figuræ modo perficiantur, cum possint aliquæ conclusiones in vna figura, & alię in alia perfici; vnde & resolutiones syllogismorum sunt faciẽdę, prout conuenit in vnaquaque figura.

Et cum non omne problema in vnaquaq; figura cõcludatur (non .n. vniuersale, affirmatiuum in alia quàm in prima figura deducitur vniuersale autem) negatiuum in prima & in secunda: sicuti particulare affirmatiuũ & in prima, & in tertia, & particulare negatiuum in omnibus figuris concluditur:) idcirco ex animaduersione conclusionis facile dignoscetur, in quam nam figurã sit resoluendus vnusquisq. syllogismus: vt puta, cum affirmatiuũ vniuersale in sola prima figura colligatur, ideo in resolutione huiusmodi

di syllogiſmi noſtrũ ſtudium ad ſolius primæ figuræ diſpoſitionẽ erit conuertendum.

Ad hæc, in illis orationibus, in quibus diſſeritur de definitionibus, & ad vnum aliquod in definitione poſitus ſit ſermo, expedit vt ad id, de quo ſit ſermocinatio, apponatur terminus, & non ad totam orationem: ita.n. minus continget mentem conturbari ex ꝓlixitate ſermonis. Veluti, ſiquis oſtenderit aquam eſſe humidum potabile, ponendi erunt termini, aqua, & potabile humido prætermiſſo.

Præterea id etiam memoriæ cõmendandum, ne tentemus reſoluere syllogiſmos ex ſuppoſitione conſtantes. Nam hos non licet reducere ex poſitis; ſed omnes ex mutua conuentione diſputantiũ vti confeſſi accipiuntur. Veluti, ſi quis ſupponens quòd ſi nõ eſt eadem & vna potentia cõtrariorũ, neque vna & eadem erit ſcientia contrariorum, pro confeſſo id accipiet; probabit autem quòd non ſit vna & eadem potentia contrariorum: vt puta ægri & ſani, quoniam idem eſſet ſanum, & ægrum. Et hanc quidem probationẽ syllogiſmo collectam liceret reſoluere: non autem illud, ꝙ ſit vna ſcientia contrariorum; quamquã & id poſſet syllogiſmo comprehendi extra ſuppoſitionem.

Conſequenter neq; syllogiſmi ducentes ad impoſſibile ſunt reducendi, quum & ſuppoſitione omnes perficiantur, & ſolum differũt in hoc ab alijs hypoteticis, quòd in alijs ſuppoſitio ex mutuo diſputantium cõſenſu accipitur: in ducentibus autem ad impoſſibile, syllogiſmus etiam ꝙ ex cõſenſu nihil accipiatur, attamen infertur deductio ob falſum ita manifeſtũ, vt negari minime poſſit. Verum differentiæ horum syllogiſmorum exactius in ſequentibus explicabuntur.

Adnotationes.

IN *eodem ſyllogiſmo non omnes concluſiones.* Syllogiſtica ſupponitur oratio compoſita, in qua ſint pro ſyllogiſmi. Vnde animaduertit Ariſtoteles, ꝙ omnes non abſoluuntur per vnum & eundem modum vnius figuræ: ſed alij vno modo, alij alio, & in diuerſis figuris conficiuntur: vt patet quòd ſi vnius ſyllogiſmi habiti in ſecunda figura, affirmatiua propoſitio eſſet ſyllogiſmo probanda, vtiq; non in ſecunda figura conficeretur, ſed recurrere oporteret ad primam, aut ad tertiam: quare & reſolutiones iuxta huiuſmodi animaduerſionẽ erunt faciẽdę.

Manifeſtum ex concluſione. Veluti, ſi concluſio exiſtat vniuerſalis affirmatiua, perſpicuum erit ꝙ ſyllogiſmus ad primam figurã erit reducendus; cum in hac ſola problema vniuerſale affirmatiuum colligatur. Si autẽ fuerit concluſio negatiua vniuerſalis, vel ad primam, vel ad ſecundam figuram erit ſyllogiſmus reducendus; & ita de alijs problematibus erit proſpiciendum.

Non.n. eſt ex poſitis. Syllogiſmi hypotetici dicuntur non eſſe ex poſitis penes hoc, quĩ quod ex mutuo conſenſu ſupponitur, id ſyllogiſmo non oſtenditur: Vnde penes hoc non ſunt reſoluendi, ſed penes alia, quę ſyllogiſmo probantur.

De reſolutione ſyllogiſmorum ex vna figura in aliam.

IAm vero, vt vniuerſa abſoluatur tractatio reſoluendorũ ſyllogiſmorum, cũ ex ante explicatis pateat ſyllogiſmos ex vna figura in aliam poſſe traduci, idcirco & de huiuſmodi reſolutione peragendum eſt. Itaque regula erit generalis, quòd negatiuum tam vniuerſale, quàm particulare, quòd ſyllogiſmo colligitur in prima figura, ad ſecũdam reſolui poteſt peracta cõuerſione vniuerſalis negatiuæ in ſe ipſam.

Quæ vero concluduntur, in ſecunda figura, ſi ſint vniuerſalia

nega

negatiua ad primam figuram reducentur, commutata vniuersali negatiua in se ipsam.

Si autem sint particularia negatiua, nequeunt resolui ad primā figuram; qm̄ particularis negatiua in terminis non conuertitur, sed ratiocinio ducente ad impossibile reducentur; vt ostensum est in fine primę sectionis huius libri.

Adhuc modi omnes syllogistici resolui possunt ad tertiam figuram, commutata in terminis minori propositione.

Modi autem omnes syllogistici tertiæ figurę per conuersionem minoris, & particularis propositionis ad primam figuram resoluentur, excepto syllogismo, in quo sit particularis ꝓpositio negatiua, qui per deductionem ad impossibile, non autem per conuersionem propositionis reducitur ad primam.

Rursus syllogismi confecti in secunda figura omnes ad tertiam figuram cōuersione vtriusq; propositionis resolui poterunt, excepto illo, in quo sit accepta propositio particularis negatiua, quæ non conuertitur in terminis.

Syllogismi autem negatiui cōfecti in tertia figura, resolui poterunt, ad secundam, cōuersione vtriusq; propositionis, excepto illo, in quo sit particularis negatiua, quæ non conuertitur, & ideo ad secundā figurā reduci nequit.

Adnotationes.

Q*Vacunq; verò problematum in pluribus monstrantur figuris*. Resolutio etiam syllogismorum fieri potest ex reductione syllogismi confecti, in vna figura ad dispositionem alterius figurę, vel conuersione facta propositionum; vel ratiocinio ducente ad impossibile: quod opus sane non perficeretur, nisi ab eo, qui prius teneret modos & ordines conficiendi syllogismos in vnaquaq; figura, dignoscendo quo nam modo medius terminus cum duobus extremis complicetur in propositionibus iuxta dispositionem vniuscuiusq; figurę. Est quippe via resoluendi syllogismos, animaduersio circa vniuersam syllogisticam orationem reducē di eam in sua principia, quo ad propositiones & terminos, & quo ad ordinem cuiuslibet figuræ.

Multum differre, si particula negatiua ipsi verbo, Est, apponatur, aut non apponatur, & de mutua oppositione harum propositionum & earundem.

NOn est autem prætereundū, aliquid differre, si dixerimus non esse album; aut si dixerimus esse non album; qm̄ nō idem in vtraque oratione significatur; neq; huius affirmationis, *album esse*, negatio est, *album non esse*. Sed hæc, *non album esse*. Et huius quidem veritatis, a simili desumpta hæc afferri potest ratiocinatio. Etenim similiter se habet, potest ambulare ad potest nō ambulare, & scire bonum ad scire nō bonum. Sicuti se habet esse albū ad esse non album. Neq; vero interest dicere, scire bonum, & est sciēs bonum, aut potest ambulare, & potens est ambulare, quod pariter de oppositis est asserēdū; nempe, idem esse dicere, nō potest ambulare, & non est potens ambulare. Quibus ita se habentibus, si dicatur idem significari dicendo, nō est potens ambulare, & dicendo est potens nō ambulare, cum potens nō ambulare, ex definitione possibilis superius assignata, sit etiam potens nō ambulare, vt stent simul, & vna non tollat alteram enunciationem: hinc eueniet, vt non potens ambulare, sit etiam potens ambulare, & non sciens bonum, sit etiam sciens bo

num

bonum:atq; ita quæ ſunt inuicem oppoſita cõtradictorie ſecũdum affirmationem & negationem,ſimul conſiſtent & verificabuntur; quod eſt impoſſibile. Vñde, ſicut non eſt idem potẽs nõ ambulare, & nõ potens ambulare: ita quoq; non idem erit, ſcire non bonum, & non ſcire bonum,& cõſequenter nõ erit idem,eſſe non bonum, & nõ eſſe bonum; quũ eadem ratio debeat eſſe in omnibus, quæ propoſitione inuicem ſibi reſpondent. Similiter nõ erit idem, eſſe non æquale,& non eſſe æquale. Nam ei, quod eſt non æquale,aliquid ſubijcitur, ipſum nempe inęquale.Nõ eſſe vero ęquale nihil ſupponit. Vnde etiam ſequitur,ꝙ non omne aut eſt æquale, aut inæquale; ſicuti de omni eſt verificari,quòd eſt aut æquale, aut non eſt æquale. Pariter hæc,eſt lignũ nõ album, & nõ eſt lignum albũ, numquam ſimul conſiſtent, neq; idem ſignificabunt. Nam ſi eſt lignum non album, nõ tollitur lignum, ſed ſupponitur: at ſi nõ eſt lignum album, non eſt neceſſe vt ſit lignum. A ſimili igitur ratiocinãdo, cõcludendum eſt, ꝙ huius affirmationis, EST BONVM, nõ eſt negatio hæc, EST NON BONVM. Vnde ſi de omni vno vera debet eſſe aut affirmatio, aut negatio, cõcludendum eſt,ꝙ, ſi eſſe nõ bonum, nõ eſt negatio, erit quodammodo affirmatio, & cum vniuſcuiuſq; affirmationis ſit certa negatio;ideo huius affirmationis, ESSE NON BONVM, erit negatio NON ESSE NON BONVM; adeo ꝙ prædicti quattuor modi enunciationum ordinem ſubſcriptum inter ſe habebunt in mutua oppoſitione.

Eſſe bonum A. Non eſſe bonũ B
Nõ eſſe nõ bonũ. D.-Eſſe non bonũ C.
In quo ordine collocatur D ſub A, & C ſub B.

Hinc inferendum,ꝙ omni (de quocunq; ſit ſermo) inerit aut A, aut B:& vtrumq; nulli eidem inerit. Et ſimiliter omni(de quocũque ſit ſermo)inerit aut C,aut D, & vtrumq; nulli eidem inerit.

Amplius hoc etiam aſſerendũ eſt:ꝙ cui ineſt C, huic omni neceſſe eſt quoq; ineſſe B.Nam ſi verum eſt dicere, ꝙ eſt non album, verum etiam erit dicere, ꝙ non eſt album: Siquidem impoſſibile eſt eſſe album,& eſſe non album; vel eſſe lignum nõ album & eſſe lignum nõ album. Quare ſi affirmatio, ***eſſe album***, non ſtat cum hac alia, ***eſſe non album***, oportet vt ad eſſe non album, ſequatur nõ eſſe album. Non autem e conuerſo ſequitur,ꝙ cui nõ ineſt B, huic omni non inſit C. Nam,quod abſolute non eſt lignum, neq; erit lignum nõ album: quo ſequitur, quòd in plus ſe habeat, ***non eſſe album***, quàm ***eſſe non album***.

Ab alio vero latere dictarum quattuor propoſitionum, dicendum, quòd cui ineſt A,albũ eſſe, illi omni inerit D,non eſſe nõ album. Nam aut C,eſſe non album, inerit omni, aut D,non eſſe nõ album: At C,eſſe nõ album, nõ ſtat cum A,eſſe album; igitur D oppoſitum ipſius C, inerit omni, cui A ineſt:& nõ conuertitur, quòd cui ineſt D;eidem omni inſit A. Nã ſi verum eſt,lignum eſſe albũ,verum etiam erit,non album nõ eſſe lignum:Nõ autem de eo,quod abſolute nõ eſt lignum, eſt verũ dicere,quòd eſt lignum album,& tamen verum erit dicere de nõ ligno, ꝙ non eſt non album lignũ.

Manifeſtum eſt etiam,quod A

& C nulli eidem inerunt, nempe, esse album, & esse nõ album; cum tñ contingat B & D, idest, nõ esse album, & non esse non album, alicui eidẽ inesse. Veluti de chimera, verum est dicere, quòd nõ est lignum album; & etiam verum dicere, quòd non est nõ albũ lignũ.

Similiter autem ad prædicamẽta se habent priuatoriæ propositiones iuxta prædictam positionem, vt ita sint disponendæ.

Sit esse ęquale	A.
Eius opposita non esse æquale.	B
Non esse inęquale.	D.
Eius opposita, esse inęquale:	C.

De quibus similiter vera erunt, quę dicta sunt de præcedentibus.

Et in pluribus, ex quibus idem aliquibus insit, & aliquibus non insit, quæ ꝓpria est negatio, erit vera; sicuti & affirmatio. Nam vera erit affirmatio, ꝙ aliqua sint alba, similiter autem & negatio, ꝙ non sunt alba omnia, aut quòd non est quodq; album: quòd aũt est non album quodq;, aut quòd omnia sunt non alba, falsum erit. vt in ijs quoque appareat vnius ꝓpositionis, cum altera discrimẽ.

Adnotationes.

D*Iffert autem aliquid.* Memor Aristoteles eius, quod dixerat in tractatu cõuersionis propositionum contingentium, ꝙ affirmatiuam figuram, & non negatiuã habeat huiusmodi propositio *est non bonum*; qđ postea se ostensurum significabat; idcirco, in hoc loco, post explicationem syllogismi, hoc problema ex proposito tractat: idq; eo potissimum scopo, vt doceat discrimen esse in construendo & destruendo syllogismo, si assumatur aut hec propositio, *esse non bonũ*, aut hęc *non esse bonum*. Hinc statuit huius affirmationis, *esse bonum*, non esse negationẽ, *esse non bonum*: sed hanc, *non esse bonum*. Quod probat exercens conclusionem in ijs, alijs propositionibus potens est ambulare, & potens est non ambulare, quas docet simul verificari ex definitione tradita ipsius cõtingentis, quod pariter ad esse & non ad esse conuenire patefacit. Vnde subiungit, quòd sciens bonum, & sciens non bonum simul etiam consistant: quare a simili arguendo, erit verum generatim, quòd neq. erunt opposita contradictorie hæc, *esse album*, & *esse non album*; sed huic, *esse album*, erit opposita cõtradictorie hæc, *non esse album*, illi vero, *esse non album*, erit opposita contradictorie, *non esse non album*: vt ex ijs appareat, hanc propositionem, *esse non album*, habere figuram affirmatiuam, & non negatiuam. Vnde poterit prædicta enunciatio astrui in modis syllogisticis, quibus affirmatiuæ colligũtur cõclusiones: nõ autẽ eius opposita, non esse album cõstruetur syllogismo, nisi iuxta modos negatiuos. Optimo autem consilio Aristoteles dictæ veritatis argumentũ deprõpsit ex natura ipsius possibilis de quo perspicuum est, ꝙ ad vtrumlibet se habet, vt idem possit ambulare & non ambulare. Dicit aũt ꝙ differt existimare, ꝙ idẽ sit aut diuersum, dicere *esse non album*, & dicere *non esse album*. Nam in hac propositione, *esse nõ album*, omnino negatur albũ, licet in ea aliquid supponatur, idest, non album. In hac vero alia, *non esse album*, nihil supponitur. Vnde etiam probatur, huic, *esse non album*, cõsequi hanc aliam propositionem, *non esse album*: licet illa (quoniam in ea non negatur absolute subiectum) affirmatiuum dicatur habere figuram, vt ad cõstruendum possit accipi. quemadmodum hunc in modum accipitur in lib. 1. post Analyt in tractatu demõstrationis *Quia* nuncupatæ, vbi affertur exemplum de planetis non scintillantibus.

li. 1. Post. Anal. c. 10

Planum quòd affirmatio quodammodo esse põt. Huiusmodi propositio, *esse non bonum*, ait Arist. ꝙ est aliquo modo affirmatio: nẽpe, quatenus in ea non negatur subiectum, quemadmodum in hac alia *non est bonum*, cõpleta cõtinetur negatio, adeo vt possit dici, ꝙ hircoceruus nõ est bonum: nõ autem poterit vere dici, ꝙ hircoceruus est non bonum: & ideo statuitur, ꝙ ad hanc, *esse non bonum*, cõsequatur, *non esse bonum*: non autem e cõuerso dici potest, ꝙ ad *non esse bonum*, sequatur *esse non bonum*. Cum autem dictum sit ab Aristotele, ꝙ hæc propositio, *esse non album*, nõ est negatio huius, *esse album*; hinc iure merito postea intulit, ꝙ si de quocunq; aut affirmatio, aut negatio vera est, idcirco hæc, *esse non album*, si non est negatio, erit quodam modo affirmatio: cuius deinde negatio erit hæc, *non esse non album*: quẽadmodum & huius affirmationis *esse album*, opposita negatio est, non esse album, vt ex necessitate de quocunq; altera sit vera, & altera falsa.

Habent autem adinuicem ordinem hunc. Quattuor adnumerantur propositiones, binę inuicem, & binæ aliæ inuicem oppositæ, de quibus etiam est sermo in lib. Periher. Et sunt hæ, *esse album*, & *non esse album*, inuicem cõtradictorię oppositæ: & *esse non album*, & *non esse non album* pariter inuicem contradictorie oppositæ: collocaturq; sub hac, *esse album*, hæc alia, *non esse non album*: sub illa vero, *non esse album*, collocatur hæc, *esse non album*. Et hæc quidem admodum rationabiliter ita disponuntur. Nam de ijs postremis propositionibus, si verum est dicere de aliquo, ꝙ est non album, verum etiam erit dicere, quòd non est album: non autem e cõuerso, si verum est dicere de aliquo, quòd non est album, erit etiam verum dicere ꝙ sit non album. Nam de hircoceruo verum

est dicere, quòd non est lignum album; non autem verum erit dicere, quòd sit lignum non album. Similiter hæ duæ propositiones *esse album*, & *non esse non albũ*, ita inuicem collocantur; vt si verũ est dicere de aliquo quòd est album, verum etiam erit dicere, quòd non est non album: non autem e cõuerso fit cõsequentia, vt si de aliquo est verum dicere, quòd non est non album, possit etiam dici, quòd sit album. Nam de hircoceruo, & etiam de homine verum erit dicere, quòd non est lignum non album; non autem erit verum dicere, quòd homo, aut hircocerus sit lignum album. Ex ijs infertur, quòd esse album, & esse nõ album nulli eidem inerunt: at non esse album, & nõ esse non album simul alicui inerunt; vt de hircoceruo verum sit dicere, & quòd non est lignum album, & quòd non est lignum non album. Sed dubitabit quispiam, quomodo esse non album dicatur non inesse eidem, cui insit esse album; cum antea statutum sit, quòd vt potẽs ambulare, & potẽs nõ ambulare simul stant, & similiter sciens bonum; & sciẽs nõ bonum simul consistũt, ita quoq; idem censendum esset de ijs alijs, esse album, & esse non album. Dicendũ, ex similitudine ipsius possibilis deductũ esse, quòd huius affirmationis, *esse album*, nõ est negatio, *esse non album*. Verũ non propterea sequitur, quòd idem possit simul esse albũ, & non album; in actu.n hæc simul nõ consistant. Quemadmodum stabunt simul, potens ambulare, & potens non ambulare, & sciens bonum, & sciens non bonum: cum tamen neq; idem sit potens ambulare & potens non ambulare, licet idem ad vtrumq; se habeat; sicuti etiam scire bonum, & scire non bonum vnus & idem potest, neq; tñ scire bonum, & scire non bonum idẽ sunt.

Similiter autem se habebunt & priuationes. Nempe propositiones sub typum priuationis est positæ, vt sunt *esse æquale, non esse æquale; esse inæquale, & non esse inæquale*; quæ simili modo opponuntur, & inuicem se se cõsequuntur vti & aliæ prædictæ. Et quũ subiungitur, *ad prædicationes*, innuuntur propositiones secundum habitum pronũciatæ, & sunt, *esse æquale*, & *non esse æquale*; quarum priuatoriæ, sunt *esse inæquale*, & *non esse inæquale*, quæ se habent proportionabiliter ad categoricas, siue ad prædicatiuas eo modo, vti etiam dictum est de ijs alijs, videlicet, esse non album, & non esse non album, quòd se habent ad illas esse album & non esse albũ. Nam sub hac esse æquale, collocatur non esse inęquale, ita quidem, quòd si verum est dicere de aliquo, quòd est æquale, de eodẽ etiam vere dici potest, quòd nõ est inæquale: at non e cõuerso dici potest de eo, quod non est inęquale, quòd sit ęquale. Nam de hircoceruo verum erit dicere, quòd nõ est inęquale, at non quòd sit æquale. Similiter sub hac propositione, non esse æquale, collocatur inęquale; ita quidem, vt de eo, quod est inęquale, possit dici, quòd non est ęquale: at nõ e conuerso, nam de hircoceruo, verum est dicere, quod non est ęquale: at non quòd sit inęquale. Appellari autem propositiones categoricas eas, quę habitum significant, conuenienter dictum est, ad differẽtiam propositionum priuationem significantium, vt hę sint categoricę, *esse æquale, nõ esse æquale*: priuatorię autẽ hę alię, *esse inæquale*, & *non esse inæquale*, quę sub priuationis nomine appellatę sunt in lib. Periher.

ii, l. Perih. sect.

In plurimis autem. Repetit, & confirmat, quod suppositum est antea, huius affirmationis, *esse album*, non esse negationem, *esse non album*. Et docet exemplo in illis rebus, in quibus aliquid inest pluribus, sed nõ omnibus. Veluti animalibus nonnullis, at non omnibus inest albedo. Vnde verum erit dicere, quòd non omnia animalia alba sunt: aut quòd quodq; animal non est album. Dicere vero quòd omnia animalia sunt non alba, aut quodq; animal est non album, falsum est. Quare hinc etiam patet, quòd nõ est idem esse non album, & non esse album. Similiter huius, est omne animal album, nõ est negatio, est nõ album omne animal, ambę.n. falsę sunt: sed erit hæc, non est omne animal album.

Eadem ratione syllogistica construi, esse aliquid, et esse non aliquid; & de propositionum infinitarum & priuatoriarum ad finitas mutua consequentia.

QVoniam autem manifestũ est ex pręcedentibus, quòd non est idem, neq; idẽ significat, est non album, & non est album, cum hoc sit negatio, illud vero affirmatio; hinc etiam manifestum esse debet, quòd non est idem modus ostendendi per syllogismum, tum quòd quodcunq; fuerit animal non est album, aut cõtingit non esse album, tũ quòd quodcunq; fuerit animal, verum est, quòd non est album, quod est dicere, non esse album. Cum aũt idem modus orationis sit dicere, verum est, quòd est album, & verum est esse nõ album; idcirco vterq; cõstructiue ostendetur per primam figuram. Etenim particula hæc, VERVM, simili modo in oratione ordinatur, qua & ipsum verbũ, EST; cui si apponatur particula negatiua, fit negatio, & nõ alio modo: vnde idem de hac vo-

ce, *verum*, afferendum eſt, quòd huius, *verum eſt animal eſſe album*, non eſt negatio, *verum eſt animal eſſe non album*, ſed hæc, *non verum eſt animal eſſe albũ*. Vnde, ſi ſupponatur verum quicquid fuerit homo, muſicum eſſe, vel eſſe non muſicum, accipiendũ erit eſſe muſicum, vel eſſe nõ muſicum, & fiet de vtroq; demonſtratio cõſtructiua per ſyllogiſmum affirmatiuum. Si autem ſupponatur, quod fuerit homo, id non eſſe muſicum, hoc ipſum demonſtratione deſtructiua oſtendetur ſecũdum modos trium figurarum, in quibus omnibus negatiua problemata concludantur.

Simpliciter autem, & in vniuerſali, hæc erit regula in propoſitionibus finitis & infinitis mutuo poſitis.

Sit affirmatio fin. A.-- negatio finita. B.
Negatio infinita D.--affirmatio infin. C.

His ita poſitis, dicitur, quod A & B, cũ ſint oppoſita contradictorie, nulli eidem inerunt.

Similiter C & D, cũ ſint oppoſita contradictorie, nulli eidem inerunt.

Cum aũt B negatio finita, vt in plus ſe habens, cõſequatur ad affirmationem infinitam C, vt patet ex præcedentibus, nempe nõ eſſe album, ad eſſe nõ album; etiam D negatio infinita, nõ eſſe non albũ, conſequetur, vt in plus ſe habens ad C affirmationem infinitam eſſe nõ album. Item B negatio finita, & D negatio infinita, videlicet nõ eſſe album, & nõ eſſe non album, alicui eidem inerunt, veluti de hircoceruo verum eſt dicere, quòd nõ eſt album, & quòd nõ eſt non album: C autẽ affirmatio infinita, eſſe non album, & A affirmatio finita, eſſe album, nulli eidem inerunt. Quòd autem D negatio infinita, non eſſe non albũ, cõſequatur ad A affirmationẽ finitam, eſſe album, hinc poterit eſſe manifeſtũ. Nam de A affirmatione finita, quæ eſt eſſe album, oportet verificari, aut C, affirmationẽ infinitam, *eſſe non album*; aut D negationem cõtradictorie oppoſitam, *non eſſe non album*. At C affirmatio infinita nõ poteſt verificari de A affirmatione finita: propterea, quòd ad affirmationem infinitam conſequitur (vt oſtenſum eſt) negatio finita B, vt in plus ſe habẽs. Vnde, ſi C affirmatio infinita verificaretur de A affirmatione finita, de hac etiam B negatio finita cõtradictorie, & oppoſita verificaretur, quòd eſt impoſſibile. At ſi C affirmatio infinita non poteſt verificari de A affirmatione finita, de hac D verificabitur, negatio videlicet infinita: ideſt dicere, quòd de eo, quod dicitur, eſſe album, verum etiam erit dicere, quòd nõ eſt non albũ; qñ de quocunq; neceſſe eſt, aut affirmationem, aut negationem eſſe veram.

Sed & quòd hoc aliud ſuppoſitum verum ſit, nempe, B negationem finitam, & D negationẽ infinitam de eodem aliquo verificari, ex ijs fiet manifeſtum. Nam, cũ B negatio finita cõſequatur (vt patet præcedentibus) ad C affirmationem infinitam, neceſſe eſt (cũ in plurib. ſe habeat) vt de aliquo verificetur, de quo C nõ dicitur, ſimiliter D negatio infinita cõſequens ad A affirmationem finitã, vt in plus ſe habens, verificabitur de aliquo, cui non inerit A, & ita B negatio finita, & D negatio infinita alicui inerunt eidem, cum C affirmatio infinita, & A affirmatio infinita nulli eidem poſſinc ineſſe.

Adhuc id debet accipi pro ve-

ro, quòd A, affirmatio finita, non consequitur ad D negationé infinitam. Nam cum cótingat, B, negationem finitam, & D negationem infinitam alicui eidem inesse, vt ostensum est; idcirco, si cósequeretur A affirmatio finita ad D negationé infinitam, sequeretur quod A & B cótradictorie inuicem oppositæ simul essent veræ, quòd est impossibile: nam verificaretur A de aliquo, cui insit D, & cui insit B opposita negatio ad ipsum A.

Sed & non ignorandum, cótingere interdum deceptioné in prædicta terminorum positione, eo quòd non recte opposita accipiãtur, quorum necesse est alterum omni inesse. Veluti cum A & B, videlicet affirmatio, & negatio finita nó possint eidem vlli inesse, cũ cótradictorie inuicem opponantur: similiterq; C & D, videlicet affirmatio & negatio infinita non possint eidem vlli inesse, qm̃ cótradictorie inuicem opponantur: statutumq; sit antea, B negationé finitam consequi ad C affirmationem infinitam, ideo euenire poterit ex praue supposita oppositione propositionum, quòd A affirmatio finita ei omni insit, cui inest B negatio infinita, quòd est falsum, & contra prius determinata.

Huiusmodi auté deceptio ita cótingeret. Supponatur quòd huius contradictionis A & B, in qua continentur affirmatio & negatio finitę, sit opposita negatio E, quę neget & esse album, & non esse album. Huius vero alterius contradictionis C & D, in qua cótinetur affirmatio & negatio vtraque infinita, sit opposita negatio F, quæ neget & esse non album, & non esse nó album. His igitur ita suppositis, si quis ita rócinetur. Necesse omni inesse vel B negationem finitam, vel C, quæ est opposita ipsi A & B, qm̃ de omni aut affirmatio, aut negatio verificari debet. Et similiter necesse est omni inesse aut C affirmationem infinitã, aut F, quæ supponitur propositio opposita ipsi C & D, ob eandem cótradictionis regulam. Hinc sequeretur, cum cui inest C affirmatio infinita, ei omni insit B negatio finita, quòd etiã cui inerit C, ei omni insit F. Rursus vero supponatur, qm̃ necesse est, aut A affirmationem finitã omni inesse, aut C, quod supponitur oppositum ipsi A; item aut D negationem infinitam omni inesse, aut eius oppositum F: Et cum per supposita, F sequatur ad E, oporteret quoque quòd A affirmatio finita, quæ est opposita ipsi E, consequeretur ad D negationem infinitã; quod est contra determinate superius, quòd negatio infinita consequitur ad affirmationem finitã, & non e conuerso.

Error igitur iste contingeret, quoniam non recte acciperentur oppositiones. Quandoquidé huius affirmationis, *est album*, negatio opposita est hęc, *non est albũ*, & non hę simul iunctæ, *non album*, *& neque non album*, adeo quòd non est inferre, quòd omne aut est album, aut non album, neque non album. Quare oportet aut simplicem negationem opponere simplici affirmationi, vt ad album esse, non esse album; aut ad duas propositiones, duas alias opponere; veluti ad has, esse album, & non esse album, has duas, non album, & neque non albũ, & ad has, esse non

album, & non esse non albũ, has alias, neq; esse non album, neque non esse non album: quo ordine seruato antedicta deceptio tolletur.

Adnotationes.

V*Erum, n. & esse similiter ordinantur.* Hoc est eo modo, quo verbum, *est*, infert aut affirmationem, aut negationem, eodem & verum infert: adeo vt idem valeat dicere, Verum est homo albus, & dicere, homo est albus: Siquidẽ (vt dicitur in lib. 2. Met.) verum ad ens consimiliter se habet. Hinc etiam in lib. Periher. Ponebantur inuicem opposita verum, & non verum; sicuti possibile, & non possibile, & reliquæ modales oppositiones. Idcirco statuit hoc loco Aristoteles, quòd tam hac locutione, verum est hominem esse musicum, quam hac alia, verum est hominem esse non musicum, vtroq; modo figuram affirmationem pronunciari; & vtrumq, dictum syllogismo constructiuo, seu affirmatiuo debere ostendi: sicuti non esse album, seu non verum esse album, destructiuo syllogismo, & negatiuo probandum est

li. 2. Met. c. 1.
li. Perih. sect. 4.

Simpliciter aũt quando ita se habent A & B. Quę attulerat Aristoteles in terminis notis circa oppositiones & consequentias ꝓpositionum finitarum, eadem in elementis patefacit ad regulam magis vniuersalem statuendum: tum penes hoc, quòd ad affirmationem infinitam sequitur negatio finita, & ad affirmationem finitam sequitur negatio infinita: tum penes hoc, quòd affirmatio tum finita, tum infinita eidem nulli inesse possunt; negatio vero finita, & negatio infinita alicui eidem possunt inesse. Et aduertendum in contextu permutatos esse terminos elementorum, cum prius affirmatio finita elemento A, esset notata, & eius negatio, elemento B: postea vero A, pro negatione ponitur, & B, pro affirmatione. Adnotandum etiam, negationem finitam consequi ad affirmationem infinitam & ad priuatoriam, quod patet propterea quòd verum est dicere de non ante de Tragelapho, quòd nõ est iustus, & de equo similiter quòd non est iustus; non autem verum est dicere, quòd Tragelaphus, aut quòd equus est non iustus: nam falsum est dicere de eo, quòd non est, quòd sit non iustus; nec de equo, qui est incapax iustitiæ, conuenit dicere quòd sit non iustus, aut iniustus. Similiter ad affirmationem finitam sequitur negatio infinita. Nam de ijs solum, quę sint iusta, verum erit dicere quòd iusta sint, & capacia iustitiæ. Negatio vero infinita, non esse non iustum, conuenienter intelligi potest & de ijs quę sunt iusta, & de non existentibus in rerum natura, & de ijs, quę non sunt capacia iustitię, idcirco ad plura se extendit negatio infinita, quàm negatio finita: quoniam, cum dicitur, non est iustum, potest intelligi & verificari & de ijs quę non sunt, & de ijs quę sunt capacia, & de ijs quę non sint capacia iustitiæ; non autem verificabitur de ijs, quę sunt iusta: sicuti de huiusmodi est etiam verum dicere, quòd non sunt non iusta, intelligendo quòd iusta sint, sicuti & de non existentibus, & non capacibus iustitię eadem propositio potest intelligi, vti dictum est antea.

Finis libri 1. Prior. Analyt.

IN LIB. SECVNDVM PRIOR. ANALYT.

Explanatio.

Argumentum in lib. 2 Prior. Analyt. In quo subiectum libri manifestatur.

VT exactius tractatus hui⁹ libri secundi Prior. Anal. comprehẽdatur, in primis inquirẽdum est, nũ hic liber cum superiori aliquo cõgruo nexu coniungatur. Nam ex aduerso occurrit dubitãdum ex verbis Arist. cum in libro præcedenti in 3. Sect. dixerit, finem habiturum, quod a principio sibi propositum erat, postquam Methodum syllogismos resoluẽdi tradidisset, qđ in 3. Sectione eius libri absoluit, vltimam manum ei imponens: ita enim habet loco citato. *Quomodo autẽ reducemus syllogismos in prædictas figuras, esse & vtiq; post hæc dicẽdum; reliquum enim istud adhuc ex cõsideratione: si enim syllogismorũ generationẽ specularemur, & inueniendi facultatem haberemus, amplius autẽ factos resolueremus in prædictas figuras, quod a principio propositum finem habere posset.* Ex quibus verbis inferri videtur, nil aliud post illam postremam partem de resolutione syllogismorũ in libro præcedenti explicatam, relinqui cõsiderandũ circa syllogismi tractatum. In oppositum autem hæc sunt. Siquidẽ in hoc alio præsenti libro multa explicantur, quæ pertinent ad syllogismi cõsiderationẽ, vt patebit ex libri enarrationẽ. Idẽ etiã cõfirmatur ex verbis Arist. q librũ hũc ita exordit. *In quot igitur figuris, est per quales, & quot propositiones, & q̃n, et q̃uo fit syllogismus, amplius autẽ in qualia aspiciẽdũ destruenti, ac construenti, & quomodo oportet quærere de proposito secundum qualemcumq; Methodum: amplius autem per qualem viam accipiemus principia de singulis, iam transegimus. Sed quoniam alij syllogismorum vniuersales sunt;* Et reliqua, quæ sequuntur: ex quibus apparet, ex sententia Arist. quæ tractanda sunt in hoc 2. libro, cõnecti cum superioribus sermonibus habitis in libro 1. & id iuxta syllogismi considerationem. Accedit quòd in 2. & in 3. Sectione libri præcedentis, vbi incidit mentio de syllogismo ducente ad impossibile, subintulit Arist. de hoc genere syllogismi se in sequentibus tractaturum, quod absoluit in hoc 2. libro; vnde cum superiori videtur coniungendus tanquã in vno communi tractatu cum eo conueniens. Idcirco, supponẽtes nos hunc librum congruo nexu cum superiori coniungi, vt difficultati ex aduerso propositæ facilius occurramus, perpendenda breuiter sunt, quæ tractantur in hoc libro. Igitur Ioan. Gram. (ex sententia quoq; Procli, vt refert Magẽt.) existimauit in hoc libro agi de materia syllogismi, quam tribuit propositionibus, cum in superiori libro actum sit de forma syllogismi, quam obtinet secundũ

Dubit.

Io. Grã. Proclus.

eius ſentētiam concluſio; nempe (vt ipſe ait) dum explicatum eſt, quomodo hęc, vel illa conclu ſio in omnibus figuris deducatur.

Magent. Quam opinionem impugnat Ma gent. & merito; qm̄ in libro quoq; ſuperiori actum eſt de propoſitio nibus, dum de earum inuentione tranſactum eſt. Addamus & dum etiam in eodem libro explicatū eſt, quænam eſſet propoſitio vni-uerſalis, quæue particularis, quæ affirmatiua, aut negatiua, quę in-exiſtens, quæ neceſſaria, & quæ contingens.

Marinus. Marinus autem cen-ſuit tractari in hoc libro ea, quæ relinquuntur propter dialecticā: veluti quòd ex falſis propoſitioni bus vera poſſit duci concluſio: q̄d ſit petitio principij, q̄d inductio, & alia huiuſmodi. Quæ opinio ēt impugnatur; tum qm̄ dialecticus non aſſumit falſas propoſitiones, ſed veras: tum etiam, qm̄ ad hunc librum nō ſupponitur dialectica, ſed tractatio de ſcientia demon-ſtratiua, quę traditur in Poſt. Ana lyticis immediate cōſequentibus ad hos priores queādmodum in præfationibus libri ſuperioris cō-ſtitutum eſt.

Alexan. Alexander vero eo-dem referente Magentino (nam, Alexandri commentaria in hunc librum deſiderantur) cenſuit tra-di in hoc libro ea, q̄ reliqua ſunt circa Methodum ſyllogiſticam. Cuius ſententiam impugnat Ma-gent. inquiens, in libro ſuperiori, omnia, quæ pertinent ad Metho-dum ſyllogiſmi, fuiſſe explicata, & nihil prætermiſſum eſſe.

Magent. Vnde propriam afferens ſentētiam Ma gentinus, ait hic tractari ea, quæ poſſunt impedire demonſtratio-nem, & nō ſinere eam deduci: ve-luti eſt docere, quòd ex falſis ve-rum colligi poſſit; quid ſit petitio principij; quid inductio: exem-plum; ſignum; & alia huiuſmodi. Quemadmodū etiam medici (in-quit ipſe) docent nō ſolum Phar-maca utilia ad ſanitatem, verum etiam mortifera, vt ab illis cauti reddamur.

Impug. Magent. Verum hæc Magenti-ni opinio nullo pacto videtur ad-mittenda; tum qm̄ tractatio ſyllo giſmi aptatur etiam dialectico, li cet non eo præcipuo ſcopo, vti ſcientiæ demōſtratiuæ (vnde & Ariſt. in 1. Sect. libri ſuperioris cō ſiderabat propoſitionē, vt eſt ſyl-logiſtica, & eam dicebat commu nem eſſe demonſtrationi & diale cticæ pro ſyllogiſmo cōficiendo) tum etiam qm̄ inductio deſeruit ſcientiæ demōſtratiuæ. Accedit tractatio quoq; habita in hoc li-bro de ſyllogiſmo ducente ad im poſſibile, qui in ſcientijs demon-ſtratiuis adhibetur: Idcirco Ma-gentini ſententia reijciēda, & ac-cedēdum eſt opinioni Alexandri aſſerentis, Scopū eſſe huius libri, exequi tractatum eorum, quæ pti nent ad Methodum ſyllogiſticā: ſi tn̄ id adiunxerimus ad opinio-nem Alexandri, quòd omnia, quę in hoc libro tractantur, ſunt adnē xa ſyllogiſmo, & vt adnexa ſunt, hic cōſiderari: adeo vt firma ma-neat libri ſuperioris ſpeculatio, vti præcipua penes ſyllogiſmum; partim, qm̄ tractatus libri ſuperio ris totus præcipue ad demonſtra-tionē dirigitur, vt ſine eo doctri-na ſcientiæ demonſtratiuæ non poſſit haberi: partim etiam, qm̄, quæ explicata ſunt in libro pręce denti, præcipuam generalem de ſyllogiſmo cōtemplationem con cernunt; & ſunt hæc, ordo confi-ciēdi ſyllogiſmos; inuētio propo-ſitionum pro ſyllogiſmis conficiē dis, & reſolutio ſyllogiſmorū in

pro-

proprias figuras, tanquàm ea, quę ad syllogismi intimam pertinent naturam: cum deinde, quæ in hoc alio libro pertractantur, sint adnexa syllogismo, & ei cõsequentia. Quemadmodum est considerare, quòd ex vno syllogismo plures deduci possint cõclusiones; quòd ex falsis propositionibus non solum falsum, sed etiam verum colligi possit: quomodo se habeat circularis demonstratio; conuersio syllogismorum; syllogismus ducens ad impossibile: ratiocinatio ex oppositis: & petitio principij. Item quomodo se habeat nõ sequi penes hoc conclusionẽ, & q̃d sit non ratiocinari: Quid redargutio. Quomodo se habeat deceptio secũdum existimationem; Et qũo inuicẽ in terminis possint esse cõuersiões. quomodo fiat inductio, & exemplum: Quid sit abductio, Quid instantia, & Quid enthimema: Ac deniq; quomodo sit construendus syllogismus Physiognomicus. Quæ omnia in hoc libro secundo cõsiderantur, quatenus ad ordinem syllogisticũ reducuntur: quorum nonnulla a scientia demonstratiua non sunt aliena: nonnulla proprie conueniunt dialecticæ: & quædã oratoribus atq. poetis, vt exemplum & Enthimema. Quibus omnibus ita constitutis, difficultas ex verbis Aristotelis antea mota, dũ dixit in libro superiori in 3. Sect. quòd finẽ habiturus erat Scopus ꝓpositus circa syllogismum post explicatam Methodũ resoluẽdi syllogismos, dissolui potest: si dixerimus, enunciatum illud Aristot. eo spectasse, vt innueret præcipuã in libro superiori syllogismi habendam esse tractationẽ: nempe penes ea, quæ ad intimam syllogismi naturam attinent: cũ deinde hæc alia, quæ in hoc lib tradũtur, sint quodammodo adnexa, & consequentia, ac non ita ad intimam naturã syllogismi attinentia.

Solut. Dubit.

Quot modis ex vno syllogismo plures conclusiones inferri possint.

IN lib. præcedẽti hęc omnia fuerunt explicata: in prima quidẽ Sectio. in quot figuris, & ex qualibus, & quot numero propositionibus, & qñ, & quomodo fiat syllogismus, & in quæ sit inspiciendum in astruẽdo, aut destruendo singulo quoq. problemate. In secundo vero Sectio. quomodo secundum vnamquamq. Methodũ oporteat venari propositiones ad ratiocinandum de quacunque re proposita. Et in tertia qua via sit incedendum pro eruendis, & accipiendis principijs cuiusq. syllogisticæ orationis.

Cum autem alij sint syllogismi vniuersales, & alij particulares: non ignorandnm vniversales omnes tam negatiuos, quàm affirmatiuos, plures euadere posse syllogismos: particulares autem, si sint affirmatiui, plures etiã effici; non autem negatiuos, qui vna tm̃ cõclusione absoluuntur. Et id quidẽ qm̃ aliæ omnes propositiones cõuertuntur; affirmatiua quidẽ vniuersalis, & particularis in particularem affirmatiuam; negatiua vero vniuersalis in se ipsam; particularis autem negatiua nõ conuertuntur; sicuti explicatum est in libro superiori; conclusio autẽ est aliquid de aliquo. Quare alij quidem syllogismi, excepto particulari negatiuo, plures efficiuntur. Veluti si ostensum est, ꝙ A inest

omni B, vel alicui B, necessarium est etiam B alicui A inesse ex regula conuersionis. Similiter si ostensum est A nulli B inesse, ex cõuersione vniuersalis negatiuæ in se ipsum, necesse est etiam B nulli A inesse. At vero si ostẽsum est A alicui B nõ inesse, cum particularis negatiua non conuertatur, non est necesse B alicui A nõ inesse; forte enim omni inerit: sicuti nõ omne animal est homo, omnis aũt homo est animal.

Est autem & alia via plures deducendi syllogismos ex ijs, in q. bus deducuntur cõclusiones vniuersales: sicuti in prima figura eorum, quæ sub medio termino, vel sub conclusione continentur, omnium erit idem syllogismus, si aliqua vel sub medio, vel sub cõclusione cõstituantur. Vt si ostensum est B esse A per C, quæcunq; sub B minori termino fuerint, vel sub medio termino, eadem etiam cõcludẽtur esse sub A. Nam si supponatur, ꝙ B est in toto D, & B in toto A, per syllogismum iam factum etiam D inerit in toto A: adeo ꝙ sicuti cõclusum est, quòd B est A per C, ita quoq; cõcludetur ꝙ D est A per ipsum B. Rursus si C supponatur esse in toto C medio illius syllogismi, in quo conclusum est, quòd B est A, vtique, cum C sit etiam in toto A, concludetur eadẽ ratione syllogistica, quòd E est A. Idem etiam asserendum est de negatiuo syllogismo in prima figura. Si. n. conclusum est, quòd nullum B est A per medium C, si supponatur F esse in toto B, cõcludetur etiam, quòd nullum F est A. Similiter si G ponatur sub C, cum nullum C sit A, & omne G sit C, concludetur, quòd nullum G, est A.

In secunda autem figura, quicquid ponitur sub conclusione, idẽ eadem ratione syllogistica concludi põt; prout & conclusio: Vt, si conclusum est, quòd nullum A est B, qm̃ nullum B est A, & omne C est A, si ponatur sub C esse D, syllogismo eodem deducetur, quòd etiam nullum D est B hunc in modum. Nullum C B, omne B C, ergo nullum D B. Non aũt ex hac ratione syllogistica patebit, quòd B non insit ijs, quæ sub A medio termino continentur. Veluti & si E sit sub A, nõ tñ per factum syllogismum est hoc deducere; sed acciperetur tanquam indemonstratum, quòd B nulli insit E; non enim id patet, nisi fiat nouus syllogismus hunc in modum. Nullum B est A, omne E est A, ergo nullum A est B.

In syllogismis autem particularibus, quæ sub deducta conclusione accipiuntur, hęc non est ratiocinio colligere: propterea ꝙ propositio maior euaderet particularis in prima figura. Vt, si ostẽsum est per hæc, omne B est A, aliquod C est B, quòd aliquod C est A, si ponatur E sub C, fieret ex maiori particulari in prima figura complicatio, quæ est asyllogistica: nempe aliquod C A, omne E C: ex quibus nil sequitur ex necessitate. Si autem aliquid ponatur sub medio termino in syllogismis particularibus, erit quidẽ syllogismus; at non per syllogismũ iam confectum apparebit probatio. Nam si syllogismo collectum erit, quòd aliqđ C est A, qm̃ omne B A, & aliquod C B, si accipiatur quòd omne E est B, & apponatur, quòd omne B est A, sequitur quidem, quòd aliquod E est A: verum non ex pro syllogismo. Sicuti

&

& in vniuerſalibus, ex propoſitio-
ne indemonſtrata concludebãtur
ea, quæ ſub medio ponerentur.
Quare aut dicendum, quòd neq;
in illis erat syllogizare ex prosyl
logiſmo, quæ eſſent ſub medio:
aut ſi in illis, etiã in his alijs erit.

Adnotationes.

P*Er qualem viam accipiamus principia*. Id
fit per reſolutionem compoſitæ ora-
tionis ſyllogiſticæ in ſua principia, dũ hæc
inueniuntur & eruuntur.

Secundum qualemcunq; methodum. Aut in-
telligũtur diuerſæ facultates methodo tra
ditæ, quibus deſeruit via propoſita venãdi
propoſitiones. Aut intelligitur methodus
etiã diuiſiua aſſignata. Aut per *qualemcunq;
methodum*, poſſunt innui variæ methodieæ
rationes ad diuerſa problemata ſub ſyllo-
giſmo collocando.

Conclusio autem aliquid de aliqua eſt. Hoc ſub
iunctum eſt immediate ad illa verba *priua-
tiua autem non conuertitur*: & cenſet Magen-
tinus, occurri tacitæ obiectioni circa par-
ticularem priuatiuam propoſitionem. Qm̃
aliquis potuiſſet inſtantia ferre, quòd par-
ticularis negatiua cõuertatur: vt pote, *non
omne animal homo*, in hanc conuertitur, *om-
nis homo eſt animal*: ideo inquit dictum eſſe,
ꝙ *concluſio eſt aliquid de aliquo*, vt denotare-
tur, quòd non indeterminate debeat con-
uerti. *Forte ita dictum eſt*, ad ſubinferendũ,
ꝙ, ſi concluſio eſt aliquid de aliquo, igitur
ita ſe habet, vti propoſitio, ex qua poſſit
ſyllogiſmus multiplicari per conuerſionẽ.
Aut ita dictum eſt, quòd *concluſio eſt aliquid
de aliquo* ad inferendum, quòd plures fiunt
ſyllogiſmi per conuerſionem concluſionis,
quæ ſe habet ad conuerſionem, vt propoſi-
tio; cum etiã concluſio ſit aliquid de aliquo.

Si enim D, in toto B; ponitur D, contentũ ſub B.
Vt intelligatur D eatenus eſſe in toto B;
quatenus tota ipſius B eſſentia reperitur
in D, ſicuti in homine tota animalis eſſen-
tia ita inuenitur, vt nihil ſit de eſſeutia ani
malis, quod homo ex omni parte non obti
neat: licet poſtea hęc eſſentia pluribus ſpe
ciebus, animalium competat, & non ſoli ho
mini: ſicuti explicatum eſt latius in lib. prę-
cedẽti in expoſitione ipſius dicti de omni.

Veruntamen non per ſyllogiſmum. His ver-
bis aduertit Ariſt. quòd in particularibus
ſyllogiſmis, ex his, quę ponũtur ſub medio,
poteſt eſſe ſyllogiſmus: verum ait, quòd nõ
erit per ſyllogiſmum. Idq;, quoniam acci-
pietur propoſitio nõ probata, ſed indemõ
ſtrata. Si. n. ex his, omne B A, aliquod C B,
concluſum eſt, quòd aliquod C eſt A, ſi acci
piatur poſtea aliquid ſub B, vtputa quòd E
eſt B, ex hac ꝓpoſitione, & ex hac alia, om-
ne B A, concluditur, quòd omne E eſt A: at
non per ſyllogiſmum, cum illa propoſitio,
omne B A, probata non ſit per ſyllogiſmũ
ſed vt indemonſtrata eſt accepta. Verum
& hoc etiam conuenit vniuerſalibus ſyllo-
giſmis: quemadmodum ſignificauit Ariſt.
habens hęc in fine explicati contextus. *Sed
quemadmodum & in vniuerſalibus ex indemon-
ſtrabili propoſitione, quæ ſub medio erant monſtra
bantur; quare neq; ibi erit, aut in his.* Nempe in
particulaibus ſyllogiſmis. Eſt autẽ hoc di-
ſcrimen, quòd in vniuerſalibus ſub cõclu-
ſione probata ex eodem pro ſyllogiſmo in-
fertur alia probatio ex demõſtrabili: At in
particularibus id fieri nequit, Quoniam ma
ior propoſitio non poteſt eſſe particularis
in prima figura. Et notandum, aliud eſſe,
quòd ex eadem ratione & forma ſyllogi-
ſtica inducatur alius ſyllogiſmus, ſed non
ex proſyllogiſmo; vti fit, dum accipitur ali
quid ſub medio ſyllogiſmi iam confecti; Et
aliud eſt, quòd ex proſyllogiſmo inducatur
alius ſyllogiſmus: vt fit, dum accipitur ali-
quid ſub concluſione iam collecta per ſyl-
logiſmum: quod locum habet in vniuerſali-
bus ſyllogiſmis; non autem in particulari-
bus, ſicut prædictum eſt. Adnotandũ etiã,
cum ex quocunq; ſyllogiſmo (excepto par-
ticulari negatiuo) plures concluſiones per
conuerſionem propoſitionum inferantur,
non ex nouo ſyllogiſmo, ſed ex alijs iã cõ-
fectis, & hic modus apponatur, ab his qui
quartam figuram ſyllogiſmorum dari ſunt
opinati, hinc plane colligi, erroneum & ſu
peruacaneum horum iſtud eſſe commentũ;
cum modus prędictus inferendi ex ſyllo-
giſmis confectis alias concluſiones, ex cõ-
uerſione propoſitionum pendeat in tribus
tantum figuris, vt ad hoc nullum aliud ge-
nus ſyllogizandi ſit requirendum prętee
tres figuras explicatas.

Ex veris non niſi verum colligi poſſe, ex falſis autem modo falſum, & modo verum.

CVm autem ſyllogiſmi con-
ſtrui poſſint, tum ex propoſi
tionibus veris, tum ex ambabus
falſis, tum ex altera vera & altera
falſa, & neceſſe ſit concluſionem
aut veram, aut falſam eſſe; Idcir-
co non ignorandum, quòd ex ve-
ris numquam erit ſyllogiſmo cõ-
cludere falſum; ex falſis autem ve
rum colligere licet; non quidem
indemonſtratione dicẽte propter
quid; ſed ſolũ in ea, quæ quia eſt
aliquid ſignificat. Siquidem ex fal
ſis nõ eſt ſyllogizare propter ꝗd
ob eam cauſam, quę explicabitur
in lib. Poſteriorib. Anal. In pri-

mis itaque patefaciendum est, ꝙ ex veris nunquàm licet colligere falsum ob hanc causam. Nam si existente A, necesse est & B esse, vtique valet inferre, quòd nõ existente B, necesse est quoq; A non esse; alioquin contigeret, ꝙ idem simul esset & non esset, quod est impossibile. Neq; vero existimãdum est, ex eo quòd dictum sit, ꝙ existente A tanquam vno termino, necesse est B esse, hinc inferri, quòd vno quodam existente, nempe vna tãtum propositione, quidpiam ex necessitate sequatur, quod esse non potest. Nam, quod sequitur ex necessitate, est conclusio; per quæ autem hæc deducitur, ad minus sunt tres termini, & duæ propositiones; prout in libro superiori constitutũ est. Erit igitur regula, si verũ est, cui inest B, huic omni inesse A, & B insit omni C, necesse erit quòd & A vere insit omni C, adeo vt non possit sequi conclusio nisi vera. Alioquin idem simul esset, & non esset. Quod similiter de negatiuis syllogismis est asserẽdum; vt neque in ijs ex veris possit ostendi falsum. Ex falsis autem propositionibus potest sequi verum, tum ex vtraque falsa, tum ex altera in toto falsa, si fuerit minor falsa in toto. Nam secundum quid falsa existente prępositione, ex alterutra hunc in modum falsa sequi potest conclusio falsa.

Adnotationes.

E*St itaq; ita se habere.* Non apparet quõ ex pręcedentibus inferat Arist. hunc alium sermonem, tanquam ex illis pendentem. Id enim habuit antea, quòd plures syllogismi ex vno iam confecto possunt deduci, adeo vt variæ conclusiones inferantur. Hunc autem patefacit; quomodo ex veris non nisi verum, ex falsis autem & falsum, & verum colligi possit. Forte dicẽdum, hac ratione coniungi pręsentem contemplationem cum pręcedenti; nempe, quatenus ostenditur plures etiã syllogismos posse fieri, seu ex uno syllogismo plures haberi posse cõclusiones, ex hoc, quòd ex falsis propositionibus, tum falsa conclusio, tum vera deduci possit.

Non tamen propter quid, sed quia; Posse deduci conclusionem veram ex falsis propositionibus asserit; non tñ vt ipsum propter quid syllogismo concludatur ex falsis: sed solum ipsum quia est, syllogismo a posteriori ex signo cõflato; aut per causam nõ propriam constituto; vt docetur in lib. 1. Post. Analyt. in quo etiam manifestum fit, quare in demonstratione dicente propter quid non possit ipsum propter quid deduci ex falsis propositionibus; ipsum autem. Quia deduci possit.

li. 1. post. Anal. c. 6.

Si enim A. existente. Quòd ex veris propositionibus non possit sequi nisi verum, numquàm autem falsum, patefit hac manifestissima suppositione. Nam, si constituatur, ꝙ A existente, necesse est quoq; esse B, vtique sequitur quòd non existente B, necessario neq; A erit. Nam si dicatur, quòd A sit, non existente B, sequeretur, quòd simul esset, & non esset B; esset enim, quia suppositum est, quòd existente A sit etiam B: non esset aũt, cum supponatur non esse. Et cum esse & verum simul cohęreant, vt explicatum est in fine libri pręcedentis, & exactius perpenditur in initio lib. 2. Metaph. adeo quòd vt res se habent ad esse, ita quoq; se habẽt ad veritatem; ideo clarissime patefactum est, quòd ex veris non possit sequi nisi verum; quandoquidem falsum non est ens:

Libro 2. Anal. sec. 3.
li. 2. Met. c. 1.

Hac autem non vtralibet sed secunda. Ait posse sequi verum ex falsis propositionibus, et si altera tantum propositio falsa fuerit. Veruntamen hoc dictum ita limitat, vt debeat esse minor propositio falsa, quam appellat *secundam* ad distinctionem maioris propositionis, quæ primum locum tenet in syllogismo. Supponitur autem propositio in toto falsa: quoniam ex falsa in parte, & existente minori falsa tãtum, & secundũ quid falsa, poterit etiam deduci verum. Sed aduertendum, quòd non est ex necessitate, vt ex falsis verum sequi debeat. Sed solum hoc est dicendum, quòd in varijs terminis, & diuersis rerum propositionibus contingit nõ solum sequi falsum ex falsis propositionib. sed etiam verum; nempe ex nonnullis verum, & ex quibusdam alijs falsum; cuius facti causa infra tradetur.

Regulæ assignantur, quomodo & ex veris propositionibus, & ex falsis sequi possit conclusio in tribus figuris & vera & falsa.

CVm autem tria sint genera figurarum syllogisticarũ, non ignorandum est, in prima figura

ex falsis ꝓpositionibs deduci posse & falsum, & verum secundum diuersos terminos; sint quæcunq; complicationes propositionum, siue ambæ in toto sint falsæ, siue secundum quid, & non in toto falsæ; siue vna tm̃ sit falsa, & altera vera. Tantummodo duę excipiuntur complicationes propositionũ vniuersalium. Altera est, quando ambæ fuerint affirmatiuæ, maior .s. in toto falsa, & minor in toto vera. Altera, cum maior negatiua in toto sit falsa, & minor in toto sit vera. Nam in his complicationibus semper falsum deducetur; verum autem numquam: & hæc quidem ita possunt manifestari.

Nam, quod attinet ad primam complicationem, si A supponatur falso inesse omni B, cum re vera nulli insit, sequitur per rationem dicti de omni necesse esse, vt & A falso insit omni contento sub B, quale est C: vnde oportet concludere, quòd A falso inest omni C, quemadmodum & falso inest omni B.

Similiter in altera complicatione, si A supponatur falso nulli inesse C, cum re vera ei insit, sequitur pariter per rationem dicti de nullo necesse esse, vt & A falso dicatur nulli inesse C, quod continetur sub B.

In secunda autem figura, & in tertia, in omnibus complicationibus, vbi vel ambæ propositiones falsæ assumantur, vel in toto, vel in parte, aut altera tantum falsa; licet & falsum deducere in aliquibus terminis, & etiam verum in aliquibus alijs, non ex necessitate semper verum, neq; ex necessitate semper falsum; adeo vt cócludendum sit, cum fuerit conclusio falsa, necessarium esse, vt vel ambæ propositiones sint falsæ, vel altera saltem.

Si autem fuerit conclusio vera, non necesse est, vt propositiones sint veræ cum etiam (vt ostensum est) possint esse falsæ, vel ambæ, vel vna, vel in toto, vel in parte. Causa autem, cur hæc ita sequantur, hæc est manifestissima. Nam quotiescũq; duo ita se habuerint adinuicem, vt vno existente vtputa A necesse sit quoddam alterũ esse, videlicet A, vtique, non existente A, neq; B erit. Existente autem A, non necesse est postea, vt sit B ad quod suppositũ est sequi A: Ex eodem autem existente, & non existente impossibile est ex vno modo, & ex alio idem sequi: idest dicere, quòd existentibus ꝓpositionibus falsis, & existentibus veris, impossibile est, vt eadem vera, aut falsa sequatur conclusio ex necessitate. Veluti quòd existẽte A albo, idest existentibus veris ꝓpositionibus, sit ex necessitate B magnum, idest cóclusio vera. Nã, quando existente A, albo, nempe veris existẽtibus propositionibus, necesse est B magnum esse, nẽpe conclusionem veram, si supponatur quòd etiã existente B magno, nempe cóclusione existente vera, sit C ex necessitate ipsum non album .i. propositiones sint non veræ, sed falsæ: ita contingit, & sequitur, quòd existente A albo, nẽpe propositionibus veris existentibus, erunt ex necessitate propositiones falsæ, quod est impossibile. Vnde verũ erit ex necessitate, quòd existentibus propositionib. veris, etiam conclusio erit vera, & si conclusio sit falsa, erunt etiam propositiones ex necessitate falsæ. Non autem, si conclusio sit vera, erunt propositiones ex neces-

ſitate veræ:ſed neq. ex neceſſitate falſæ:ſed cótingit vt modo ſint veræ,modo falſæ, iuxta diuerſorum terminorum, & variam propoſitionum diſpoſitionem. Et qñ duobus exiſtentibus, altero exiſtente, puta A, neceſse eſt alterũ eſse, ipſum B, hoc autem non exiſtéte,neceſse eſt A non eſse, non exiſtéte autem B magno,hoc eſt, non exiſtente concluſione vera, ſed falſa, non eſt poſſibile A albũ eſse, ideſt propoſitiones eſse veras: non exiſtente autem A albo, ideſt exiſtétibus propoſitionibus non veris, ſi neceſse eſt B magnũ eſse,ideſt concluſionem veram eſſe,continget, quòd non exiſtente B magno,ideſt,non exiſtente concluſioue vera,ipſum B magnum erit:hoc eſt, erit concluſio vera.i. erit et vera, & non vera, quod eſt impoſſibile.Et deductio patet. Si enim B, magnum nominatum nõ eſt,A album nominatum non erit ex neceſſitate. Quare,ſi non exiſtente A albo, B erit magnum,ſic continget B ſi non eſt magnum eſſe magnum,quod ex tribus ſuppoſitiouibus deducitur.

Adnotationes.

S*I totum accipiatur falſum.* Dicitur illa propoſitio in toto falſum, in qua ponatur aliquid ineſſe omni cuidã,cum re vera nulli inſit. Vt,ſi accipiatur,quòd lapis eſt animal,cum re vera nullus lapis ſit animal.Secundum quid autem erit propoſitio falſa, cum quidpiã alicui omni ineſſe accipitur, cum re vera nõ omni,ſed tñ alicui inſit.Vt ſi accipiatur,ꝙ omne animal eſt homo, hoc enim falſum eſt ſecundum quid; quoniam non omne, ſed aliquod animal eſt homo.

Si eiſdem acceptis terminis medium poſitum fuerit homo. Quòd ex falſis propoſitionibus poſſit ſequi cõcluſio vera,docet Ariſt.in terminis ſecundum quaſcunque complicationes ſyllogiſticas in omni figura.

Magent. *Sed cum idem ſit,& non ſit impoſsibile ex neceſsitate eſſe idem.* Vt explicat Magent.ſi ꝓpoſitiones ſint verę,& ſi propoſitiones ſint etiam falſæ nõ eidem,ſed aliæ & aliæ, vtiq; impoſſibile eſt deduci ex his,& ex illis eandem veram concluſionem ex neceſſitate. Quandoquidem ex veris cõcluſio ex neceſſitate vera, ex falſis autem nõ ex neceſſitate vera ſequi poteſt, licet contingat, vt ſequatur etiam vera.Poſſet etiam fieri interpretatio,ꝙ exiſtente, & non exiſtente aliquo eodem,impoſſibile eſt idem eſſe ex neceſſitate, vt maneat idem,cũ poſſit variari iuxta variam ſuppoſitionem.

Dico autem,vt cum ſit A album. Conſtituit propoſitiones ſub termino A,quem appellat *album*, B vero cõcluſionem nuncupat *magnum*:Ita quidem,vt eſſe A *album* valeat idẽ ac dicere,propoſitiones eſſe veras;& B eſſe *magnum*, valeat idem,ac dicere cõcluſionem eſſe veram. Sub termino vero E,quem nuncupat *non eſſe album*, intelligit Ariſt. propoſitiones falſas: Et eſt regula generalis, ꝙ ſi ſunt propoſitiones veræ, ex neceſſitate concluſio erit vera,& ſi concluſio ſit falſa, ex neceſſitate propoſitiones erũt falſæ: nõ autem,ſi propoſitiones ſint falſæ,erit concluſio ex neceſſitate falſa,aut ex neceſſitate vera,cum & vera,& falſa eſſe poſſit.

Magent. *Tanquam per tria.*(Vt explicat Magent.)ita dictum eſt, quoniam probatio prædictorũ eſt facta ex tribus ſuppoſitionibus; videlicet quòd ex propoſitionibus falſis non eſt ex neceſſitate vera cõcluſio; & ita tãquam per tres terminos, Ioan.autem Grammat. locum hunc explicatius interpretatur inquiens, quòd eſt ſyllogiſmus hypoteticus hunc in modum. Si exiſtẽtibus propoſitionibus veris, neceſſe cõcluſionem eſſe verã, & exiſtente concluſione debeant eſſe propoſitiones veræ,exiſtentibus autem etiam propoſitionibus falſis, poteſt eſſe cõcluſio vera,ſequetur,ſi debent eſſe propoſitiones veræ exiſtente concluſione vera, quòd eadem cõcluſio erit vera, quia ſupponitur vera,& etiam falſa, vt quę ex propoſitionibus falſis ſit educta. Vnde non dicendum,ſi cõcluſio ſit vera,quòd neceſſario debeant eſſe veræ propoſitiones; Sed poſſunt eſſe & veræ, & falſæ,& id probatur tribus ſuppoſitionibus, & ita tanquàm per tres terminos erit cõfectus ſyllogiſmus. Verum poſſunt etiam intelligi tres termini,qui ſunt adhibiti ab Ariſtotele in hac demonſtratione: vnde *A album* ideſt propoſitiones eſſe veras,alius *B magnum*,ideſt concluſionem eſſe veram,& tertius *C non eſſe album* ideſt, propoſitiones nõ eſſe veras:& ita tanquam per tres terminos, licet non ſint proprie tres termini tanquàm aſſumpti pro ſyllogiſmo vno conficiendo: ſed tres ſunt adducti in prædicta probatione.

Io. Grã.

De Circulari demonſtratione in prima figura.

CIrculo autem, & ex inuicem demonſtrare ita intelligitur, quòd ſyllogiſmo iam cõfecto, ex concluſione deducta, & ex altera propoſitione conuerſa, altera ex dua-

duabus assumptis propositionibus syllogismo concludatur: veluti si per B medium ostensum est C esse A, hac assumpta cõclusione, & conuersa propositione omne C A, in hanc omne A C, concludetur, quòd omne B est A. Alio autem modo non licet circulo demonstrare. Nam si aliud medium assumatur, non erit locus circulari ostensioni, quoniam ita non erit ex propositionibus, & ex conclusione iã confecti syllogismi aliquid deducere: sed ex propositione nõ demonstrata probare per aliud mediũ, & non per tres terminos syllogismi confecti aliquã ipsius propositionem, vt dictum est in superioribus. Si autem ijdem termini eodem modo dispositi accipiantur, fiet syllogismus eandem iam praeacceptã conclusionẽ inferens. Si autem altera tãtum syllogismi accipiatur propositio iuxta dictũ ordinem, ex huiusmodi propositione conuersa, & ex conclusione iam deducta licebit aliam syllogismo deducere & concludere propositionem, & rursus per hãc conuersam vna cum conclusione, alteram etiam propositionem demõstrare, quod est circulo ostendere mutuo propositiones, quae inuicẽ sint conuertibiles.

In prima igitur figura, si ambae propositiones fuerint vniuersales & affirmatiuae, contingit oẽs inuicem demonstrare. Sit.n. syllogismus ex his tribus terminis A B C.

Omne B est A.
Omne C B.
Ergo. Omne C est A.

Sumatur ducta cõclusio, & maior propositio vniuersaliter conuertatur. Sic minor propositio ostendetur.

Omne A est B.
Omne C est A.
Ergo. Omne C est B.

Rursus sumpta priori conclusione, & minori conuersa vniuersaliter, maior propositio prioris syllogismis hunc in modum ostẽdetur.

Omne C est A.
Omne B est C.
Ergo. Omne B est A.

Rursus duae iam conuersae propositiones demonstrari queũt: videlicet quòd oẽ A est B, & quòd omne B est C, & maior quidẽ propositio, quòd omne A est B, conuertẽdo conclusionem, quae erat in priori syllogismo, quòd omne C est A, in hanc, quòd omne A est C, & accipiendo minorem, quòd omne C est B, probabitur, quòd omne A est B, hunc in modum.

Omne A est C.
Omne C est B.
Ergo. Omne A est B.

Similiter minor conuersa, omne B est C accipiẽdo, quòd omne A est C, & omne B est A, syllogismo erit demonstrare videlicet.

Omne A est C.
Omne B est A.
Ergo. Omne B est C.

Restat probanda conclusio cõuersa prioris syllogismi, quòd omne A est C. Nam accipiẽdo. quòd omne B est C, & omne A est B, erit demonstratio hunc in modũ.

Omne B est C.
Omne A est B.
Ergo. Omne A est C.

Vnde patet sex syllogismos in prima figura deduci posse ex duabus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, si termini inuicem existant conuertibiles. Nam sicuti in primo syllogismo duae sunt propositiones, & vna cõclusio; ita per conuersionem euadũt sex propositiones; quae omnes ad conclusionem circulari ostensione reduci possunt, si termini sint conuertibiles. Quòd si non fuerint conuertibiles propositiones assumptae in syllogismo, non inuicẽ ex demõstra-

tis, sed ex indemonstratis per alia media ostendentur. Sicuti in superioribus ostensum est circa plures syllogismos ex eodẽ syllogismo producendos.

Si aũt fuerit in prima figura, altera propositio negatiua, quæ nõ potest esse nisi maior, & ambę sint vniuersales, negatiua poterit probari, sumpta conclusione prioris syllogismi, & conuersa minori in vniuersalem affirmatiuam. Sit. n. primus syllogismus.

Nullum B est A.
Omne C est B.
Ergo. Nullum C est A.

Accepta enim cõclusione, & cõuersa minori propositione, sic probabitur maior negatiua.

Nullum C est A.
Omne C est B.
Ergo. Nullum B est A.

Minor autem propositio affirmatiua probari nequit, cum sit accipienda conclusio negatiua prioris syllogismi, & numquam affirmatiuum ex negatiuo concludatur. Sed hunc in modum in tertia figura probabitur dicẽdo: cui nulli inest A, huic oĩ inest B; at nulli C inest A, ergo omnis C inest B.

Si autem existat in prima figura altera propositio particularis, cum ambæ fuerint affirmatiuæ, numquam inuicem poterit ostendi altera syllogismi vniuersalis propositio, cum, ex altera particulari, conclusio particularis cõcludatur; ex qua (cum sit accipienda pro alio syllogismo) nequaquam cõcludi potest vniuersale. Sed & in genere omnino numquam vniuersale cõcluderetur syllogismo, cum duę particulares propositiones essent assumendæ, nempe ipsa conclusio deducta particularis, & ipsa minor particularis propositio, ex quibus nulla potest esse syllogistica complicatio.

Particularis autem propositio potest circulo ostendi. Nam si prior sit syllogismus hunc in modum.

Omne B est A.
Aliquod C est B.
Ergo. Aliquod C est A.

Assumpta conclusione, & conuersa maiori vniuersali probabitur, quod aliquod C est A hunc in modum.

Omne A est B.
Aliquod C est A.
Ergo, Aliquod C est B.

Si autem fuerit altera negatiua propositio in prima figura, nõ poterit negatiua cum sit vniuersalis ostẽdi, cum sit assumenda conclusio particularis, ex qua vniuersale concludi nequit.

Sed neq; particularis affirmatiua, vbi sit altera negatiua propositio, poterit ostendi; q̃m assumenda est conclusio negatiua, & altera propositio pariter negatiua, ex quibus nulla constat syllogistica complicatio. Sed ex acceptione quidẽ in tertia figura probari poterit hunc in modum. Cui alicui non inest A, huic alicui inest B; at A alicui non inest C, ergo alicui C inest B.

De Circulari demonstratione in secunda figura.

IN secunda autem figura cũ ambæ fuerint propositiones vniuersales, affirmatiua propositio ostendi nequit circulo, eo quod duæ negatiuæ propositiones assumerentur, nempe conclusio negatiua, & altera propositio negatiua, ex quibus nulla habetur syllogistica complicatio.

Negatiua autem propositio poterit in secunda figura ostendi, dummodo sit minor negatiua. Sit enim syllogismus hunc in modũ.

Om

Omne B est A.
Nullum C est A.
Ergo. Nullum C est B.

Si enim aſſumantur concluſio inducta, & maior affirmatiua in ſe conuerſa, probabitur minor negatiua, quòd nullũ C eſt A in ſecunda figura sic.

Nullum C eſt B.
Omne A eſt B.
Ergo. Nullum C eſt A.

Si autem fuerit maior negatiua, minor affirmatiua probabitur circulo in prima figura: ſit.n. syllogiſmus hunc in modum.

Nullum B eſt A.
Omne C eſt A.
Ergo. Nullum C eſt B.

Vnde accepta concluſione, & propoſitione affirmatiua conuerſa probabitur maior negatiua, quòd nullum B eſt A, hunc in modum in prima figura: quare etiam inferẽdum, quòd nullum B eſt A.

Nullum C eſt B.
Omne A eſt C.
Ergo. Nullum A eſt B.

Vnde patet quòd ex concluſione inducta, & ex altera propoſitione non fit syllogiſmus; ſed accepta altera, nempe conuerſa cõcluſione deducta, hac nempe, nullũ A eſt B, in hãc nullum B eſt A.

Si autem fuerit syllogiſmus in ſecunda figura nõ vniuerſalis ſed in parte concludens, non licebit vniuerſalem propoſitionem circulo demonſtrare ob cauſam ante dictam; qm̃ vniuerſale ex altera propoſitione particulari numquàm concluditur syllogiſmo.

Si autem fuerit vniuerſalis affirmatiua, particularis negatiua in ſecunda figura circulo demonſtrabitur. Sit enim syllogiſmus hunc in modum.

Omne B eſt A.
Aliquod C non eſt A.
Ergo. Aliquod C non eſt B.

Accepta igitur concluſione iam inducta, & conuerſa maiori affirmatiua, oſtendetur minor negatiua hunc in modum.

Omne A eſt B.
Aliquod C non eſt B.
Ergo. Aliquod C non eſt A.

Si autem fuerit negatiua vniuerſalis, particularis affirmatiua circulo oſtẽdi nequit, qm̃ contingeret, vel ambas propoſitiones, vel alteram eſſe negatiuã, ex qua nullum affirmatiuum cõcluditur: Sed poterit ex acceptione probari hunc in modum: cui alicui non ineſt B, alicui ineſt A, vt dictum eſt etiam in ſuperioribus.

De Circulari demonſtratione in tertia figura.

IN tertia autem figura cũ ambæ propoſitiones fuerint vniuerſales, neutra harum poterit circulo demonſtrari, cũ in hac figura ſem per particularis concluſio deducatur, & ex particulari inferi non poſſit vniuerſale.

Si autem fuerit altera particularis, & altera vniuerſalis propoſitio, exiſtentibus ambabus affirmatiuis, ſi fuerit minor vniuerſalis, probari poterit in hac tertia figura circulari oſtenſione, particularis maior affirmatiua: Sit.n. syllogiſmus hunc in modum.

Aliquod C eſt A.
Omne C eſt A.
Ergo. Aliquod B eſt A.

Accepta igitur conclusione, & conuerſa minori affirmatiua vniuerſali, probabitur maior particularis affirmatiua hunc in modũ.

Aliquod B eſt A.
Omne B eſt C.
Ergo. Aliquod C eſt A.

Si autem fuerit maior affirmatiua vniuerſalis, & minor particularis affirmatiua, hæc proprie circulo non demonſtrabitur: Sed monſtrabitur eius conuerſa. Sit.n. syllogiſmus.

Omne C eſt A.
Aliquod C eſt B.
Ergo. Aliquod B eſt A.

Accepta igitur hac conclusione, & conuersa maiori vniuersali fiet syllogismus in prima figura cõcludens, quòd aliquod B est C

Aliquod B est A.
Omne A est C.
Ergo. Aliquod B est C.

Verum ita non erit ostensum quòd aliquod C est B. Non est autem idem, hoc huic inesse, & hoc illi: sed accipiẽdũ est, si hoc huic tali inest, & aliud huic tali inest, quo accepto non fit amplius syllogismus ex conclusione, & altera propositione; vnde proprie in ijs non fit ostensio circularis.

Si autem fuerit altera negatiua, & sit vniuersalis affirmatiua minor, altera particularis negatiua circulo demonstrabitur in tertia figura fit enim syllogismus hunc in modum.

Omne C est B.
Aliquod C non est A.
Ergo: Aliquod B non est A.

Accepta enim hac conclusione, & conuersa minori affirmatiua probabitur maior negatiua.

Aliquod B non est A.
Omne B est C.
Ergo. Aliquod C non est A.

Si autem fuerit vniuersalis negatiua, & altera particularis affirmatiua non probabitur, nisi per acceptionem iuxta modum predictum: vt si sit syllogismus hunc in modum.

Nullum B est A.
Aliquod C est B.
Ergo. Aliquod B non est A.

Nõ licet autem probare quòd aliquod C est B, per conuersionẽ maioris propositionis, quia ex negatiuis propositionibus nũquam affirmatiuum probatur: sed hunc in modum manifestabitur dicendo: cui nõ inest A, huic alicui inest B, ergo alicui C inest B, cui A, non inest.

Quare manifestum est, quòd in prima figura demonstratio circularis, perficitur per primam & per tertiam figurã; existente affirmatiua conclusione per primã: Existente vero negatiua cõclusione, & particulari per tertiam, iuxta modum acceptionis prædictum. In secunda vero figura existente syllogismo vniuersali, & per secũdam, & per primam, & per tertiã perficitur. Existente vero syllogismo particulari, & per secundam figuram, & per tertiam. In tertia autẽ figura omnes syllogismi per ipsam perficiuntur.

Manifestum etiam quòd & in secunda figura, & in tertia, syllogismi per has figuras non confecti, aut non sunt secundum circularem ostensionem, aut sunt imperfecti.

Adnotationes.

C*Irculo autem & ex inuicem monstrare.* Et si circularis demonstratio in demonstratione propter quid exerceri proprie non possit, vt ostenditur ab Arist. in lib. 1. Post. Analy. attamen contingit ipsam aliquo pacto adhiberi, cum partim a signo, & partim a causa sit processus: nec non in rebus, quarum generatio circulo fit, vt ostenditur ab eodem in lib. 2. Post. Analy. Idcirco regulæ in communi iuxta rationem syllogisticam erant afferendæ in hoc libro, vt cum occasio incideret vtendi circulari ostẽsione, haberemus, & quomodo in omnibus figuris ea exerceri possit.

li. 1. Post. Anal. c. 13

li. 2. Post. Anal. c. 13

Versaq; prædicatione. Intelligitur conuersa prædicatio in propositione, cũ illud, quod erat subiectum in propositione, transit ad locum prædicati, & prædicatum ad locum subiecti.

In his vero, quæ conuertuntur, est omnia monstrare per se inuicem. In superioribus ostensum est, plures syllogismos ad eũdem syllogismum posse concinnari; verum accipiẽdo alios, & alios terminos. In circulari autem ostensione inuicem propositiones ostendũtur eisdem prioris syllogismi terminis mutatis inuicem per conuersionem ex prædicatis in subiecta, & ex subiectis in prędicata.

Per assumptionem autem est. Intelligitur assumptio, dicendo, cui inest A, huic eidẽ inest B: sed A inest alicui C, ergo & B inest alicui C, & fit deductio huiusmodi semper in tertia figura.

Accepta autem altera. Id vult inferre, quòd mutata, seu conuersa conclusione, probabitur

tur

tur quod intenditur, cum cõclusio proprie intentam propositionem nõ contineat, sed eius conuersam.

Accidit.n.aut vtraq;, aut alteram propositionẽ. Non apparet, quomodo, cũ sit conclusio negatiua, & altera propositio negatiua, dicatur, quòd altera possit esse affirmatiua; nisi forte, (quod etiam innuit Magent.) intelligatur, quòd propositio particularis negatiua possit stare cum affirmatiua particulari, cum nõ opponantur inuicem in materia cõtingenti; vt explicatum est in lib. Periher.

Sed non est idẽ hoc illi, & illud huic inesse. Id est, non est idem dicere, A inesse ipsi B, & dicere B inesse ipsi A. Vnde, si probetur quòd A inest ipsi B, non inferendum ꝙ etiã probatum sit B inesse ipsi A. Vnde per assumptionem hoc erit comprobandum; & ita non per conuersionem.

Manifestum itaq; ꝙ in prima quidẽ figura. Ait ostẽsiones circulares absolui in prima figura, illas, quę sunt primę figuræ; exceptis illis syllogismis, qui absoluuntur per assumptionẽ, quę ꝓbatio in tertia figura ꝑficitur.

Manifestum autem ꝙ in tertia, & media. Hoc habet, ꝙ qui syllogismi in secunda figura, & in tertia figura nõ per ipsas fiunt, hi, *aut nõ sunt secũdum circularem monstrationem, aut sunt imperfecti.* Ijs verbis innuẽs, ꝙ complicationes, quæ non probantur in secũda & tertia figura; (sicuti in secunda non probatur propositio affirmatiua, & in tertia non probatur vnidersalis si probarentur, vt probãtur in prima figura, nõ essent syllogismi ex circulari, demõstratione inducti: aut essent imperfecti, vt quibus oporteret alias adiũgere probationes. Et aduertendum, supponi ab Aristot. in secunda figura, vbi sint ambæ propositiones vniuersales, & minor affirmatiua, ꝙ possit probari negatiua conuertendo minorem vniuersalem affirmatiuam in se ipsam, cum tamen vniuersalis affirmatiua, non nisi in particularem conuertatur; supponit aũt terminos inuicẽ cõuertibiles.

De conuersione syllogismorum in prima figura.

CONuertere autẽ syllogismũ nil aliud est, quàm transmutata conclusione construere syllogismum, quo, aut maiorem terminum prioris syllogismi non inesse medio, aut hũc non inesse minori ostẽdatur, vt supponebatur. Et hoc quidẽ rationabiliter euenit. Siquidem necesse est, quòd transmutata conclusione prioris syllogismi, & eiusdem manẽte altera propositione, alia tollatur ꝓpositio. Nam, si adhuc esset eadẽ, conclusio quoq; eadem esset, quę tamen supponitur transmutata.

Differt autem conuerti opposite, & contrarie, vt non sit idem vtriusq; modi syllogismus, vt patebit ex sequentibus: Opposite aũt, seu contradictorie cõuerti, & secundum hos modos, nempe OMNE, cui opponitur NON OMNE, & NVLLVM, cui opponitur ALIQVOD. Contrarie autem cõuerti, est secundum, OMNE, cui NVLLVM est contrarium, & secũdum NON OMNE, cui est contrarium ALIQVOD: vnde iuxta variã terminorum conuersionem, & transmutationem conclusionis, varij quoq; proueniunt syllogismi, q̃bus altera, vel altera ex propositionibus aufertur, aut omnino nõ aufertur. Idq; in omnibus figuris contingit.

Et in prima quidẽ figura si fuerit confectus syllogismus hũc in modum.

Omne B est A.
Omne C est B.
Ergo. Omne C est A.

Conuersa conclusione, & accepta altera propositione, altera tolletur propositio. Nam si contrarie transmutetur conclusio, tolletur propositio minor hunc in modum in secunda figura.

Omne B est A.
Nullum C est A.
Ergo. Nullum C est B.

Maior autem propositio, conuersa conclusione vniuersaliter non tolletur, sed solum contradictorie secũdum partem, q̃m in tertia figura oportet astruere syllogismum, in qua semper particulare concluditur problema.

Nullum C est A.
Omne C est B.
Ergo. Aliquod B non est A.

Similiter, existẽte syllogismo negatiuo & vniuersali, tolletur vtraque propositio modo prædicto. Sit enim syllogismus.

Nul-

Nullum B est A.
Omne C est B.
Ergo. Nullum C est A.

Conuersa conclusione in contrariã; tollitur minor prioris syllogismi in secunda figura.

Nullum B est A.
Omne C est A.
Ergo. Nullum C est B.

Maior autẽ propositio per tertiam figuram tollitur contradictorie hunc in modum.

Omne C est A.
Omne C est B.
Ergo. Aliquod B est A.

Si autem conclusio contradictorie conuertatur in syllogismo affirmatiuo, minor tollitur cõtradictorie in secũda figura hunc in modum.

Omne B est A.
Aliquod C non est A.
Ergo. Aliquod C non est B.

Maior autem cõtradictorie tollitur in tertia figura hũc in modũ.

Aliquod C non est A.
Omne C est B.
Ergo. Aliquod C non est A.

Quod similiter de negatiuo syllogismo dicendum est, quòd, cõuersa cõtradictorie conclusione, & maior in tertia figura contradictorie.

Si autẽ fuerit syllogismus particularis tam affirmatiuus, quàm negatiuus, contradictorie conuersa conclusione, tolli potest vtraq; propositio contradictorie; minor quidem in secunda figura, & maior in tertia.

Contrarie autem conuersa cõclusione, neutra tolli potest: non minor, quoniã si ita erigatur syllogismus.

Aliquod C non est A.
Omne B est A.
Ergo. Aliqod C non est B.

Non psopterea sequitur per alium syllogismum, vt tollatur minor particularis affirmatiua, quæ erat quòd aliquod C esset B, per hanc aliam, quòd aliquod C non est B; cum possit & aliquod C esse B, & etiam aliquod C non esse B.

Neq; maior tolli potest, qm̃ cõuersa contrarie cõclusione, fieret ex duabus particularibus complicatio, ex conclusione particulari, & ex altera particulari propositione, ex quibus nullus fit syllogismus: quod similiter de particulari syllogismo negatiuo statuendum est.

De conuersione syllogismorum in secunda figura.

IN secunda autem figura, existẽte vniuersali syllogismo: veluti est.

Nullum B est A.
Omne C est A.
Ergo. Nullum C est B.

Contrarie conuersa conclusione, tollitur minor contrarie in prima figura.

Nullum B A.
Omne C B.
Ergo. Nullum C A.

Maior autem non tollitur nisi conrradictorie in tertia figura.

Omne C A.
Omnẽ C B.
Ergo. Aliquod B A.

Si autem conclusio cõtradictorie conuertatur, tollitur minor cõtradictorie in prima figura hunc in modum.

Nullum B A.
Aliquod C B.
Ergo. Nõ omne C A.

Maior autem tollitur contradictorie in tertia figura sic.

Omne C A.
Aliquod C B.
Ergo. Aliquod B A.

Si autem sit syllogismus, & cõuertatur contrarie deducta conclusio, neutra propositio tolli potest; quemadmodum neq; in prima figura ob rationes superius adductas.

Si autem cõtradictorie conuertatur conclusio, minor contradictorie in prima figura tollitur: maior

ior autem tollitur contradictorie in tertia figura

De Conuersione syllogismorum in tertia figura.

IN tertia autem figura, si accipitur conclusio conuersa contrarie, neutra propositio tolli potest.

Nam hic semper concluditur particularis conclusio: vnde accepta altera particulari contraria, nequit fieri syllogismus neq; in prima, neq; in secunda figura ex maiori particulari.

Similiter si altera propositio sit particularis, & conuersa conclusione per contraria, neutra propositio tollitur. Nam aut erit complicatio ex maiori particulari in prima figura, aut ex vtraq; particulari in secunda, ex quibus syllogismus non habetur: idq; erit existente syllogismo negatiuo facto in tertia figura. Sed si contradictorie sumatur conclusio conuersa, tolli potest vtraq propositio. Sit enim syllogismus.

Omne C est A.
Omne C est B.
Ergo. Aliquod B est A.

Sumpta itaq; cōtradictoria huius, tollitur minor contradictorie in secunda figura sic

Nullum B est A.
Omne C est A.
Ergo. Nullum C est B.

Maior autem tollitur contradictorie in prima figura sic.

Nullum B A.
Omne C B.
Ergo. Nullum C A.

Eadem etiam euenient in syllogismo negatiuo, tam si ambæ ꝓpositiones fuerint vniuersales, quàm si altera sit particularis.

Adnotationes.

Conuertere autem est. Sciendū est, conuersionem pluribus modis accipi, aut secundum terminos, cum seruata eadem propositione affirmatiua, vel negatiua fit permutatio terminorum inuicē à loco prędicati ad locum subiecti; vt cum dicitur, aliquod B est A; & postea conuertatur, ꝙ aliqđ A est B, de qua cōuersione actum est in lib. superiori: & potest etiam dici, ꝙ hæc eadem conuersio conueniat relatiuis, prout supponuntur relatiua dici ad conuertentiam, vt seruus dicitur Domini seruus, & dominus serui dominus. Alio vero modo dicitur cōuersio in propositionibus, qñ seruato ordine terminorum, propositio a figura affirmatiua in figuram negatiuam conuertitur; qđ conuenit proprie propositionibus contingentibus; vt cum dicitur, si contingit omne B esse A, contingit etiam nullum B esse A, vt ostensum est etiam in libro superiori. Postremo datur cōuersio in syllogismis, qñ ex consensu aduersarij, vel sumitur oppositum cōclusionis, quod cōiungatur alteri ꝓpositioni, & ex ijs postmodum cōcluditur oppositum alterius propositionis; quod vsu venit pręsertim apud inuicem disputantes, qui, ex confesso, supponūt aliquid falsum esse aut impossibile; & concludunt postea aliquid, quod sit contrarie, aut contradictorie oppositum factæ suppositioni.

Differt autem opposite, an contrarie. Aduertit, aliud esse conuertere conclusionem opposite, aut contrarie: idest, ꝙ cōtradictorie, vel contrarie oppositio accipiatur. Erunt enim contradictorię oppositæ hę propositiones: omnis homo est albus, non omnis homo est albus, ita quidem vt ex necessitate altera sit vera, & altera falsa; prout in lib. Periherm. constitutum est. Propositiones aūt modo contrarię oppositæ erunt hę: omnis homo est albus, nullus homo est albus; quę nō ita inuicem opponuntur, vt altera ex necessitate sit vera, & altera falsa: sed possunt esse simul ambæ falsę in ratione existendi contingenter, vti declaratum est in eodem lib. Perihermenias. Quemadmodum & hæ; aliquis homo est albus, & nō omnis homo est albus dictæ subcontrarie, non sunt inuicem oppositę contradictorie; & ideo possunt esse simul veræ in ratione existendi contingenter. Hoc autem loco de conuersione syllogistica agitur, quę fit per conuersionē cōclusionis, vel in eius contrariam, vel in cōtradictoriam.

De Syllogismo ducente ad impossibile prima figura.

SYllogismus autem ducens ad impossibile fit, qñ supposita cōtradictorie conclusionis, & accepta altera ꝓpositione, ex ijs deducitur aliquid manifeste impossibile, & absoluitur in omnibus figuris. Sicuti & syllogismus conuersiuus, a quo tñ distinguitur, qm̃ conuersio fit iam constituto

syllogimo, & acceptis ambabus propositionibus, dum cõuertitur conclusio modo in contrariã, modo in eius cõtradictoriam. At deductio ad impossibile perficitur, dum supposita contradictione cõclusionis, seu problematis, & accepta altera propositioue tanquã vera, deducitur impossibile, cuius contrarium consequenter verum esse manifeste ostenditur. Conuenit autem deductio ad impossibile cum conuersione syllogistica; qm̃ vtraq; in omnibus figuris astruitur, & cum sumptione eorũdem terminorum. Veluti hunc in modum astrueretur syllogismus ducẽs ad impossibile. Sit.n. verũ, ꝙ A inest omni B per C medium assumptum: dicat autem quispiã ꝙ A aut nulli B, aut non omni B inest, tunc hac assumpta propositione, ꝙ nullum B est A, & hac alia perspicue vera q̃ omne C A, concluditur ꝙ nullum C est B: qđ supponitur impossibile. Et sequitur non ex propositione, omne C A, quæ manifeste est vera: ergo ex alia posita a contradicente, ꝙ nullum B est A: igitur eius oppositum erit verum, ꝙ oẽ B est A.

Et syllogismus quidem ducẽs ad impossibile, vt dictũ est, in oĩbus figuris efficitur, ita tñ, vt in prima figura omnia problemata deduci possint, excepto vniuersali affirmatiuo: quod ex ijs potest esse perspicuũ. Nam aut sumetur negatiuum vniuersale, aut particulare negatiuum. Quòd si particulare sumatur, non poterit astrui syllogismus in prima figura; vel si particulare negatiuum ad locũ maioris propositionis statuatur, vel si ad locum minoris propositionis, cum neutro horum modorum in prima figura astruatur syllogismus Si autẽ acciperetur oppositũ affirmationis vniuersalis, nempe negatiuum vniuersale, vtputa, quòd ad oppositũ huius, oẽ B A, sumatur nullum B A, tunc, vel accipietur aliquid sub A, & sic fiet syllogismus in secũda figura; aut accipiet aliquid sub B; & ita fieret syllogismus in prima figura deducens negatiuum vniuersale; quod non ita opponitur affirmatiuo vniuersali, vt alterum ex necessitate sit verum & alterum falsum; sed vtrũq; potest esse falsum in materia contingenti: atq; ideo concludendum est, vniuersale affirmatiuum colligi non posse in prima figura syllogismo ducente ad impossibile; in alijs autem figuris posse deduci nõ est inficiãdũ.

Particulare autẽ affirmatiuum colligi potest in prima figura syllogismo ad impossibile hunc in modum. Nam si non verum est dicere, aliqđ B esse A, supponatur eius contradictorium, nullũ B est A, cum quo iungatur hęc altera propositio manifeste vera, omne D est B; ex his sequitur in prima figura, quòd nullum D est A. Hoc autem habetur in confesso, quòd sit impossibile, & cum impossibile non nisi ex impossibili colligatur, sicuti & falsum ex falsis; ideo sequitur, quòd propositio assumpta est impossibilis & falsa illa nẽpe, ꝙ nullum B est A: Quare erit vera eius cõtradictoria, quòd aliquod B est A.

Similiter particulare negatiuũ syllogismo ad impossibile ducetur in prima figura hũc in modũ. Nam si non est verum, ꝙ aliquod B non est A; erit igitur suum contradictorium verum, omne B est A, cum qua propositione si iungatur hæc altera, quæ manifeste sit vera,

vera, omne C est B, cōcluditur in prima figura, ꝙ omne C est A. At id pro confesso est impossibile, & sequitur ex impossibili, nēpe ex illa propositione assumpta omne B est A; quare eius contradictoria erit vera, non omne B est A.

Vniuersale aūt negatiuū in prima figura syllogismo ad impossibile hunc in modum deduci pôt. Nam si non est verum, ꝙ nullum B est A, erit suum contradictoriū verum, aliquod B est A: cum qua propositione adiuncta hac altera manifeste vera, omne A est C, sequitur in prima figura, ꝙ aliquod B est C; quod impossibile esse ꝓ confesso accipitur: Igitur sequitur ꝙ sit impossibilis illa assumpta propositio, aliquod B est A. Vnde vera erit eius contradictoria, nullum B est A. Vnde patet in prima figura, excepto vniuersali affirmatiuo, alia tria problemata syllogismo ad impossibile posse deduci, supposito contradictorio eius, quod probari intenditur. Nō aūt contrariū est supponēdū, vt sunt, ***omne, & nullū, aliquod, et nō oē.*** Non. n. ex his oppositis conuincitur ex necessitate sequi impossibile. Nam ***aliquod***, & ***non aliquod*** in materia cōtingenti simul possunt esse vera: ***oē*** vero, & ***nullum***, contingit esse simul falsa in eadē materia contingenti.

De Secunda figura.

IN secunda autem figura vniuersale affirmatiuum syllogismo ad impossibile hunc in modū colligitur. Nam si non est verum, ꝙ omne B est A, erit verum suū cōtradictotium, aliquod B nō est A, cum qua propositione adiuncta hac altera manifeste vera, omne C est A, ex ijs sequitur in secunda figura, quòd aliquod B non est C, quod pro confesso est impossibile. Et sequitur ex illa assumpta propositione, aliquod B nō est A: quare, si hæc falsa, erit vera eius contradictoria, omne B est A.

Affirmatiuum autem particulare sic cōeluditur in secūda figura. Nam si non est verum, aliquod B est A, erit suum contradictoriū verum, nullum B est A; cum qua propositione adiuncta hac altera manifeste vera, omne C est A, sequitur quòd nullū C est B, quod pro confesso supponitur impossibile & falsum; ergo & falsa illa propositio assumpta, nullum B est A: quare vera erit eius contradictoria, aliquod B est A. Similiter probabitur vniuersale negatiuum per assumptionem oppositi particularis affirmatiui; nec non particulare negatiuū per assumptionem vniuersalis affirmatiui.

De Tertia figura.

IN tertia quoq; figura oīa problemata syllogismo ad impossibile concludi possunt per assumptionem oppositi contradictorie ad problema probandum. Et quidem vniuersale affirmatiuū hunc in modum deducetur. Nam si nō est verū, ꝙ omne B est A, erit verum suum contradictorium, aliquod B nō est A: cum qua propositione, adiuncta hac altera manifeste vera, omne B est C, sequitur in tertia figura, quòd aliqđ C nō est A, quod pro confesso supponitur impossibile, & deductum est ex illa propositione, non omne B est A; quare erit vera sua contradictoria, omne B est A. Similiter autem in tertia figura, tria alia pro-

blemata, nempe vniuerſale negatiuum, affirmatiuum particulare, & particulare negatiuum concludentur syllogiſmo ad impoſſibile, ſuppoſito ſemper contradictorio eius, quod probari intenditur.

Differt autem ſyllogiſmus demonſtrans impoſſibile ab oſtenſiuo, qm̃ ducẽs ad impoſſibile ponit quod vult auferre, & ita deducit aliquid, quod pro confeſſo falſum eſt. Demonſtratio autẽ oſtenſiua incipit, & tota progreditur cũ propoſitionibus veris & cõfeſſis. Vnde ambæ accipiunt duas propoſitiones cõfeſſas: ſed oſtẽſiuus eas ſic accipit, vt ex illis ſyllogiſmum conficiat. Ducens vero ad impoſſibile accipit alterã propoſitionem veram confeſſam, alteram vero accipit cõtradictoriam cõcluſioni, quam probare intendit. Sed & in oſtenſiua nõ neceſſe eſt vt cõcluſio ſit nota; neq; oportet præaccipere, ꝙ ſit aut nõ ſit vera; qm̃ ex ſyllogiſmo deducetur, vt manifeſta. In ducente vero ad impoſſibile neceſſe eſt accipere, ꝙ nõ ſit vera. Quòd autem cõcluſio ſit affirmatiua aut negatiua, nihil refert in vtroq; genere demonſtrationis.

Omne autem quod cõcluſum eſt oſtenſiue, poteſt etiam oſtẽdi ſyllogiſmo ad impoſſibile; & e cõtra, quæ ſyllogiſmo ad impoſſibile concludentur, poſſunt itidem oſtendi oſtenſiue; idq; in eiſdem terminis: Verum nõ in eiſdem figuris. Nam, quod deductum erit vt impoſſibile in prima figura, cũ ſit per negationem deductũ, idẽ oſtenſiue in ſecunda figura concludetur. Affirmatiuum aũt impoſſibile deductum in prima figura, oſtenſiue cõcludetur in ſecunda. Quæ vero per impoſſibile deducta fuerint in ſecũda figura, oſtenſiue probantur in prima. Quæ autem in tertia figura affirmatiua impoſſibilia fuerint deducta, eadem oſtenſiue in prima figura probabuntur. Quæ autẽ negatiua impoſſibilia in tertia figura deducta fuerint, eadem oſtenſiue probabuntur in ſecunda. Sed & e cõuerſo, quæ probata fuerint oſtenſiue, deduci etiam poterunt per ſyllogiſmum ad impoſſibile. Non autem in eiſdem figuris; vt hinc pateat, vtrumq; genus demõſtrationis eodem ordine ſyllogiſtico perfici, tum ſi demonſtratio ſit oſtenſiua, tum ſi ſit ducens ad impoſſibile; non tamen ſimul eadem abſoluitur in eadem figura; Sed vna demonſtratio in vna figura, alia vero in alia figura perficitur, vti dictum eſt.

Adnotationes.

V*Eruntamen differt in tantum.* Diſcrimen eſt inter ſyllogiſmum ex cõuerſione, & illum ducentem ad impoſſibile. Primo, qm̃ in ſyllogiſmo ducente ad impoſſibile, abſq; ꝙ præcedat ſyllogiſmus, põt deduci cõſequẽs impoſſibile. At in ſyllogiſmo per conuerſionẽ, prius ſupponitur ſyllogiſmus, deinde fit ex cõuerſione probatio. Item in ſyllogiſmo ex cõuerſione põt ſupponi tum cõtrarium, tum contradictorium; modo vnius, modo alterius propoſitionis ad redarguendum diſputãtem. At in ſyllogiſmo ducente ad impoſſibile nõ ſupponitur præcedens ſyllogiſmus; neq; ſupponitur contrarium, ſed ſolum contradictoriũ problematis, vt hinc deducatur impoſſibile; & ita impugnetur altera ꝓpoſitio, quæ ſupponitur impoſſibilis: non autem altera propoſitio, quæ ſupponitur manifeſte vera. Fiet autẽ hunc in modum ſyllogiſmus ducens ad impoſsibile. Vt, ſi quis cõtradicat, ꝙ non omnis homo eſt animal, accepta hac propoſitione vera, ꝙ omne rõnale eſt animal, fiet ſyllogiſmus in ſecunda figura, quo deſtruitur ſuppoſitum, ꝙ non omnis homo ſit animal: ita.n. fiet ſyllogiſmus: Omne rationale eſt animal, non omnis homo eſt animal, ergo non omnis homo eſt rationalis. At hoc eſt falſum & impoſsibile: ſequitur autẽ nõ ex illa propoſitione vera, quod omne rõnale eſt animal, qm̃ ex vero nõ niſi verũ deducitur; igitur ex alia, ꝙ non omnis homo nõ

eſt

eſt animal, ergo eius oppoſitum verũ erit, ꝙ omnis homo eſt animal

Non erit ſyllogiſmus, quando contrarium concluſioni ſuppoſitum fuerit His aperitur in ſyllogiſmo ducente ad impoſsibile nõ eſſe accipiendum cõtrariũ concluſionis. Vt, ſi cõcluſio ſit, ꝙ aliquod C non eſt B, nõ accipiẽda eſt cõtraria propoſitio, ꝙ aliquod C eſt B: quũ non inuicem ita opponuntur, vt altera ſit vera ex neceſſitate, & altera falſa, cũ poſſint ſimul eſſe veræ in materia contingẽti. Quod ſimiliter dicendum de propoſitionibus cõtrarijs: omne C eſt B, nullum C eſt B quoniam & hęc nõ ita opponuntur, vt ſit ex neceſſitate altera vera, & altera falſa: ſed poſſunt ambæ ſimul eſſe falſæ in materia contingenti. Vnde quoniam ex neceſſitate ducẽdum eſt impoſsibile, ſi ſit oſtendendũ, ꝙ omne C eſt A, erit accipiẽdum eius oppoſitum, ꝙ aliquod C nõ eſt A. Et ſi oſtendendum, ꝙ nullum C eſt B, accipiendum erit oppoſitum ꝙ aliquod C eſt B: ita.n. ex neceſsitate deducitur impoſsibile; cum innitatur ſyllogiſmus huic principio ab omnibus recepto, ꝙ de quocunq; affirmare aut negare verum, & huic alio, quòd impoſsibile ſimul idem affirmare & negare vere; quod locum habet in propoſitionibus inuicem contradictorijs.

Et illic quidem non eſt neceſſe concluſionem notam eſſe, neq; praeaccipere quòd eſt aut non. In hoc etiam differt ſyllogiſmus oſtenſiuus a ducente ad impoſsibile, quoniam in ducente ad impoſsibile, oportet præaccipere cõcluſionem inferendam, tanquàm manifeſte falſam. At in ſyllogiſmo oſtenſiuo nõ oportet præaccipere, ꝙ cõcluſio ſit vera, aut falſa: Sed ſi veræ fuerint ꝓpoſitiones, ex illis deducetur cõcluſio vera, quæ apparebit ex ipſa illatione cõſequente ad propoſitiones.

Omne vero, quod oſtenſiue concluditur, & per impoſsibile monſtrabitur Docet, omne quod oſtenſiue concluditur; etiam per impoſsibile monſtrari, & e contra; ſeruatis eiſdem terminis, non tñ in eiſdem figuris: Sed ſi impoſſibile ducatur in prima figura, oſtenſiue veritas oſtendetur in ſecunda, aut in tertia, & ita vice verſa. Vnde aduertendum eſt, non intelligi ab Ariſtotele, quod omnis modus ſyllogiſticus oſtẽſiue habeatur in quacunq; figura. Nam in tertia figura, vbi negatiua ſit particularis, & ſimiliter in ſecunda, probatur in vtraq; vniuerſale affirmatiuum per deductionem ad impoſsibile, nõ autem oſtenſiue in ipſis vniuerſale affirmatiuum demonſtraretur, vt patet ex libro p̃cedenti. Sed intelligit quod quicquid probatur per impoſsibile, probari etiã poteſt oſtẽſiue nõ in eadem figura, neq; in eodem modo, ſed in aliquo alicuius figuræ modo, quod ſatis eſt ad habendam regulam generalem, quòd id quod per impoſsibile monſtratur, oſtenſiue ẽt oſtenditur; & ecõuerſo. Adnotandum etiam rationem ducẽtem ad impoſsibile tanti ponderis eſſe, vt in ſcientijs apud mathematicos, & in alijs doctrinis adhibeatur, tanquàm demonſtratio ſufficientiſsima ad manifeſtãdam veritatem, quamuis demonſtratio oſtenſiua præcedat dignitate, & alijs prærogatiuis ipſi ducenti ad impoſsibile, vt docet Ariſt. in lib. 1. Poſt. Analyt.

li. 1. Poſt. Ana. c. 22

De eo quod eſt ratiocinari ex oppoſitis.

IN qua autem figura liceat, & in qua nõ liceat ex oppoſitis propoſitionibus ſyllogiſmum perficere, nunc explicandum eſt. Et primo ſciendum, oppoſitas propoſitiones ſecundum vſum loquendi eſſe quattuor, re uera autem tantum tres: quarum duæ ſunt oppoſitæ contradictoriæ, nempe hæ, *omne, & non omne, nullum & aliquod:* altera vero eſt oppoſitio cõtraria inter *omne & nullũ.* Vna vero eſt oppoſitio ſecundũ modum loquendi tñ, & nõ re vera; hæc nempe, *aliquod & non aliquod:* ſimul enim cõſiſtunt, vt nõ aduerſentur inuicem. His ita ſuppoſitis, cõſtituẽdum eſt in prima figura ſyllogiſmum ex oppoſitis perfici nõ poſſe: nõ affirmatiuum, quia oporteret ambas ꝓpoſitiones eſſe affirmatiuas; affirmatio autem & negatio cõſtituũt oppoſitas propoſitiones. Neque etiam negatiuum: qm̃ oportet oppoſita de eodem prædicari & negari; adeo vt medi⁹ terminus, aut de vtroq; extremo dicatur, & hoc ſit in ſecunda figura; aut ſubijciatur vtriq; termino, quod ſit in tertia figura: vnde patet in prima figura ratiocinationem ex oppoſitas locum habere non poſſe.

In ſecunda autem figura ratiocinatio ex oppoſitis, tum ex cõtrarijs, tum ex contradictorijs ꝑfici poteſt. Quemadmodum ſi A ponatur ſtudioſum, B vero, & C pariter ſcientia, vt & B nulli inſit A, & idẽ inſit omni C: ita enim fiet ratiocinatio ex oppoſitis in ſecunda figura.

Nulla scientia est studiosa
Omnis scientia est studiosa
Ergo. Omnis scientia non est studiosa.

Similiter accipiendo aliquid sub scientia contentum, vt est medicina sub scientia, fiet syllogismus in secunda figura.

Omnis scientia est studiosa
Medicina non est studiosa
Ergo. Medicina non est scientia.

Pariter sequetur syllogismus ex oppositis in secunda figura, si altera fuerit propositio vniuersalis & altera particularis, ita tamẽ, vt oporteat oppositiones haberi; aut de eodem, sicuti ꝙ oĩs scientia est studiosa, & nulla scientia non est studiosa; aut de illis duobus terminis extremis, quorũ vnus sub altero cõtineatur: sicuti medicina est sub sciẽtia, alioquin nõ fieret syllogismus ex oppositis, si non sint propositiones inuicẽ cõtrariæ, vel cõtradictoriæ.

In tertia autem figura licet syllogismum ex oppositis perficere: nõ quoad affirmatiuum ob causam antedictam in prima figura: sed negatiuum: & erit, qñ medius terminus subijcietur vtriq; extremo, ita vt de altero affirmatur, & de altero negatur. Veluti hunc in modum: accipiendo, quòd omnis medicina est sciẽtia, & nulla medicina est scientia, fiet enim syllogismus in tertia figura cõcludens opposita hunc in modum.

Omnis medicina est scientia
Nulla medicina est scientia
Ergo. Aliqua scientia non est scientia.

Similiter fiet syllogismus in tertia figura cõcludens opposita, si altera ꝓpositio particularis & altera vniuersalis accipiatur.

Est autem nõ ignorandum, ꝙ qñ opposita accipiuntur modo ꝑdicto, nõ potest latere ratiocinatio facta ex oppositis. Quandoq; autem latet deductio cõtrariorũ, qñ aliæ interrogationes fiant, vel alij modi obtegendi syllogismos abhibentur, de quibus actum est in Topicis.

Cum autem cõstet affirmationum tres esse cõtradictiones; hinc patere debet, contingere, vt sex modis accipiãtur opposita, nẽpe ipsi *omni, nullum*, aut *omni non omne*, aut *alicui non omne*; quæ & cõuerso modo possunt accipi in vtraq; propositione: vt puta in maiori, omne B esse A, in minori vero nullum C esse A, aut e conuerso, & ita de alijs oppositionibus tam in secunda, quàm in tertia figura. Vnde tot modis ꝑspicuum est syllogismum ex oppositis construi posse.

Illud etiam debet esse perspicuũ, ꝙ etsi ex falsis licet cõcludere verum, vt expositũ est antea, attamen, in syllogismo ex oppositis, nõ potest cõcludi verum: qđ patet ex hoc: qñ oportet de eisdem, vel in toto, vel in parte opposita dici: opposita autẽ cõtradictorie de eodem numquam simul verificari possunt.

Manifestum etiam debet esse, in parologismis, nempe in syllogismis cõtradictionem inducentibus, nil prohibere ex suppositione colligi cõtradictionem. Veluti, si est impar, non esse impar. Si quidem ex cõtrarijs propositionibus fit syllogismus contrarius. Vnde, si tales propositiones assumantur, erit contradictio ex suppositione.

Ad hæc oportet nõ ignorare, ꝙ nõ licet cõtraria prædicto modo cõcludere ex vno syllogismo: vt cõcludatur (verbi gratia) quod nõ est album, esse album, nisi propositio huiusmodi accipiatur: omne animal esse album & nõ albũ; hominem vero esse animal; vnde

con-

concluditur, hominem esse albũ, & nõ albũ. Vnde oportet vel accipere cõtradictionem veluti, quòd omnis scientia est opinio, & non opinio: deinde accipere, ꝙ medicina est scientia, nulla vero opinio: quemadmodum fiunt hũc in modum redargutiones: Aut oportet ex duobus syllogismis cõtradictionem astruere. Hinc cõcluditur contraria vera assumi non cõtingere, nisi eo modo, vt dictũ est antea, vt in maiori propositione simul contraria accipiantur, & sine contradictio inferatur.

Adnotationes.

Dico autem oppositas esse propositiones secundum dictionem. Ait oppositiones propositionum esse quattuor secundum dictionem; idest, secundum modũ locutionis. Nam *omne*, opponitur *nulli*, & *non aliquod* opponitur *omni*; & *aliquod* opponitur *nulli*, & etiam *non alicui*. Verum aliæ priores re vera sunt oppositiones, qm̃ vna pars tollit aliam. Nam *omne*, tollit *nullum*, licet in hac oppositione non verificetur, vt de quacunque re vna pars sit ex necessitate vera, & altera falsa, cum in materia contingẽti am bæ sint falsæ. Cõtradictoriæ autem propositiones ita opponuntur: nempe *omne*, & *non omne*, & *aliquod*, & *nullum*, vt de quocunq; altera pars sit vera, & altera falsa. Oppositio autem particularium propositionũ, vt sunt, *aliquod*, & *non aliquod*, tantummodo secundũ modum locutionis opponuntur, eo quòd etsi per, *non aliquod* negatur *aliquod*; attamẽ re uera nõ sunt opposita; qm̃ *aliquod* ad vnã partem reium potest referri; *non aliquod* vero ad aliam partem.

Verum hæ non opponuntur. In prima figura medium subijcitur maiori termino, & prędicatur de minori. Vnde, cum diuersi sint termini, nõ potest fieri syllogismus ex oppositis in prima figura, cum debeat astrui de eodem, & non in diuersis terminis.

Quæ sunt sub medico, vt aut eadem sint, aut vt totum ad partem. Aduertit, adhoc vt perficiatur syllogismus ex oppositis in secunda figura, opus esse, vt quæ sunt sub medio, aut sint idem; vt cum dicitur, ꝙ omnis scientia est studiosa in maiori propositione, & in minori, ꝙ nulla scientia est studiosa. Aut oportet, vt ita se habeant termini extremi, vt vnus sub altero tanquàm pars sub toto contineatur. Veluti, cum dicitur in maiori propositione, omnis scientia est studiosa, & in minori, nulla medicina est studiosa. Etenim medicina idem est cũ scientia, vt pars contenta sub toto.

Est autem per alias interrogationes. Habet, ꝙ non latet cõtradictio, quando fit syllogismus ex oppositis manifeste sumptis in ꝓpositionibus: sed latere potest cõtradictio, qñ ex diuersis interrogationibus deducitur occulte vel alijs modis, de quibus agitur in lib. 8. Top. inter initia.

li. 8. Top. cap. 1.

Sex modis contingit opposita accipere. Sũt tres veræ oppositiones, *omne*, & *nullum*. *omne*, & *non omne*: *nullum* & *aliquod*. Possunt autẽ sex modis exerceri, tam in secunda, quàm in tertia figura: quoniam, aut erit maior affirmatiua, & minor negatiua; vel e cõtra, maior negatiua & minor affirmatiua; vnde iuxta tres oppositiones inuicem permutatim acceptas in propositionibus, sex modi exurgent ratiocinandi ex oppositis.

Oportet autem existimare. Aduertit nõ posse cõcludi cõtraria ex vno syllogismo, vt concludatur (verbi gratia) bonum non esse bonũ, nisi accipiatur cõsimilis propositio, veluti animal album esse, & nõ album, cui subinferendo, ꝙ homo est animal, cõcluditur ꝙ homo sit albus & nõ albus. Aut oportet ex duobus syllogismis inferre cõtradictionem: vt solent inducere inuicem disputantes.

De petitione eius, quod in principio.

Petere autem, seu accipere, ꝙ vulgo dicitur in principio, si in genere cõsideretur, intelligitur tunc fieri, cum nõ demõstratur id, quod demõstrandum ꝓponitur. Id autẽ cõtingit multis modis; tum si omnino nõ fiat syllogismus; tum si ignotum ex ignotioribus, vel æque ignotis ostẽdatur; tum si ex posterioribus priora demõstrarẽtur. Siquidem demõstratio ex credibilioribus, & prioribus cõstrui debet. Verumtñ per hæc nõ proprie affertur significatio eius, qđ est petere in principio sub rõne syllogistica; quẽadmodum nunc est cõsiderandũ. Idcirco, cũ aliqua sint suapte natura nota; vti principia scientiarum, aliqua vero alia debeant ex alijs manifestari, vti ea, quæ sunt sub principijs; aduertendum, ꝙ qñ aliquis voluerit probare ea, quæ nõ sunt nota per ipsa met, sic proprie fiet petitio eius, quòd in principio. Id autẽ duobus modis

esse potest: vel si absq; ratiocinatione putemus, & supponamus notum esse id, quod nō est notū. Aut si ratiocinationem huiusmo di adhibeamus, vt id, per qđ ꝓbatur propositum, accipi quoque possit ad probandum illud, per qđ ipsum probatum est: tunc.n. contingit demonstrationem taliter haberi, ac si dicatur aliquid esse hoc, quia est hoc; qua ratiocinatione omnia facile demonstrarentur. Veluti (vt in terminis litterarum hoc exerceamus.) Si A per B ꝓbaretur, & B per C, & ipsum C aptum esset probari per A, ita contingeret A per ipsummet A probari. Si quidem ita probabitur B esse A per C sicuti & per B probatur C esse A. Quare sequitur idē per se ipsum probari: qđ contingit ijs, qui æquidistantes lineas putant describere, & ad hoc probandum assumunt ea, quæ nō licet demonstrare, nō existētibus lineis æquidistantibus. Vnde supponentes lineas æquidistantes, ita per lineas æquidistātes videntur probare lineas æquidistātes: adeo vt ita ratiocinantibus cōtingat dicere, & quodq; probare, si est qđque; vnde qđq; erit per seipsum manifestū, quod est impossibile.

Et vt explicatio hęc de petitione principij magis appareat, aduertendum ꝙ si quis, existēte immanifesto ꝙ B insit C, & similiter ꝙ A insit ipsi B, petat A inesse ipsi C, nondum manifestum erit, si petat quod in principio; sed bene manifestum erit, ꝙ non demonstrat: non enim principiū demonstrationis est id, quod similiter est immanifestum cū re demonstranda. At si B ita se habet ad C vt sint idem; aut manifestum est ꝙ conuertuntur, vel alterum inest altero, sic petitur quod in principio. Nā etiam probabitur ꝙ A insit B per illa eadem. Nam, si fuerit syllogismus, quo concluditur, quòd C est A, hunc in modum.

Omne B est A.
Omne C est B.
Ergo. Omne C est A.

Si conuertatur propositio omne C est B & accipiatur cōclusio, omne C est A, concluditur quòd omne B est A.

Omne C est A.
Omne B est C.
Ergo. Omne B est A.

Si autem termini non conuertantur, non erit modus inuicem probandi; cum sint simul & pariter ignotæ propositiones: fiet autem mutua probatio, si inuicem tres termini conuertantur.

Similiter etiam dicendum, ꝙ si accipiatur B inesse ipsi C, & etiā A insit ipsi C, & vtrumq; sit immanifestum, ex ijs ita acceptis nondum erit facta petitio principijs, sed nil demonstratum erit. Verum si idem est A & B, vel qm̄ conuertātur inuicem, vel quia A consequatur ad B, sic fiet petitio principij, qm̄ per C probaretur A inesse ipsi B, & etiā per B probaretur A inesse ipsi C, & ita probaretur idem per idem; nempe illud idem per ipsummet, quod est ignotum. Et hoc contingere potest, vel qm̄ eadem, nēpe duo termini insint tertio, vel idem duobus alijs insit. Hinc non solum in prima figura; sed etiā in secunda, & in tertia contingeret, iuxta vtrumq; dictum modum, (vel quia ijdem termini eidem insint, vel quia idem terminus insit eisdem duobus) fieri petitionem principij: quod in affirmatiuis syllogismis in prima, & in secunda figura potest fieri. In negatiuis aūt syllogismis etiam in secunda; non autem

tem eodem modo in prima, & in tertia, vbi particularis negatiua aſſumeretur, qm̃ huiuſmodi non conuertitur in terminis. Et hæc ſint ſatis de petitione principij, quod in demonſtrationibus contingit circa ea, quæ modo prædicto ſecundum veritatem ſe haberet. In dialecticis autem inerit ſecundum ea, quæ ęque probabilia viderentur.

Adnotationes.

H*orum igitur nihil eſt peti quod in principio* Aduertit pluribus modis in genere, & ſecundum quandam communem appellationem dici petitionem principij. Aut, cum ex ignotioribus, & poſterioribus aliquid oſtendatur, aut ex æque ignotis: Aut ſi abſq; ſyllogiſmo aliquid accipiatur, quod nõ ſit per ſe notum, & ipſum probare oportet. Sed tũc fieri ait petitionem principij, cum aliquid ſyllogiſmo probaretur per illud, quod æque ſit ignotum, & pariter probari poſſit per illud aliud: ita enim ſub ratione ſyllogiſtica hæc cõſideratio de petitione principij hic habetur, vt conuenit p̃ſenti tractatui: vbi eſt ſermo generalis de annexis ſyllogiſmo: vnde exponitur; ꝙ in tribus figuris cõtingere poteſt petitio principij; non omnino autem eodem modo in omnibus.

Si tamen B ad C ita ſe habet, vt idem ſint, aut manifeſtum, quod conuertentur, aut inſit alterum altero. His adnotatur fieri poſſe, per æque ignota mutuam probationem, ſi termini ſit ijdem; ſicuti ignis, & ſubtiliſſimũ idẽ ſunt; Aut ſi inuicem cõuertantur, vt homo & rationale: Aut alterum altero inſit, ſicuti gaudium & voluptas ita ſe habent, vt gaudio omni inſit voluptas. His igitur modis contingeret fieri petitionem principij, probando ignotum per æque ignotum, reducendo in ſyllogiſmo probationem mutuam, ſi cõuertãtur termini, vnde fieret circularis demonſtratio, quam dari nen poſſe per æque nota & prima, oſtendit Ariſt. in lib. 1. Poſt. Analy. Huic enim circulari demõſtrationi conuenit petitio principij, ſi mutua probatio per æque ignota procedat, vt ſupponitur hoc loco. At ſi ſit circularis demonſtratio, vt modo ex cauſa probetur cauſatũ, modo ex cauſato cauſa, ſic non erit petitio principij quo ad illam partem, in qua ex cauſa probetur cauſatum; quia ſic ex prioribus & notioribus ſimpliciter fieret demõſtratio. Si autem per cauſatum cauſa probaretur, ita fieret demõſtratio imperfecta ex notioribus nobis, & prioribus; nõ autem ex ſimpliciter notioribus & prioribus.

li. 6. Poſt. Anal. c. 3.

Aut eo quod eadem eidem, aut eo quòd idem eiſdem ineſt. Duos tangit modos, quibus cõtingit fieri petitionem principij: quoniam aliquid ignotum probetur per illud æque ignotum; quod eſt idem, ac dicere, ꝙ ignotũ per ſe ipſum ignotum exiſtens probetur. Hi autem duo modi ſunt: alter, cum eadem inſint eidem, vt æque duo termini ſint ignoti, ꝙ inſint eidem tertio. Veluti ꝙ A inſit ipſi C, & B ipſi C. Alter modus, ꝙ idẽ inſit eiſdem duobus, & æque ignotum ſit quòd inſit vtriq;. Veluti ſi C ineſt ipſi A, & ipſi B, in his enim, ſi termini conuertantur, erit aſtruere ſyllogiſmos cũ petitione principij.

In media quidem figura, & tertia vtroq; modo contingere poſſe peti. Vt aduertit Io. Gram. Ariſt. prius attulit conſiderationem primæ figuræ circa petitionem principij. Hic vero tangit etiam in ſecunda & in tertia cõſtrui poſſe vtroq; modo: nempe, ꝙ vel duo pariter inſint, aut non inſint, altero, vt in figura tertia; aut idẽ inſit aut non inſit alijs duobus in ſecunda figura. Nõ autem explicat Ariſt. diſtincte circa omnes modos ſyllogiſticos tam affirmatiuos, q̃ negatiuos, quibus in ſingulis figuris in ſyllogiſmo petitio principij poſſet fieri: ſed tm̃ animaduertit quoſdam modos in prima figura, & in tertia (vbi particularis negatiua propoſitio aſſumatur) non poſſe fieri mutuam probationem, qm̃ in terminis huiuſmodi propoſitio nõ conuertatur, quod pariter aſſerit de ſecunda figura; vt ſit diſcrimen, ſi nõ fuerint vniuerſales propoſitiones: qm̃ in particularibus ſyllogiſmis negatiuis particularis negatiua nõ poteſt cõuerti. Ait autem in ſyllogiſmis petitionem principij cõtingere, vbi eadem ab eodem ſimiliter abſunt, vt illi non inſint.

Io. Grã.

De eo quod eſt non penes hoc.

ILlud vero quod in diſputationibus ſæpe conſueuimus dicere, non contingere falſum penes hoc; primo quidem ſciendum eſt, in ſyllogiſmis ad impoſſibile locum habere, qñ id fuerit illatum ad eius contradictionẽ, quod demonſtratione ad impoſſibile probatur. Nam ſi quis non contradicat, inquiens, tale impoſſibile penes hoc, ſeu penes talem ſuppoſitionẽ nõ ſequi, adhuc penes hoc nõ ſolet inferri, ſed omnino oportet inferri a cõtradicente, ꝙ aliquid falſum prius poſitum fuerit ab aduerſario; ex quo illatũ fuerit impoſſibile, & non ex ſuppoſitione ab ipſo conceſſa. Nullo aũt pacto in ſyllogiſmis oſtenſiuis, locum habet huiuſmodi non penes hoc inſtantia: idq; duplici de cau

ſa; tum, qm̃ ſic ratiocinans nõ ponit contradictioné, ex qua reſpõdens obijciat non penes hoc; tum qm̃ ex ſyllogiſmo oſtenſiuo his tribus terminis A B C confecto, non amplius aderit syllogiſmus, ſublata ſi ſit altera duarum propoſitionum, ex quibus conficitur. Oportet auté, vt in inſtantia non penes hoc, remaneat ſyllogiſm⁹, quod non contingit in oſtenſiuis, vt dictum eſt. Idcirco manifeſtũ eſſe debet, ꝙ in ſyllogiſmis tm̃ ad impoſſibile locum habet huiuſmodi inſtãtia, dicta non penes hoc: qñ ita ſe habuerit ſuppoſitio facta ab initio, vt vel exiſtẽte eadem, vel nõ exiſtente, nihilominus ſequatur impoſſibile. Et modus quidem manifeſtiſſimus, ꝙ falſum præter ſuppoſitionem, & non penes ipſum, ſit deductũ eſt, quando ab ipſa ſuppoſitione incõiunctus ab ipſis modis (quibus ꝓceditur ad impoſſibile) fuerit ſyllogiſmus: & eſt modus dictus in Topicis, quod nõ cauſa, vt cauſa inferatur: nempe, cum cõcluditur aliquid tanquam ex ſuppoſitis, ex quibus non ſequitur.

Et modus prædictus ſyllogiſmum ad impoſſibile conficiendi, ſine vlla mediorum ad ſuppoſitionem coherẽtia, eſſet. Veluti, ſi quis volẽs oſtẽdere, quòd diameter ſit incõmenſurabilis, aggrederetur rationem Zenonis contendentis, quòd non eſſet motus, & in hoc deduceret impoſſibile, qđ certe ad ſuppoſitioné factam nullatenus cohæreret.

Alius vero modus poteſt adhiberi mediorum coniunctorũ ſuppoſitioni, ex quibus ſequatur impoſſibile, non tamen penes ſuppoſitionem: idq; cõtingit, etſi ſurſum, & ſi deorſum cõtinui termini accipiantur. Veluti deorſum ꝓcedendo, ſi ſupponatur A ineſſe ipſi B, & B inſit ipſi C, & C ipſi B, & hoc ſit falſum, nempe B, ineſſe ipſi D. Itaq;, ſi ablato A, nihil minus ineſſet B ipſi C, & C ipſi D, ſic deductum eſſet falſum; non tamen penes ſuppoſitionem factam a principio. Surſum vero procedẽdo hoc idem contingeret. Veluti ſi A ipſi B ineſt, ipſi vero A ineſt E, & ipſi E ineſt F, falſum erit ꝙ F inſit ipſi A, quod quidem eſt falſum, & impoſſibile, cõſequens nõ ad petitionem factam, ad quam ſi debet ſequi impoſſibile, oportet terminos in ſyllogiſmo aſſũptos ita eſſe coniunctos, vt ex ipſo ſyllogiſmo, & non aliunde ſequatur impoſſibile, adeo vt, ſublata ſuppoſitione, non amplius impoſſibile exiſtat. Et hoc quod dictũ eſt tam in affirmatiuis, quàm in negatiuis ſyllogiſmis contingit.

Sed & illud animaduertẽdum eſt, ꝙ contingit etiam plures ſuppoſitiones facere & interrogare; vnde non eſt neceſſe, vt ex prima ſuppoſitione ſequatur falſum, cũ poſſit & ex altera ſubintroducta ſequi. Vnde habebit locum inſtãtia, ꝙ non penes hoc ſit deductũ falſum: qm̃ ad primam ſuppoſitionem non ſequatur. Omnino autem locum habet inſtãtia non penes hoc, quando ſuppoſitione ablata, ex qua ſupponebatur falſum deduci, adhuc ex alijs propoſitionibus falſum deducitur.

Adnotationes.

P*Rimum quidem eſt in ſyllogiſmis ad Impoſſibile.* Inſtantia, quæ affertur inter diſputantes huiuſmodi, ꝙ nõ penes hoc ſit deductum falſum, proprie locum habet in ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile: & in illis quidem, vbi ſit diſputans altero contradicens, qui velit eum redarguere tanquã ponentem aliquid falſum. Idcirco ſtatuitur,

tunc

tunc proprie & cõuenienter obijci, quã nõ penes hoc, ideſt, non penes ſuppoſitionem factam a reſpõdente ſequatur falſum, ſed ex alijs poſitionibus ſubinductis ab aduerſario, tunc enim erit locus optime inferendi, non eſſe penes hoc redargutionem.

Qui igitur manifeſtiſſimus eſt. Ait modum manifeſtiſſimum, ꝙ non ſit penes hoc, & nõ ſecundum ſuppoſitionem deductum impoſſibile, eſſe qñ nulla eſt cohærenria mediorũ ad ſuppoſitionem; ſicuti nihil commune habet ratio Zenonis cõtendentis, motum nõ eſſe, cum ſuppoſitione, ꝙ ſit diameter incõmenſurabilis. Alius vero modus minus apparens eſt, qñ medij termini copulantur ad ſuppoſitionem vel ſurſum aſcendendo, ad prædicatum ſuppoſitionis, vel deſcendendo infra ſubiectum ſuppoſitionis; cum tamen non ſequatur abſurdum ex ſuppoſitione; ſed ex alijs terminis ei cohærẽtibus. Hinc manifeſtum eſt, præſentem cõſiderationem pertinere ad ſyllogiſmum tanquàm ſibi adnexandum conſideratur in ratione ſyllogiſtica, qñ ad poſitionem aliquam ſequatur, aut non ſequatur falſum aduerſus reſpondentem.

De falſa ratione.

NOn ignorandum eſt etiam, falſam rationem fieri penes primum falſum antecedẽs, qđ patet. Si quidẽ ſyllogiſmus, aut ex duabus propoſitionibus, aut ex pluribus conſtituitur. Atqui ſi ex duabus, neceſſe eſt (vt patet ex ꝓcedentibus) aut alteram tm̃, aut ambas propoſitiones eſſe falſas; quandoquidem ex veris non eſt deducere falſum ſyllogiſmum. Si autem ex pluribus cõſtituitur veluti, C per A B, & hæc per D E F G, vtiq; horum quæ ſupra ſunt, aliquid erit falſum, & penes hoc falſa erit oratio, & ſequela ſyllogiſmi, qm̃ A & B per alios terminos perficientur, in quibus falſitas conſiſtit.

Adnotationes.

ADnotandum autem, & hanc cõſiderationem de falſa ratione ita in genere habitam, pertinere ad adnexa ſyllogiſmi; cum iuxta ordinem terminorum falſitas rationis in ſyllogiſmo conſideretur.

De ipſo non ratiocinari.

VT autem reſpondens tollat occaſionem aduerſario ratiocinãdi, & colligendi aliquid aduerſus ei⁹ poſitiones, hæc obſeruare debet: ne bis eundem terminum cõcedat: conſtat enim, ꝙ ſine termino bis ſumpto nullus conſtituitur ſyllogiſmus. Et cũ pateat ex declaratis ſuperius, quæ problemata, & quibus modis in quaq; figura demonſtrentur; ideo defendẽs aliquam poſitionem, poterit proſpicere, quæ non ſint concedẽda, ne ſyllogiſmus ei contradicens aſtruatur.

Ex oppoſito autem redarguẽs, vt fallat reſpondentem, non pro ſyllogizabit cõcluſiones; ſed ſumptis neceſſarijs ꝓpoſitionibus, illas ſilentio deducet; & ita relinquet eas immanifeſtas. Idem media ſumpta ordine non ſeruato interrogabit; ſed ab vno in aliud ſermonem non continuum conuertet, initium ſumens a terminis medijs inter diuerſa extrema: ita enim magis occultatur negociũ, & diſputatio valentior euadit. Veluti, ſi oportet concludere A de G, & media ſint B C D E, oportet vt interroget ſi A ineſt ipſi B, & rurſus non debet interrogare ſi B ineſt ipſi C, ſed ſi D ineſt ipſi E, & deinde reuerti ad illud, ſi B ineſt ipſi C, & ita ad alia procedere. Quòd ſi per vnum medium fiet ſyllogiſmus, expedit ab ipſo medio termino initium ſumere interrogationis; quoniam & ita magis ratiocinij ordo latebit reſpondentem.

Adnotationes.

PRæcedens etiam contemplatio perſpicuum eſt, ꝙ pertinet ad adnexa ſyllogiſmi, cum conſideretur, quomodo impediatur, ne fiat ſyllogiſmus, & quomodo obtineatur, vt fiat inter diſputantes.

De

De redargutione.

CVm autem teneamus ex precedẽtibus, qñ, & quibus modis exiſtentibus terminis diſpoſitis fiat ſyllogiſmus; hinc manifeſtum etiam eſſe debet, qñ erit, aut non erit elenchus, ſiue redargutio, quæ eſt ſyllogiſmus inferens contradictionem aduerſus reſpõdentem. Etenim conceſſis oĩbus interrogationibus, ſeu reſponſionibus, quæ ſint affirmatiuæ, aut alia affirmatiua, & altera negatiua, hinc contingit fieri redargutionem. Siquidem vtroq; modo, & ex vtraq; affirmatiua, & etiam ex vna affirmatiua & altera negatiua fit ſyllogiſmus. Vnde, ſi quod poſitum eſt a reſpondente, eſt cõtrariũ cõcluſioni, hinc neceſſe eſt fieri redargutionem aduerſus ipſum, cum elẽchus ſit ſyllogiſmus cõtradictionis. Quòd ſi reſpõdẽs nihil conceſſerit, tunc impoſſibile fieri redargutionem. Nõ.n. eſt ſyllogiſmus ex terminis ſolis negatiuis; quare neq; erit redargutio ex huiuſmodi terminis: quippe quia ſi eſt redargutió, neceſſe eſt ſyllogiſmum eſſe: non autem ſi eſt ſyllogiſmus, oportet vt ſit redargutio: in plus.n ſe habet ſyllogiſmus. Similiter etiam ſi reſpõdens nihil poſuerit in toto, vt nullam ponat propoſitionem vniuerſalem, ita etiam auferet aduerſario facultatem redarguendi, ſicuti ſine propoſitione vniuerſale nullus conſtruitur ſyllogiſmus.

Adnotationes.

Q*Vare neq; redargutio.* Hoc habet, ꝙ ſicuti ſyllogiſmus non conſtituitur ex propoſitionibus ſolum negatiuis, ita neq; redargutio. Vnde ſi nihil cõcedatur a reſpondente, ex negatiuis ſolis aſtrueretur ſyllogiſmus, aſtruendus ex negatiuis tantũ reſponſionibus.

Eadem namq; erit determinatio Hoc eſt, ſicuti non conſtituitur ſyllogiſmus ſine propoſitione vniuerſali, ita neq; fit ſyllogiſmus redarguens, cum & in hoc ipſo ordo ſyllogiſticis requiratur. Ex quo etiam patet, hãc perſcrutationẽ ad adnexa ſyllogiſmi pertinere.

De deceptione, quæ ſecundum exiſtimationem contingit.

COntingit autẽ interdum id (quod maxime animaduertendum eſt) vt, quemadmodum decipimur in poſitione terminorum, vtputa, qm̃ indefinite poſiti ſint in propoſitionibus, aut alio ſimili modo; ita quoq; decipiamur ſcd̃m ſuſpicionem, vt ignorare nobis videamur ea, quæ ſcimus. Veluti ſi cõtingat idem pluribus primis & immediate ineſſe, & id aliquem lateat, adeo vt exiſtimet vni horum non ineſſe, & omni altero ineſſe.

Vt autem in terminis litterarũ generatim id explicetur; ſit A ſecundum ſe inexiſtens & ipſi B, & ipſi C, & hæc duo pariter inſint omni D. Si igitur quiſpiam exiſtimaret A ineſſe ipſi B & hoc ipſi D & ſimul exiſtimaret A nulli C ineſſe, & hoc oĩ D, hunc in modum is haberet de eadẽ re ſcd̃m idẽ & ſcientiam, & ignorantiam: Scientiam quidem, dum exiſtimaret A ineſſe ipsi D, ſupponens A ineſſe ipsi B, & B ipsi D, ignorantiã vero, dum exiſtimaret & ſupponeret, A quidem ipsi C ineſſe, ſed C nõ ineſſe ipsi D: & ita exiſtimaret & A ineſſe ipsi D per medium B, & A etiam non ineſſe ipsi D per medium C. Et hic vnus eſt modus deceptionis ſecundũ ſuſpicionẽ.

Alter vero modus erit, si quis decipiatur ex eadem coordinatione mediorum. Veluti, si A ineſt ipsi B, & hoc ipsi C, & hoc ip-

si D, aliquis aūt existimet A inesse omni B, & rursus existimet A nulli C inesse, is sciet A inesse & nō inesse ipsi C. Inesse quidē, qm̄ scit A inesse omni B, vnde scit ēt A inesse ipsi C contento sub B: dū autem suspicatur A nō inesse ipsi C, hinc fiet, vt quod existimet se scire, hoc nō opinetur se scire: id autem est impossibile, quoniam non cōtingit absolute non opinari, quod quodammodo scitur.

Verum in priori adducto modo, vbi non est medium ex eadem ordinatione, aduertendum non cōtingere, vt secundum vtrumque mediū quis opinetur veras vtrasque propositiones: nēpe ꝙ A omni B insit, & etiā ꝙ A nulli C insit, & ꝙ vtrumq; mediū insit omni D. Si quidem ita contingeret primam propositionem accipere contrariam, vel simpliciter, vel secundum quid. Si. n. cui omni inest B, existimat eidem omni inesse A, & nouit B inesse ipsi D, vtiq; etiam nouit quòd A inest ipsi D. Quare, si rursus cui nulli inest C, putet A inesse, sic cui inest ipsum B, huic non putabit A inesse. Verum, qui existimat, syllogismum inducendo ex vtroq; medio, ꝙ A inest ei, cui inest B, & rursus existimat, ꝙ A non inest ei, cui inest B; is existimabit id, quod vel simpliciter, vel secundū quid est contrarium. Vnde hunc in modū non cōtingit opinari, neq; cadere potest hæc existimatio in homine, nisi stolido, aut pertinaciter obsistente huic axiomati, qđ contraria non possunt esse simul. Igitur existimare ambas has propositiones, & quòd A insit ipsi D, & ꝙ A non insit ipsi D, secundum alterum & alterum medium ratiocinando, & impossibile, cū non possint simpliciter cōtraria simul esse. At vero scđm vtrumq; mediū nil prohibet, quin aliqs existimet vnam propositionē, seu aliquid eidē inesse & nō inesse; veluti per medium B, de quo dr̄ A, & B de D, quòd A insit ipsi D. Et rursus, ꝙ A non insit ipsi D per medium C, de quo dicitur A; sed C supponitur, aut ignoratur inesse ipsi D, cum tamen ei insit. Item nil prohibet, vt secundum alterum medium duę propositiones oppositę quodammodo existimētur vt veræ: vtputa, & quòd A insit ipsi D per B, & etiam quòd non insit ipsi D. Similis. n. est hæc deceptio ei; qua decipimur circa particularia. Quemadmodum si A inest omni B, & B omni C, vtiq; & A inerit omni C. Vnde, si quis sciat quòd A inest omni B, nouit etiā quòd A insit omni C, cui inest B; & nihil tn̄ ꝓhibet, ignorare ipsum C esse. Veluti in hoc exemplo. Sint duo recti A, triangulus B; & triangulus sensibilis C, sit aūt aliquis, qui existimet non esse C, triangulum. s. sensibilem absconditum: is sciet quidem, quòd oīs triāgulus habet duos rectos: vnde, qui scit hunc in modum de omni triangulo, ignoret autem triangulum absconditum, idem sciet & nō sciet: nempe sciet triangulum absconditum habere duos angulos rectos, quatenus scit omnem triāgulum habere duos angulos rectos: ignorabit autem quòd triangulus sensibilis, quem ignorat esse, habeat duos angulos rectos, & ita sciet in vniuersali, & ignorabit in particulari. Et hunc in modum se habebat ratio Menonis contendentis, quòd discere nostrum sit reminisci: inducit enim ad hoc, quòd alioquin sciatur id, quod ignoratur.

tur. Verum non absurdum est scire in vniuersali, quod ignoratur in particulari. Si quidem numquam cõtingit præscire singulare vt singulare est, sed de eo scientiã inductione accipere oportet: veluti sciẽs, quòd omnis triangulus habet duos angulos rectos, inducens quòd etiam tale quid abscõditum sit triangulus, simul cognoscit, quòd habet duos angulos rectos. Nam sciens in vniuersali, ꝙ omnis triangulus habet duos angulos rectos, inducit hoc idem de triangulo singulari, quem videt Vnde fit, vt in vniuersali scientia speculemur etiam singularia, nẽpe in vniuersali. At propria cognitione nõdum eadem percipimus. Vnde contingit circa eadem decipi, sed non contrario modo: nempe contingit habere scientiam in vniuersali de rebus, decipi autem circa ipsa singularia. Ita igitur cõtingit, & in prædictis: non enim contraria est deceptio secundum alterum medium scientiæ, quæ syllogismo habeatur per aliud medium: neq; etiam est contraria existimatio, diuersa existens secundum vtrumq; medium: Veluti existimare A inesse omni B, & A inesse nulli C, & per vnum existimare A inesse ipsi D, & per aliud existimare A nõ inesse ipsi D. Nihil autem prohibet etiam scire, quòd A insit omni B, & hoc omni C, & tñ existimare quòd A nõ inest ipsi C. Veluti scire, quòd omnis mula est sterilis, & quòd animal hoc oculis nostris subiectum est mula, & tñ putare cõtingit, quòd talis mula pariat. Et hoc qm̃ nõ scitur, quòd A inest ipsi C, nisi simul vtrumq; contẽplemur, & quòd sit mula, & quòd non pariat. Vnde patet, quòd etsi quis sciat, quòd hæc sit mula, nesciat autem quòd hæc eadem non pariat, decipietur putans ipsam parituram, nisi experiatur re ipsa mulam non parere.

Et quidem patiuntur huiusmodi ignorantiam sciẽtiæ vniuersales relatæ ad particulares; vt in ipsis sciatur in vniuersali, qđ ignoratur in particulari, cuius scientiã tradunt scientiæ particulares. Siquidem sensibilium nullum factũ sensibile extra sensum scimus; neq; si sentiẽtes simus, nisi in vniuersali, & secundum propriã sciẽtiam; at nõ secundum operari, vt experientia comprehẽdamus ita rem se habere.

Etenim scire tribus modis dr̃, tum in vniuersali, tum secundum propriam scientiam, tum secundum ipsum operari, quod positũ est in experientia, quare & deceptio tribus his modis contingere potest. Vnde nil prohibet & decipi et scire penes idem. Verum nõ contrario modo: quod euenit ei, qui vtrãq; propositionem intuea tur, nempe vniuersalem & particularem; sed nondum particulare per experiẽtiam inspexerit. Nã, qui existimat mulam aliquam esse prægnantem, is non habet sciẽtiam secundum operari. Neq; tñ is habet deceptionem contrariã ipsi sciẽtiæ: veluti dum existimat, quòd hæc mula sit prægnãs & parit. Nam, per syllogismum contraria fit deceptio vniuersali sciẽtiæ. At, qui putat mulã parituram, videns eius ventrem inflatum, id non syllogismo opinatur, sed ex inexperientia.

Qui autem existimabit, quòd esse ipsi bono & eius definitio, sit idem, quod est esse, & definitio mali, is existimabit idem esse bo-

num

num & malum. Sit.n.A esse & definitio boni? B vero sit esse & definitio mali: sit deinde C ipsum bonum. Quoniã igitur is existimat idem esse B,&C, nẽpe mali definitionem esse bonum, simul etiã existimabit C idem esse quod B, nempe bonum idem, quod definitio mali. Similiter etiã existimabit quòd definitio mali, nempe B sit definitio boni, nempe A. Quare & C esse A existimabit, nempe bonum esse definitionem boni, & ita bonum idem esse quod malũ. Nam, quemadmodum si est verũ, quòd de quo C dr̃, etiam B dr̃, & de quo B, etiam A dr̃, etiam verũ erit A de C dici. Vnde, circa ipsum existimare, similiter se habebit, sicut & circa ipsum esse. Nam eodem existente C & B, & rursus existente eodem B & A, etiam C & A idem erunt, quare circa opinari similiter se res habebit, adeo quòd est necessarium existimare, idem esse bonum & malum, si qs illud primũ cõcesserit, quòd definitio boni sit idẽ, quod definitio mali. Sed forte falsum est, vt hoc quispiam existimet, nisi secundũ accidens: nam multis modis contingit hoc existimare. Sed & hoc melius est considerandum.

Adnotationes.

A*ccidit autem quandoq;*. Hoc loco exponit Arist. quo contingat deceptio secundum opinionem, vt quis quod scit, illud etiam ignoret, adeo vt & scientiam & ignorantiam simul de eodem quodammodo habeat: Quod Theorema aduertit Magẽtin. (Magent.) vtile esse & in Dialectica, & in Sophistica, vt cautus quisq; reddatur in disputando, ne deceptum se existimet. Nã qui discens per se ipsum decipitur, etiam effugiet ipsum, qñ ab alio decipiatur: vnde in vniuersali cõsideratur hoc theorema hoc in loco, vt qd adnexum syllogismo. Et cum dicitur, *quẽadmodum terminorum positione fallebamur*. His verbis innuitur deceptio, de qua in libro superiori in sectione de resolutione syllo- (b.1. Pri. aa, sec 3)gistica actum est: vtputa, quãdo termini in syllogismis apponantur non recte; vt si sint secundum habitum expositi, cum secũdum actum essent proferendi; aut indefinite, cũ deberet ipsis apponi signum vniuersale.

Vt si quid idem pluribus principaliter inesse cõtingat. Contingit deceptio vno modo, cum vnus terminus duobus immediate inexistat, & aliquem lateat, ꝙ vni non insit, sed putat alteri tantum inesse. Veluti si A inest ipsi B & ipsi C, & aliquẽ lateat ꝙ insit ipsi C, ita fiet deceptio, si B insit ipsi D, & C pariter insit eidem D. Nam cum sciat ꝙ A inest omni B, & hoc omni D, etiam sciet ꝙ A inest omni D. Et rursus sciens, seu opinans ꝙ A nulli C inest, & C inest ipsi D, adhuc putabit ꝙ A non inest ipsi D; & ita scientiã & ignorantiam haberet de eodem.

Rursum si quis circa ea, quæ ex eadem coordinatione. Alter modus fallendi contingit in ordinatione diuersorum mediorũ: vt si A inest ipsi B, & D ipsi C, & C ipsi D, ignoret autem quispiam, quòd A insit ipsi C, & ita existimet A inesse omni B, & quòd A nulli C inest, is simul sciet, quòd A inest ipsi C, & tamen non existimabit illi inesse; vnde sic putabit, quod scit, hoc nõ existimare se scire. Nam scit quodãmodo, quòd A inest ipsi C, dũ scit, quod A inest ipsi B, sub quo, vt vniuersali, C vt particulare continetur: vnde quod quodammodo scit, hoc absolute putabit non existimare se scire, quod est impossibile: vnde fallacia hæc contingit ex inadnimaduersione.

In eo autem, quod prius ductum est. Aduertit Arist. in priori modo deceptionis, vbi terminus vnus supponitur inesse duobus immediate, & latere aliquem, quòd vni eorum nõ insit, non cõtingere posse, vt quis procedẽs per duos prædictos terminos medios syllogizando, existimet simul quòd A insit omni D per B medium, cui inest A; & etiam quòd A nulli insit D per medium C, cui nulli ipsum A inesse supponitur. Nã ita fiet, vt cui inest B, putet inesse A, & etiam non inesse A, & ita existimarent eandem propositionem contrario modo simul stare, quod est impossibile: neq; in homine nisi stolido id cadere potest: sed quisq; optime percipiet, nõ posse simul esse veras propositiones, ex quibus contrarium sequitur.

Secundum alterutrum autem, aut secundum alterum vtraq; nihil prohibet. Aduertit nil prohibere, vt quis secundum vtrumq; medium existimet vnã propositionem: veluti quòd A per medium B insit ipsi D, & nõ insit per mediũ C, quod existimat non inesse ipsi D. Aut, inquit; nihil etiam prohibet secundum alterum medium existimare vtrasq; propositiones. Veluti, quòd A insit omni B, & B omni D, & rursus, quòd A nulli insit C, non tñ subinferendo, aut cognoscendo, quod C insit ipsi D. Stant n. simul hæc, vt possit decipi in huiusmodi mens humana. Et erit similis hæc deceptio ei, qua quispiam sciens quòd omnis triangulus habet duos rectos angulos, ignorare poterit aliquem triangulum habere duos rectos, qñ ipsum non ꝑspexerit latentem in alicuius manu, quem deinde prospiciens, statim inducit etiam ta

lem triangulum habere angulos rectos. Et hanc difficultatem afferebat Menon. apud Platonem, contendens noſtrũ ſcire eſſe reminiſci:quã,qui aliquid diſceret,non poſſet ſcire,quod ignoraret: quoniam quod inueniendum eſt, nõ poteſt inueniri, niſi prius ſciatur. Cui difficultati reſpondet Ariſt. in lib.1 Poſt.Analy. docens ſciri in vniuerſali (quod etiam hoc loco tangitur) quod deinde in particulari ignoratur;ex notitia deinde vniuerſali,accedente ſenſu cognoſci particulare.

Menon.

li. 2. Poſt. Anal.c.1.

Numquam enim præſciri quod ſingulare eſt Licet ſingularia prius ſentiantur quàm in vniuerſali intelligãtur, quoniam omnis noſtra cognitio ortum habet a ſenſu:attamen ſcire de aliquo particulari aliquid ſecundum rationem intellectiuam non contingit,niſi præexiſtente cognitione vniuerſali, quod hoc loco tangit Ariſtoteles.

Nullum enim ſenſibile extra ſenſum factum ſcimus. Ita conuerti debent Græca verba quæ hunc in modũ legũtur Εἰδὲν γὰρ αἰσθητῶν ἔξω τῆς αἰσθήσεως γινόμενον ἴσμεν. Et ijs verbis Ariſt. cõprehedit aliqd ſenſibile,qd fieri debeat,& cõſiſtit in opere:veluti eſſet experiri,num aliqua mula,quæ videatur habere in utero,ſit vere prægnans, vt paritura. Vnde infert,tribus modis contingere,vt aliquid ſciatur;vel in vniuerſali,nempe confuſe,(de quo eſt ſermo in lib 1 Phyſ.) aut ꝓprie & diſtincte: Aut ſecũdum operari;hoc eſt, experiendo aliquid circa opus: veluti num talis mula pariat, qd experientia diſcere oportet:adeo quòd aliud eſt cognoſcere hoc tale animal eſſe mulam, & aliud cognoſcere actu,quòd non pariat. Et de hac explicatiſſima cognitione eſt etiam ſermo apud Ariſt.in fine lib.13.Met. apud nos.ij. Vnde nõ aſſentiendum Ioanni Grammat. explicanti, quòd ſcire ſecundum actũ ſit, cum ſub vniuerſali inducitur ſingulare, vt ita denotetur operatio, quam ꝓdit qui diſcit. At Ariſt. ait, pręter cognitionem vniuerſalem & propriam, adhuc nõ ſciri exacte, niſi etiam adiungatur cognitio ſecundum operationem, vt in opere ipſum ſenſibile factum cognoſcatur; vt ita alia quoq; cõditio ſciendi afferatur. Et hinc etiam colligitur, ex dictis hoc loco ab Ariſt. extra ſenſum nõ haberi ſcientiam ſingularium, adeo vt horum cognitio, quatenus ſingularia ſunt manifeſte excludatur ab intellectu.

li. 1. Phyſ. c.1.

li. 13. Metap. apud nos ij.

Io. Grã.

Perſpiciendum autem hoc melius. Nẽpe hoc, quòd ſecundum accidens poteſt cõtingere, quòd aliquis exiſtimet definitionem boni, veluti fortitudinis,eſſe malũ,quatenus contingit vt vir fortis multa incommoda, veluti vulnera & alia huiuſmodi,quæ bona non videntur, ſuſtineat in operibus fortitudinis exercendis: ſicuti de ijs actum eſt in Ethicis in tractatu de Iuſtitia prope finẽ, in ea quæſtione:num ſit peius facere, an pati iniuriam.

li. 5 Ethi.

De Conuerſionibus.

CVm iuxta ordinem ſyllogiſticum conuerti terminos inuicem deduci ſoleat,ideo hęc quomodo cõtingant, eſt explicandũ. Vnde hoc erit primũ theorema, quòd quoties extrema inuicẽ conuertuntur, neceſſe eſt & medium terminum cum vtroq; conuerti. Nam ſi A ineſt ipſi C,medio B,& cõuertitur C cum A, vtiq; medio C,B inerit ipſi A, & cum eo conuertetur. Veluti hunc in modum.

Omne A C.
Omne C B.
Ergo· Omne A B.

Pariter B conuertetur cum C medio A, vt concludi poſſit C ineſſe omni B.

Omne A C.
Omne B A.
Ergo. Omne B C.

Similiter etiã in negatiuis idẽ eueniet. Si.n. A nulli ineſt B, & B ineſt omni C,etiam A nulli C inerit. Vnde ſi conuertatur B cũ A, vtiq; ſi B nulli ineſt A, etiam C inerit nulli A; quandoquidẽ omni C ineſt B. Vnde ſi B conuertitur cum C, etiam C conuertetur ad A; a quo cum remoueatur B, etiã C ab A remouebitur per conuerſionem. Et rurſus,ſi A conuertitur cum C,etiam B conuertetur cum A, & hoc erit ſumptum ab illa concluſione conuerſa,quæ erat nullum C A cõuerſa in hanc, nullum A eſt C. In alijs autem proceditur a propoſitionibus conuerſa concluſione.

Aliud theorema,ſi A et B inuicem conuertuntur, & etiam C & D conuertuntur, & neceſſe ſit vt de omni dicatur A vel C, vtique neceſſe ſimiliter B vel D de omni dici. Veluti,ſi ingenitum & incorruptibile conuertantur, item genitum & corruptibile inuicem cõuertuntur ſic neceſſe eſt, vt omne ſit, aut genitum, aut ingenitum, neceſſe quoq; erit omne aut corruptibile, aut incorruptibile eſſe: ſi qui-

si quidem ad genitum cōuertitur corruptibile, & ad ingenitum, incorruptibile.

Aliud Theorema, si ita est, ꝙ necesse sit aut A, aut B inesse omni, & similiter aut C aut B inesse omni, si supponatur quòd A conuertatur cum C, etiam B necessario conuertetur cum D. Nam dicatur, ꝙ alicui non insit B, cui inest D, iam oppositum ipsius B, qđ est A, inerit ei; cui nō inest B; sed iam suppositum est A conuerti cū C, quare C stabit cum suo opposito, cum quo etiam A stare deductum est. Id autem impossibile: ideo oportet dicere, ꝙ B conuertitur cum D, cum etiam C cōuertitur cum A, & omnia similiter se habebunt vt dictum est.

Aliud Theorema, si A inest toti B, & toti C, ijsq; solis, & dicatur B de C, necesse B quoq; conuerti cum A. Nam ipsum B dicetur de seipso, & de oī C, quare de omnibus, de quibus A dicitur, & B dicetur, & de ipso A, vnde ad conuertentiam dicentur A & B, cum de æqualibus prædicentur.

Aliud Theorema, si inest B & A ipsi C, & C conuertitur cum B, etiam A dicetur de toto B. Cū.n. A insit omni C, & C omni B, per conuersionem etiam A inerit omni B.

Aliud Theorema supponantur duo, quorum vnum sit eligibilius altera veluti A sit eligibilius q̃ B. Item duo alia supponantur quorum vnum sit eligibilius altero, vt puta C eligibilius quàm D; dicendum est, quòd si A et D simul iuncta sint eligibiliora, quàm C & B, etiam A seorsum erit eligibilius quàm C. Et B quoq; erit magis fugiendum quam D. Nam, cum opponantur inuicem A & B, ideo quemadmodum prosequendū est A, ita fugiendum est B. Et rursum cum C & D opponantur, ideo vt C est prosequendum, ita & D fugiendum erit. Itaq; si C ita est eligibile vt A, pariter ita fugiēdum erit D vt B, quare A & D ita eligibilia erunt, vt C & B, quod est cōtra supposita. Si autē dicatur, qđ C est eligibilius quàm A, vtique & D erit magis fugiendum quàm B, quare C & B, erunt eligibiliora, quàm A, & D, quod est contra suppositum, in quo dictum est, ꝙ A & D, essent eligibiliora quàm C & B, ideo oportet dicere, quòd si A & D, sunt de eligibiliora, q̃ B & C, etiam A erit eligibilius q̃ C, nec non D erit minus fugiendum quàm B.

Et vt in terminis notis hæc ratio syllogistica exerceatur: sit eligibile, amari propter amicitiam, cuius oppositum sit non amari ꝓpter amicitiam. Sit item eligibile, ipsum concubere, cuius oppositū est, non concumbere. His ita suppositis, regula hęc erit vera. Si ita est, quòd amari propter amicitiā, & non concumbere, sint eligibiliora, quàm concumbere, & non amari propter amicitiam; sequitur etiam quòd eligibilius sit amari propter amicitiam, quàm concumbere, & quod magis fugiendum sit non amari propter amicitiam, quàm non comcumbere: vt deinde hinc colligatur, amorem optari, & intendi pręcipue ab amica, propter amicitiam, & non ob cōcubitum: adeo quòd amor erit vltimus finis optatus ab amante; concubitus autem nō est absolute finis: aut est solum, quatenus dirigitur ad amicitiā, & est

signum

ſignum amoris. Et ideo velle, & amare eſt præcipuum in amantibus. Et hunc in modum ſe habebunt omnes aliæ concupiſcentiæ & artes. Quare, quomodo ſe habeant termini ſecundum conuerſiones; & quod nã eligibilius, aut magis fugiendum ſit, ex dictis eſt manifeſtum.

Adnotationes.

C*Um autem extremitates cõuertuntur.* Hoc in loco exponitur in genere, quomodo ex cõuerſione terminorum oſtendatur cõuerti inuicem & extremos terminos, & medium cum ipſis, quod ſolũ in figura prima perficitur. Et de hoc varia afferuntur theoremata iuxta ordinem ſyllogiſticum. Et differt hæc cõſideratio ab illa ſuperiori, in qua circa omnes figuras conſiderabatur, quomodo per cõuerſionem cõtrarium cuiuſcumq; propoſitionis, & concluſionis tolli poterat media cõuerſione, quoniã hic conſiderantur in genere conuerſiones mutuæ terminorum, ex quibus alios terminos cum alijs conuerti ſecundum ordinem ſyllogiſticum deduci poteſt.

Ipſa tamen A excepto. Græce hæc ita legũtur πλὴν ἀυτοῦ τοῦ. Latine, ſic vere poſſunt *præter ipſum* A: ideſt B dicitur de oĩbus, de quibus & A dicitur: Siquidem B dicitur de C, & de ſeipſo, quare & de ipſo A dicetur, cum & A de ſolis B & C dicatur.

Amor erit ob amicitiam. Id etiam protulit Ariſt. in lib. 6. Top. tractans loca circa Problema, Definitionis in loco 35. in 4. Sect: lib.

Et alia cupiditates arteſq; ſic ſunt. Nẽpe per electionem eorum, quæ ſint eligibiliora & minus fugienda, cupiditates in hominibus exoriuntur, & ab ipſis explentur; ſicuti & opera artium hunc in modum perfici ſolent, vt eligibiliora conſtruantur; et uitentur, quæ magis ſunt fugienda.

De Inductione.

QVòd autem non ſolum dialectici & demonſtratiui ſyllogiſmi ſecundum tres prædictas figuras conficiantur, verum etiam & rethorici, & ſimpliciter quæcunque fides, qua aliquid doceatur probatione quadam in vnaquaq; methodo & arte, nunc eſt explicandum. Siquidem oĩa credimus ita vel ita ſe habere, aut per ſyllogiſmũ, aut per inductionem, de qua hoc loco diſſerendũ eſt. Vnde dicimus, quod inductio ſiue ſyllogiſmus ex inductione, eſt ille, in quo per extremum minorem terminum probatur maiorem terminum ineſſe medio: Veluti, ſi horum duorum extremorũ terminorũ A & C, medio exiſtente B, demonſtretur A ineſſe ipſi B per medium C. Sit. n. A longeuũ, B autem carens cholera, C vero ſit terminus continens ſingularia animalia viuentia longo tẽpore, veluti hominem, bouem, & mulum, & reliqua huius generis. Ineſt igitur A ipſi B, nẽpe longa vita ineſt carentibus cholera, & B ineſt ipſi C, nempe cholera carere conuenit his, & ijs animalibus. Vnde, ſi C conuertatur cum B, qđ eſt medium, & medium non excedit, neq; ſupereminet C, ita ꝓbatum erit, quòd A ineſt ipſi B. Nã per regulam cõuerſionis ſuperius adductã, quoties duo inſunt vni, & hoc cum altero conuertitur, de conuertenti, alterum prędicatum dicetur, & ita in dictis terminis erigetur probatio. Omnis equus, & mulus, & bos, & homo & ſimilia; ſunt longęua; carens cholera, eſt mulus, equus, Bos, homo & ſimilia: ergo carens cholera eſt longęuum. Et probatio hinc habet vim. Nam, qm̃ conſtat, longam vitam competere mulo, equo, & alijs ſingularibus, & inſuper patet, eiſdem competere, ꝙ carent cholera; cũ deinde conuertatur, quòd carens cholera, ſit Mulus Equus, & reliqua huius generis; hinc dicitur, concludi maiorẽ terminũ; longæuam. ſ. vitam ineſſe medio, nempe animalibus cholera carentibus per minorem terminum; & ſunt ipſa ſingula aĩalia, quæ ſunt longæua, & carent cholera: & fit

cta ratiocinatio in terminis assignatis in prima figura.

Verum aduertendum, quòd oportet supponere, & subintelligere, quod C contineat omnia singularia, cũ inductio ex omnibus singularibus constituatur. Est autem talis syllogismus circa immediatam propositionem, quæ probatur inductione. Nam quorum est medium, horum per medium construitur syllogismus: quorum autem non est medium fit ratiocinatio per inductionem. Et quodammodo apponitur inductio syllogismo; hic enim per mediũ ostendit maiorem inesse tertio minori: inductio autem per minorẽ terminum ostendit maiorem inesse medio: vnde syllogismus per medium proprie conficitur; & natura prior, & notior est; nobis autem manifestior est syllogismus per inductionem confectus.

Adnotationes.

Sed & Rethorici. Rationabiliter modi ratiocinandi ab oratoribus adhibiti ad hanc tractationem syllogisticam sunt reducti; *& quæcunq; fides*, idest & quæcunq, vis probandi vt aliquid credatur, & persuadeatur, cum aliquo modo sub prædictis syllogisticis regulis perficiatur: omnes autẽ persuasiones efficiuntur, aut syllogismo, ad quem reducitur enthimema, aut inductione, ad quam reuocatur exemplum.

Monstratum namq; fuit prius. Hinc patet, p̃cedentem considerationem de cõuersione huic doctrinæ de inductione deseruire: quemadmodum in hoc libro multa fuerunt præposita ad sequentium intelligentiam & probationem.

Est autem talis syllogismus. Hinc apparet, etiam inductionem syllogismum nuncupari, qñ sub forma syllogistica, iuxta ordinẽ figurarum, exercetur. Dicitur autem inductio versari circa immediatam propositionem, qñ hæc per inductionem singularium manifestatur. Vnde notandum est, declarari ab Arist. in fine lib 2 Post. Analyt. qũo principia immediata fiant nobis nota inductione, ita tamen, vt principiorum intellectio sit præstantissima, adeo vt huiusmodi ꝓpositiones sint priores natura ijs, quæ ex illis demõstrantur. Hoc autem in loco probatio inductionis reducitur ad formam syllogisticam: quamquã etiam absq; huiusmodi probatione ordine syllogistico confecta, ex singularib⁹ vniuersale possit induci.

[lib. 2. post Anal. c. 18]

Natura igitur prior. Ait, syllogismum procedentem per medium esse notiorẽ & priorem natura: quod perspicuum est, si syllogismus procedat ex causa ad effectũ, vt sit demõstratio a priori, & non a posteriori. Sed & in syllogismis procedentibus ab effectu ad causas, potest dici & hos esse priores natura, & notiores syllogismo inductiuo; propterea quòd in syllogismo per mediũ confecto fit progressus ab vniuersalibus, (quæ natura sunt notiora) ad singularia; quæ deinde nobis sunt manifestiora, quia subiecta sunt sensui, a quo omnis nostra cognitio ortum habet. Et ideo inductio est syllogismus nobis manifestior, qui tñ non cadit sub definitione syllogismi assignata in lib. superiori. Nam in ea supponitur necessario aliquid sequi propter posita; At inductione nõ deducitur aliquid necessario: sed oportet supponere, quòd singularia assumpta conuertantur cum medio. Sed neq; in inductione locum habet dictum de omni, aut de nullo, ex quibus absoluitur ratio syllogistica.

De exemplo.

Exemplum autem est, qñ maior terminus ostenditur inesse medio per aliqđ simile minori termino: vbi oportet notius esse, quòd medium insit tertio, & tertium insit simili, quàm quòd primum extremũ insit medio, vt in his terminis apparebit.

Sit A malum, sit B bellum gerere aduersus vicinos, sit C Athenienses contra Thebanos, sit deniq; simile tertio termino ipsum D, nẽpe Thebanos aduersus Phocenses. Si igitur velimus probare quòd gerere Athenienses bellum aduersus Thebanos sit malũ, hũc in modum procedemus per exẽplum. Bellum gerere aduersus vicinos est malum; Atheniẽses aduersus Thebanos bellum gerere, est aduersus vicinos bellum gerere, ergo Atheniẽses gerere bellum aduersus Thebanos malum est. Id autem exemplo Thebanorum comprobatur, qui gerentes bellum aduersus Phocenses suos finitimos, multa incommoda, in-

de ſunt perpeſſi. Qua in ratiocinatione apparet, quòd B, nempe gerere bellum aduerſus vicinos, ineſt manifeſto ipſi C, & ipſi D. Cōſtat.n. quòd Athenienſes contra Thebanos bellū geſſere, & quòd Thebanos gerere bellum contra Phocenſes, eſt bellum gerere contra finitimos. Inſuper conſtat, ꝙ A ineſt ipſi D, videlicet, qđ Thebani ex ſuſcepto bello cōtra Phocenſes finitimos ſuos, malum ſunt perpeſſi. Quòd autem A inſit ipſi B, nempe quòd gerere bellū aduerſus vicinos ſit malum, probatur per ipſum D, per Thebanorū exemplum antea expoſitū. Et ita per aliquod ſimile tertio termino probatur maius extremum ineſſe medio. Et hinc patet exemplum, neq; eſſe ꝓgreſſum a toto ad partem, quod conuenit proprio ſyllogiſmo, neq; a parte ad partem, vt ſit inductio: ſed a parte ad partem, a ſimili.ſ.ad ſimile: ita tamē, vt plura ſimilia adduci poſſint ad perſuadendum, & demonſtrandū aliud ſimile: &, a quocunq; ſimili vnum exemplum, & ex alio ſimili adiecto aliud exemplum prouenit. Perficitur autem progreſſus exempli per proſyllogiſmū, dū inducitur probatio per quoddam ſimile tertio.

Diſtinguitur autem exemplū ab inductione; qm̄ hæc colligit omnia ſingularia, & deducit vniuerſale. At exemplo, a ſingulari, vel vno, vel pluribus probatio quoq; ad ſingulare deducitur. Diſtinguuntur etiam, quoniam inductione non colligitur extremū ineſſe extremo, vt ſit in vero ſyllogiſmo; ſed ſolū monſtratur extremum ineſſe medio. At in exemplo colligitur extremum cū extremo, & non ſolum extremū cū medio; vt in ratione adducta poteſt patere, in qua colligitur, ꝙ bellum gerere aduerſus finitimos ſit malum: in quo tum maius extremum, tum medium colligitur: ſed colligitur etiam, quòd Athenienſes bellum gerere aduerſus Thebanos, ſit malum, & in his maius extremum, & minus continetur. Quòd autem bellum gerere aduerſus vicinos ſit malū, per ſimile probatum eſt, ſumpto exemplo a Thebanis, qui ex bello geſto aduerſus Phocenſes ſuos finitimos damna reportarunt.

Adnotationes.

NOtandum, exemplum magis etiam q̄ inductio, cadere a natura ſyllogiſmi, qm̄ in exemplo, nō eſt neceſſariū ſequi aliquid ob ea, quæ poſita ſunt. Nam, quoniā hi vel illi Populi damna paſſi fuerint ex illo confecto aduerſus vicinos, non propterea ſequitur, quòd alij Populi debeant pati damna, ſi bellum gerant aduerſus vicinos: quemadmodum in vero ſyllogiſmo, ſi acciperetur pro vera propoſitione, quòd bellū gerere aduerſus finitimos ſit malum, concluderetur, eos qui geſturi eſſent bellū aduerſus vicinos, mala perperſuros. Verū de huiuſmodi in certis rebus, ſub ratione veri ſyllogiſmi, non ita commodum eſt ratiocinari, ſicuti contingit per exempla.

De abductione.

ABductio autem eſt, qn̄ manifeſtum eſt, quòd primū ineſt medio, immanifeſtum autem eſt, quòd medium ineſt tertio, ita tn̄, vt adeo credibile, vel magis etiā ſit credibile mediū ineſſe tertio, quàm ſit credibilis concluſio. Sit enim A docibile, B ſcientia, C iuſtitia. In his igitur manifeſtū eſt, quòd ſcientia eſt docibilis. Num vero Iuſtitia ſit ſcientia, eſt immanifeſtum: vnde ſi hoc ita eſt credibile, vel magis credibile, q̄ cōcluſio, quæ eſſet, quòd iuſtitia ſit docibilis, tunc abductio contingere diceretur: ac ſi ita dicatur. Hacte-

nus, nos abduci, seu longe adhuc abesse ab ipsa scientiæ consecutione, cum possimus propius ad ipsam accedere. Nam, quòd iustitia sit docibilis, acceptum est: qđ potest clarum reddi, & melius ꝓbari, quàm fiat per assumpta. Vnde abductio nunc patet, qm̃ scien di adest defectus, cum minor propositio non sit sumpta manifesta. Alio quoq; modo contingit fieri abductionem; qñ inter medium terminum, & minorem pauca sint media: Signum.n. quòd per hæc probari possit propositio minor: attamen, quia pauca existũt media, ideo palam est, quòd prope adest scientia. Quòd si nõ fuerint pauca media, vel nõ extiterit credibilior aliqualiter minor propositio, quàm conclusio, tũc non est abductio, quoniam sic multum distaret notitia atq. scientia, similiter si minor fuerit immediata, tũc non abductio, sed scientia dicet.

Adnotationes.

ADnotandum autem, prędictam considerationem de abductione, & ipsam ad methodum syllogisticam attinere; tum, quoniam concernit defectum ratiocinandi & probandi, tum quoniam ex ordine, & dispositione terminorum, ex quibus constat omnis syllogismus, hæc pendet aĩaduersio.

Adnotandum etiam perperam Ioannem Grammaticum explicare, ꝙ Arist. accipiat vocem hanc πιστὸν, pro eo quod est *immanifestum*, quod minime ita explicat Magent. Vnde sciendum, abductionem esse quandã veluti instantiam, qua opponitur demonstranti, quod abducit a scientia. Quod contingit duobus modis. Aut, si propositio minor sit æque obscura, & ignota vt cõclusio, aut magis etiã nota, sed nõ absolute nota. Aut si fuerint pauca media, quibus propositio minor probari possit: ita enim etiã contingit abductio; quoniam accipiatur cõclusio nõ nota, adeo vt de ea nõ habeatur sciẽtia; quoniam minor propositio non sit credibilior quàm cõclusio, & pauca media possunt afferre de ipsa propositione minori: & ideo prope est, vt habeatur sciẽtia, si pauca media existant: quòd si plura media fuerint, sic longius distaret scientia. In vtroq; autem modo supponitur propositio minor ignota, vel æque ignota vt conclusio: vel parum etiã notior, sed non absolute notã.

Io. Grã.

Magent.

De Instantia.

INstantia autem est propositio cõtraria propositioni, a qua differt, qm̃ instantia potest esse particularis, at propositio omnino, aut saltem in syllogismis vniuersalibus, oportet vt sit vniuersalis. Affertur autem instantia, aut vniuersalis, aut particularis, & in duabus figuris perficitur, in prima scilicet, & in tertia, quoniã in vtraq. possunt contraria secundum affirmationem & negationem concludi, vt ostẽsum est in superioribus. Vnde, si sit propositio, quòd contrariorum est vna scientia, & instantia afferatur quòd oppositorum non est vna scientia, ita fiet syllogismus per instãtiam vniuersalem hunc in modum in prima figura

Oppositorum non est vna scientia.
Contraria sunt opposita
Ergo. Contrariorum non est vna scientia.

Alius autem syllogismus oppositus erit huiusmodi.

Contrariorum est vna scientia.
Opposita sunt contraria.
Ergo. Oppositorum est vna scientia.

Instantia aũt particularis concludetur in tertia figura hunc in modum.

Notum & ignotum sunt contraria.
Noti & ignoti non est vna scientia.
Ergo. Contrariorum non est vna scientia.

Pariter si fuerit propositio negatiua, poterit instantia fieri vniuersalis, & qa syllogismus in prima sit figura, si particularis fuerit, instantia affirmatiua cõtra negatiuam propositionem, tunc fiet affirmatiuus in tertia figura.

In secunda autem figura, quoniam in hac non concluditur affirmatiuum, proprie instantia cõcludi non potest, cũ supponat cõtradictionem: sed oporteret ra-

tionem per plura conficere, & vti alijs propositionibus per conuersionem, & alia adhibere adminicula. Instantiam autem non oportet traducere de proposito; sed ipsam esse per se manifestam. Vnde etiam signum in hac secunda figura locum non habet, quia debet esse affirmatiuum. Sed de instantijs alia plura consideranda erunt in Topicis; veluti quæ instãtia sit ex contrario, vel ex simili, vel secundum opinionem. Similiter considerandum esset, si in prima figura particularis instantia possit concludi, & etiam in secunda figura, si possit concludi instantia negatiua.

Adnotationes.

ADnotandum optima ratione considerationem de instantijs in genere hic allatam esse, vt quid adnexum syllogismo, cum secundum ordinem syllogisticum cõsideretur, quomodo & vniuersalis, & particularis, tum affirmatiua, tum negatiua instantia, concludi possit, necnon & ex instantia desumitur propositio apta ad syllogismum.

De verisimili, & Signo.

NOn est autem, VERISIMILE Græce dictum, εἰκὸς idẽ quod SIGNVM, quod Græce dicitur σημεῖον. Nam verisimile est propositio opinabilis; quod.n. in plurimis factum esse, vel non factum, vel esse, vel non esse homines sciunt, id verisimile est: veluti, quòd amemus amãtes, & quòd odio habeamus odientes nos. Signum autem vult esse propositio demonstratiua, vti ea, ex qua aliquid deducatur; & erit, aut necessaria, aut probabilis. Nam, quo existente, aliquid est, vel quo facto aliud prius, vel posterius factum est, istud signum est rei, quod fiat, aut sit, aut facta sit; vt omnino appareat, signũ ita sumptum, adduci ad rem aliquam ex sua natura probandam, quod nõ est de verisimili. Est autem necessarium signum illud, quo posito, aliud infertur ex necessitate rei. Opinabile autem erit illud signum, ad quod non sequitur aliud ex necessitate rei, sed tãtum ex opinione.

Adnotationes.

S*ignum autem vult esse propositio demonstratiua.* Id competit signo, vt ex ipsa propositione concludatur aliquid: quemadmodum ex lacte, quod habet mulier, licet demonstrare quòd peperit. Verisimile autem non inducit demonstrationem, nisi aliud adhibeatur ad ostensionem: quemadmodũ, ostendere quod quidam occiderit alium, id probabitur quoniam dicatur, quod eum prosequebatur odio: subinducitur autem verisimile, quod odio habentes simus eos, qui nos odio habent; & ita non affert verisimile per seipsum ostensionem, nisi aliud adhibeatur pro probatione. Notandum autem, iuxta dicta in arte Rethorica, dici signum opinabile illud, quod nõ cõtinet vniuersale, & fit per ipsum syllogismus in tertia figura ex vtraq; propositione particulari: vnde nihil ex necessitate cõcluditur, vt fit ex signo necessario, quod Greci appellant τεκμήριον, & procedit secũdum vniuersale, vt fiat per ipsum syllogismus in figura prima, concludẽs aliquid necessarium. Notandum etiam signum cõmuniter sumptum, interdum reperiri cum re cuius est signum, aut fumus cũ igne: interdum præcedere ipsam rem, vt, si mulier lac habet, signum quòd post duos dies sit paritura. interdum etiam consequi ad rem, sicuti ex cinere ignem præfuisse cõiectamur; vel quòd mulier sit pallida ex eo quòd pepererit.

Libro Reth.

De Enthimemate.

ENthimema aũt est syllogismus imperfectus cõstans ex verisimilibus, & signis. Signum autem tribus modis accipi põt; quẽadmodum etiam triplex est ordo figurarum. Nam in prima figura aliter, & aliter in secunda, & aliter in tertia accipit. In prima quidẽ figura ita a signo ratio ducetur. Quidquid habet lac, peperit, mulier hæc habet lac, ergo peperit:

In tertia aũt figura ſignum hunc in modum adhibetur. Pitacus ſapiens, Pitacus ſtudioſus, ergo ſapiens ſtudioſus; vt verũ ſit,& ſtudioſum,& ſapiētem prædicari de Pitaco; quamquam altera propoſitio reticeatur,quia ſit nota; veluti quòd Pitacus ſit ſapiens:accipitur autē altera, quòd Pitacus eſt ſtudioſus,& concluditur,quòd ſapiens eſt ſtudioſus. In ſecunda autē figura ſyllogiſmus a Signo erit hunc in modum. Quidquid peperit, pallidum eſt,hæc mulier pallida,ergo peperit. Si autem vna tm̃ ſit dicta propoſitio, erit ſolum ſignum Si aũt addatur altera,euadit ſyllogiſmus in tribus dictis figuris ſecundum diſpoſitionē triũ terminorum. Eſt autem differētia ſigni iuxta tres figuras:qm̃ in prima,ſi veræ propoſitiones accipiãtur,rō concludit ex dicto de omni; & nullo pacto ſolui poteſt, cũ iuxta ordinem boni ſyllogiſmi ſit conſtituta. In tertia autem figura ſyllogiſmus non concludit, cũ ſit ex duabus particularibus propoſitionibus; neq. ad propoſitũ facit eius,quod cōcluditur. Non enim ſi Pitacus eſt bonus,& ſapiēs, infertur ex neceſſitate, quòd ſapiēs ſit vir bonus,cum ex ſingulari vniuerſale concludi nequeat.In ſecũda autē figura ſyllogiſmus fit ex Signo ſecundũ duas affirmatiuas, ex quibus nil neceſſario concluditur: quare hæc ratio ſolubilis eſt. Adhibetur autem & hæc, & alia prædicta ab oratore,& veritatem etiam poſſunt obtinere, licet ex neceſſitate non concludant: Aut igitur hũc in modum diſtinguenda ſunt ſigna iuxta diſtinctionem allatam circa figuras: aut dicēdũ, quòd ſigna ea appellantur, quæ ſiunt in ſecũda,& in tertia figura, vt ſit ſignum, qñ medium accipiatur ſecundum extrema propoſitionũ, de quibus, aut prædicetur (vt in ſecũda figura) aut eis ſubijciatur,vt in tertia. In prima autem figura,ſignum,quod proprie cadit medium inter extremos terminos,eſt appellandum coniectura; Græci appellant τεκμήριον, vti illud, quod maxime conducit ad opinionem & veritatem habendam; cum alia ſigna ſecundum alias figuras tantum fidem comparare non poſſint.

Adnotationes.

Dubit.

OCcurit autem dubitatio nõ diſſimulanda. Nam cum dictum fuerit in definitione enthimematis, quòd ſit ſyllogiſmus imperfectus,videtur ex hoc intelligi debere id,(quod nõnulli aſſerunt)ꝙ Enthimema ex ſui natura, careat altera propoſitione. Siquidem dicitur eſſe ſyllogiſmus imperfectus. Et confirmari videtur hæc opinio, cũ in exemplo Pitaci dicatur ab Ariſt. ꝙ prætermitti altera ſolet ꝓpoſitio, quoniam ſit nota; & ideo volunt dictum eſſe Enthimema a verbo Græco Ἐνθύμεμα ideſt, in animo habeo, eo ꝙ altera ꝓpoſitio relinquatur in mente,& in cōceptu auditoris. In oppoſitum autem videtur eſſe Ariſt. in 1. lib. Rhet. vbi loquens de oratoria ratiocinatione,quæ fit per exemplum & enthimema habet, ꝙ quoniam rudes ſunt, & ſimplices auditores; ideo debet ratiocinatio ab oratore cōſtrui ex paucis & ſępe numero ſubiungit,ex paucioribus; nempe ꝓpoſitionibus,quàm ſint illæ ex quibus cōſtet primꝰ ſyllogiſmus:dicens *ex paucis*,ob ſimul cōpoſitas ratiocinationes cōſtantes ex pro ſyllogiſmis;cum nõ deceat omnes producere ꝓpoſitiones, ſed illas ſupponere ob ſimplicitatem auditorum. Et ſubiungens *ſæpe numero ex paucioribus, quam ex quibus eſt primus ſyllogiſmus*, hinc innuit Ariſt Enthimema cōflari poſſe,omiſſa altera propoſitione, cum altera propoſitio ſit nota auditoribus,quibus relinquatur ſubintelligenda. Hinc colligitur, nõ cenſere Ariſtotelem, ꝙ enthimema ex ſui natura, debeat carere altera ꝓpoſitione;ſed id ſolum,quòd poſſit etiã per vnam propoſitionem cōfici. Præterea cum dicat hoc loco, quòd ſi vna dicatur ꝓpoſitio,fiet tantum ſignum. Si autem & altera, erit ſyllogiſmus;ideo patet, quòd ex altera tantum propoſitione,ex ſui natura,non cōſtet enthimema, cum ſupponatur eſſe ſyllogiſmus. Accedit, quòd cum enthimema ſit ratio concludens aliquid ex acceptis, non poteſt inferri concluſio, niſi in virtute duarum propoſitionum,cum ex vna tãtum

li.1.Reth.

propositione nihil possit conclndi: vnde necesse est, connexionem duarum propositionum ex intima natura enthimematis intelligere. Quod etiam confirmatur ex definitione allata in Reth. de syllogismo enthimematico; in qua dicitur, quòd, *quibusdã existentibus ad ipsa, propter ipsa, aliquid aliud necesse est euenire.* Vnde, si quædam propositiones requiruntur in enthimemate, non igitur ex vna tantum constabit. Pro hac difficultate dicendum videtur, in enthimemate pro inferenda conclusione requiri connexionem duarum propositionum, siue ambę explicentur, siue altera tantum; & quòd enthimema imperfectus syllogismus nuncupetur, quo ad signa, quibus construitur in secunda, & in tertia figura ex complicationibus assyllogisticis, vel particularib. vtriusq; propositionibus in figura tertia, vel affirmatiuis vtrisq; in secunda. Et quamquam in prima figura bonus sit syllogismus enthimematicus, attamen, quia decens est in plurimis reticere alteram propositionem, ideo & hac ratione imperfectus syllogismus dici potuit: non autem si exacta consideretur complicatio syllogistica, concludens ratiocinationem in prima figura. Et huic sentẽtiæ videtur consentire Alexander in lib. 1. Tòpic. vbi loquens de enthimemate dicit, videri hunc syllogismum fieri per vnã propositionem, quoniam altera soleat prætermitti; vnde, si videtur fieri per vnam tantũ propositionem, quoniam habeant homines alteram in mente non sequitur propterea, quòd enthimema necessario ex sui natura, ex vna tantum propositione constare debeat. Notandum autem quòd in scientijs sępe numero altera tantum propositio affertur ad ornatum orationis. Vnde huiusmodi rationes non dicendæ sunt factæ iuxta enthimema oratorium, nisi ex signis cõuenientibus enthimemati constituantur.

Alexan.

De Syllogismo Physiognomico.

Est autem possibile Physiognomonin, idest ex indicijs quibusdam atq; signis naturã dignoscere & ostendere, inspicientibus nobis quę circa homines apparent; si in primis supponatur, ad mutationem animæ, corpus quoq. mutari, dummodo sint passiones naturales; vt sunt ira, timor, & similia. Nam siquis, dum discit aliquid, mutatur aliqualiter secundum animam, vt forte mutatur, veluti, dum ex immusico fit musicus, attamen secũdum corpus non apparet mutatus. Deinde suppositio, quòd cuiusque passionis naturalis vnum signum sit in corpore, quod quidem ita insit proprie alicui speciei, vt toti speciei conueniat, sed non soli; cum possit & aliquibus alterius speciei indiuiduis conuenire. Ita igitur, ex hoc signo, poterimus animæ innatam passionem demõstrare: Veluti si leonibus inest fortitudo, vtiq; oportet aliquod signum reperiri in corpore leonũ, quod eorum fortitudini respondeat: istudq; signum est habitus magnorum & amplorum lacertorum in corpore existentiũ. Verumtamen id ita est signum fortitudinis, vt non solum leones (qui a natura comparatum habent, vt sint omnes fortes) magnos lacertos obtineant, verum etiam quæcunq; alia indiuidua animalia varijs in speciebus fortia existẽtia, prædicto signo sunt prædicta circa quę facile dijudicari potest signũ fortitudinis, quæ toti speciei leoninę cõuenit nempe, esse habitum magnorum lacertorũ, quos possident. Quamobrem si aliquẽ hominem fortem esse demoustrare voluerimus, sumendo hoc medium, quòd habeat magnos lacertos, simul etiam ipsum fortem esse ostẽdemus. Quòd si plures passiones vni speciei insint, ideo ad hoc vt signa appropriata cuique passioni dignoscamus, oportet respicere alias animalium species, in quibus seorsum singulæ passiones reperiũtur. Veluti, si insit leoni fortitudo, & largitas, ad dignoscendum proprium signum largitatis seu liberalitatis, & propriũ ibidem signum fortitudinis, oportet considerare, tum ea animalia, quæ tantummodo sint fortia, & non liberalia: tum illa, quæ sine

fortitudine liberalitati sint obnoxia: ita enim signum vtriusque passionis proprium nobis innotescet, cum in diuersis ijs animalibus, sicuti separatim ipsis diuersæ inexistunt passiones, sic diuersa signa in corpore inueniūtur. Hac igitur via modus cōparabitur ratiocinandi, & iudicium afferendi per signa, de proprietatibus circa passiones cuiq; speciei inexistentes, vel indiuiduo alicuius speciei: quod munus est Physiognomiæ, & in prima figura syllogismus erigetur.

Sit enim A fortitudo, B magnos lacertos habere, & C Leo: Iam supposito, quòd medius terminus cōuertatur cum maiori extremo, non autem cum minori, quoniam in plus se habeat habere lacertos magnos, quàm vt in solo Leone id reperiatur, ita fiet demonstratio.

Quicunq; magnos habet lacertos, fortis est.
Leo habet magnos lacertos.
Ergo Leo fortis est.

Consequēter quodq; animal, vel quicunque homo habet magnos lacertos, similiter erit fortis. Conuertitur autem, habere magnos lacertos cum fortitudine; alioquin non esset unius passionis vnum signum.

Adnotationes.

Qui enim fortasse musicam didicit. Ijs innuitur aliquid animę adueniens, quod non est iuxta passionem naturalem, quę cōmunicatur animæ simul & corpori a constitutione cuiusq; naturæ proueniens, vt ira & timor. Verum, quòd aliquis fiat musicus, in hoc nō fit mutatio a natura, sed additur per disciplinam: in qua re aliquid patitur anima dū discit, quoniam & intelligere est quoddam pati, vt explicādum erit in lib. 3. de Anima. [lib. 3: de ani. c. 4.]

Inerit igitur & in alio genere hoc. Ad ostendēdum aliquid conuenire alicui indiuiduo alterius speciei, supponitur quædam passio inexistēs omni alicui speciei, & simul signū passionis animæ cōueniens corpori; ex quo signo simul ostēditur in indiuiduis alterius speciei inesse illam passionem, quæ alicui toti speciei conuenit, vt sit eius propria; quia toti speciei conuenit: non autem ita propria, vt ei soli conueniat: quod significatum proprij est proprijssimum apud Porphyrium, cum aliquid competit vni, & soli, & omni speciei, & semper.

Et cōmunicatiuū. Græce legitur μεταδοτικὸν & significatur largitas, seu liberalitas, ab illa parte potissima, quæ in erogādo propria bona consistit, & aliquibus animalibus inesse quodammodo virtutes apud Arist. in lib. de Historia animalium explicatur. [lib. 1. de Hist. ani. c. 11.]

Est itaq; naturam. Ostendit, quomodo in prima figura syllogismus Physiognomicus constituatur: ex quo patet hanc tractationē ad adnexa syllogismi pertinere, & huic considerationi deseruire ea, quæ antea tradita sunt de conuersione, & de Signo.

Finis lib. 2. Prior. Analyt.

IN LIBRVM PRIMVM POSTER. ANALYT.

Introductio, seu Epitome ad ea, quæ in lib. 1. Post. Analyt. tractantur, vnde & eius subiectum, seu materia aperitur.

PRoœmium horum librorum, qui Posteriora Analytica inscribuntur, commune rũ his libris, tum Prioribus Analyticis, habitum est in initio Priorum Analyticorũ, quẽadmodum in eorum expositione animaduertimus; dum dictum est ibi ab Arist. quòd speculatio proposita sibi erat agere *de demonstratione* in gratiam scientiæ demonstratiuæ: cuius quidem prior pars absoluta est in Prior. Analyt. dum ibi de vniuerso syllogismo in genere (cuius præcipua species est demõstratio) actum est. Nunc sequitur speculatio de his, quæ demõstrationem ipsam proprie concernũt, quatenus distinguitur ab alijs syllogismis, nempe a Dialectico, & a Sophistico. Vnde in hoc primo libro tractantur ea, ex quibus demonstratio constituitur iuxta ꝓprias differẽtias vna cum eius ꝓprietatibus: Qui quidem progressus hunc in modum institutus est.

Nam assignata in primis definitione scientiæ, & demõstrationis, hinc deinde ex partibus definitionis contexit Arist. vniuersam huius libri contemplationem in plures partes dissectam; quæ omnia ad hęc præcipua capita reducuntur.

In primis aperitur, ex quibusnam principijs, seu propositionibus construi debeat demõstratio; nẽpe ex veris, & primis & immediatis, eisdemq; notioribus, q̃ sit conclusio in demõstratione deducenda, ex qua deinde suppositione, & explicatione emergẽs quęstio perpenditur, & dissoluitur: tũ eorum, qui omnium rerum scientiam demonstratiuam esse asserebant, dicentes omnia circulo demonstrari; tum eorum, qui nullus rei scientiã esse affirmabant: quorum sentẽtia partim in hac eadẽ disputatione exploditur, & partim paulo post exactius confutatur in illa alia disceptatione, qua monstratur, non esse progressum ad infinitum in terminis, propositionum, neq; a parte seorsum in prædicatis, neq; a parte deorsum in subiectis.

Ad hæc, cũ ex definitione sciẽtię colligatur, quòd id quod scitur impossibile est vt aliter se habeat; hinc deinde deducitur illa perscrutatio, qua palam fit, demõstrationem constare debere non solum ex veris propositionibus, sed etiam ex necessarijs. Vnde ad hoc astruendum, hæc omnia explicantur, quid sit dictum de omni; quid per se; & q̃d vniuersale; quandoquidem ex ijs demonstrationem constare debere constituitur, & consequenter ex necessarijs, nec non & ex ęternis. Hincq; a scientia demõstratiua excluduntur corruptibilia, quorum proprie non est demonstratio, neq. definitio, licet ea, quę eodẽ modo sem-

per euenerunt, & si non sint semp (vt eclipsis Lunæ) ad sciētiam tñ quodammodo reducantur. Et cū ad id, ꝙ propositiones debeāt esse necessariæ in demonstratione, cōsequatur vt sint etiam propriȩ: ideo consequenter inducitur tractatio illa, ꝙ nō licet transcendere de vno genere in aliud genus in demonstrationibus. Ex quo postmodum texetur circa principia particularis quædam contemplatio: dum exponitur, alia esse communia, alia propria principia in vnaquaq; scientia: Nec non aperitur, quæ p̄supponere, & quæ demonstrare oporteat in scientia demōstratiua, & consequenter affertur discrimen inter suppositionem, petitionem, & definitionē, simulq. exponitur quomodo maxime cōmunia principia dignitates nuncupatæ (qualis est, ꝙ de quocūq. affirmare, vel negare sit verum) in visum cadant scientiarum. Quȩ quidem cōmunia principia docetur etiam a dialectico vsurpari, ita tñ, vt nō ad determinatam, sed ad vtrāq. partem contradictiones suas dirigat rōcinationes; quod non facit demonstrans, qui determinatam veritatis partem semper sectatur. Vnde consequēter ad hæc sermo de interrogationibus instituitur, nū in scientia demonstratiua locum habeant, & quomodo.

Postea vero, cum ex definitione assignata demōstrationis subinductum esset, ꝙ demonstratio scientiam simpliciter, dictā propter quid insequitur, qđ est aliud genus scientiæ ab eo, quod quia est, nuncupatur ideo iure vtriusq; modi sciendi discrimen aperitur.

Mox fit palam, quænā figurarum syllogisticarum maxime sit propria scientiæ demonstratiuæ, & statuitur, quod est prima, & ipsius præcipue illud modus, quo concluditur vniuersale affirmatiuum; cum tamen non excludantur a demonstratione propter q̄d afferente immediatæ quæq. propositiones negatiuȩ; ex quibus cōstituitur (sicuti & ex affirmatiuis) dicta simpliciter demonstratio.

Et quia in tractatu interrogationum sermo inciderat de deceptionibus: hinc consequenter agitur de ignorantia, quotuplex sit: simulq. de omnibus deceptionibus, quæ contingere possunt, aut circa principia immediata, aut circa syllogismos: dū docetur, & ex propositionibus falsis, tum vtrisque, tum ex altera tantum falsa, posse deduci verum, & hinc deceptionem causari.

Præterea ad hūc tractatum de ignorantia, & de deceptionibus syllogisticis fit palā qualiter deficiente aliquo sensu, necessarium est, & aliquam sciētiam deficere, quæ illo sensu acquiratur: idq. ne in vanum laboremus, volentes penes ea, quorum nō est sensus, demonstrationem instituere.

Post hæc vero disputatio subinducitur, qua pluribus modis ostēditur, non esse progressum infinitum in terminis neq. a parte sursum, neq. a parte deorsum penes ea, ex quibus cōstituitur syllogismus: vt hinc confirmetur, esse nōnulla principia immediata, quæ non demonstrantur, vt pote, quæ sint magis nota, quàm conclusiones, quæ ex illis demonstrantur. Quomodo autē principia immediata nobis innotescant in fine libri sequentis enucleatur, & exponetur.

Ad hæc suscipitur disputatio,

& hæc quidem multiplex, qua fit palam, quòd demóstratio vniuersalis præstat particulari, & affirmatiua negatiuæ, & ostensiua ducenti ad impossibile.

Cui succedit postea contéplatio, circa discrimen scientiarum, dum explicatur, quæ nam sciétia sit prior, & exactior altera

Et simul patefit, plures esse posse, & quomodo plures de eadem re demonstrationes.

Ad hęc ostenditur, eorum quę a fortuna eueniunt, non esse scientiam demonstratiuã, & sensui munus sciendi minime conuenire.

Insuper, quòd omnium syllogismorum non possunt esse eadem principia. Et subsequenter distinguitur scibile, & scientia ab opinabili, & ab opinione.

Postremo agit de solertia, quæ & qualis sit animæ nostræ intellectiuæ virtus atq. facultas, & hinc finis imponitur huic primo libro Post. Analyt.

Quæ vero in sequenti tractentur, cómodius seorsum in eius libri explicatione considerabũtur. Illud autem interim occurrit aduertendum, ex verbis Arist. aperte colligi, librum sequentem coire in vnum & eũdem tractatum communem ei, & huic primo libro; cum prope finé libri sequentis hæc habeantur. *De syllogismo igitur & scientia demõstratiua, quid sit vtrumq;, & quomodo fiant dictum est, simul autem, & de sciẽtia demõstratiua.* Nec obstat, ꝙ definitio, de qua in lib. 2. Post. Analy. agitur, sit instrumentum per se ad modum sciendi pertinens, quia in vnum propterea commune subiectum cõueniat tractatus de demóstratione, & de definitione vt prædictũ est; Siquidem idem scire contingit per demonstrationem, & per definitionem, si perfecta, & omnibus numeris absoluta definitio tradatur, vt docetur in libro sequenti. Vnde vnum erit commune subiectum definitionis, & demonstrationis, quatenus per vtranq; idem scitur, & ad sciétiam demonstratiuam vterque modus sciendi dirigitur, vt latius explicabitur in initio libri sequentis.

Cur autem ita factum sit, vt horum librorum Post. Anal. vniuersa tractatio, scientia demonstratiua sit appellata, quasi quòd in demonstrationem totum hoc opus, & non etiam in definitionem dirigatur: Dicendum id iure optimo factum esse; tũ, qm̃ ad munus demóstrandi pertinet perpédere (vti perpenditur in libro sequenti) num possit ipsum, quod quid est, demonstrari; tum, quoniã quicquid haberi potest ex definitione, in demóstratione quoque obtinetur. Accedit quòd per demonstrationem propria accidentia demonstrãtur: vt ita quid aliud supra id, quod præstat munus definitionis, per demonstrationem ostendatur. Præterea multa quoq; demonstrantur per demonstrationem ducentem ad impossibile, quod longe abest a munere definiendi. Addamus quòd iuxta rationem demonstrandi, & non per illã, quæ pertinet ad definitionem enucleatur, (vt proprio loco apparebit) quomodo principia immediata nobis innotescãt. Vnde merito vniuersa Post. horũ Analyt. librorum tractatio ad demonstrationem directa scientia demonstratiua nuncupata est. Cũ præsertim inferiores omnes sciẽ-

tiæ, quæ sub prima militant Philosophia, & quarũ norma in his libris traditur, circa munus demõstrandi ita versentur, vt illud exacte absoluant; non autem absolute, & omnibus numeris munus definiendi perpendunt; sed proprias supponunt definitiones, innixæ tum regulis in libro sequẽti explicatis; tum speculationibus habitis in prima Philosophia circa ipsum quod quid est; vt latius in sequenti libro enucleabitur.

De Inscriptione operis.

INscribuntur autem hi libri Posteriora Analytica. Posteriora quidem, ad differentiam eorum, quæ vt magis vniuersalia, præcesserunt, in quibus actum est de syllogismo in genere, atq; ideo Priora Analytica nuncupata sunt. Cũ autem libri Priores idcirco Analytici sint inscripti, quoniam in illis, nempe in libro primo in postrema sectione edocetur, quomodo syllogismi omnes, tam perfecti, quàm imperfecti in suã quisq; propriam figuram, & modum, & in proprias propositiones reducatur, quod perficitur quadam via resolutiua per Analysin (quæ reuersionem quandam significat a posteriori ad aliud, qđ est prius; voce ex similitudine sumpta reuertentium ex itinere a loco postremo ad initium loci vnde discesserint) ex compositis ad principia procedendo; quod quidem est opus præstantissimum in vniuerso ambitu syllogistico; siquidem non valeret resoluere syllogismos eo modo, vti dictum est, qui prius non calleret modos omnes syllogisticos; necnon & normam, seu Methodum venandi propositiones pro astruendis syllogismis, quorum alterum in prima dicti libri Sectione, alterũ vero in secunda absoluitur. Vtique non pensandum, ob hanc eãdem causam hos quoq; Posteriores libros Analyticos nuncupari; neq; enim deceret, vt præstantissima pars, qualis est demonstrationis speculatio, quæ in his libris traditur, ab ignobiliori, cuiusmodi est simplex tractatio syllogistica, denominationem acciperet: sed illud quidem asserendum est, ad similitudinem Priorum Analyt. & hos libros Posteriores Analyticos nuncupatos esse; nempe quoniam in his edocetur (nimirũ in libro sequenti) quomodo inueniantur principia demonstrationis, ipsæ definitiones secundum oẽs causas, ex quibus constituitur demonstratio; quarum cognitio perficitur quadam via resolutiua; dum species indiuiduæ rerum, & earũ indiuidua singularia, & ita res cõpositæ supponũtur, & earum principia quadam diuisione discutiuntur, & excerpuntur: simulq; hac eadem methodo rõ venandi causam problematum omnium aperitur: opus pariter pręstãtissimũ, quod tuto probeq. nõ præstaret, qui naturam demonstrationis, & ex quibus, & qualibus constituatur (quæ quidem in hoc primo libro absoluuntur) prius non teneret: hanc igitur ob causam hi libri Analytici sunt inscripti.

Qui vero hos libros Analyticos ex eo nuncupatos existimarunt, propterea ꝙ demõstratio, de qua in ipsis agitur, sit resolutio, interrogandi sunt, num intelligant in demonstratione catenus resolutionem contineri, quatenus docetur, ex quibus, & qualibus propositionibus construi debeat: an po-

tius, quoniam quæ requirũtur ad demonstrationis constitutionem via quadam resolutiua inueniantur. Quòd si primum dixerint, certe manifesto errore deprehendũtur: quandoquidem modus construendi demonstrationem actũ compositurum concernit, & non resolutiuum. Si secundum, dicere tenẽtur, quanam in parte horum librorum, & sub qua methodo doceatur de principijs demonstrationis via resolutiua venãdis, qđ sane non alibi, quàm in libro sequenti præstari ab Aristot. ex his quæ prædiximus, perspicuum est.

Ex recentioribus autem quidã interpres, profitens rem hanc exactius explicare, constituit, tum libros Priores, tũ Posteriores Analyticos fuisse nuncupatur a via resolutiua, quæ iuxta eius sententiam exercetur, partim, dum proposita conclusione docetur, quomodo principia inueniantur ad simpliciter ipsam inferẽdam iuxta formam syllogisticam, de qua in Prioribns Analyticis actum esse dicitur: partim dum exponitur quomodo conclusio inferatur causam etiam essendi continens ex principijs inuentis penes huiusmodi illationem, quod perfici ait in Posterioribus Analyticis: adeo vt iuxta huius viri sententiarum, in Prioribus Analyticis resolutio peragitur penes conclusionem in sua principia referendam secundum formam: in Posterioribus autem penes conclusionem materiã secundum in sua principia reducendam subiungit idem in libro primo Priorum in 2. Sectione absolui prædictam resolutionẽ: dũ docetur, quænam sint præstanda, & comparanda ad venandam copiam propositionum: cui speculationi respõdere ait tractatum Topicorũ penes loca probabilia ibi constituta. In Posterioribus autẽ Analyticis in lib. 1. cap. 4. & duobus sequentibus asserit via resolutiua tradi, quõ propositionũ demonstratiuarum sint desumenda principia; proponiq; id agẽdũ ab Arist. in cõtextu 58. dũ ita habet.

Accipiẽdum igitur ex quibus, & qualibus demonstrationes; Et consequenter explicat dictum de omni per se, & vniuersale; simulq; propositiones demonstratiuas necessarias esse debere demonstrat. Ex his enim, hic interpres ait tradi modũ abundandi circa propositiones demonstratiuas, & id perfici via resolutiua. Et huic quidem suæ opinioni asseclam inducit Themistium, cuius verba ante tractatũ dicti de omni ita legantur. *Deinceps enumerandæ quæstiones sunt, quæ ad demonstrationem pertinent, educendaq; ratio est quemadmodum abundare copia propositionum earũ possimus, quæ ad hoc genus quæstionũ accõmodãtur.* Verum (qđ attinet ad libros Priores Analyticos, quantum vir iste a veritate, & a sententia Arist. aliena protulerit, quisq; præclare prospiciet, qui propositum Arist. legat in initio postremę sectionis lib. 1. Priorum Analyt. ibi. n. ait se speculatarum, (quod & pręstitit) quibusnam regulis syllogismorũ cunctorum fieri possit resolutio; dum orationes compositæ, & inuicem permixtæ proponuntur vt singularum conclusionum ,pprij syllogismi ex inuẽtis, & enucleãtis propositionibus eliciantur, qđ via resolutiua absq; dubio perficitur, a compositis ad principia

Them.

pro

procedendo, a composita scilicet oratione ad propositionũ cuiusq. syllogismi inuentionem, & ad reductionem syllogisticam in propriam figuram, atq. modum. Vnde & resolutorij illi libri ab hac præstãtissima functione, quæ precedentem de syllogismo omnem tractatum vti cognitũ præsupponit, iure nuncupati sunt. Accedit quòd contẽplatio habita in 2. Sectione lib. 1. Prior. qua recens hic scriptor contineri ait viam resolutiuam, dum ibi docetur, quomodo copia propositionum abundare possimus, neutiquam viam cõcernit resolutiuam. Hęc. n. ad summam in ea sectione peraguntur. Nam, suppositio problematis tũ prædicato, tũ subiecto, admonet Aristoteles, vt ad vtrunq. antecedentia, & consequentia, & repugnantia vna cum definitionibus seorsum describantur: futurum. n. (inquit) ex hac methodo, vt deligantur propositiones, ex quibus syllogismi circa quæq; problemata cõficiantur; quæ Methodus nõ solum ad simplicem formam syllogismorum cõstituendam deseruit: verum ad vniuersam quoque rerum exactam demonstrationẽ habendam: vt ibidẽ innuit Arist. docens ex quaq. scientia appropriatas ꝓpositiones ex huiusmodi inspectione deligẽdas esse: cui similis est quoq; , sed latius explicata (vt innuit ibidem Philosophus) Methodus habita in lib. 1. Topic. vbi quattuor instrumenta generica ad cuncta probabilia loca proponãtur. Quare ex his, quę commemorata sunt, liquido apparet nequaquã in tractatu 2. Sectionis lib 1. Priorum Analyt. viã resolutiuam vsurpari, aut exerceri vllo pacto, sed solum regulas ibi traditas esse; prout & in Topicis circa propositiones deligendas absque vlla Methodi resolutiue inspectione. Vnde neque ex eo tractatu inscriptio Analytica penes libros Priores est desumenda, sicuti vir iste adiudicauit: Sed ex postrema sectione eorum librorum, vti constituimus.

Quòd autem neque Posteriores libri Analytici sint inscripti ob eã causam, quam vir iste induxit, ita debet esse perspicuum, vt mirum sit, quomodo in eam sententiam deuenerit, vt dixerit, dum docet Arist. quid sit dictum de omni, & quid per se, & quid vniuersale, & quomodo propositiones sint, & debeãt esse necessariæ, ex his modum exhiberi, abundandi copia ꝓpositionum, in hacq. functione, viam resolutiuam exerceri. Nam, quæso, cur magis in hoc tractatu, hæc perfici dicendum est, quàm in præcedenti: vbi docet Aristot. ꝙ demõstratio constare debet ex veris, primis immediatis, & causis, & reliquis conditionibus ibi commemoratis: in quibus tamen scriptor recens ait, Aristotelẽ docere ex quibus construatur demõstratio: in sequenti autem tractatu de copia venanda propositionum agi, & id via resolutiua perfici, cũ tñ vtrobiq. id tantũ insinuet Aristoteles, ex quibus nã, & qualibus propositionibus constare debeat demonstratio: priores quidẽ conditiones quòd debeat demonstratio constitui ex veris primis & reliquis, id desumendo ex definitione tradita de scientia: posteriores vero, nempe quòd debeant esse propositiones per se, & vniuersales, & consequenter necessariæ, id eliciendo ex illa appositione facta ad definitionem: scientiæ, qm̃,

quod

quod scitur impossibile est aliter se habere. Quemadmodum accuratius in propria locorum explicatione animaduertere vnusquisque poterit; adeo vt ex dictis sit inferendum, ex omnibus assignatis conditionibus, quæ requiruntur in demonstratione, iudicium certum inde exhiberi, quo conuenienter demonstrandorum problematum propositiones, & non alienæ a scientia demonstratiua deligantur, quod & innuisse Themistium loco ante citato facile conijciet, quicunq; eius dicta mature perpenderit. Nam in prædicto tractatu nullam assignari Methodum abundandi copia propositionum, ita perspicuũ est, vt nihil clarius esse possit. Vnde inferendum, nullam ibi etiam resolutiuam, viá exerceri, & consequenter ex huiusmodi tractatu Posteriores hos libros Analyticos minime (vt sentit recens scriptor) fuisse conscribendos: sed iuxta eã speculandi rationem, quam antea constituimus.

De operis diuisione.

VNiuersum autem hoc Posteriorum Analyticorum opus in duos libros esse partitum, apud omnes est in confesso. In quot autẽ partes primus liber diuidi possit, ex eius epitome, quam præmisimus, facile, qui eam diligenter inspexerit, dignoscere poterit, vt non in duas, aut tres, aut quattuor tantum parte; diuidi cõmode possit. Quamuis recens scriptor diuisionẽ subinduxerit penes vniuersum opus in duas partes cõfectã: quarum alteram, ait, cõtinere modum construendæ demonstrationis, quoad eius essentiam, in reliqua vero agi de proprietatibus demonstrationis; licet & nonnulla alia immisceri asserat. Sed quomodo vniuersi tractatus, qui multiplices in epitome propositi sũt, ad has duas Sectiones reduci queant, præsertim quoad caput proprietatum, vnusquisque ex se ipso id perpendens, facile cognoscet, quam difficile id præstari possit.

De ordine lectionis.

QVòd hi libri immediate cõsequuntur ad Priores Analyticos, fit palam, tum ex ipsa inscriptione librorum, cum hi Posteriores Analytici appellentur ad differentiam priorum, quibus consequuntur, tum etiam ex verbis Aristotelis in initio primi libri Priorum, dum ait, scopum sibi esse, agere de demonstratione, & de sciẽtia demonstratiua, ad quã pertinet tractatio syllogistica, de qua in Prioribus Analyticis actũ est; Quod etiam repetijt prope finem 2. lib. horum posteriorum; dum illos epilogans inquit, absolutum esse de syllogismo, & de demõstratione tractatum, seu de scientia demonstratiua, hunc in modum syllogismum, & demonstrationem in vnam communem perscrutationem concludens: qđ etiam insinuauit in libro primo Priorum acturus de syllogismo, dum inquit. *His autem determinatis, dicamus iam ex quibus, & quando, et quomodo fit omnis syllogismus: postea vero dicendum de demonstratione.*

li. 1. Prio. Sect. 1.

Quæst.

Numquid autem, pro operis logici natura capessenda, præstet prius ingenia nostra exercere circa loca probabilia, de quibus agitur

tur in Topicis, & hinc accedere ad libros Analyticos, in quibus traditur in communi de ſcientia demonſtratiua; an econuerſo magis expediat in primis erudiri circa libros Analyticos, ac deinceps progredi ad Topicum tractatum. Nō deſint hinc, & inde fautores, valideq; pro vtraq; parte argumentationes: ſicuti priorē in ſententiam potiſſimum fauet hæc ratio, quòd exercitati circa probabilia, quæ ſunt faciliora, aptius diſponamur ad veritatem demonſtratiuam percipiendam, quæ eſt altioris indaginis. Vnde & ab Ariſt. id fere ſemper vſurpatum videmus, vt ante ſermonem demonſtratiuum, tanquam ad hunc planum iter parans, probabiles pręmittat argumentationes. Accedit, quòd quæ magis ſunt communia minus communibus ſunt præponenda: magis autem communi, & ad plura extendi id, quod probabile eſt, circa quod verſatur Topica facultas, quàm neceſſarium, quod ſubiacet demonſtrationi, inde perſpicuum eſt, quòd omne neceſſarium eſt etiam probabile: non autem omne probabile eſt neceſſarium. Vnde tractatio probabilium, de quibus in Topicis, præponenda videretur, tractatui ſcientiæ demonſtratiuæ, quæ res ſcrutatur neceſſarias, de qua in Analyticis agitur.

Econtra verò, quod libri Analytici, libri Topicis ſint præponendi, hoc affertur argumentum; quòd imperfectum ex perfecti notitia cognoſci debet, & obliquitas propter ipſum rectum, iuxta illud enunciatū ex lib. 1. de Anima ſumptum, quod idem eſt iudex recti, & obliqui. Vnde, cū ſyllogiſmus demonſtratiuus ſit omnium ſyllogiſmorum perfectiſſimus, vt qui ſemper veras, atq; neceſſarias probationes inferat, quod non facit ſyllogiſmus Topicus, ac multo minus ſophiſticus; idcirco ſtudiū noſtrum iure prius collocandum videretur circa ſcientiam demonſtratiuā, & hinc poſtmodum accedendum ad tractatum Topicorū.

Lib. 1. de Anim. c. 8.

Nobis autem iſtæc quęſtio ita Logica, & communis cēſenda videtur, vt vtramq; partem quiuis poſſit tueri; nec multum interſit, ſi prius de Topicis inſtruamur, ac deinceps ad ſcientiam demonſtratiuam capeſſendam tranſeamus. Aut ſi cōuerſus ordo ſeruetur, vt a libris Analyticis ad Topicos progreſſus inſtituatur; niſi quòd nexus, quo inuicem coniunxit Ariſt. Priora, & Poſteriora Analytica, maxime fauet, vt a lectione Priorum Analyticorum ad Poſteriora Analytica continuatio ordine procedamus, ad quæ deinceps ſubſequantur libri Topicorum, qui certe abſq; cognitione Priorum Analyt. ob tractatum ſyllogiſmi, (de quo in ipſis agitur) exacte percipi aut exerceri nequeunt. Verum autem diſtinguendæ ſint hæ partes Logicæ, nempe Analytica in Iudicialem, & Topica in Inuentiuam; quemadmodum nonnulli diſtinxerūt, de hac quęſtione exacte in expoſitione Topicorum diſſeretur; ſi interim hoc tantum animaduerterimus, nullibi apud Ariſtotelē huiuſmodi diſtinctionem penes prædictas Logicæ partes inueniri.

Solut.

Omnem doctrinā, & diſciplinā ratiocinio conflatā, ex præexiſtente cognitione perfici, qua & qualis poſſit eſſe aperitur.

OMnis doctrina, & omnis ratioci-

tinio conflata disciplina (vt nihil excludatur, quod aut doceat quispiam, aut quis alius discat discursus interuentu) perficitur ex quadam cognitione præcedente; qđ patebit speculantibus nobis circa oēs huiusce generis doctrinas, & disciplinas. Etenim Mathematicę, inter alias sciētias, hunc in modum perficiuntur, vt perspicuum est ex libris Euclidis; necnon, & aliarum vnaquæq; artium. Quòd similiter cōtingit circa orationes dialecticas, tum penes illas, quæ syllogismo, tum penes alias, quæ inductione cōficiuntur; siquidem in vtrisq; deducitur doctrina ex certis quibusdam præcognitis dū in orationibus syllogisticis ea assumant dialectici, quæ sunt intellecta, & cognita apud illos, q̄bus cum sermocinantur, & ex ijs deinde suas inferunt probationes. Qui autem inductiuum sermonē sectantur, ex eo quòd nota sint singularia inde inferunt, & probant vniuersalia. Idem etiam obseruare licet apud oratores: quippe qui persuadent, & de ijs, quæ habent in animo, instruunt auditores, aut per exempla (quę respondent inductioni) aut per enthimemata, quæ apud ipsos sunt pro syllogismo. Ex quibus omnibus infertur, omnem doctrinam, & omnem disciplinam ex ratiocinio pendentem perfici ex quadam antecedēte cognitione.

Cuius generis autem prædicta cognitio esse debeat nunc subnectendum est; Et dicimus necessarium esse duobus modis haberi præexistentem cognitionem. Siquidē de nonnullis opus est præaccipere, & credere, quòd sint, veluti de hoc enunciatio; ꝙ de omni est affirmare, vel negare verū: de quibusdam autem alijs, quid sit quod docebar, oportet intelligere, vtputa quid sit triangulum; & de nonnullis alijs, tum ꝙ sint, tum quid sint necesse est præaccipere; sicuti de vnitate, & ꝙ est, & quid est oportet præcognoscere. Non enim horum quodq; æque nobis manifestū est, vt eadem de oībus sit præmittenda cognitio.

Sed & hoc non ignorandū est, euenire interdum, vt quispiam habens notitiam quarundam rerū, simul etiam nonnullarum aliarū absq; vllo medio, quo fiat probatio accipiat cognitionem, nempe earum, quæ sub vniuersali continentur, quorum aliquis prius habeat notitiam. Etenim prænouerit aliquis, quòd triāgulus habet tres angulos æquales duobus rectis: quod autē id, quod est in semicirculo descriptum sit triangulus, eo conspecto, inducensq; ꝙ est triangulus, simul etiam cognoscit, quòd idem habet angulos æquales duobus rectis; id nimirum agnoscens ex vniuersali illa notitia, quam habet in genere præcognitam de triangulo, & non aliunde per aliquam aliam probationem id accipit. Etenim quorundam est, est hunc in modum disciplina, vt non per medium aliquod cognoscatur extremum; vt singularia, & indiuidua, quæ de nullo subiecto dicantur. Antequā autem fiat inductio, aut sit acceptus syllogismus de abscondito triangulo, qui mox cognoscetur, inspectus fuerit: dicendum est fortassis, idem quodāmodo sciri, & quodam alio modo ignorari. Nā, cum quispiam absolute ignoret, de aliquo triāgulo an sit, quomodo de eo absolute scire poterit, ꝙ habet angulos æquales duobus re-

rectis? siquidé simpliciter id non scitur de triangulo particulari, dũ ignoratur an sit. Alioquin, nisi ita dicamus subibit ex aduerso dubitatio habita in Dialogo Menonis, qua deducitur, quòd aut nihil addiscet quispiã, aut idipsum addiscet, quòd prius ignorabat, quorum vtrunq; est inconueniẽs. Non autem huic dubitationi est occurrendũ, vt faciunt nonnulli. Nam, cum hunc in modum argumentaretur Menon, numquid noris omnem dualitatem esse parẽ? aut non noris? & respõdente, qui interrogabatur, se scire quòd omnis dualitas est par, tunc proferebat in medium Menon dualitaté latẽtem in manu, quam ille alter non cogitabat; quare neq; de ea, ꝙ esset par, opinabatur: Vnde redargutioni locus erat, ꝙ ille non sciret id, quod se scire profitebatur. Quidam igitur ab hoc cauillo existimantes sese eripere, respondebant, non scire oẽm dualitatem esse parem, sed illam, quã norint esse dualitatem. Quorum responsio vti minime subsistens, est refellenda; siquidem scitur ab omnibus id, cuius demonstrationem habent, & acceperant; Non enim de omni, quod norint, ꝙ sit triangulus, aut numerus, sed de omni triãgulo, & numero vniuersalem demonstrationem acceperunt. Etenim nulla propositio cũ huiusmodi limitatione, aut proponitur, aut accipitur, ꝙ quem tu noris numerum, aut quam tu noris recti lineam; sed simpliciter de omni numero, & de omni rectilinea profertur propositio, & astruitur demonstratio. Verum, (vti dictum est) nihil prohibet asserere, ꝙ illud, qđ aliquis discit, quodammodo sciat, & quodammodo etiam ignoret: hinc.n. nullum absurdum emanat, si dicatur, ꝙ aliquis quodammodo, idem sciat, & illud idem quodammodo discat: quemadmodum esset absurdũ fateri, ꝙ eo modo, quo quis discit, & quatenus discit etiã simpliciter sciat: quod non admittitur; sed excluditur dictum absurdum iuxta priorem a nobis inductam responsionem.

Adnotationes.

Omnis doctrina, & oĩs disciplina discursiua ex p̃existenti fit cognitione.] Hoc præclarum, & maxime generale enuntiatum quandam continet suppositionem ad doctrinam horũ librorum maxime cõferentem, vt patebit ex sequentibus. Quorsum autem dirigatur, post totius huius primi capitis explicationem examinabimus. Quid autẽ intersit inter doctrinam, & disciplinã; de quibus hic est mentio, colligendum est ex ijs, quæ habentur in libro 3. Physic. in tractatu de motu apud Arist. Vbi concluditur, eumdem esse actũ motus, qui a mouente proficiscitur, & qui in patiẽte recipitur, vt distinguatur solum inquantum prouenit actus a mouente, & in quantum idem recipitur in patiente. Ita igitur inuicem sese habent doctrina & disciplina, vt per doctrinam intelligatur cognitio, seu institutio quædam proueniẽs a præceptore; per disciplinam autem eadẽ cognitio, & institutio intelligitur, quatenus recipitur a discipulo, vt omnino ex ijs hoc velit Arist. quòd tam ex parte docentis q̃ ex parte addiscentis, id, quod docetur, & di scitur, doceatur, & discatur ex præexistẽte, quadam cognitione. Iure autem dictũ est, quòd doctrina, & disciplina fit ex cognitione præcedente, & non quòd cognitio fiat ex præexistente cognitione. Alioquin potuisset rursus interrogari de cognitione, quæ fiat ex pręcedente cognitione, quòd & ipsa habita fuerit ex altera præcedente cognitione, & ita in infinitum trahi sermo de vna in aliam cognitionem. Non etiam dictum est, quòd doctrina, & disciplina fiat ex pręcedenti inuentione, (quam tñ interpretationẽ attulit Alex. ab alijs interprętibus repræhensus, & merito) quoniam & de inuẽtione rursus quæri posset, quòd fieret ex alia inuentione, seu cognitione, & ita in infinitũ. Quòd aũt Grece habetur διανοητικὴ vertendũ videtur *discursiua*, licet.n. vox dianoca trahi etiã posset ad significatum simplicium propositionum, in quibus ope intellectus terminus termino connectitur: attamen hoc loco proprie illa intellectus operatio denotatur, per quam ex quibusdam ad alia probanda mens nostra mouetur, ita vt discursione quadam vtatur, a conceptio-

li. 3. Phys. c. 3.

Alexan.

nibus propositionum ad ratiocinationem,
& probationem quandam procedens. sunt
autem qui vertũt, *intellectiua*, dicentes hinc
excludi cognitionem sensitiuam, cum etiã
aliqua bruta animalia discant sine intelle-
ctu, quo carent: vel quoniam cognitio sensi
tiua non fit ex pręexistente cognitione, &
Them.
ita Themistius interpretatur, quem secutus
S. Thom.
est Sanctus Thomas. Quòd autem aliqui di
Tolet.
cãt, animalia discere ex præexistente qua-
dam cognitione, vt habet Toletus, id diffici
le est probare: licet verum sit quædam ani
lib. 9. de Hist. Ani. c. 1.
malia discere; vt latissime docet Aristot. in
lib. 9. de Hist. anim. Verum, quod hoc loco
sit sermo de doctrina intellectiua limitan-
da, vti prædictum est ad discursum, hinc po
tissimum probari potest, quòd ea omnia, cir
ca quæ veluti quadam inductione, veritas
prędictæ propositionis manifestatur, sunt
eiusmodi, vt manifeste aliqualẽ contineãt
doctrinam cuidam probationi innixã: quẽ-
admodum perspicuum est de scientijs ma-
thematicis, & de sermonibus dialecticis, &
orationibus, qui omnes vna mathematicis sciẽ
tijs discursu syllogistico, aut inductione ꝑfi
ciuntur. Accedit quòd prædicta suppositio
ad scientiam demõstratiuam dirigitur, quæ
proculdubio syllogismo, & cõsequenter di
scursu cõflatur. Vnde de doctrina discursi
ua, & non simpliciter de intellectiua est in-
Them.
terpretanda propositio. Cum autem The-
mistius in Paraphrasi huius primi capitis
afferat omnes artes, & nõ solum scientias
ex quadam præexistente cognitione astrui
& acquiri; idq; docet exemplo eius, qui artẽ
discat calceos incidẽdi, qui, inquit; oportet
vt prius cognoscat cultellum, & quid sit in-
cidere coriam, hęc sane Themistij opinio le
uiter non est prætereũda Nam ex aduerso
illud in primis afferri potest, quòd pueri, dũ
in pernoscẽdis litterarum caracteribus in-
struuntur, aut discunt canere, vel cytharam
pulsare, vel choreas ducere, nulla certe tali
præmissa cognitione (qualem supponit The
Io. Grã.
mistius, cui consentit etiam Ioan. Gramma
ticus) harum artium, seu facultatum compe
tes reddantur. Nihil enim, vt cytharam ex
arte pulsent, ad hanc operationem probe
cõficiẽdam pueris prodest, quòd intelligãt,
huiusmodi instrumẽtum cytharam appella
ri, aut quidpiam aliud eiusmodi præcogno
scant. Idcirco (quòd a nemine vidi aiaduer
sum) id magnopere perpendeudum est, ab
Arist. in hac ꝓpositione, quòd omnis doctri
na, & disciplina discursiua fiat ex pręexistẽ
te cognitione, supponi, quòd præexistẽs co
gnitio deseruiat ad doctrinam subsequen
tem percipiendam; Quod patet ex sciẽtijs
mathematicis, in quibus cognitiones illæ
præmittuntur, vt puta, quòd a pũcto ad pũ
ctum licet lineam rectam ducere, quòd an-
gulus obtusus est maiore recto, & alia hu-
iusmodi, ex quorum notitia veritas subse-
quẽtium theorematum demõstratur. Vnde
dicendum est, nõnullas esse facultates, quæ
sola quadam exercitatione per imitationẽ
acquiruntur; in quibus, cum absq; specula-
tione discursiua addiscantur, nulla huiusmo
di præcognitio exigitur, ex qua aliorum
quorundam notitiam, & comprobatio obti
neatur; sunt vero & nõnullæ artes, in q̃bus
etiam speculationes adhibentur, vt sint &
factiuę simul & speculatiuæ; vt docuit Ari
stot. in lib. 9. Metaph. dum dixit, *omnes artes
qua & scientia, & factiua sunt*, de quibus non
lib. 9. Met. c. 12.
est inficiandum, quin inquantum speculatio
nes in ipsis astruuntur, sint hac ratione par
ticipes discursus, vt doctrina de ijs ipsis a-
struenda ex quadam præexistente cogni
tione cõstituatur. Id autem maxime perci
pi potest in arte medica, in qua de natura
corporis humani; quatenus est subiectum
sanitatis, & ęgritudinis, & de ipsa sanitate,
& ægritudine speculationes plurimæ habẽ
tur, non sine quadam prętermissa cognitio
ne, quæ deseruiat ad manifestationẽ subse
quentium ad hanc artem Theorematum;
cum tamẽ huiusmodi omnes speculationes
ad recte, riteq; artem medicam exereendã
dirigantur. Verum non de omnibus arti-
bus, & facultatibus id asserendum est; cum
sint nonnullæ, quæ (vt dictum est) sola exer-
citatione per imitationem acquiruntur: li-
cet id dici re vera possit, & in ipsis acquirẽ
dis quædam, quæ primo sint facienda, edo-
ceri, præmittiq; ad quædam alia Posterio-
ra addiscenda. Quemadmodum præceptor
cytharæ pulsandæ primo admonet, & in-
struit discipulum, quomodo digitos & cy-
tharæ instrumentum apponat; mox quomo
do eosdem explicet sursum, atq; deorsum;
quod & obseruat magister choreas ducen-
di; cum primo instruit discipulum, quomo-
do pedem dextrum, aut sinistrum moueat,
deinde quibus motibus se se ferat ad can-
tus, seu sonitus mensuram.

Excluditur etiam hac voce *discursiua*, co-
gnitio principiorum, quæ supponũtur; neq;
discursu aliquo demonstrantur: licet noti-
tia terminorum, (ex quibus conflatur prin
cipia intellectiua) apud intellectum pręsup
ponatur. Verum id absq; vllo habito discur
su. Et quamquam principia, quæ in sciẽtijs
supponuntur ad demonstrationes deducen
das; ope sensus ab intellectu percipiantur;
non propterea tamen existimandum est, q̃
ex sensitiua cognitione proprie principio-
rum notitia in intellestu perficiatur; Ete-
nim ipse quidem sensus subministrat phan
tasmata, quæ quadam abstractione facta o-
pe intellectus agentis comprę hendnntur
sub vniuersali notitia ab intellectu nostro
possibili, eo modo, vt docetur in fine libri
sequentis. Et huic quidem explicationi cõ
sentiunt, quæ habentur in hoc eodem capi
te. Vbi dicitur, q̃ contingit quorundã habe
ri notitiam, & simul aliorum sumi cognitio
nem, quæ prius ignorabantur; & id nõ per
medium, quemadmodum per medium do-
ctrina discursiua perficitur; sed sine medio
singularium sub vniuersalibns contentorũ
cognitio acquiritur.

Mathematica enim scientia. Inductione qua
dam propositam propositionem manifestat
Arist. progrediens circa omnem doctrinã
discursiuam, & exorditur a scientijs Ma-
thematicis, vti illis; quibus in certitudine
cognitionis multum tribuatur, & valde vi-
gebant tempore Aristoteles, perbelle in or
dine sciendi iam reductæ. Cõstat autem in

ipsis

ipsis præmitti quasdam cognitiones, vt apud Euclidem, quid sit pũctum, quid linea, quòd omne totum est maius sua parte, & alia huiusmodi; ex quibus postmodum cõsequentium Theorematum doctrina demonstratiua astruitur. Cũ vero subiungit Arist. *& aliarum vnaquaq; artium*, ijs verbis videtur innuere, Mathematicas quoq; scientias ad artes pertinere; quod non est inficiandum; præsertim si ratio habeatur stereometriæ, perspectiuæ, harmonicæ, ad quas, superiores scientiæ vt Arethmetica & Geometria deseruiunt, & diriguntur. Sed & sub nomine artis largo modo scientiæ recte traditæ possunt intelligi: prout in lib. 9. Metap. loco ante citato, appellantur artes, & simul scientiæ facultates illæ operandi, quę pendent ex quodam discursu, & ex vniuersalibus speculationibus.

Similiter & circa orationes; Possunt intelligi Dialogi, in quibus fit doctrina ex præcognitis, dum accipiuntur nõnulla tanquam ab intelligentibus Græce παραξλωιζντων nempe ab illis, quibus cum sermones habentur. Aut ipsi disputantes intelliguntur; inter quos, qui interrogat alterum, ab eo accipit nõnullas suppositiones, ex quibus deinde suas cõficit ratiocinationes; Vnde accipientes ab intelligentibus suppositiones, sic vtrinq; quarũdam rerum præcognitio supponitur, & ab interrogante, & ab eo, qui interrogatur.

Similiter & Rethorici. In sermonibus quoque oratorijs idem prestatur, nempe ex precognitis nõnullis; rethores suas astruũt persuasiones, siue ipsum Enthimema adhibeant, quod respõdet syllogismo, siue exẽplum, quod vim gerit inductionis. Græce autem legitur συμπείθωσιν idest simul persuadent: vt hinc innuatur in persuasione, quam cõflare nititur orator, simul cõcurrere cõsensum auditorum penes nõnulla, quę præcognoscuntur. Vnde & Enthimema dictum censetur ab eo, quod in animo aliq̃d cõtineatur. Adnotant autem Ioan. Gram. ex Platone in Gorgica, duplicem esse fidẽ; alteram doctrinalẽ Græce διδασκαλικὴν dictam, quam sectantur Philosophi de veritate tractantes: alteram vero suasibilẽ Græce πιστευτικὴν nuncupatam, qua vtuntur Rethores; vt qui magis studeant suadere, quod illorum interest, quàm veritatem tradere. Ex ijs omnibus igitur inductione, quadam recensitis, apparet, comprobatum, enunciatum, quòd omnis doctrina, & disciplina discursiua astruitur ex cognitione præexistente. Nõ autem approbanda hoc loco Ioan. Gram. interpretatio, qui Aristotelem inducit tanquam hunc in modum ratiocinantem, omnis doctrina & disciplina, discursiua fit ex præexistente cognitione; sed demõstratio est quædam doctrina, & disciplina discursiua, ergo & ipsa ex præcognitis cõstabit. Nam cũ Mathematicę sciẽtiæ sint & ipsæ demonstratiuę, & per has, necnõ & per alias omnes artes discursu traditas Aristoteles prędictam propositionem comprobauerit; ideo futile, atq; incõueniẽs videtur hinc inferre, (vt facit Ioan. Gram.) hanc cõclusionem, tanquam hinc deducendum, q̃ demõstratio ex præcognitis astruatur: ita enim idem per idem probaretur, quod est vitium in ratiocinando, petitio principij nuncupatum. Vnde asserendum est, in prędictis cõfirmatam esse vti verã hanc suppositionem vniuersalem, q̃ omnis doctrina, & disciplina habita per discursũ fiat ex pręexistente cognitione: quod deseruiat ad astruendam doctrinam, quæ in his libris exhibetur in genere circa scientiam demonstratiuam, vt in sequẽtibus fiet manifestum.

Io. Grã.

Duplicitur autem necessarium. Cõsequenter ad suppositionem prędictam aperit Arist. quæ, & quotuplex possit esse pręcognitio, & duplicem statuit esse modum pręcognitionis. Alter, vt præcognoscatur aliquid esse; Alter, vt pręcognoscatur quid significet id, de quo sermo, & doctrina instituitur; Cum autem sit duplex modus pręcognitionis, sciendum est nõ esse necessarium, vt de quacunq; re vterq; modus supponatur: sed interdum fit, vt de aliquibus quid sint tantummodo oporteat pręcognoscere, veluti q̃ omne affirmare, aut negare est verum: de aliquibus autem alijs quid significent, vt puta quid sit triangulum; & de nõnullis vtrũque, vt de trinitate, & q̃ est, & quid significet, oportet pręcognoscere; Et id quidem, quoniam nõ quodq; similiter nobis est manifestum; Vnde nõ ęque de omnibus duplici prędicto modo pręcognoscere oportet. Nã quę nõ sunt nota, sunt manifestanda: sicuti omittẽda, quę sunt perspicua, vt non egeãt pręuia declaratione, vel suppositione. Hęc autem de pręcognitis traditio est habita generatim, vt nõ applicentur hoc loco pręcognita partibus demõstrationis, vt fit infra, vbi proprie, & exacte agitur de præcognitis, simulq; distinguitur demõstratio in subiectum, principia, & passionem, & exponitur, quomodo circa hęc tria sit pręcognoscendum. Quod certe nõ fit hoc loco, vt potest esse perspicuum ex hoc, q̃ triangulus, & vnitas, quę in exemplum afferuntur, nullum inuicem nexum in demonstratione habere possunt: cum alter ad Geometriã, alia vero ad Arithmeticam attineat. Vnde perperam intellexerunt, qui ex proposito hic agi de pręcognitis demõstratiuis asseruerunt, cum id sit commune etiam sermonibus Rethoricis, & Dialecticis. Cum autem dicitur, q̃ supponere oportet de hoc principio, q̃ omne affirmare, vel negare verum, sciendum idem esse q̃ aliquid sit verum, & q̃ absolute sit, vt declarat in lib. 2. Metap. Illud vero dictum, q̃ de aliquibus pręaccipiendum sit quid significat, intelligendum est, tum quo ad quid nominis, tum quo ad quid rei. Nam de ijs; quę nõ sunt, vt hircoceruus, nominis tm̃ potest dari explicatio, de ijs autem, quę sunt, etiam definitio rem explicans est afferenda. Sed de ijs exactius cõsiderandum erit in initio libri sequentis: vbi manifestũ fiet per ipsum quid est, quid rei quoq. comprehendi. Illud vero dictũ: *Non enim consimiliter vnumquodq; nobis manifestum est*, nõ tollit, si quid nobis nõ est notum, quin in natura possit esse notum, & ita acquiri cognitio de eo per causam, vti fit

li. 1. Post. c. 18.

li. 2. Met. cap. 1.

in demōſtratione S.Thomas explicat hunc
in modum, ꝙ nō idem modis manifeſtatio-
nis principij paſſionis,& ſubiecti, quia non
eadem ratio cognitionis in ipſis. Nam prin
cipia cognoſceretur per actum cōponētis,
& diuidentis;ſubiectum vero,& paſſio per
actum comprehendentis quod quid eſt:Itē
ſubiectum definitur abſolute, ut nō pona-
tur aliquid in eius definitione quid ſit ex-
tra eius eſſentiam; at paſſio definitur cum
dependentia ad ſubiectum. Vnde nō miru
(inquit) ſi horum diuerſa eſt præcognitio:
Hæc quidem prolata a S.Thoma vera ſunt;
ſed nō videtur cōſona huic loco; vbi id tm̄
videtur aperiri, ꝙ nō ſimiliter quodq; no-
bis eſt manifeſtum ſecundum modos præ-
cognitionis hic allatos: idq; qm̄ de aliquo
erit notum quid ſignificet, de aliquo vero
alio quid ſit;Et id quidem adductum eſt ab
Ariſtotele: qm̄ aliqñ nonnulla neq; ſuppo-
nuntur,qm̄ ſint nota; ſicuti infra dicetur in
tractatu de pręcognitis,qm̄ nō ſimiliter eſt
notum,ꝙ ſit numerus,& ꝙ ſit calidum. Vn-
de ſit vt aliqua oporteat p̄cognoſcere, & ꝙ
ſint,& quid ſint;aliqua autem tātummodo,
ꝙ ſint; aliqua vero quid ſint ſolum. Et eſt
ſermo vniuerſalis,& nō determinatus iux-
ta diſtinctas partes demōſtrationis, vti fit
infra,vt pręductum eſt.

Io. Grã. ***Eſt autem cognoſcere alia quidem prius cogno-
ſcentem.*** Ioan.Gram.vult hac in parte tradi
ab Ariſt.quomodo cognitio,quæ fit per in-
quiſitionem & inuentionem acquiratur, &
pendeat ex cognitione p̄exiſtenti,cū prius
fuerit ſermo de ijs, quę per diſciplinā ac-
quiruntur. Aliud.n.(inquit) eſt p̄cognoſce-
re,& aliud diſcere;qm̄ cognoſcimus quę ſci
mus,diſcimus autem quę neſcimus; vultq;
omnem cognitionem intellectiuam fieri ex
p̄exiſtenti cognitione,nō illam primam,q̄
primo acquiritur (vt ꝙ omnis magnes tra-
hat ferrum:hoc.n.prius ignoratur,& poſtea
cognoſcitur)ſed aliam cognitionem,quę ex
iſta fiat,vt per diſciplinam acquiratur; Per
inuentionem autem acquiri, ait, cognitio-
nem;ſicuti,cum ſcitur, ꝙ omnis magnes tra
hit Ferrum,ſi quis poſtea inueniat aliquem
magnetem latentem, per inuentionem hoc
ſimul cognoſcet ex p̄exiſtenti tñ quadam
vniuerſali cognitione. Verum hęc expoſi-
tio patetur hanc difficultatem;qm̄,ſi acqui
ratur cognitio habita per inuentionem ſin
gularium,de quibus hic eſt ſermo,certe le-
uis admodum, ac futilis videretur hęc de
inuentione perſcrutatio ad ſingularia tm̄
indiuidua applicata, quorum cognitio ad
ſenſitiuam attinet facultatem. Si autē ap-
plicetur inuentio ad notitiam vniuerſalū,
ex aduerſo obijci poteſt, huiuſmodi inuen
tam cognitionem nō niſi ex p̄exiſtente co-
gnitione acquiri, quemadmodum idem Io.

Io. Grã. Gram. inferebat ſuperius aduerſus Alexan
drum explicantem, ꝙ omnis doctrina fieret
ex p̄exiſtente inuentione; ſiquidem & hæc
inuentio ex pręexiſtenti inuentione, ſeu
cognitione aſtrueretur. Præterea nō diſtin
guit Ioan. Gram. primum modum p̄cogni-
tionis a ſecundo,niſi quo ad hoc, ꝙ in pri-
mo ex p̄exiſtenti cognitione per diſciplinā
acquiritur cognitio eorum, quę ignorātur,
in ſecundo autem modo acquiritur cogni-
tio per inuentionem ex p̄exiſtente cogni-
tione vniuerſali, ſub qua poſtea ſingularia
cognoſcuntur, & tñ Ariſt.vult primam co-
gnitionem fieri ex diſciplina probatione
quadam,& per medium cum ſit diſcurſiua.
In hac autem alia, quæ pertinet ad cogni-
tionem ſingularium,nō vult per mediū ali-
quod acquiri huiuſmodi cognitionem. The
miſtius, & ipſe hanc partem explicans,ait,
ꝙ aliud eſt cognoſcere,& aliud diſcere. Nā
inquit,cognoſcuntur, quæ prius ſciuntur:
diſcuntur autem, quę prius nō ſciuntur, &
cognitio præcognitorum eſt diſciplina eo-
rum,quę ex p̄cognitis diſcuntur: ſtat autē,
inquit, ꝙ aliquis cognoſcens nonnulla, ſta-
tim etiam diſcat q̄dam alia, & ſunt ea, quę
ſub vniuerſali continentur, ipſa nempe ſin
gularia. Idcirco videtur dici poſſe,hoc loco
quaſi Parergon, & extra pręcipuum ſcopū
id afferri ab Ariſt. nempe contingere, vt
aliquis ſciens nonnulla, ſimul accipiat noti
tiam quorundam,quę prius ignorabat, nō
tñ per doctrinam,& diſciplinam, quæ tradi
tur medio diſcurſu:idq. dum ſine diſcurſu
agnoſcit aliquem ſingularem triangulū ha-
bere tres angulos ęquales duobus rectis,
quem latentē in manu alicuius prius igno-
rabat: adeo quòd cum primū eum conſpe-
xerit,& ipſum abſq. vlla probatione agno-
ſcit habere tres angulos ęquales duobus re
ctis, pręuia tñ de triangulo vniuerſali co-
gnitione. Quare differt hic modus cogno-
ſcendi ab illo priori, qui fit per probatio-
nem medij termini interuentu,iuxta ratio-
nem ſyllogiſticam adhibitam in ſcientijs:
cum hic alius modus fiat per detectionem
ſingularis per ſenſum habitā circa eiuſmo
di ſingularis perceptionem Et hęc quidem
eo tendunt, vt Menonis tollatur cauillus,
quo profitebatur aſtruere, quòd ſcire no-
ſtrum eſſet reminiſci, aut nullius rei eſſet
ſcientia. Quippe Menon aduerſus eum,qui
ex illa demonſtratione,qua apud Euclidem
probatur, omnem triangulum habere tres
angulos æquales duobus rectis, id de omni
triāgulo ſe ſcire profiteretur,hanc difficul
tatem ſubmouebat, quòd de omni triangu
lo id non agnoſceret, qm̄ latentem triangu
lum non cognoſceret:atq; ideo hinc contin
gere,vt idem ſimul ſciret, & neſciret: quod
cum abſurdum ſit, propterea ad ipſum eui
tandū,deducebat fateri oportere, quod no
ſtrum ſcire eſſet per reminiſcentiam, qua
in eius,quòd abſolute ignoratur, notitiam
peruenitur. Huic autem difficultati occur-
rens Ariſt.inquit,non eſſe inconueniens,vt
idem dicatur quodammodo ſciri, & quo-
dāmodo ignorari: veluti norit aliquis qua-
dā vniuerſali cognitione,quòd omnis trian
gulus habet tres angulos ęquales duobus
rectis,& id per demonſtrationem: Idem ve
ro ignorat de aliquo ſingulari triangulo, ꝙ
habeat prædictos tres angulos,inquantum
ignorat exiſtentem quendam triangulum,
de quo tñ,vt primum eius conſpectui offer
tur,ſimul etiam agnoſcit,(ſi eſt triangulus)
quòd & habet tres angulos equales duobus
rectis:idq. iuxta pręexiſtentem in ipſo vni
uerſalem de triāgulo cognitionem. De hoc

Cauillo Menonis eſt ſermo quoq; in lib. 2. Prior. Analyt. in cap. de deceptione ſecundum exiſtimationem. [margin: io.]

Quæcunq; ſingularia ſunt Quod magis explicat; ſubiugens, *& non de ſubiecto aliquo* ita. n. magis indiuidua vltima denotantur cum ēt per indiuidua ſpecies vltimæ indiuiſibiles in alias ſpecies ſignificari poſſint, quæ tñ de ſubiectis alijs indiuiduis prædicantur, indiuidua autem ſingularia de nullo ſubiecto dicuntur.

Ante vero quàm inductum ſit, aut acceptus fuerit ſyllogiſmus. Dixit antea Ariſt. quòd quorundam eſt cognitio ſine medio, nempe ſingularium ſub vniuerſalibus, contentorum: cui enunciatio videtur hoc loco contradicere, dum inquit, quòd antequã fiat inductio, aut accipiatur ſyllogiſmus, quodammodo nonnulla cognoſcantur, & quodammodo ignorentur. Atqui inductio fit per quędã, nempe per ſingularia, quibus probatur vniuerſale; ſyllogiſmo autem ſimiliter per medium terminum affertur demõſtratio. Quomodo igitur dixit antea Ariſt. ſine medio cognoſci ſingularia. [margin: Dub.] Dicendum, hanc cognitionem, quæ acquiritur de hoc vel illo triangulo, quòd habet tres ęquales angulos duobus rectis, nõ probari, ſed contineri ſub vniuerſali notitia habita de omni triangulo, quòd habeat tres angulos ęquales duobus rectis. [margin: Solut.] Verum, dum ſenſu percipitur quòd res latens in manu ſit triangulus: hinc ad præexiſtentem vniuerſalem cognitionem fit huiuſmodi inductio; dicendo, & id latens eſt triangulus, & conſequenter appoſita huius ſingularis inductione ad pexiſtentem vniuerſalem notitiam, quod omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, deſumitur quodammodo ſyllogiſmus, cõcludens de ſingulari triangulo, q & iſte habet prædictos angulos; nõ autem ꝓprie, aut fit inductio, qua ex enumeratione ſingularium vniuerſale colligitur: aut cõſtruitur ſyllogiſmus, quaſi medio quodã aſſumpto aliquid cõcludatur: prout exigitur in vero ſyllogiſmo.

Atqui ſciunt quidem cuius demonſtrationem habet & cuius acceperant per hæc, *cuius demonſtrationem habent*, innuitur cognitio exiſtẽs in docente, & per hæc alia, *cuius acceperant*, ſignificatur cognitio percepta à diſcipulo; Impugnat autem hoc loco Ariſt. modũ, quo nonnulli nitebantur ſoluere cauillum Menonis, dicentes ſe ſcire omnem dualitatem eſſe parẽ, quã ſciunt. Atqui, (inquit Ariſt.) nõ hunc in modum habetur demõſtratio, aut accipitur: ſed abſolute, & ſimpliciter affertur demõſtratio: vtputa, q omnia dualitas eſt par: neq; vlla propoſitio hunc in modum profertur; numquid ſciat aliquis oẽm dualitatem eſſe parem, quam nouit eſſe parem. Ex dictis colligitur, enunciatum illud in initio libri appoſitum de doctrina, & diſciplina diſcurſiua, omnino ita intelligendum, vt ſupponatur doceri, & diſci aliquid per medium, quo ꝓbetur id, quod docetur, & addiſcetur, ex præexiſtente cognitione. Siquidem poſtea deductum eſt de alio modo cognoſcendi, quòd eſt cognoſcere nonnulla ſine vllo medio, prout explicatũ eſt.

Cum autem in capite explicato hæc contineantur. In primis omnem doctrinam & diſciplinam diſcurſiuam fieri ex pręexiſtẽte cognitione. Deinde, q duobus modis neceſſe eſt pcognoſcere, tum quia eſt, tum quid eſt, de aliquibus vtrumq;, & de nonnullis alterum tãtum: Poſtremo quòd aliquorum cognitio percipitur ex notitia vniuerſali, ſub qua particularia cõtinentur; idq; ſine aliquo medio probationem inducente, & hinc ſolutus eſt Cauillus Menonis contẽdentis noſtrum ſcire eſſe reminiſci. Idcirco, quorum hæc dirigantur nunc eſt perpẽdendum. Itaq; Ioan Gram. cenſuit hęc eò tendere, vt aperiatur, ex quibusnam conſtet demõſtratio, nempe ex quibuſdam p-cognitis, & ob id interpretatus eſt, agi hic de pręcognitis. [margin: Io. Grã.] Cuius ſententia ita abſolute conſiderata has omnes patitur inſtãtias. Primo qm infra cap. 18. agit Ariſt. de pręcognitis, prout locum habent in demonſtratione. Vnde ſi & hoc loco id pręſtaret, bis de eodem ſuperuacanee tractaſſet. Secũdo quoniam cõfuſe hîc agitur de pręcognitis, infra vero exacte iuxta partes, in quas diſtribuitur demõſtratio ſecũdum ſubiectũ, paſſionis & principia; q & exponitur ſecundum nexum horum omnium in vna ſcientia inuicem cõuenientium; qui nexus non apparet in prędictis, cum vnitas (vt dictum eſt antea) nihil habeat cõmunem cũ triangulo, de quibus hic eſt mentio. Propterea infra de principio, dignitate nuncupato, habetur ſupponi debere, & quid eſt, & quia eſt. At hoc in loco de principio illo, quòd de quocunq; ęſt affirmare, aut negare verum, dicitur ſolum præcognoſci quia eſt. Accedit, quòd non videtur inferendum (vt infert Ioan. Gram.) q quia omnis doctrina fit ex pręexiſtente cognitione; ideo & demõſtratio, ſeu ſcientia demonſtratiua, cum ſit diſcurſiua, debeat fieri ex pręexiſtente cognitione; quando & ſcientiæ Mathematicæ, quæ adducantur ad probationem ſuppoſitionis, prædictæ ſint & ipſæ demõſtratiuæ; Vnde idem per idem eſſet probatam, quod pro maximo abſurdo cenſendum eſt. Themiſtius in fine huius capitis hæc habet: *Si quid igitur poſsibile eſt inuenire, & demonſtrare, ex ijs eſt manifeſtum.* [margin: Them.] Ex quibus verbis ſupponendum videtur, Themiſtium ita ſentire, q quæ hîc explicata ſunt, eò tendunt, vt auferatur opinio Platonis aſſerentis noſtrum ſcire eſſe reminiſci, quam Themiſtij ſententiam ſecutus eſt S. Thomas. [margin: S. Thom.] Verum, cum Themiſtius ex adductis in hoc capite hęc duo intulerit, poſſibile eſſe, tũ inuenire, tum demõſtrare, nõ apparet, vnde pendeat probatio, q liceat demõſtrare; ſicuti ex diſſoluta ambiguitate Menonis appararet, quòd licet inuenire per ſenſum, quæ prius laterent; de huiuſmodi enim inuentione habitus eſt ſermo. Quòd autem poſſibile ſit demõſtrare, nulla in verbis Ariſt. de hoc apparet facta ꝓbatio: niſi forte ita dicamus, quòd inducta, & cõfirmata ea ſuppoſitio, quòd omnis doctrina, & diſciplina diſcurſiua fit ex præexiſtente cognitione, necnon in genere expoſiti modi pręcognoſcendi tanquam enunciata quędam ab om-

nibus admittenda, deseruiunt ad doctrinã in his libris traditam de scientia demonstratiua;tum vt habeatur, hanc quoq. doctrinam ex quibusdam suppositionibus cõstrui,veluti ex ijs,quid nam sit scire,& quid sit demõstratio: ex quibus deinde ita pręmissis cõtexitur,& comprobatur, quicquid cõsequitur ad scientiam demonstratiuam: tum vt accipiatur,tanquam manifestum, ꝙ demõstratio cõstat ex propositionibus notioribus conclusione, vti iam præcognitis, & iuxta modos hoc in capite expositos p̄cognitis:tum deniq. ac pręsertim ad infringendum eorum falsam opinionem, qui nullius rei scientiam esse asserebãt: propterea quòd omne,quod scitur, innotescere dicerent oportere ex aliquo notiori: quare, & hoc ex alio: Vnde, aut in infinitum procedẽdum esset,quod est absurdam dicere: aut nihil sciri inferebant, quia ex notiore non dignosceretur:Quorum sententia infringitur ex suppositione in hoc capite inducta, & cõfirmata, quod omnis doctrina discursiua,ex pręexistente cognitione cõstituitur, adeo vt sit in omni scientia deueniendum ad quædam immediata principia maxime nobis nota: quæ deinde quomodo sine demonstratione nota fiant, explicatur in fine libri sequentis. Vnde secundum hanc considerationem a nobis inductam, posset dici,a Themistio inferri potuisse,manifestum esse ex dictis in hoc capite, quòd licet demonstrare. Aut forte rectius dicendum, ex p̄dictis in hoc primo capite subministrari modum, seu rationem, qua deducatur,demonstrationi locum esse:dum ex p̄dictis obtinẽtur modus occurrendi difficultatibus, quibus nonnulli niterentur demonstrationem de medio tollere. Quòd vero subinductum est de cognitione singularium sub notitia vniuersali contentorum, quę quodammodo sciuntur,& quodammodo ignorentur: dicẽdum est,id quasi parergon,& occasionaliter ad pręedicta inductum esse,vt tolleretur ambiguitas Menonis cõtendẽtis, quòd nostrũ scire esset reminisci; ex quo potuit inducere Themistius, quòd licet inuenire: Addamus,& quòd de nouo notitia acquisita non erit per reminiscentiam,sed alio modo, vt explicatum est;sed & illud nõ est prætereũdum, non solum singularium latentium, & non cognitorum posse accipi cognitionem ex vniuersalium cognitione: verum etiam ex singularibus nos manu duci ad inuẽtionem, & constitutionem vniuersalium propositionum, quæ ex singularibus manifestẽtur dum penes id adhibitum sit studium ab hominibus scientiam perquirentibus. Et de hac inuentione meminit Arist. in Proęmio Met. vbi ait, sapientes appellatos illos, qui præter communes sensus aliquid inuenerunt, cognitum tñ ab ipsis ob experientiam de singularibus desumptam, vt hunc in modum artes, & scientię omnes constituantur.

li. 2. Post. c. 18.

li. 1. Met. c. 1.

Quid sit scire, & quid demonstratio.

VT autem scientiæ demonstratiuæ doctrina, quæ & qualis sit recta rõne tradatur, prius supponendum, & explicandum est, quid sit demonstratio. Vnde,cum ad essentiam demonstrationis attineat scientia, tanquam opus ex demonstratione eliciendum, ad quod etiam dirigitur; idcirco de hoc opere a notione finis initium sumendę, in primis aperiendum est,quid sit scire:id autem ex cõmuni hominum sententia desumendum est. Itaq; dicimus homines opinari tunc se scire vnumquodq; simpliciter, idest secũdũ se, & proprie, vt se res habet, & non sophistico modo (quod est secundum accidens scire, & per aliud) cum opinantur sese cognoscere causam propter quã res est, ꝙ rei illius sit causa in quam refertur; & ꝙ non contingit illud quod scitur aliter se habere. Et quidem ꝙ aliquid huiusmodi sit scire,hinc nobis debet esse manifestum; qñ omnes in hanc explicationem consentiunt, tam, qui ignorant, quam qui re vera sciũt. Etenim & ignorantes p̄dicto modo haberi scientiam autumant, & qui sciunt, scientiam vtiq; obtinent iuxta modum assignatum. Ex dictis autem deducitur hoc cõsectarium,quòd cuius simpliciter est scientię,id impossibile est aliter se habere.

Siquidem igitur sit & alius modus sciendi iuxta assignatam sciẽtiæ definitionem, infra explicabitur. Dicimus autem & per demõstrationem sciri. Demõstratio autem est syllogismus scientificus; Scientificus autẽ intelligitur, per quem in ipso habendo, scimus. Quare, si scire est, quale constitutum est necesse est etiam scientiã demonstratiuam constare ex ve-

ris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis cõclusionis; quæ quidem ita se habẽtia, erunt etiam propria principia eius, quod demonstratur: siquidẽ absq; enumeratis conditionibus erit syllogismus; at non demonstratiuus, ille nempe syllogismus, qui scientiam pariat, qualem supposuimus ex demõstratione prouenire scientiam.

Adnotationes.

Scire autem arbitramur. Quod initio huius libri enunciauit Aristoteles tanquam cõmune omni doctrinæ discursiuæ, quòd cõstituatur ex pexistente cognitione, hoc idẽ ipse obseruat in hac scientię demõstratiuę tractatione. Etenim, cum demonstratio sit quędã species syllogismi, ideo ab alijs speciebus syllogisticis erat essentiali quadam, & propria differentia distinguenda, quod qui præstatur per scientiam, ex demonstratione cõparandam. Vnde prius oportet supponere, & præcognoscere quid sit scientia, vt ita ex notitia operis, seu finis, ad quem dirigitur demonstratio, quadam animaduersione detegantur, seu inueniantur, ea, quæ ad demonstrationis constitutionem requiruntur: adeo vt huius doctrinæ initium a resolutiuo docendi ordine sit sumendum, prout cõuenit obseruare in earum rerum tractatu, quibus alicuius operis finis est pstitutus. Quid autem pro scientia intelligẽdũ sit, qualeue sit esse ipsius, desumit Arist. ex communi hominum sententia; cum omnes eodem modo scientiam acquiri opinentur, tam scientes, quàm insipientes. Verum hic statim sese affert nõ dissimulanda dubitatio. Nam si (vt statuit Themistius in suæ Paraphrasis, commentarijs perfecta edisserẽs demõstratione, & est vulgata in scholis auctoritas) scientia demõstratiua non se submittit ad mensuram ingenij nostri: sed rectam tenet ad veritatem viam: hinc videretur dicendum, quòd scire; quod ex demõstratione percipitur, nõ debeat ab hominum opinione pendere; atq; ideo perperam factum esse ab Arist. qui definitionem scientiæ ex humanæ mentis opinatione cõstituerit, ita edisserẽs; *scire autem arbitramur*, & quę sequuntur: sed & subiungens, consentire tum scientes, tum nescientes in hanc, quam affert de scientia descriptionem, maiorem etiam præbet dubitandi difficultatem, qm ex insipientium quoq; arbitratu adducta, de scientia definitionem intenderit confirmare. Cui dubitationi occurrentes dicimus, aliud esse dicere quòd harum, vel illarum rerum determinata quędã sciẽtia obtineatur per demonstrationem simpliciter dictam, iuxta eas cõditiones, quæ ad ipsam astruendam requiruntur, & quòd res ita se habere ex ingenio humano pendere debeat, quod negat Themistius, & merito, qñ non ex hominum opinione, sed ex ipsa rerum natura pendeant, quę ipsis insunt, quarum naturam ipsa insequitur demonstratio, quam tñ naturam, & a sapientibus, & si nõ a quocunq; studio ab ipsis adhibito circa veritatis inquisitionem, agnosci posse nõ est inficiandum. Aliud vero est dicere, & supponere generatim, & in abstracta quadam a rebus ipsis animaduersione, aut fit hoc loco, quòd scire simpliciter hoc, aut tali modo obtineatur, & in nobis ingeneretur: quòd quidem, cuiusmodi esse debeat, cum de scientia agatur, quę ad humanum pertingit intellectum, vtiq; nullo alio perpendiculo, quàm ex ipsorummet hominum iudicio communiq. sententia statuendum erat: prout cõstituit Arist. consentientibus tam sapientibus, quàm insipientibus in vnam, & eandem de scientia opinionem.

Dubit. Themist.

Solut.

Vnumquodq; simpliciter. Cum ait, homines opinari se scire quodq; simpliciter, hinc denotat Arist. & alio modo quàm simpliciter aliquid sciri, seu cognosci posse. Et vt hoc dignoscatur discrimen, aduertendũ est, hac dictione simpliciter denotari perfectam, & numeris omnibus absolutam scientiam; adeo quòd nõ secundũ quid scientia habeatur, aut quodammodo, sed proprie, & vndequaq. perfecte. Vnde per hęc verba: *sed nõ sophistico modo, quod est secũdum accidens*; excluduntur a perfecta, & simpliciter accepta scientia, tum sophistorum falsæ, & deceptoriæ ratiocinationes, tum in genere omnis modus sciendi ex veris etiam propositionibus conflatus, qui rem ipsam secundũ se, vt potest ostendi, nõ persequitur, neq. manifestat: adeo quòd, & demõstratio a posteriori habita per signa, a descripta sciendi suppositione exploditur, tanquam modus sophisticus, qui scientiam secundum accidens efficiat: propterea quòd nõ demonstrat per causam, per quam simpliciter, & secundũ se scitur: prout statuit infra Arist. vbi distinguit demõstrationem simpliciter nuncupatam largiẽtem propter quid ab ipsa demonstratione dicta. Quia. Et qm sophistæ versantur circa accidens, & iuxta illud suas astruunt falsas, & apparentes ratiocinationes, vt patet ex lib. Elenchorum, & ex ijs, quæ habentur in lib. 6. Metaph. hinc modus omnis cognoscendi alienus a modo simpliciter sciendi, qm scientiam per se non pbeat; Sophisticus hoc loco nominatus est ab Aristotele.

li. 1. Post. c. 10.

li. 6. Met. c. 2.

Cum causam existimamus cognoscere propter quam res est, quòd illius causa est. Id habet, quòd homines aliquid se scire tunc opinantur, qñ existimant sese cognoscere causam pter quam res est, quòd eius sit causa, adeo quòd requiritur, tum hoc, vt cognoscatur causa propter quam res est: tum hoc aliud, vt sciatur, quòd inducta causa in rem, cuius est causa, recte referatur, & nõ in alienam, cuius non sit causa. Adnotandum autem, cum sint quattuor genera causarum, & possint omnes, vel plures causæ assumi in de-

demõſtratione, non ob id tñ impediri, quin ſcire pendeat ex cognitione cauſę, propter quam res eſt, prout definitum eſt ſcire: quñ vnaquæq. cauſa, ſit vel formalis, vel efficiẽs, vel materialis, vel finalis, ſicuti alicuius rei eſt cauſa, ita quoq. ſcientiam facit de re eo modo, vt harum ſingula cõcurrit ad rei conſtitutionem.

Et non contingere hoc aliter ſe habere. Altera eſt conditio pertinens ad ſcientiam ſimpliciter dictam, vt, quod ſcitur ſimpliciter, nõ poſſit aliter ſe habere. Et hinc proprie denotatur conditio rei ſcitæ, quę ſupponitur immutabilis. Nã ſi aliter ſe habere poſſet, caderet ab ea ſcientiæ conditione, quæ ex hominum communi ſentẽtia eiuſmodi ſupponitur, vt non contingat aliter ſe habere id, quod ſimpliciter ſcitur.

Planum igitur quod tale aliquid eſt ſcire. Suppoſitio facta, & explicata circa ipſum ſcire, ex hominum communi cõſenſu deſumpta, non eſt expreſſe formalis ſciẽtię definitio, quæ tñ ex præhabitis conſtrui poteſt maxime vniuerſalis, & abſtracta, quam & Ariſt. innuit perfici poſſe, dum dixit, *quod igitur tale aliquid eſt ſcire*. Ac ſi dixiſſet, ex dictis aſtrui poteſt ſcientiæ definitio. Vnde in vanum dubitant nõnulli circa aſſignationem traditam de ipſo ſcire; ac ſi exactam definitionem ipſius ſcientiæ cõtineret, quod infiçiamur. licet ex allatis extrui poſſit de ea huiuſmodi formalis definitio.

Scientiæ definitio.

Scientia ſimpliciter dicta eſt cognitio cauſæ propter quam res eſt, quòd ſit eius cauſa; adeo vt quod ſcitur, non poſſit aliter ſe habere. In qua definitione aduertendum, cognitionẽ pro genere ſumptã eſſe, vt quæ poſſit etiã haberi ſine cauſa, & de rebus mutabilibus, & nõ ſolum ſecundum cauſam, & de rebus immutabilibus. Ex eo aũt quòd requiratur in ſcientia ſimpliciter dicta cauſæ cognitio, hinc diſtinguitur cognitione, qui per effectus, atq; ſigna habetur. Per illud vero, *quod illius cauſa*, diſtinguitur ſcientia ſimpliciter dicta, ab illa cognitione, quæ interdũ habetur per cauſam, ſed non per eam, quæ ſit ꝓprie cauſa rei, cuius aſſignatur, vt cauſa. Per illam vero particulam, *& non contingere hoc aliter ſe habere*, denotatur ſcientia rei immutabilis, vt hinc diſtinguatur ſcientia ſimpliciter accepta a cognitione, quæ habetur de rebus mutabilibus; quæ poſſunt eſſe, vel res aliquæ naturales, quæ vt in plurimis fiant; vel operationes circa artes, uel actiones a prudentia, & ab humano cõſilio prodeuntes. Vnde ſcientia ab artibus, & a prudentia diſtinguitur, quæ nõ verſantur circa cognitionem eorum, quæ aliter ſe habere non poſſunt. Et propterea infra docet Ariſt. quòd quæ ſciuntur per demõſtrationes, ſunt neceſſaria, & ex neceſſariis principijs demonſtrantur; & quòd corruptibiliũ nõ eſt ſcientia, neq; definitio; quod etiam in lib. 7 Met. eſt.

li. I. Poſt. c. 6.
li. 7. Met. c. 15.

Quare cuius ſimpliciter eſt ſcientia, hoc impoſſibile aliter ſe habere. Quorſum hæc illatio ſit prolata, nõ ita perſpicue (vt poteſt deſiderari) explicant interprętes.

S. Thom.

S. Thomas, inquit deduci ex dictis corrolarium, ꝙ illud de quo ſimpliciter eſt ſcientia, oportet eſſe neceſſarium; At quorſum hoc? ſi id ipſum prius etiam inductum eſt, dum dictum eſt; *& quod ſcitur, nõ contingere aliter ſe habere*

Auer.

Auerroes interpretatur hanc illationẽ cõtendere ad denotandum, quod nõ poſſit alio modo haberi ſciẽtia alicuius rei, quàm per cauſam; & ideo hinc ſubnecti; *Si igitur, & alter eſt ſciendi modus, poſterius dicetur*: nempe qui non ſit per cauſam. Nobis autem videtur definitio ſcientiæ ſimpliciter accepta: ita poſſe conſtitui, & ordinari ducendo, ꝙ ſcientia ſimpliciter eſt rei, quam non cõtingit aliter ſe habere, quñ eius cauſa cognoſcitur, ꝙ ſit illius cauſa. Et quñ dictum eſt, nõ contingere aliter ſe habere, qđ ſcitur; vt id magis manifeſtaret, ſubintulit Ariſt. *Quare quod ſcitur impoſſibile aliter ſe habere*. Etenim ad hoc, nõ contingit aliter ſe habere, quod prius illatum eſt, cõſequitur, ꝙ idipſum ſit impoſſibile aliter ſe habere; prout explicatum eſt in lib. Perhiermenias circa modales propoſitiones: ſed & hanc protulit illationem Ariſt. nempe ꝙ id, qđ *ſcitur impoſſibile eſt aliter ſe habere*, quñ hinc prolixum poſtea eſt contexturus ſermonẽ de ſcientia demonſtratiua.

li. Perih: Sect. I.

Si igitur, & aliter, eſt ſciendi modus, poſterius dicemus. Hunc alium modum ſciendi vult Auerroes (vt dictum eſt antea) eſſe illũ, qui nõ eſt per cauſam, & intelligit definitionẽ, ſecundum quam res incomplexæ ſciuntur. S. Thomæ, intelligit ſcire per effectum. Io. Gram. refert ad cognitionem principioru immediatorum, quæ nõ per cauſam: ſed ex ſe ipſis cognoſcuntur. Themiſtius habet, alios eſſe modos proprie ſciendi, vt eſt ſpeculatio per definitionem, & acceptio principiorum indemonſtrabilium. Vnde Ioan. Gram. ait, ſciẽtiam in plus ſe habere, quàm demonſtrationem; & ideo nõ eſſe ſermonẽ hoc loco de ſcientia generica: ſed de quadã ſpecie ſcientiæ; nempe de ea, quæ habetur per demonſtrationem. At cum Ariſt. paulo poſt hæc habeat; *Si itaq; eſt ſcire vt poſuimus*. Hinc apparet innui, quòd prius ſcire ſimpliciter in genere explicauit eo modo, vt eſt, & poteſt eſſe. Vnde exploditur omnino modus cognoſcendi ab effectu. Et hinc colligitur, ſcientiam in genere fuiſſe definitam, vt etiam competit definitioni. Quòd autẽ cognitioni principiorum non poſſint proprie aptari verba prædicta de alio modo ſciendi, colligitur ex deductis ab Ariſt. in fine libri ſequentis; vbi concludit, non ſolum demonſtrationem nõ eſſe poſſe principiorum; ſed neq; ſcientiam, ſed alio modo cognoſci principia: ita. n. habet loco citato, *ſcientia autem, cum omnis, cum ratione ſit principiorum quidem vtiq; ſcientia non fuerit* Itaq; cum dicat Ariſt. hoc loco; *Si igitur & alter eſt ſciendi modus poſterius dicemus*. Et ſubiũgit, *Dicimus autem & per demonſtrationẽ cognoſcere*. Statuens modum ſciendi per demonſtrationem, qui eſt per cauſam; ſupponit poſterius a ſe explicatum iri, num præter demõſtrationem, ſit & alius modus ſciendi per cauſam; adeo quòd eadem definitio ſciẽtiæ iam explicata retineatur, & non alia perquirenda ſupponatur, et id quidem pręſtabit Ariſt. in lib. ſequenti, docens ex definitione

Auer.
S. Thom.
Io. Grã.
Them.
lib. Poſt. c. 18.

tione completam ſcientiam eandem obtineri, quæ etiam habetur per demõſtrationem, quamuis poſitione terminorum inuicem differant. Cum autem dicat; *dicimus autem & per demonſtrationem cognoſcere*. Hac dictione *cognoſcere* inſinuauit, quòd ipſa cognitio vniuerſaliter accepta, eſt magis generalis quàm ſcientia.

Demonſtrationem autem dico ſyllogiſmum ſciẽtialẽ. Affert demonſtrationis deſcriptionẽ, ꝙ demõſtratio eſt ſyllogiſmi ſciẽtialis Græce; ἐπιστημονικὸν, *ideſt faciẽtem ſcire*. Adeo ꝙ in hac deſcriptione pro genere ſtat ſyllogiſmus, cuius vna ſpecies eſt dialecticus, alia ſophiſticus, & alia demonſtratiuus, qui diſtinguitur ab alijs ſpeciebus hac differentia, vt ſit ſcientialis iuxta explicationem ante traditam de ſcientia, & quomodo efficiatur ſcientialis, Ariſt. exponit, ſubdens, *ſcientialem autem dico ſecundum quem, eo quòd ipſum habemus ſcimus*. Quæ verba explicans

S. Thom,

S. Thomas, inquit, hæc addita fuiſſe, ne forte aliquis ſyllogiſmum ſcientialem intelligeret, quo aliqua ſcientia vteretur. Verum forte aptius ad verba explicaretur, dicendo demonſtrationem eſſe ſyllogiſmũ ſcientialem; vti eum, quo, ſi ipſum habeamus, & teneamus, ſcimus. Etenim, ſi demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, vtiq; qui talẽ ſyllogiſmum facit, is proculdubio ſciet per demonſtrationem. Hinc forte etiã innuẽs, quòd ſciẽtia non ſit ingenita in anima, quę per reminiſcentiam exerceatur, vt fuit opinio Platonis; ſed extrinſecus in nobis ex induſtria atq; ſtudio noſtro ingeneratur. Adnotandum autem hãc de demonſtratione explicationem non eſſe completam; licet ex ea deduci poſſit perfecta definitio. Vnde dicimus, hac particula, *ſcientialem*, cõtineri formalem definitionem demonſtrationis; cui deinde pars alia, nempe definitio materialis, erit adiungẽda; quæ elicitur ex formali definitione, dum infra exponetur, quòd demonſtratio debet conſtare, ex veris, primis, immediatis, & reliquis quæ ſequuntur. Sed cum definitio aſſignata demonſtrationis ex duabus his particulis cõſtet, quòd *ſit ſyllogiſmus ſcientialis*. In qua definitione, citra omnem difficultatem, ſyllogiſmus habet rationem generis, particula autem *ſcientialis*, ſtat pro differentia. non ignorandum eſt, aliquos aſſeruiſſe hanc dictionem *ſyllogiſmum*, formæ rationem obtinere, materiæ vero particularem illam aliã *ſcientia*, omni idq; qm̃ in Prioribus Analy. de ſyllogiſmo actum ſit ſeorſum ab omni rerum determinata conſideratione; cui ſubſequi dicunt materiæ tractatum reſultãtis ex conditionibus, quę demonſtrationi cõueniat: quemadmodum etiam (inquiunt) in arte factis formam, ſeu figuram quandam præcedere, quæ poteſt eſſe communis pluribus inſtrumentis ex diuerſa materia confectis; veluti menſa conſtructa ſub figura circulari, alia lapidea, alia lignea, & alia ærea conſtrui poteſt. Quorum ſententia minime nobis probatur: cum ex aduerſo palã

Porph.

refragetur doctrina Porphyrij in tractatu differentiæ vbi ſupponit, & ſtatuit, in omnibus, quæ ſint compoſita ſiue ex materia, & forma, ſiue ex habentibus propoſitionẽ materiæ, & formę, genus ſemper habere rationem materiæ, differentiam vero concurrere pro forma. Vnde, cum ſyllogiſmus ſit genus tum Demonſtratiuę, tum Dialecticę, tum Sophiſticæ ratiocinationis, tunc dicendum eſt, ipſum habere rationem materiæ, vt qui ſub vna potentia communi (ad modum materiæ) contineat, ſpecies omnes determinatas ſyllogiſmorum; ac conſequẽter, differentiæ, quæ conſtruitur, aut demonſtratiuus ſyllogiſmus ex ꝓpoſitionibus neceſſarijs, aut dialecticus ex probabilibus, aut ſophiſticus ex apparentibus, rationem formę ſyllogiſmum compoſitum conſtituẽtis obtinebit. Quod ſimiliter de omnibus arte factis, aſſerendum videtur. Nam, ſicuti in materia naturali (vtputa in corpore) carnis differentia limitat corpus, quod pluribus rebus eſt commune, vt genus; ita quoq; de arte facto, veluti de mẽſa ſub figura circulari conſtituta dicendum eſt, id ipſum vt quiddam commune limitari ad varias ſpecies, ex pluribus, & varijs differentijs, quæ ſibi aſſocientur conſtitutus adeo vt alia mẽſa cõſtruatur lapidea, alia lignea, alia ęrea, ſicuti variæ quoq. diſpoſitiones exiguntur pro conſtruendis ijs diuerſis menſę ſpeciebus. Quare, quòd menſa conſtrui poſſit ex lapide, ligno, & ære, quę ſunt res inter ſe diuerſæ, non propterea hinc inferendum, (vt multi ſentiunt) ꝙ lapis, aut lignum, aut æs, ſint accipienda tanquam differentiæ circa menſarum conſtitutionem: ſed dicimus, materiam, veluti lignum, pręcedere tanquàm genus, cui aduenit actus, tanquam forma limitans materiam; nempe illa propria diſpoſitio, quę requiritur pro conficienda in ligno menſa: quę ſane differt a diſpoſitione formę in lapide introducendæ, vel in ære. Quod autem mẽſa ſub figura circulari conſtituatur, penes quaſq. diſpoſitiones, in ære, aut in lapide, aut in alia re effectus, id accidens quoddam eſſe dicimus, conſequens ad eſſentialem: cuiuſq. menſæ conſtitutionem, & ad pdictas varias diſpoſitiones, quę differentię eſſentialis rationem obtinent. Et de hoc etiam actum eſt a nobis in adnotationibus noſtris editis in lib. 8. Metap.

li. . Met c. 3. Queſt.

Dubitabit autẽ aliquis non immerito, quo hoc in loco definita ſit demonſtratio per ſcientiam cum in lib. 6. Eth. ſcientia definiatur per demonſtrationem, dum dicitur ꝙ *ſcientia eſt habitus demonſtratiuus*. Ad hoc dicendum, ꝙ demonſtratio efficit ſcientiam, & ideo in lib. 6 Eth. ſciẽtia, eſt definita per cauſam ſui efficientem, dicendo, quòd eſt habitus demõſtratiuus, ac ſi diceretur, ſciẽtia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitu: hic vero definitur demonſtratio, vt eſt effectiua ſcientiæ, dum dictum eſt, ꝙ eſt ſyllogiſmus ſcientificus, ideſt faciens ſcire, adeo ꝙ differẽtia hęc *ſcientialis* appoſita hoc loco in definitione demonſtrationis, importat efficientiam ſcientię *habitus vero demonſtratiuus* appoſitus in definitione ſciẽtię in lib. 6. Eth. importat habitum in anima effectum per demonſtrationem, vt ita inuicem ſibi reſpondeant ſcientia, & demonſtratio. Vnde probe. Ioan. Gram. habet hoc loco, ꝙ

li. 8. Eth. c 2. Solut.

Io. Grã.

ſcien-

scientia est terminus demonstrationis, & habitus ex ipsa scientia factus in anima: demonstratio vero est via per quam talis fit cognitio. Quòd autem addit, quòd scientia est magis vniuersalis, quàm demonstratio: qm̄ datur etiam scientia principiorum, non autem demonstratio, id aduersatur doctrinę Arist. in fine libri sequentis; vbi (sicuti explicatum est antea) statuit principiorū proprie non esse scientiam. Non est autem inficiendum, quin quodāmodo scire sit magis vniuersale, quàm scire per demonstrationem ad hunc sensum; quoniam etiam alius sit modus sciendi, nempe per definitionem, quatenus definitio positione terminorum differt a demonstratione, vti dictum est antea, & patebit ex libro sequēti.

Ex quibus constare debet sciētia demonstratiua.

SI igitur scire est, quale constituimus, vt in eo cōtineatur cognitio causæ, propter quā res est, vt nō possit quod scitur, aliter se habere, hinc igitur deducitur, ad habendam huiusmodi scientiam per demonstrationem opus esse assumere principia, quę vera sint, & prima, & immediata, & notiora, & priora, & causæ conclusionis: ita.n. erūt etiam propria principia eius, quod demonstratur. Et syllogismus quidem sine his cōditionibus cōstrui potest: at non demonstratio, quæ alioquin non efficeret eam sciētiam, quam ex ipse prodire constitutū est. Quòd autem quæ adnumerata sunt, ad scientiam demonstratiuam requirantur, facile ex præhabita de ipso scire suppositione deduci potest. Etenim in primis quòd vera debeant esse, quæ assumuntur ad demonstrandam conclusionem, hinc debet esse perspicuum, qn̄ non ens, idest id, quod falsum est, sciri nequit; qm̄ quod scitur, ideo scitur, qm̄ ipsius causa scitur propter quam est; non entis autē non potest esse causa; alioquin esset id, quod non esse supponitur.

Ex primis etenim indemōstrabilibus constabit scientia demonstratiua: Nam si essent demonstrabilia ea, per quæ habetur demonstratio, vtiq; non nisi per demonstrationem, eorum scientia haberetur, cum scire ea, quorū est demonstratio non secundum accidens, in hoc positum sit, vt habeatur horum demonstratio Vnde per alia priora demonstrarentur, & ita hæc alia ex alijs prioribus in infinitum. Vnde si sunt prima, oportet vt sint etiam indemonstrabilia.

Ad hæc oportet, vt adsint causæ, quę & priores sint, & notiores. Causæ quidem, qm̄ dicimus cum causam cognoscimus: sed & has priores esse oportet, qm̄ inquantum sunt causæ: sunt etiam priores illis ipsis, quorum sunt causæ: sed & quæ assumantur pro scientia demonstratiua, pręcognita esse debent: non solum eo modo, quatenus intelligitur quid sit aliquid, verum etiam illo alio modo, quatenus sciatur, quòd sit, & vere quidpiam sit. Verum aduertēdum est, priora, & notiora duobus modis posse considerari: Siquidem, quod prius aut notius est natura, non idem est etiam prius, aut notius nobis. Nam apud nos illa intelliguntur priora, & notiora, quæ sensui sunt proximiora. Simpliciter autem & natura priora, & notiora sunt ea, quę longius absunt a sensus perceptione. Et quidem lōgissime absunt a sensu ea, quæ sunt maxime vniuersalia: propinquissima vero sensui sunt ipsa singularia; & mutuo hęc opponūtur, vt non simul coeant: sed inuicem l ngo inter se interuallo disterminentur, ipsa nempe maxime vniuersalia, & singularia.

Ex primis etiam debet constare scientia demonstratiua. i. ex proprijs principijs; idem.n. supponitur esse primum, & principiũ. Est autem principium demonstrationis propositio immediata. Immediata autem est illa, qua non est altera prior. Propositio vero est enunciationis altera pars vnũ de vno significans. Dialectica q-dem illa, quæ vtramuis partem enunciationis assumit in ratiocinando. Demonstratiua vero illa, quæ determinata est ad alteram tantum partem enunciationis, ad illam nempe, qui vera est. Enunciatio vero est contradictionis vtraq; pars: & quidẽ contradictionis pars illa quæ continet aliqd de aliquo, est affirmatio: quę vero tollit aliquod ab aliquo, est negatio.

Cæterum principij immediati syllogistici dicitur positio, illa, quam non est demonstrare, neq; necesse, est teneri ab eo, qui sit docendus, quod vero necesse est haberi ab eo, qui sit docendus, dignitas nuncupatur: sunt.n. nonnulla, de quibus huiusmodi nomen maxime consueuimus proferre, quoniam sint principia maxime digna, quibus fides adhibeatur.

Positionis autem illa, quæ vtrãuis partem assumit contradictionis, vtputa, quæ enunciat aliquid esse, aut non esse, dicitur suppositio: quæ vero est sine hac conditione, est definitio. Siquidem definitio est quidem positio: ponit.n. Arithmeticus, vnitatem esse quid indiuisibile secundum quantum: Non autem definitio est idem, quod suppositio, qñ non est idem supponere vnitatem esse, & ponere quid est vnitas,

Adnotationes.

E*x primis, & immediatis*. Non sunt coniuncta simul hoc loco *prima & immediata*, sicuti paulo post vniuntur inuicem, *prima indemonstrabilia*. Nam hic per *prima* intelliguntur principia de quibus postea agitur. Per *immediata* autem intelligũtur ipsa indemonstrabilia, quæ deinde vt quædã prima considerantur, & explicantur, & pos sunt esse vel immediata, absolute carentia medio; vel immediata respectu rei demonstrandæ, inter quam, & inter propositionẽ, per quam demonstretur, nullum cadat medium; sicuti luculentius de hoc infra erit sermo.

Sic.n.erunt & principia propria Idest, si accipiantur principia, quæ sint causæ, & priora, & notiora conclusione, oportebit, vt & hæc sint propria principia eius, quod demonstratur.

Quoniam non est non ens scire. Et cum subdatur exemplum de diametro, quòd sit cõmensurabilis, quod falsum est; hinc colligitur falso illos opinatus esse, qui per *non ens* intellexerunt nõ ens incomplexum: aduersus quos pugnat exemplum adductum de diametro quòd sit commensurabilis, quod manifeste sub oratione complexa continetur, circa quam proprie verum, & falsum consistit. Vnde Ioan. Gram. ait, hoc loco [Io. Grã.] per *non ens* falsum intelligi. Cum autem ex falsis propositionibus possit etiam sequi verum vt in lib.2. Prior Analyt. declaratum [lib.2. Prio. c.2.] est; sciendũ, id non posse contingere in demonstratione simpliciter accepta, quæ dicit propter quid: licet in alia dicente, quia est, id possit esse; vt in loco citato ex Prior. Analyt. asserebat Arist. & quare nõ possint in demonstratione simpliciter dicta propositiones esse falsæ, vt ex illis verum simpliciter deducatur, infra, vbi erat sermo de necessarijs propositionibus, quæ requiruntur in demonstratione, proprius erit locus cõsiderandi. Interim autem afferamus id, quod habet Themistius in hoc loco; nempe, quòd [Themist.] sequeretur, quòd ex necessitate aliquis existimaret illud esse, quod non est; si propositiones possent esse falsæ in scientia demonstratiua, cum ipsa necessitatem essendi, & cognoscendi inferat. Aduertendum autem non tolli ex dictis quin nõ ens sciri possit: non sciri quidem quòd sit: sed quod non sit, vt etiam adnotauit Ioan. Gram. eritq. huius- [Io. Grã.] modi cognitio non per causam, neq. propriæ per demonstrationem: sed cõflata ex nonnullis repugnantibus ad ea, quæ in perspicuo sunt, & ab omnibus recepta: veluti est disputatio habita ab Arist. in lib.4. Physicorum, quòd non sit vacuum.

Ex primis autem indemonstrabilibus. Hęc simul coniunxit Arist. quoniam possent esse aliqua indemonstrabilia, quæ tamen non sunt prima; veluti sunt indiuidua, & orationes secundum accidens. Et cum sit sermo de ijs, ex quibus constat scientia demõstratiua, vtiq. oportet, vt sint principia, ex quibus demonstratio astruitur. Verum hoc loco *per prima indemonstrabilia* significatur id,

quod

quod supra per particulam *immediata*, intelligebantur: nempe ꝙ in demonstratione debent esse ea prima, quę non habent mediũ, quo possint demonstrari. Quod ita accipiẽdum est, ꝙ scilicet in vnaquaq. scientia demonstratiua sunt supponẽda nonnulla principia absolute ita immediata (in illa saltem scientia, in qua adhibentur) vt non habeant vllum superius mediũ, quo possint demonstrari: cum deinde inferiores quoq. propositiones dici possint immediatæ, relatæ ad problema, quod ex illis ostenditur: propterea quod non cadat medium inter ipsas, & problema: vt colligitur ex ijs, quæ docet infra Arist. agens de elementis, seu propositionibus in demonstrationibus assumẽdis. Verum & hoc est aduertendum, ꝙ principia, quæ in quauis scientia simpliciter, & absolute sunt immediata, & indemonstrabilia, tanquam prima, sunt etiam communia tam inferioribus demonstrationibus in eadem scientia astruendis, vt & hę demonstrationes posteriores, ex illis absolute immediatis, & primis principijs, quibus subalternantur, constitui dici possint quòd expresse significauit Arist. in lib. 1. Top dum ait, ꝙ *demonstratio est syllogismus constans ex veris & primis, aut ex talibus quæ per aliqua vera & prima eius, quę circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt*, quod & subalternis scientijs conuenit relatis ad superiores.

li. 1. Post. c. 19.

li. 1. Top. c. 1.

Et præcognita. Hæc dubio non fuit apposita in enumeratione eorum, quæ requiruntur in demonstratione: sed ibi id tantummodo dictum est, quòd demonstratio constare debet ex notioribus quàm sit conclusio. Verum dicendum est, quòd, vbi notius aliquid reperitur, cognitio etiam præexistẽs supponitur. Idcirco optime dicit Arist. ꝙ demõstratio constituitur ex *præcognitis*, idest ex nonnullis quorum præexistit notitia: quæ duplex est, tum vt cognoscatur q̃d de illis sit intelligẽdum, tum vt supponatur, ꝙ re vera sint, quę præaccipiuntur. De q̃bus aũt Arist. id intelligerit, Themistius, & Io. Gram. referũt ad dignitates: quas impugnat Toletus, inquiens de dignitatibus solum, quia sunt, esse præcognoscẽdum. Quod dictum Toleti falsum manifeste deprehenditur ex ijs, quæ infra habet Arist. vbi tractans de principijs, in uniuersali supponit de ipsis, vtramq; pręcognitionem habendã esse, & quia est, & quid est. Verum ad propositiones complectẽtes causas magis etiã accommodate hæc referri possunt; cum & ea, de quibus est sermo, sint causæ demonstrationi conuenientes. *Et priora*. Ad dictũ est antea, ꝙ quæ requiruntur in demonstratione, debent esse *prima*. Quorsum igitur (diceret aliquis) adiunctum est, *& priora*? Dicẽdum intelligi *prima*, ipsa principia, & dignitates: per *priora* aũt intelligi causas, & proxima principia, quæ propria sunt in demõstratione. Ex eo autẽ, quod dicat Arist. debere præcognosci ea, quæ in demõstratione assumuntur, colligitur, suppositionem factam in initio libri, ꝙ omnis doctrina fit ex præexistenti cognitione vna cum alijs ibi adiectis, deseruire quoq; (inter cętera,) huic præsenti contemplationi; prout & antea animaduertimus circa primi capitis explicationem.

Them. Io. Grã.

li 1. Post. c. 8.

Dub. Solut.

Priora vero sunt & notiora. Cũ prius & notius duobus modis accipi possit, tum simpliciter quod etiam dicitur prius: & notius secundum naturam, quod quidem exacte, & absolute intelligitur esse prius & notius; tũ quo ad nos. i. quo ad communem omnium conditionem, secundum ꝙ cognitionis sunt participes, & ijsdem etiam prius cuius rei, quàm alterius possunt, & solent esse cognitiores; Idcirco, ne relinquatur in ambiguo ex quibus nã prioribus, & notioribus sciẽtia cõstet demõstratiua, discrimen hec fuit aperiendum. Vnde animaduertendum est, de hac distinctione prioris, & notioris quo ad nos, & simpliciter, seu secũdum naturã, late agi ab Arist. in lib. 6. Top. in tractatu locorum ad definitionem spectantium. Itẽ in Proemio Phys. necnon in lib. 6. Met. & alibi. Vnde ad maiorem cognitionẽ huius distinctionis animaduertimus, nullum debere esse dubium, quin priora & notiora assumenda in scientia demonstratiua (iuxta assignationem de ipsa præhabitam) debeãt esse simpliciter, seu secundum naturã priora, & notiora. Neq; etiam id obscurum esse debet, quin notiora, & priora simpliciter ita intelligantur, qm̃ aliqua sint priora, & notiora inter ea, q̃ sint prima, & nota simpliciter, vt ideo quæ in hoc genere sunt superiora, sint inferioribus, & priora & notiora: quod pariter est asserendum de ijs, quæ quo ad nos (& non simpliciter) dicuntur priora, & notiora, ꝙ inter hęc alia alijs, quo ad nos; sint priora, & notiora. Et non supponẽdum, vt aliqui perperam autumãt, ꝙ cadat comparatio inter simpliciter nota, & priora secũdum naturam, & notiora ijs, quæ sunt secundũ naturam nota & prima. Aut hæc priora & potiora ijs, quæ quo ad nos sunt nota & prima, & inter ea quæ quo ad nos sint priora & notiora: vt hæc intelligantur priorum. Duo autem hoc loco affert Arist. circa priora, & notiora, siue simpliciter, siue quo ad nos accipiantur. Alterum, ꝙ priora, & notiora sunt ea, quæ longius absunt a sensu Alterum, ꝙ longissime absunt a sensu, quæ maxime sunt vniuersalia, proxima vero sensui adsunt singularia. Vnde Auerroes interpretans hunc locum per *singularia* intelligit ipsa composita sensibilia, & quæ illis sunt proxima, per *vniuersalia* vero intelligit ipsas causas, & causarũ causas; quæ idcirco dicuntur vniuersales, quia multos effectus producunt: sicuti materia, & forma, & primum ens. Et subiũgit, ideo vniuersalia longinqua esse a sensu, qm̃ causæ occultæ sunt; composita vero sensibilia proxima esse sensui ꝓpter eorum accidẽtia, quæ sensu percipiuntur. Verum huic interpretationi illud videtur aduersari, ꝙ non supponit Auerroes vniuersalia in ꝓdicando, quæ sunt communia pluribus, cum tñ talia supponantur in proęmio Metaph. vbi dicuntur maxime vniuersalia in scientia vniuersali esse huiusmodi, vt per ipsa cognoscantur alia plurima, contenta sub ipsis, & supponuntur hæc eadem quo ad nos difficillima cognitu; sed & singularia posi-

li. 6. Top.

li 6. Met. c. 4.

Auerr.

Impug. Auerr.

li. 1. Me

ta hoc loco, vt opposita vniuersalibus, clare insinuant, quod vniuersalia sint accipienda, inquantum pluribus sunt cõmunia ad distinctionem indiuiduorum, quæ de nullo dicũtur. [S. Thom.] S. Thom. cum alijs latinis intelligit vniuersalia in prædicando, singularia vero sensibilia indiuidua. Vnde animaduertit, vniuersalia bifariam posse considerari, vel vt comparantur ad singularia sensibilia, vel vt comparantur inter se, secundum quod vnũ est magis vniuersale altero. Quòd si primo modo accipiantur, & loquamur de cognitione nostra in communi, tam intellectiua, quàm sensitiua (*inquit*) singularia nobis esse notiora, quoniam prima nostra cognitio ortum habet a sensu, qui singularibus sumit exordium; vniuersalia aũt ab intellectu post sensum percipiuntur, & ita intelligendum, ait, in præsenti loco. In proemio autem Phys. supponit ibi accipi magis vniuersale, illud, quod magis nobis sit notum, quamuis sit vniuersale, & ita soluit contradictionem apparentem in dictis Aristotelis, quoniam, inquit, vniuersale notius nobis esse, quàm minus vniuersale; veluti animal, quàm homo, eo quòd in omni generatione illud, quod est in potentia, prius est tempore, & posterius natura, quod aũt est completnm in actu, est prius natura, & posterius tempore. Et hinc infert S. Tho. quòd in generatione nostræ scientiæ prius est cognoscere magis commune, quam minus cõmune. [Impug.] Verum, cum Arist. dicat maxime vniuersalium abesse longissime a sensu, consequenter supponit hæc esse priora, & notiora simpliciter, quare & juxta expositionem [S. Thom.] S. Thomæ, cum ipse intelligat, vniuersalia in prædicando, sequitur quòd quæ sunt magis vniuersalia sint etiam simpliciter priora, & notiora, & ideo animal, vt est prius natura, & quid communius, quàm homo, erit etiam notius in natura, quàm homo, cum præsertim animal sit causa hominis, & in eius definitione accipiatur. Neq; vero militat ex aduerso illud, quod intulit S. Thomas, quòd illud, quòd est, posterius in generatione, quia est cõpletum in actu, sit prius simpliciter eo, quod non est cõpletum in actu: sed bene sequitur, quòd huiusmodi ens completum in actu, sit prius, & perfectius secundum substantiam ipso eodem, quatenus solum est in potentia, vt docet Arist. in [li. 9. Met. c. 5.] lib. 9. Met. in tractatu de Actu, & Potentia. Vnde nõ tollitur, quin animal simpliciter sit prius quàm homo, & quòd per animal nõ sit accipienda notitia de homine, vti per genus ex quo constituitur. Itaq; ad dilucidatiorem huius loci interpretationẽ, duo Aristotelis enunciata diligenter sunt perpendenda. Alterum, quòd quæ viciniora sunt sensui, apud nos sunt priora, & notiora. Alterum, quòd maxime vniuersalia absunt lõgissime a sensu, singularia vero proxime se habent ad sensum: Etenim per prius dictũ supponitur comparatio inter entia, quę vt nobis nota, magis, aut minus prope sunt ad sensum, a quo ortũ habet omnis nostra cognitio facta in mente. Siquidem potest ẽt esse cognitio, quoad nos secundum intellectum, secũdum modum magis, & minus abstractum a sensu. Vnde dicebat Arist. in [li. 1. Ph. c. 4.] lib. 1. Phys. quòd ex antiquis aliqui posuerunt principia rerum naturalium secundũ rationem, & alij secundum sensum, & horũ alij priora, & magis nota secũdum sensum, alij ignotiora, & posteriora; nõnulli vero secundum intellectum. Et verba quidẽ Aristotelis sunt hæc, *differunt tamen, quia quidam priora, quidam posteriora, & alij ratione, alij sensu notiora accipiunt: quidam. n. calidum frigidũque, & quidam humidum atq; siccum, & quidam par atq; impar quidam concordiam discordiamq; causas esse generationis dixerunt.* Idem in [li. 6. Top.] lib. 6. Top. docet quòd ferme communis hominũ conditio obtinet rerum cognitionem per sensum, & per posteriora naturæ; veluti est definire lineam per superficiem, & pũctum per lineam & alia huiusmodi: quas quidem definitiones Aristoteles admittendas supponit apud vulgares; cum tñ proprie scientifica sit illa sola definitio, quæ procedit ex prioribus secundum naturam. Quare hoc in primis statuẽdum est: magis proxima ad sensum, & cõsequenter magis nota quoad nos esse accidentia valde sensata, & magis cõmunia, quàm minus communia: Item effectis quam causas, & causas inferiores quàm superiores: ac deniq; res magis compositas rebus minus compositis magis obnoxias esse cognitioni nostræ sensitiuæ: vt ideo dicendum sit, quod homo est nobis notior, vt magis compositus, & secundum plures cõditiones magis feriens sensum quàm bruta animalia & hæc notiora quàm solũ viuentia, vt sunt plantæ, & hęc etiam magis, quàm inanimata; & ex ijs ea, quæ sunt magis mixta, illis, quæ sunt immixta, ac tandem cõposita, magis quàm ipsorum partes, sicuti, & materialia sunt dicenda nobis notiora, quàm immaterialia. Dicuntur autẽ quo ad nos priora, illa, quæ primo, & cõmunius, & secundum plura oculis nostris sese subijciũt, & ita etiam notiora. Vnde opposito modo simpliciter, & natura priora erunt ea, quæ prima sunt, vt ex illis alia dependeant: veluti partes componẽtes relatæ ad cõpositum ex ipsis, & causæ ad effectus, quæ etiã notiores sunt simpliciter, quoniam ex illis Posteriora cognoscuntur. Atq; ideo dicebat Arist. in loco citat. lib. 6. Top. quod genus, & dñia sunt priora & notiora, quàm spẽs. Priora quidẽ, quoniam tollunt spẽm si auferantur, & non tolluntur, specie sublata: notiora vero, quoniam species cognosci non potest nempe scientifice, absq; generis & differentiarum cognitione. differentia autem, & genus possunt cognosci absq, quòd necesse sit cognoscere speciem. Quod autem attinet ad alterum enunciatum, quòd maxime vniuersalia absunt longissime a sensu, singularia vero proxima sunt sensui, per hæc euidenter significari singularia indiuidua, quatenus hæc solo sensu percipiuntur, per vniuersalia autem ea quæ sensu non percipiũtur, & præcipue maxime vniuersalia, & quidem non obscurum est, quod ea cognitionẽ sensitiuam vnusquisq; ex hominum genere est idoneus qui sensu nõ careat. Vnde sensu percipitur, quòd reubarbarum sumptum ab hoc, vel ab illo ægrotante cholerã purgat, quòd aũt omne reubarbarum purget cholerã, id generatim, seu in vniuersali co-

gno-

gnoscitur, & est cognitio, sensus iudicium excidens. Et vt magis acceditur ad magis vniuersalia, ita quoq; cognitio altior, & p̃stantior euadit, quæ pariter longius abest, a communi hominum perceptione, vt tandẽ ad sapientiam hunc in modum maxime vniuersalem accendatur, quæ est cõtemplatrix primarum omnium causarum circa omnia entia: prout Arist. statuit in Proœmio Met.

li. 1. Met. c. 2.

Solut. Dubit.

His ita constitutis facile responderi potest dubitationi occurrenti ex Proœmio Phys. vbi habetur vniuersalia esse nobis notiora, singularia vero simpliciter, & secundũ naturam esse notiora: cuius oppositum hoc loco assertum videtur. Dicimus enim ibi accipi vniuersale, vt est confusum, secundum eandem rem, quę potest cognosci & confuse, & distincte, quemadmodum in eodem lib. 1. Phys. Arist. prius explicat in cõmuni principia rerum naturalium, veluti quid sit materia, quid forma, & priuatio, nulli rei determinatæ hanc consideratione applicando, quæ quidem cognitio est confusa, ad quam postea distincta illa sequitur, in qua explicatur, quid sit materia, forma, aut priuatio ignis, terrę, aut alterius rei. Quemadmodum & pueri (vt ibidem dr̃) indifferenter appellant primo omnes homines patres, postea, ab hac notitia confusa paulatim transeuntes ad distinctam parentum propriorũ cognitionem, eos ab alijs hominibus secernẽtes, tantummodo sibi patres nuncupant, & non alios. Hoc idem vt habetur eodẽ libro euenit circa sensum; a quo prius accipitur notitia obiecti secundum totum, & postea secundum partes. Nec non & nomen, vt qd̃ cõfusum relatum ad definitionem, ideo notius est nobis quàm definitio, vt dr̃ eodem loco. Vnde hæc nostra responsio differt ab illa S. Thomæ, qm̃ ipse accipit cognitionẽ cuius rei collatæ ad cognitionem alterius rei: veluti (vt dicit ipse) est nobis notius animal q̃ homo: quod tñ simpliciter nõ est dicendum si distincta animalis cognitio accipiatur, vt dictum est antea: qñ ad cognitionem hominis requiritur cognitio animalis, quod hoĩs constituit essentiam. Nos autem supponimus cõparari cognitionem confusam vnius rei ad distinctam eiusdem rei cognitionem, & dicimus confusam cognitionem, quæ est cõis pluribus, esse quo ad nos priorem & notiorem; distinctam autem notitiam, & quo ad naturam consideratã esse simpliciter priorem & notiorem; quemadmodum dictum est antea, ꝙ notitia de materia, & de forma, & de priuatione in cõmuni tradita in libris Physicorum, præcedit quo ad notitiam nobis familiarem, illam notitiam, quæ de eisdẽ principijs traditur in libris de Cęlo, & in alijs consequentibus, quo ad has, vel illas res determinate, vt sũt talis naturæ consideratas. Siquis aũt addubitet de effectibus, qui ad proprias causas conuertũtur, qm̃ ita sint vniuersales, vt causæ, vnde videretur, ꝙ par, & æqualis sit cognitio talium effectũ, & suarum causarũ, is primo animaduertat huiusmodi effectus, q sunt conuertibiles cum suis causis, esse per paucos, qui tñ sunt ducẽdi causis posteriores, saltẽ in ordine generationis, aut scd̃m prioritatem conuertentiæ, quatenus, sublata causa, necessario tollitur effectus, & non e contra. Accedit quòd effectus pluribus sociati accidentibus sensui magis apparẽt, q̃ causæ, quæ vt in pluribus latent, adeo vt opus sit plurimo studio ad hoc, vt causę inuestigantur.

Dub.

Dubitabit etiam aliquis nõ esse verum, quòd maxime vniuersalia sint nobis ignotiora. Siquidem dignitates, vt omne totum est maius sua parte, sunt.

Sol.

Dicendum, has quoq; dignitates minus notas nobis esse, q̃ sint termini earum, vt est totum, & pars in adducto exemplo, quæ sub sensibus cadunt. Addamus has dignitates ab hominum ingenio constitutas esse; atque ideo non mirum, si ab hominibus quoq; facile percipiantur: nõ ita aũt est de rebus ipsis, in quibus maxime vniuersales, & latentes causę sunt comprehendẽdæ.

Dub.

Adhuc inquiret aliquis, quomodo distinguatur notitia quo ad nos, & quo ad naturam tãquàm quòd homines cognitionem secundum naturam obtinere non debeant.

The. c. 4.

Themistius hoc loco habet, ꝙ demonstratio nõ ad captum, & mensurã ingenij nostri se submittit, sed recta tendit ad veritatem: ex quo deducitur, quòd proprie nõ pẽdet ex hoĩs approbatione scientia demonstratiua. Verũtamen (vt p̃clare docuit Arist. lib. 6. Top. loco ante citato) communis hominum cõditio in hoc versatur, vt cognitionem rerum non simpliciter obtineat; sed sectentur plurimi eam notitiam, quæ ipsis ad sensus captum est maxime obuia, & familiaris. Dicit aũt ibidem, veram, & exactam cognitionẽ rerum pertinere ad eos, qui mẽte bene excellunt, & bene dispositi sunt, & studio exacto sunt dediti.

li. 6. Top. c. 4.

Solut.

Vnde nõ tollitur, quin apud hoĩes possit esse cognitio pendens ex prioribus, & notioribus secũdum naturam, quã deinde, vt certi reddamur, quòd probe teneamus, ideo regulæ ex Methodo Logicæ facultatis sunt constitutæ; quibus, tanquam perpendiculo quadam, qui ingenio valent, cõtemplationiq; incumbunt, ad ipsam secũdum naturã scientiam proprie, & simpliciter acceptam peruenire queunt. Adnotandum etiam, non tolli, quin maxime vniuersalia, & si longissime absunt a sensu, de iis aliqua per sensum possit hauriri notitia: qñ (vti vulgatum est) nihil est in intellectu; qđ prius non fuerit aliquo modo in sensu.

Ex primis autẽ quod est ex principijs propriũ.

Inter alias conditiones assignatas scientiæ demonstratiuæ, hæ duę allatæ fuerunt. Altera quòd ex primis, altera, quod ex immediatis constare debet. Iam vero explicatũ est, quare demonstratio constituenda sit ex immediatis, quæ tñ, quatenus prima sunt fuerunt considerata. Quandoquidẽ immediata, ex quibus alia demonstrantur, oportet vt sint prima, & non habentia alia præcedentia, per quæ demõstrentur, si sunt immediata. Nunc autem explicatur alia cõditio conueniens demonstrationi, ꝙ debet cõstare ex primis. i. ex proprijs principijs, quæ requiruntur in quaq; scientia demonstratiua. Et hinc, qm̃ (vt ait Arist.) idem est primum, & principium, occasionẽ sumpsit agẽdi de principijs in genere, & de oratio-

ne

ne enunciatiua, & de partibus eius, q̃ sunt affirmatio, & negatio, & de cõtradictione, quæ est proprietas consequens ad enunciationem; addita insuper differentia, quæ est inter dialecticam, & demonstratiuam propositionem.

Contradictio vero est oppositio, cuius non est medium secundum seipsam Quod cõtradictionis existentis inter affirmationem, & negationem non sit medium, explicatum est in parte postrema prędicamẽtorum, & in lib. Perihermenias pluribus in locis circa omne genus enunciationis [... pręd. ...t. 3. Perih] Quorsum aũt dicatur hoc loco, quòd *non est medium contradictionis secundum se ipsam* S. Thom. interprętatur, qm̃ in aliis oppositionibus, vtputa inter habitum & priuationẽ, si nõ est mediũ circa determinatum subiectum est tñ medium simpliciter, veluti cum dr̃, quòd lapis, neq; cęcus est, neq; videns. [Thom.] At contradictio, simpliciter caret medio: idq; nõ ab alio, sed ex se ipsa habet. Ioã. autem Gram. ait, ideo dictum contradictionis non esse medium secundum seipsam, qm̃ ipsius contradictionis per accidens potest esse mediũ, vt si alterum extremorum, veluti negatio accipiatur limitata ad aliquod medium contrariorum, quæ non erunt vere contradictoriũ. [.. Grã.] Nam de albo, & non albo (inquit Io. Gram) si accipiatur non album, tantummodo vt negat album, & inferat omne aliud ab albo, sic album, & non album sunt vera contradictoria: si autem non album limitetur ad nigrum, aut ad viride, ita inter album, & non album erit medium.

Positionem quidem dico. Distinguit Aristot. principium immediatum syllogisticũ, (idq; ad differẽtiam principiorũ incomplexorũ, quæ nõ sunt syllogistica principia) in dignitatem, & positionem, supponens dignitatẽ esse eius generis principium, vt conueniat illud haberi pro certo ab vnoquoq;, qui docendus sit: Vnde & dignitas appellatur, tanquàm quę digna sit, cui fides, & assensus p̃stetur ab omnibus. Positio autem est q̃dem huiusmodi, vt non sit demonstranda, verũtamen non est necesse vt docendus eam teneat, licet in progressu scientię possit etiã discipulo eius veritas innotescere: apud docentem vero est manifesta: & ideo, dum p̃ponitur, præcognoscitur quòd supponitur. Huius generis est illud enũciatum in lib. 1. Phys. *supponatur autem nobis aliqua entia moueri*, & alia huiusmodi. [l.1. Phys. .. 2.]

Qua vero sine hoc definitio Explicauit Arist. primo suppositionem quam statuit eã esse, in qua vtraq; pars contradictionis accipitur, nempe & esse aliquid, & non esse. Postea subiũxit, quòd *quæ sine hoc est*, idest sine prędicta conditione, est definitio; ac si diceretur, definitionem esse, quę neq; esse aliq̃d, neq; non esse aliquid significet. Vnde oritur difficultas mota a Themistio, quam & insolutam reliquit, & est huiusmodi. [Dub. Them.] Nam cum positio sit principium, & principiũ sit propositio, definitio autem sit positio, quomodo dictũ est ab Arist. quòd definitio nõ est propositio. Ioan. Gram. quasi intendẽs hanc difficultatem soluere, inquit, propositionem posse considerari, tum strictius, sicuti in oratione enunciatiua, q̃ñ prędicatum diuersum a subiecto coniungitur subiecto mediante, ipso verbo *est*: tum latius pro oĩ oratione, in qua prędicatum dr̃ de quodam subiecto, etiã si sit idem cum illo. [Io. Grã.] Vnde inquit, huiusmodi orationem, *homo est animal rationale*, nõ esse veram propositionem, cum per eam non denotetur aliquod prædicatum inesse subiecco mediante verbo *est*, sed exprimitur ipsa sola subiecti q̃ditas, & ita strictim accipiendo propositionem, non autem lato significato ex sententia Ioan. Grãmatici dici posset q̃ Arist. negat definitionem esse propositionem. At. S. Thom. aliter respondet, inquiens, non subdiuidi immediatam propositionem, sed immediatũ principium; quòd minime inficiandum est: [S. Thom.] siquidẽ ita habet Arist. *immediati vero principii syllogistici*. Verum adhuc ex aduerso instari potest, qm̃ principium syllogisticum necessario includit propositionem, cũ sine propositionibus non fiat syllogismus. Ideo idem S. Doctor hanc aliam subiunxit respõsionem, q̃ definitio non est propositio in actu, sed tm̃ in virtute, quia cognita definitione, apparet definitionem de subiecto vere prædicari. Et forte hac responsione innuit S. Thom. id, quod habetur in expositione Themistii, dum dixit, quod illi, qui proponunt definitionem, consequenter inferunt esse id, cuius definitionẽ dicũt Auerroes admittit definitionem sumendam esse cum definitio, quod in propositione fit: sed dicit, hanc propositionem non significare esse aliquid, aut non esse, vt facit propria enunciatio; & id quidem qm̃ definitiones, quæ dicuntur positiones sunt definitiones noĩs, quæ etsi simul cum definito propositionem faciant, attamen nõ ponunt ipsum esse, aut non esse: sed significationem tantummodo rei manifestant. [Auerr.] Verum, aut exactius hæc difficultas perpendatur, aduertendum est, infra haberi ab Arist. quòd termini, idest definitiones, non sunt suppositiones, & subiũgit, *quoniam suppositiones sunt in propositionibus*: non autem definitiones, quoniam s. nihil esse dicunt, quod etiam cõsonum est iis, quæ hoc loco habentur. [li. Poster. Anal. c. 10] At in oppositum est postea, id quod in libro Perihermenias habetur, quòd ex definitione hoĩs, quæ est animal rationale bipes, nõ fit enunciatio, nisi addatur verbum *est*, aut *fuit*. [li. Perih. sect. 1.] Vnde inferendum, quòd si definitioni adiungatur verbum *est*, sic definitio euadit enunciatio, & consequenter definitio, existens, vt enunciatio, aliquid esse pronunciabit, quod etiam facit suppositio: licet definitio non enunciet aliq̃d esse, aut non esse. Accedit, quòd in demonstratione simpliciter dicta assumitur definitio, quæ loco propositionis ponitur, ex qua cum alia adiecta propositione fit demonstratio. Idcirco dicendum videtur, ab Arist. distinctam fuisse definitionem a positione, quatenus in definitione non supponitur aliquid esse, aut non esse, vt fit proprie in suppositione: sed in ea tantum exponitur q̃d sit aliquid. [Sol.] Et hoc cõsideratur, quatenus in initio sciẽtiarum præmittuntur principia, q̃bus fides sit adhibenda: inter quæ enumerantur etiã

de-

definitiones ad hunc effectum, vt intelligatur, quid per illas significetur: non autem ꝙ per ipsas enuncietur aliquid esse, aut nõ esse, aut quod verum, aut falsum inde concipiatur, cum solum possit considerari, vt attinguntur, aut non attinguntur ab intellectu, vt docet Arist. in lib. 9. Met. in postrema libri parte. In demonstratione vero accipiuntur definitiones, quatenus sunt verę, & ita aliquid esse enunciant de aliquo, semper tamen vniuersales, & affirmatiuę existentes; vt docetur infra loco ante citato. Vnde etiam de aliqua definitione assignata quęri potest, num re vera, ita se habeat, vt supponitur: prout & de hoc perpendit Arist. in calce lib. 6. Met. Ad illud vero, quod adductum est ex lib. Periherm. dicendum est, quòd addito ipso verbo *est* substantiuo ad definitionem, sic euadit sermo enunciatiuus. Verum hunc in modum non erit accepta definitio, vt positio rei, quę supponatur, sicuti in hoc loco consideratur: sed vt propositio. Adnotandum etiam infra in tractatu de precognitis inter principia poni etiam positionem, de qua nulla hic mentio facta est, licet sit quædam suppositio; Verum iure merito pretermissa est hoc loco, vbi est sermo de principijs immediatis, quibus nemo potest aduersari, cum petitio sit quædam assumpta propositio, quę potest demonstrari, & discipulo addiscenti nõ est nota; quin & eius oppositum potest discipulus opinari vt verum: licet a præceptore ob commodoirem doctrinam accipiatur, & supponatur: sed de principijs demonstrationis exactius etiam infra differetur.

li. 9. Met.

li. 6. Met. c. 2.

Principia aut omnia, aut aliqua notiora, & credibiliora esse conclusione, & nihil eorum, quæ sunt opposita principij: demonstrationis, aut notius, aut credibilius esse posse quã principia.

QVoniam autem oportet credere, & scire id, de quo habetur syllogismus demõstratiuus; qui est scientialis, nempe faciens scire per ea, ex qbus cõstituitur, ideo colligendum est, non solum necessarium esse, vt principia demonstrationis, vel omnia, vel aliqua sint apud nos præcognita; uerum etiam oportere, vt magis sint credita, & magis nota, quã illud, quod per ipsa scitur. Siquidem illud enunciatum est verissimum, ꝙ propter quod vnumquodque inest, illud etiã magis inest. Quẽadmodum, si diligimus præceptorem ob filium, magis etiam diligimus filium quàm pręceptorem. Quare si aliquid scimus, & credimus propter principia demonstrationis, vtiq; & hæc ipsa magis scimus, & credimus: qñ per principia scimus, & credimus posteriora. Neq; vero (addamus ad hæc) põt esse, vt magis credamus, quæ neq; scimus per demonstrationẽ, neq; alio modo, quo qui melius, quàm per demonstrationem possit esse dispositus circa cognitionẽ, quàm ea, quæ scimus per demonstrationem. Id enim esset maximum inconueniens, quod sequeretur, nisi statuatur, a nobis p̃haberi cognitionem eorum, quæ creduntur per demõstrationem. Oportet. n. si creditur conclusio, vt magis credantur principia, aut omnia, aut ipsorũ aliqua, per quę probantur, & creduntur conclusiones. Neq; vero id solum oportet constituere: verũ & hoc aliud, videlicet nõ solum opus esse, qui scientiam per demonstrationem sit obtẽturus, vt magis cognoscat principia, & magis illa credat, q̃ rem demonstrãdam. Verum etiã, vt nullum eorum, quæ sunt opposita principijs, ex quibus astruitur syllogismus contrariæ deceptionis, sit apud ipsum, aut notius, aut credibilius illis principijs, ex q̃bus aliquid demonstratur. Siquidẽ oportet, vt qui simpliciter est sciens, sit omnino immutabilis ab ea persuasione, & credulitate, quã obtinet ob sciẽtiã demõstratiuã.

Adnotationes.

Q*Voniam autem oportet credere, & scire rem.* Addit Aristot. ad *credere*, ipsum

scire

ſcire: qm̃ etiam multa abſq; ſcientia credi
poſſunt. Eſt autem hoc loco propoſitũ Ari-
ſtotelis palã facere, ꝙ principia, ex quibus
demonſtratio conflatur, ſunt magis nota, &
conſequenter magis credibilia, quàm con-
cluſio, quæ ex ipſis demonſtratur. Etenim
ſuperius, ꝙ principia eſſent præcognita, ma
nifeſtauit ex illa ſuppoſitione initio huius
libri cõſtituta, quòd omnis doctrina diſcur
ſiua fiat ex præexiſtenti cognitione; hic
autem vult palam facere, ꝙ principia ſunt
magis nota, quàm concluſio. Dicit aũt, ꝙ
omnia aut aliqua ſunt notiora, & magis cre-
dibilia: qm̃ aliquando aſſumuntur propoſi-
tiones (vti ſunt petitiones, de quibus infra
in tractatu de præcognitis) quæ non ſunt
perſpicue magis nota, quàm concluſio ex il
lis deducenda; licet poſtmodum ſint mani-
feſtandæ. Veluti apud Geometram ita igno
tum eſt (ante quàm demonſtretur) quod an-
gulus exterior trianguli tm̃ valeat, quantũ
duo æquales anguli intrinſeci ſibi oppoſiti:
ſicuti etiam ignotum eſt, quòd triangulus
habet tres angulos æquales duobus rectis,
quod eſt demonſtrandum, & tñ illud aſſumi
tur a Geometra vti verum, quod poſtea eſt
demonſtraturus.

Propter quod vnumquodq; ineſt, & illud magis.
Ex hoc probabili loco communi patefacit
Ariſt. magis eſſe nota principia concluſio-
ne: ſiquidem per principia fit nota cõcluſio,
ergo magis nota debent eſſe principia; qđ
probatur per enunciatum illud, ꝙ *propter
quod vnumquodq; ineſt, & illud magis*. Vnde, ſi
nota eſt, & credibilis cõcluſio propter prin
cipia, ipſa principia multo magis erunt no
ta, & credibilia. Verum aduerſum huiuſmo

Inſt.

di enunciatum plurimæ afferuntur inſtan-
tiæ; ſicuti hæc inter alias. Non.n.ſequitur,
ꝙ ſi homo fit ebrius propter vinum, ꝙ & vi-
nũ magis ſit ebrium: neq; ſi motus eſt cau-
ſa caloris, ſequitur ꝙ motus magis ſit cali-
dus: Item ſi propter Sophroniſcum Socra-
tes eſt, & ſubſiſtit, non ſequitur, quòd ma-
gis etiam ſit, & ſubſiſtat Sophroniſcus. Id-

Them.
Io.Grã.

circo Themiſtius, & Ioan. Grã. animaduer-
terunt, pro veritate prædicti enunciati, o-
portere ſupponere, ꝙ adſit diſpoſitio quæ-
dam communis cauſæ, & cauſato, & quod
ſuſcipiant magis, & minus, adeo vt aliter
inſit cauſæ, & aliter cauſato, illud de quo

Sol.

ſit ſermo. Verum nihil prohibet & ex ip-
ſiſmet verbis contextus hoc idem collige-
re nempe, ꝙ debet eſſe aliquid commune
cauſæ, & cauſato. Siquidem, dum dr̃ quod
vnũquodq; magis ineſt per quod aliud eſt,
hinc clare in eo, quod dependet ab alio, ſup
ponitur diſpoſitio quædam communis cau
ſæ, & cauſato: ſupponitur.n. in alio aliquid
eſſe iuxta illud, quod eſt in eo, a quo ha-
bet participationem. Et huic expoſitioni

li.2.Met.
c.1.

concors eſt illa propoſitio adducta in ini-
tio lib.2.Met. vbi dr̃, quòd illud maxime eſt
tale a quo ineſt vniuocatio: veluti ignis ca-
lidiſſimus, a quo ineſt alijs caliditas. Vnde

S.Thom.

S.Tho. ait, opus eſſe ſupponere nomen cõ-
mune cauſæ, & cauſato. Quare ijs ita ſuppo

Sol.
Pr.
Dub.

ſitis, & conſtitutis, facile eſt occurrere al-
latis ex aduerſo obiectionibus. Nam nõ va
let inferre, quòd vinum ſit magis ebrium, q̃
homo, eo ꝙ propter vinũ homo fiat ebrius:
non.n. vere enunciatur, quòd vinum ſit e-
brium. Sed cum ex vaporibus, qui emanãt
a vino ad cerebrum procedentibus ebrie-
tas cauſetur, ideo, ſi ita diceretur, quòd va-
pores, qui in homine ex vino hauſto gene-
rantur, ſint in ipſo propter vinũ, & propte-
rea ijdem ſint maiores, & vehementiores
in vino, q̃ in ebrio, ita enunciatum procul-
dubio verum redderetur. Accidit autem,
quòd ex eiuſmodi vaporibus homo fiat e-
brius, dum ſpiritus, qui animæ viribus de-
ſeruiunt, inde craſſiores, atq; obtenebroſi
redduntur: quod vino nõ cõtingit rei inami

Solut.
ad D.

matæ exiſtenti; Vnde, neq; ebrium reddi-
tur: ſimiliter nõ ſequitur, quòd ſi ob motũ
redditur calidum corpus humanum, quòd
ꝓpterea motus debeat eſſe magis calidus:
nõ n. recipit caliditatem motus; ſed ſi dice
retur, quòd rarefactio, ad quã ſequitur ca-
liditas, ſit maior vbi motus fit, q̃ vbi recipi-
tur, ita verum eſſet quòd maior raritas ſit,
vbi motus præcipuus ſit, q̃ in corpore reci-

Sol.

piente raritatem, quod etiam cõſequenter
ſit calidum. Pariter ſi Socrates eſt genitus
ꝑꝑ Sophroniſcum, nõ valet quòd propte-
rea Sophroniſcus ſit magis ens, aut magis
exiſtat q̃ Socrates, qui exiſtit per ſeipſum,
& non propter Sophroniſcum, quaſi in ipſo
ſubſiſtat. Aliud ſiquidem eſt dicere, quòd ge
nerationem & ortum ſumpſerit Socrates a
Sophroniſco eius patre; & aliud, quòd So-
crates ſubſtantia quædam exiſtẽs ſubſiſtat
ꝓpter Sophroniſcum. Quemadmodum de
Deo Opt. Max. veriſſime quidem dr̃, quòd
qm̃ omnia per ipſum ſunt, ideo Deus magis
ens, & ſummum, & maximum eſt ens. Idcir
co, iuxta expoſitam enũciati intelligentiã,
optime illatũ eſt, ab Ariſt. quòd magis cre-
duntur, & magis ſunt nota principia, quàm
id, quod demõſtratur ex principijs: ſuppo-
nitur autem quòd notę ſint propoſitiones,
& quòd ex earum notitia fiat deinde no-
ta concluſio. Adnotandum autem, quòd cũ
oſtenſum ſit, principia demõſtrationis ſim-
pliciter nobis magis eſſe nota, hinc ſuppo-
ni debere, quòd ſecundum naturam ſint no
ta: nõ autem quo ad nos: qm̃ (vt ſupra dictũ
eſt) nõ eadẽ nobis nota ſunt, & naturæ: ſed
quæ Poſteriora ſunt, magis ſunt nota cõ-
muniter, oĩbus hominibus: quæ vero ſunt
notiora ſecundum naturam, ſunt etiã nota
hominibus, nõ tñ paſſim omnibus: ſed illis
tm̃, qui ſtudio, & mente præcellunt, vt dictũ
eſt antea: Quomodo autem principia nobis
innoteſcãt, infra in calce lib. ſequentis ex-
plicabitur. Adnotandum etiam nõ dici de-
bere, quòd quæ ſunt nobis magis nota, ſint
ſimpliciter notiora principijs: ſed tantum-
modo erunt nobis magis nota, quatenus
ab illis procedimus ad notitiam princi-
piorum nobis ignotorum: quæ tñ ſimpli-
citer in propria natura magis ſunt nota.
Cõcluſio aũt poſterior ſecundum naturam
a principijs, per quam vti nobis notiorem
deducimur in cognitionem principiorũ, fit
rurſus magis manifeſta ex principijs, dum
ex illis demõſtratur, q̃ nobis antea inno-
tuerat: qm̃. ſ. effectus cognitus per principia
tanq̃ ex certiori cognitione, quam largitur

causa, illustrius redditur certior, & magis manifestus. Adnotandum autem, si creduntur principia simpliciter, & cōclusio ꝓpter principia, hinc colligi, quòd credulitas, & fides suscipitur a nobis ex assensu excitato ex cognitione cōcepta, quæ esse aut ex necessarijs propositionibus, aut ex probabilibus, vel etiam ex apparentibus, licet falsis, quibus credatur, & supponitur semper aliqua præcedens experientia circa ea, quorū notitiam, & credulitatem animus suscipit. Fides autem christiana, ob suam excellentiam, & ob dogmata, quæ credenda proponit, & qm̄ hæc sunt inuisibilia, vt absq; experientia credantur antonomastice fides appellatur: ad quam tn̄ homo ex Dei gratia, quibusdam stimulis, & inspirationibus diuinis excitatur, vt absq; vlla hęsitatione existimet credibilia, & maxime vera, quæ credit, licet de ijs nullam præuiam experientiam habeat.

Non possibile est autem credere magis. Hoc loco id vult astruere Aristot. nō posse statui, quòd principia, per quę creditur & scitur cōclusio, nō sint præcognita. Alioquin, cū ex pręmisso enunciato, propter quòd vnūquodq; inest, & illud magis, id stet, quòd si per principia scitur, & creditur conclusio multo magis sciri, & credi debent principia, idcirco si diceretur, quòd nō sint cognita principia, aut per demōstrationem, aut alio meliori modo, q̃ per demōstrationem, sequeretur hoc maximum incōueniens, ꝙ magis crederemus principia nullo modo cognita, q̃ cōclusionem notam factam per demōstrationem. Idcirco statuendum est, ꝙ principia debent esse præcognita, & cōsequenter notiora, vel omnia, vel ipsorum aliqua, q̃ sit cōclusio, ex illis demōstranda. Et cum subiungitur in cōtextu, *nisi quis pręcognouerit per demonstrationem credentium*; sciēdum ita legi apud antiquā lectionem apud Argiropylum vero hunc in modum, *si non prius cognouerit principia quispiā quàm ea, quæ per demonstrationem creduntur*: Græce aut sic habetur εἰ μὴ τις πρυγνωκται τ̃ δ̀ι ἀπο̊ δε ξιν πιστευόντων quę ita cōuerti debere videntur. *Nisi eorumque creduntur*, seu *creditorū per demonstrationē quis præcognouerit*, aut hinc cōcludatur id, quod suppositū est ab initio, ꝙ ex pexistenti cognitione oīs doctrina discursiua cōstituitur, simulq; pateat qđ principia per q̃ scitur, & creditur cōclusio, debent esse præcognita, & magis nota, & credita, q̃ cōclusio, ad hoc, vt per illa cognoscatur atq; credatur conclusio.

S. Thom. *Sed neq; aliud ipsi credibilius esse.* S. Tho. & latini fere omnes ita locum hunc interpræ tantur: quòd habetur scientiam per demonstrationem nil debet esse credibilius, aut notius, q̃ quòd opposite propositiones sint falsæ. Verum magis arridet Themistij expositio, quod habitum scientiam per demonstrationem, nō debet esse credibilius, aut notius aliquid ex ijs, quæ sunt opposita ipsis principijs. Huius aūt dicti affert Arist. hanc rōnem, qm̄. s. qui est simpliciter sciēs, debet esse imputabilis a credulitate, quam habet per scientiam, qm̄ quod scitur, impossibile est aliter se habere. Ex prędictis autem oībus patet ꝙ patefactæ, & comprobatę esse cōditiones illas, ex quibus cōstitui debet demōstratio; Sunt autem patefactæ ex definitione assignata ipsius scientiæ Siquidem ex definitione demonstrationis, ꝙ sit syllogismus faciens scire, deductum est, postea ab Arist. quòd demōstratio constare debet ex veris, primis, & immediatis, & reliquis, quę sunt explicata, Obseruandus est autem q̃ maxime progressus Arist. qui ex pręhabita doctrina de definitione demonstrationis, ꝙ sit syllogismus faciens scire; hinc deinde deduxit materialem definitionem demōstrationis, adnumerando ea, ex quibs componi debet: eamq; probauit per causam formalem ex ipso fine desumptam. Quemadmodum & circa domū, materialis definitio, quòd cōstituatur ex lapidibus, lignis, & lateribus, & alijs cuiusmodi, solet demōstrari per causam formalem, finem cōstitutionis domus complectētem: videlicet, quòd sit operimentum nos, & res nostras illęsas defendens ab æstu, frigore, & alijs externis offendiculis. Hinc dicendum de scientia demonstratiua penes ea, quę tradita sunt, hanc deduci posse demōstrationē, Ad scientiam simpliciter habendam oportet adhibere vera prima, & immediata, & reliqua adiuncta; Demōstratio est syllogismus institutus ad scientiam simpliciter habendam, ergo debet constare ex veris, primis, & immediatis; & reliquis antea enumeratis, Quibus adiungi potest & hęc alia conditio, vt assumpta principia sint necessaria, quod probabitur ex sequentibus.

Dub. At diceret aliquis, qui fieri potest, vt dum agitur de demonstratione, & de ea regulæ traduntur, afferri, de ea possit demonstratio? ita. n. rursus de huiusmodi demonstratione alia demonstratio afferrenda videretur, & de hac alia, & ita in infinitum.

Sol. Dicendum ad id, probari per causam finalem, seu efficientem, quæ nam partes materiales requirantur ad demonstrationem simpliciter habendam: nam autem absolute essentia demonstrationis probatur per demonstrationem; sed per principia iam assumpta circa definitionem sciētię tanquam per causam formalem probatur demonstrationis pars materialis, eritq; demonstratio hæc confecta de notionibus secundis in animo subsistentibus, verificanda etiam circa res extra animam consistentes. Adnotandum aūt propositiones quo ad ordinem, & texturam syllogisticam habere rationem materię, si ad conclusionem referantur, quę habet rationem formę, vt docetur in lib. 2. Phys. & in lib. 5. Met. in tractatu de causa, qm̄ ex propositionibus educitur conclusio: sicuti etiā ex hac, vel illa materia naturali educitur forma rerum naturalium. Rursus vero ꝓpositiones consideratæ vt attinent notitiā, & quādam credulitatem, ex qua, & nota, & credibilis redditur conclusio ex illis deducta, sic habent rationem causę causantis effectum, nempe ipsam notitiā conclusionis. Adhuc si consideretur medium assumptum in ꝓpositionibus demonstrationis ad hāc, vel illam rem determinate demonstrandā; hac ratione Propositionis obtinebunt modum

li. 2 Phys. c. 2.
li. 5. Met.

dum vel causę formalis, vel efficientis, vel alterius causæ, quę pro medio assumatur; quemadmodum omnes causæ in demonstratione assumi possunt, prout in lib. sequenti fiet manifestum.

Abolitio opinionis, tum eorum qui aiunt non esse scientiam, tum eorum, qui omnium contendunt scientiam esse per demonstrationem.

HOc vero loco explodenda sunt illorũ falsa dogmata, qui circa scientiam demonstratiuam perperam sunt opinati; tã hi, qui scientiam penitus auferre molirentur, quam ille qui omniũ esse scientiam per demonstrationem assererent, quorum enunciatorũ neutrũ verũ, aut necessarium est, & priores quidẽ hunc in modum propriam sententiam astruere nitebantur. Quippe supponẽtes nõ posse sciri posteriora nisi ex prioribus sint cognita, quod est verissimum, iuxta ea, quæ ante constituta sunt, & adhoc addentes, (quđ pariter est concedendum) nisi circa prima detur status, sed sit in ipsis processus ad infinitum, nequaquam haberi posse prima, ex q-bus posteriora sciantur, qm̃ infinitum comprehendi nequit. Et si dicatur, dari statũ in principijs, tã dem inferunt ad ea deueniendũ esse principia, quæ non habent alia ipsis priora. Hæc autem (inquiunt) non erunt scita; siquidem nihil scitur, nisi per alia demonstretur; hoc.n. modo solo, nempe per demonstrationem, qua sciuntur Posteriora per Priora, & non aliter scientiam haberi posse supponunt. Qnòd si prima non sint scita subiungunt, neq; igitur Posteriora ex illis sciri poterunt, neque simpliciter, neq; proprie; sed solum ex suppositione. Atq; ideo, cum primorũ non possit esse sciẽtia, & consequenter neq; posteriorum, quorum scientia ex primorũ scẽitia pendet Ex ijs igitur concludunt, nullius rei esse scientiam. Nonnullum igitur ita opinati sunt. Quoniam vero alij scientiam quidem esse concedunt; sed & omnium scientiam per demonstrationem haberi posse contendunt; id astruẽtes, qm̃ omnia inuicem circulo possint demonstrari. At nos (quòd est rei veritas) illud in primis constituimus aduersus vtramq; positionem, ꝙ nõ omnis scientia est demõstratiua, sed est, & aliqua indemonstrabilis, illa nempe, quæ concernit principia immediata. Et id quidem necessarium esse hunc in modum astruimus. Nam (vt patet ex antedictis, & constitutis circa scientiã demonstratiuam) necesse est priora, ea videlicet, ex quibus est demonstratio, scita esse, & cum non sit progredi ad infinita circa principia, quod infra ostendetur, necesse est quoq; asserere, quòd est deuenire ad aliqua principia immediata, quæ consequenter, cum careant medio, quo possint demõstrari, ideo erunt indemonstrabilia, atq; ita scita absq; demonstratione: alioquin sequeretur, quòd esset processus infinitus circa principia, quòd impossibile esse infra ostendetur. Præterea, & istud constituendum est (quod etiam est verissimum) non solum esse scientiam principiorum, verumetiam esse principium huius scientię, nẽpe intellectum nobis innatũ, quo terminos intelligimus, ex quibus principia indemonstrabilia cõstituuntnr. Ex ijs igitur deductionibus vtraq; prædicta positio impugnatur, tum absolute ea, quæ sciẽ

tiam auferre profitetur, tum illa etiam, quæ omniũ statuit esse demonstrationem: impugnatur.n.& hæc, quatenus constitutum est, principiorum immediarorũ sciẽtiam esse indemonstrabilem.

Verum cum in posteriori opinione, idcirco supponatur omniũ esse scientiam demonstratiuam; qm̃ omnia circulo possint inuicẽ ostendi; hæc quoq. suppositio tollenda est, ex eo quòd non potest subsistere huiusmodi circularis demonstratio. Primo quidem, qm̃ impossibile est, vt eadem, ex quibus desumitur demonstratio, ex vtraq; parte sint simpliciter priora & notiora, prout requiritur in circulari demonstratione: in qua hæc per hæc, & hæc per alia inuicem demonstrari supponũtur: ex quo sequitur, vt necessario, & ista, & illa ex quibus deducitur demõstratio, priora, & notiora simpliciter sint dicẽda, & ita nõ alia alijs priora & notiora essent, vt requiritur in demõstratione simpliciter nuncupata; nisi forte dicatur, alia nota esse simpliciter, alia vero, quo ad nos esse nota secundum illum modum, quo inductio cognitionẽ nobis præbet: vt ita ex simpliciter prioribus & notioribus demonstrentur ea, quæ priora, & notiora sunt quo ad nos, & rursus ex notis, & prioribus, quo ad nos ostendantur ea, quæ simpliciter sunt priora, & notiora. Atqui hũc in modum non recte esset definitum ipsum scire simpliciter. Aut illud duplici modo sese habere supponendum esset: videlicet, ꝙ aliud sit scire dependens ex ijs, quæ simpliciter sunt priora, & notiora, & aliud, qđ constat ex prioribus, & notioribus quo ad nos. Aut dicendum, ꝙ non sit simpliciter demõstratio ea, quæ ex prioribus, & notioribus quo ad nos astruantur Vnde stabit difficultas adducta in oppositũ, ꝙ sit impossibile circulo inuicem demonstrare ex istis illa, & ex illis ista, qm̃ est impossibile, idem esse simpliciter, tum notius, & prius, tum simpliciter posterius, & ignotius. Accedit, ꝙ circulo simpliciter demõstrare tantundẽ erit, ac si dicatur, ꝙ est hoc, si est hoc. Vnde facile esset omnia ita demonstrare. Hoc autem inconueniens hunc in modum facile deducitur. Supponantur.n. hi tres termini. A. B. C. ita inuicẽ consequi, vt existente vno sit alius: veluti, ꝙ existente A, sit B: & e conuerso, ꝙ existẽte C, sit etiam A, & similiter, ꝙ existente B, sit C, & e conuerso, ꝙ existẽte C, sit etiam B. His ita suppositis, ex hac mutua consequentia ostenderetur & A inesse ipsi C ꝑ medium B: et rursus A inesse ipsi B, per medium C: necnon & B inesse ipsi C per medium A: & rursus C inesse ipsi B per mediũ A: necnon & C inesse ipsi A per mediũ B. Ex quo ꝓgressu deducitur tantundem esse demõstrare, quòd A inest ipsi B, ac demonstrare ꝙ C, inest ipsi A. Vnde ita demonstrare tantundem erit, ac demonstrare ꝙ A est A, quia est A, qua demonstratione quid insultius, aut stolidius dici potest? Præterea circulo demonstrare non contingit nisi in his; quæ inuicem se consequuntur, vt sint conuertibilia: veluti propria, quæ quidem in prima tm̃ figura possunt inuicem ostendi, suppositis ad minus tribus terminis, & duabus propositionibus iuxta tradita circa syllogismum hunc in modum: Veluti, si A consequatur ipsi B, & ipsi C, &

hæc inuicem sese cõsequuntur, & ad ipsum quoq; A, vtiq; ijs ita suppositis terminis inuicem conuertibilibus, & sese consequentibus, astruitur circularis demõstratio in prima tm̃ figura, in qua tum A, de C per B ostendatur: tum A de D per C: tum B de A per C: tum C de B per A: tum B per A de C; tum deniq; C per A de B. In alijs autem figuris non contingit fieri demonstrationem circularem de acceptis, neq; in secunda, neque in tertia figura: vbi.n. non sunt termini inuicem conuertibiles, nullo pacto contingit fieri circularẽ demõstrationem. Vnde cum pauca huiusmodi sint in demonstrationibus; idcirco deducitur, vanũ esse, & impossibile, vt demonstratio vniuersaliter ex ijs, quæ sunt ad inuicem construatur; & consequenter falsum est asserere, quòd omnium sit demonstratio.

Adnotationes.

Io. Grã. QVibusdam quidem igitur. Ioan. Gram. censet hoc loco Aristotelem statuere velle ꝙ sit demonstratio, & scientia, quam nonnulli auferebant, & dubitationi insurgẽti ex aduerso, quomodo post explicationem ipsius quid est assignatum de demonstratione, subinferatur de eadem ipsum si est, quod debet præcedere ad ipsum quid est, ita respondet: quod, qñ quid nominis est obscurum, primo ipsum explicatur; deinde vero agitur de ipso si est, quod & factitasse, ait Aristotelem in tractatu de vacuo. Non autem (inquit) ita fieret, si ipsum quid rei esset assignandum, cui semper ipsum si est antecedere debet. Verum suppositum Ioan. Gram. nõ est admittendum, quòd definitio de demonstratione sit tradita quo ad qd nominis tm̃, cum sit huiusmodi, vt ex ea omnis, doctrina de demõstratione stabiliatur; neq; alia definitio habeatur demonstrationis; Neq; etiam concedendum est, ꝙ ꝓprie hoc loco demõstretur dari demõstrationẽ, atq; scientiam, tanquam id ex proposito Arist. intenderit monstrare: sed potius videtur asserendum, hoc loco errores excludi, tum eorum, qui, ex eo quòd supponitur debere esse nota principia, ex quibus conclusiones demõstrantur, hinc arguere voluerunt, ꝙ nullius rei sit scientia, tum eorũ, qui omnium esse scientiam assererent, qũ oĩa circulo demonstrari possent. Vnde hoc loco Arist. non magis tollit erroneum sententiam eorum, qui ex mala intelligentia circa modum sciendi, scientiam auferebãt, q̃ illorum etiam, qui cõstituebant omnium esse scientiam per demõstrationem: Quod aũt hoc loco animaduertit Lynconiensis, hanc contra perperam sentientes de scientia demõstratiua habitam speculationem, nõ pertinere ad artem demonstratiuam, & ideo nõ esse partem proprie necessariam huius libri, recte sensisse mihi videtur; cum ea, quæ afferuntur aduersus male opinãtes circa scientiam demõstratiuam nõ petant proprie, neq; cõcernant cõditiones, quę requiruntur in demonstratione: sicuti ea, quę prædicta sunt, & quæ his subsequentur; sed & illud est asserẽdum, huiusmodi tractationem aduersus male opinantes de scientia maxime conferre ad stabilienda dogmata scientiæ demõstratiuæ; dum, quę ab ipsa aliena sunt, aduertuntur, & remouentur; ꝙ pertinet ad quandam particularem pediã cuiusq; artis, & scientiæ. Et id quidem obseruatum est ab Arist. passim in oĩbus suis operibus; & optimo sane id consilio, vt ita recte oĩa traderentur ab erroribus expurgata, & de hac pedia particularis est sermo in lib. 1. de part. Animalium in initio libri.

Impug. / Lync. / libro 1. de part. Ani. c. 1.

Quorum neutrum. neq; verum, neq; necessariũ. Neutra opinio vera est, neq; illa, ꝙ nulla sit scientia, neq; illa, ꝙ oĩa sit scientia per demõstrationem. Et quamuis oppositæ inuicẽ sint hæ sententiæ, attamen nõ sequitur necessario, vt altera earum sit vera: sicuti contingit in vera cõtradictione, alteram partẽ semper esse veram, & alteram falsam: at nõ id in cõtrarijs, qualia sunt præmissam opinionem enunciata: tum hoc, quòd nulla est scientia, tum hoc ꝙ omnium est scientia.

Neq; quidem ex hijs esse scire simpliciter, neq; proprie. Hac dictione *simpliciter*, innuitur, ꝙ scientia absolute perfecta nõ habetur; illa vero alia particula *neq; proprie*, aut pro eadem accipitur; aut innuitur, ꝙ neq; cognitio vtcunq; habeatur; tanquam nihil sit scire, ex suppositione scire. Et hoc inferebatur ab ijs, qui scientiam penitus auferebãt, supponentes, nil nisi per demõstrationem sciri posse. Vnde ad afferentes, ꝙ esse possint nota principia sine demõstratione, inferebant ex aduerso, quòd hunc in modum neq; simpliciter, neq; proprie aliquid scirẽ posset per suppositionem.

Si enim necesse quidem scire priora. Istud iam cõstitutũ est antea, quòd prima præcognoscuntur, & quòd debeant esse notiora conclusione, etsi datur status, vt deueniendum sit ad principia immediata, vtiq; ex necessitate hæc erunt indemonstrabilia, & tamen scita: alioquin esset processus in infinitum circa principia, & circa terminos principiorum, quod est impossibile.

Et non solum scientiam, sed etiam principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus. Quẽadmodum adnotauit S. Tho. hoc loco sciẽtia lato modo attribuitur principijs demonstrationis, quorum proprie est intellectus: & distinguitur cõtra scientiam, vt patet in lib. 6. Eth. Et ex libro sequenti

li. 6. Eth. c. 6. / li. Poster. c. 18.

in fine, vbi ostenditur principiorum ꝓprie nõ esse scientiam, sunt autem qui explicẽt principium scientiæ esse, qm̃ principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus, ex quibus principia constant; sicuti huius principij, omne totũ est maius sua parte, est cognitio quatenus intelligitur, quid sit *totum*, & quid sit *pars*. Vnde antiqua lectio ita habet. *Ipsa enim cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*. Themistius autem intelligit principium scientiæ, intellectum, quo terminos cognoscimus, & est explicatio cõsentiens ijs, quæ habentur in calce libri sequentis; vbi docetur, intellectum esse virtutem nobis insitam, qua principia scientiarum comprehendimus. Io. Gram. sui præceptoris (quem nõ nominat) hanc aliam refert expositionem, quòd principium sit Deus, termini autẽ sunt ipsa intelligibilia, & species diuinæ, quæ vocantur termini, qm̃ sint termini omnium. Nam sicut ab vnitate multitudo sumit initium, & in vnitatẽ dissoluitur, & sunt centenarij termini, & cẽtenarius est terminus miliarium, & omniũ communis est vnitas, sic sensibilium (inquit) termini sunt corpora cœlestia, horum substantiæ intelligibiles; omnium autem commune est primum principium, quo nobis influitur lumen, & intelligimus. Verum Platonica est hęc opinio cõformis Pythagoreorum placitis, non doctrinæ Aristot. Vnde omittendas tanquam nõ cõgrua huic præsenti cõtemplationi.

Them.

Io. Grã.

Quomodo inductio facit notum. Sicut per inductionem ex singularibus, quæ sunt Posteriora manifestantur vniuersalia, ita quoq; demonstratio cõfecta ex prioribus, & notioribus quo ad nos, est a posteriori, & ita per Posteriora manifestantur ea, quæ sunt simpliciter priora.

Aut non fit syllogismus, aut non de acceptis. Hoc ostensum est in lib. 2. Prior. Analy. qđ nõ potest affirmatiua propositio in 2. figura circulo probari; qm̃ altera esset propositio negatiua in circulari demonstratione: priuatiua autem propositio potest ꝓbari, ita tamen vt non fit de acceptis; qm̃ non proprie ipsa, sed eius conuersa ostenditur, vt ibi docetur.

Lib. Prior. Analyt.

Quoniam pauca talia in demonstrationibus. Ex his colligitur nõ omnem demonstrationem cõstare ex terminis conuertibilibus, qm̃ paucas contingit esse huiusmodi demõstrationes, vt palam dicit hoc loco Aristot. De qua re exactius infra in libro sequenti, in quo de circulari demõstratione erit sermo, præsertim secundum opera naturalia. Sciendum est tñ Auerroem in 2. lib. Cœli com. 32. & in lib. 8. Phys. com. 65. Ponere duplicem demonstrationem, alteram dicentẽ propter quid, alteram vero qua ostenditur causę ipsius effectus, & simul probatur effectum esse; vt, cum a causis notioribus, tum secundum naturam, tum nobis ad effectos occultos procedamus, & est, *vt ipse sentit*, potissima demõstratio. Alteram vero, quæ solum ostendit causam effectus, & nõ ipsum esse, & hanc appellat demonstrationẽ causæ tãtum; cum. s. effectum primo cognoscimus, & per eum indagamus causam. Vnde hunc in modum Auerroes admittit regressum fieri a causa ad effectum cognitũ prius quantum ad esse: regressu aũt a causa ad effectum, ait, ostendi causam, secundum quã ignotus erat effectus. S. Tho. in lib. 2. Cœli contextu 59. habet, ꝙ omnis demonstratio probat effectum esse, & simul ostendit causam: quod etiam habetur apud Themistiũ 2. Post. c. 2. Vnde si effectus cognoscatur ante causam; dicendum, ipsum imperfecte, & particulariter cognosci: cum autem demonstratio accedit tradens causam effectus, sic vniuersaliter, & certius, & celerius cognoscitur, quod docet Arist. in libro sequenti. Verum de speciebus demonstrationis latius infra in hoc libro discutiendum erit; vbi discrimen affertur inter demonstrationem propter quid, & illam, quæ demonstratio, quia nuncupatur. Et in libro sequenti exacte quęstio de regressum demonstrationum examinabitur.

Auerr.

S. Thom.

Them.

li. 2. Post. c. 24.

Quid sit dictum de omni.

QVoniam auté ex definitione assignata ipsius simplex scire constitutum est, quòd id, de quo scientia simpliciter existat, impossibile est aliter se habere, hinc etiam constituendum est, ꝙ illud, quod scitur per scientiam demóstratiuam, est necessarium. Et cum scientia demonstratiua obtineatur in habendo demonstrationem; ideo inferendum, ꝙ demonstratio est syllogismus cóstans ex propositionibus necessarijs. Siquidem, si quod scitur per demóstrationem, impossibile est aliter se habere, & quod impossibile est aliter se habere per regulas enunciandi, idem valet, qđ necessarium, omnino sequitur opus esse, vt ea, per quæ, quod scitur est necessariũ, sint & ipsa necessaria; alioquin, quod scitur, vt necessarium, nó esset necessariũ; quare considerandum est, ex quibusnam, & qualibus necessarijs constabit demonstratio. Idcirco in primis est aperiendum, quidná intelligamus, quidue sit dictum de omni, & ipsum per se, & vniuersale. Et primo quidem, quod

at-

attinet ad dictum de omni, illud non intelligimus esse de omni, quod in quodam insit subiecto, & in quodam non insit; aut, qđ quodam tẽpore inest, & in alio quodam tempore nõ inest; sed illud, quod in toto subiecto, & per omne tempus inest; Quemadmodũ si animal de omni homine dicitur, & verum est dicere, ꝙ hoc indiuiduum, vtputa Socrates est homo, verũ etiam erit dicere de Socrate, quòd est animal: & si nũc Socrates est homo, nunc quoque Socrates erit animal; adeo quòd animal de omni homine semper prædicabitur. Et quidem quòd dictum de omni hunc in modum sit accipiendum, instantiæ, quæ ex aduerso afferuntur, manifestant, cum, qui intendit destruere, quòd aliquid non sit de omni, opponit, quòd aut de toto subiecto nõ ꝑdicatur, aut ꝙ non in omni tempore inest. Quemadmodũ dicimus, non inesse de omni, quòd homo sit albus, quando non omnis homo est albus. Item nõ esse de omni quòd homo sit canus, cum nõ in omni tempore, sed solum in senectute insit homini canities.

Adnotationes.

N*Ecessarium vtiq; fuerit scibile.* Ostensurus est Arist. quòd demonstratio constat ex propositionibus necessarijs; ad id autem astruendum assumit illud, quod ex definitione tradita ipsius scire deductum est: nempe, quòd illud, quod scitur, impossibile est aliter se habere cui cõsequitur iuxta tradita in lib. Periher. quòd illud, quod impossibile est aliter se habere, est etiam necessarium. Atqui hoc cõstituto, quòd id qđ scitur simpliciter, est necessarium, palam deducitur opus esse, vt & illud sit necessarium, per quod id, quod scitur est necessarium. Vnde cõstabit demonstratio ex propositionibus necessarijs. Neq; vero existimandum est, prædictam consequentiam impugnari ex eo, quòd etiam ex non necessarijs possit sequi necessarium: quemadmodũ & ex nõ veris verum: qm̃ dicimus, quòd id quod est necessarium, quatenus est scitum per demonstrationem, redditur necessariũ, propter pręmissas, quæ debent esse necessariæ; alioquin nõ sciretur, vt necessarium id, quod concluditur vt necessarium. Vnde adnotandum, hanc necessitatem rei scitæ per demonstrationem pertingere ad ipsam intimam rem, & nõ tantum cõsistere in ꝓpositionibus iuxta nexum formæ syllogisticæ, ex qua necessario sequitur cõclusio, & dr̃ necessitas illationis, nõ autem rei: prout constitutum est in Prior. Analyt.

li. Perih. Sect. 4.

Accipiendum igitur ex quibus, & qualibus Sũt qui referunt particulam, *ex quibus*, ad propositiones, illam vero aliam particulam, *ex qualibus*, ad quęstiones, quarum sint demonstrationes. Vnde Themistius hæc habet. *Deinceps considerandũ qualia sint accipienda problemata in demonstrationibus, & quomodo adhac abundabimus propositionibus.* Verum nihil prohibet, vt vtrumq. referatur ad propositiones, dum considerabitur ex quibusnam, & qualibus necessarijs propositionibus constare debet demonstratio, vt ita magis in particulari hęc de propositionibus speculatio determinetur, nulla habita ratione problematum in ijs dictis, cum prius de ipsis mentio facta sit: vbi dictum est, ꝙ quoniam quod scitur, impossibile est aliter se habere, ideo scibile est necessarium. Hinc subinductum est, propterea speculandum esse ex quibusnam, & qualibus necessarijs pendere debent necessariarum scibiliũ demõstratio: qm̃ dicta per se, & de omni, & ipsum vniuersale vario modo possint intelligi. Vnde merito, quæ & qualia esse debeãt assumenda pro demonstratione scibilium necessarium est considerandum. Quæ autẽ subiunxit Them. *& quomodo ad hac abundabimus propositionibus*: non pertinent ad pręsentem speculationẽ, in qua explicatur dictum de omni, per se, & vniuersale, & subsequenter ostenditur, quòd debent esse necessariæ propositiones assumendæ in demõstratione: quomodo autem ipsis abũdemus, non docetur hoc loco, vt censuit recens interpres: sed alibi id erit speculandum, adhibita quidem norma hic præscripta circa qualitatem propositionum, vt idoneæ, & cõuenientes assumantur ad necessaria problemata demonstranda: quod munus docetur tum in lib. 1. Prior. Sect. 2. tũ in lib. sequen. in ea parte, in qua traditur Methodus venandi definitiones, & causas problematum.

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 4.

De omni quidem. Explicat, quomodo dictũ de omni sit intelligendum, de quo etiam actum est in initio libri Prior. Analy. Verum est hoc discrimen, quòd ibi considerabatur dictum de omni simpliciter absque vlla distinctione. At hic limitate penes vniuersum subiectum, & secundum omne tẽpus consideratur, vt non possit esse syllogismus demonstratiuus, nisi de toto subiecto, in quo aliquid insit secundum omne tempus, ad quòd prædicatum demonstratiuum, cum adest subiectum, in eo omni, & semper adest.

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 1.

De ijs, quæ per se dicuntur.

IPsa autem per se, seu secundum se Grçce καθ' ἀυτὸ pluribus accipitur modis. Ac primo quidem dicitur secundum se, illud, quod ita inest alicui, vt ad eius essentiã pertineat,& in eius oratione dicẽte, quod quid est, in ipsa rei definitione accipiatur; quemadmodum hoc pacto inest linea triangulo,& lineæ inest per se punctũ, cum & in definitione trianguli linea accipiatur, dum dicitur,quòd triangulus est figura plana tribus lineis cõtenta,& punctum in definitione lineç,quç est magnitudo, cuius extrema sunt duo puncta.

Aliter vero(& erit secũdus modus) dicitur secũdum se id, quod inest alicui, ita quidem, vt illud cui inest, accipiatur in eius definitione, quemadmodum curuitas ita secundum se inest lineæ, vt in definitione curuitatis linea accipiatur: sicuti & simitas ita inest naso, vt in definitione simitatos nasus accipiatur. Reliqua vero omnia, quæ citra alterutrum dictorum duorũ modorum insunt alicui, vt non inexistentia secundum se, erunt accidentia: veluti album, aut musicum, quæ insunt animali.

Tertio modo dicitur secũdum se illud, quod nõ de aliquo quodam subiecto dicitur: sed ipsum secundum se est, quidquid est. Etenim ambulans non est huiusmodi, vt non dicatur de subiecto aliquo,quod supponitur: ambulans n. includit quid aliud, quod ambulat. At substantia;& quæcũque hoc aliquid significant, non aliud quid existentia, sunt id ipsum,quod sunt. Itaq;,quæcunq; de subiecto alio non dicũtur, sed ex seipsis existunt,hæc secundum se dicuntur: quæcumq. vero de subiecto aliquo dicuntur,quod ipsis supponitur, hæc non secundũ se existunt: sed erunt accidentia. Amplius quarto modo, quod vnicuiq. inest ob ipsũ, Græce δι' ἀυτὸ, inest etiam καθ' ἀυτὸ, idest, etiam secundum se,seu per se est; Et ex opposito, quod non inest ob ipsum, non sc͞dm se, sed accidens erit. Quemadmodum hunc in modum accidens est,ꝙ ambulante Socrate fiat corruscatio:non n. ob id ipsum,ꝙ Socrates ambulet, fit corruscatio. Sed, vt quoddam accidens dicimus ad Socratẽ ambulantem contingisse, vt fieret corruscatio,dum ambularet. At si quid sit ob ipsum, illud quidẽ est secundum se: vt si quis iugulatus intereat secũdum iugulationem, vt ob eam intereat,id quidem secundum se erit factum, & non ex accidente.

Ex his deducitur,quòd dicta in simpliciter scibilibus secundum se,siue sint huiusmodi, vt in definitione inexistentium ipsis prçdicatorum assumantur iuxta secundi modi assignationem, siue huiusmodi,vt prædicata assumantur in definitione eorũ,quibus inexistunt iuxta primum modũ ad veram essentiam, & definitionẽ rerum pertinentia; haud obscurum est,quod hæc sunt,& ob ipsa iuxta quartum modum dicendi per se,& etiam necessaria, cum absq; illis nõ possint esse ea, quibus insunt. Quemadmodum homo semper est animal rationale,ita vt ex necessitate insit ei animal rationale,& sine ijs esse non possit; sed & illa, quæ non simplici, & vnico modo, sed pluribus modis inexistunt alicui (quemadmodum

lineę, & curuum, & rectum potest inesse, & numero par, & impar, cũ necesse sit alterum oppositorum inesse, tum lineæ, tum numero) etiam hæc dicuntur secundum se necessaria. Nam, iuxta illud axioma, de quocunq; necesse est affirmare, vel negare, sequitur quòd ex necessitate, aut alterum oppositorum, aut alterum insit, videlicet, vt numerus insit, aut par, aut non par, idest impar, & linea, aut recta, aut non recta, idest curua. Vnde huiusmodi prædicanda simpliciter secundum se inexistẽtia, iuxta primi, & secundi modi assignationem erunt, & ob ipsa, iuxta quarti modi significationẽ, & ex necessitate inerunt.

Adnotationes.

Per se autem Græce καθ' αὑτό: quod, si vis vocis exacte perpendatur, id videtur significare, vt, quod inest alicui καθ' αὑτό, insit secundum se ipsum, sicuti triãgulo inest linea, quæ pertinet ad esse trianguli, vt per eam sit, neq; possit sine linea esse, iuxta primum modum dicendi per se; similiter inest lineæ curuitas secũdum se, ita vt pertineat ad lineam, quatenus per lineam curuitas subsistit, in ea existens iuxta secundũ modum dicendi per se. Vnde distinguitur hic modus a primo modo, in quo intelligun tur ea inesse alicui secundum se, quæ illud, cui insunt, cõstituunt. Secundus autem modus dicendi per se concernit ea, quę insunt alicui, vt per illud subsistaut. Quod aũt nõnulli distinguunt hos duos modos, qm̃ primo modo cõueniat dictum de omni, non autem secundo modo, quatenus nõ omnis numerus est par, aut omnis linea nõ est curua, sicut oĩs homo animal rationale dici potest, quòd dictum de oĩ competat etiam secundo modo; qm̃ oĩs linea, aut est curua, aut recta de necessitate. Adnotandum autem in lib. 5. Met. primum modum dicendi per se distiugui in duo significata, quorum alterum complectitur definitionem rei, alterũ vero partem aliquam definitionis, vtputa genus: at hoc loco in vno significato simul oĩa comprehensa sunt, quæ pertinẽt ad definitionem rei. Modus vero dicendi per se, qui secundo loco hic assignatur, vltimum locum habet in lib. 5. Metaph. Quemadmodũ ibidem explicauimus.

li. 5. Met. cap. 5.

li. 5. Met. c. 18.

Substantia namq; ipsorum ex ijs est. Hinc apparet, quòd ea secundum se sunt, quibus insunt prædicata, quæ ad eorum substantiam pertinent. Accipitur autem hoc loco substantia pro essentia, cum etiam circa alia prędicamenta (sicuti in textu de lineæ, & de trianguli definitione habitus est sermo) pręter substantiam proprie acceptam, inueniãtur prædicata ingredientia eorum definitionem. Vnde Arist. subiunxit, *& in oratione dicente quid est insunt.* hinc complectens orationem definitiuam, quæ etiam competit accidentibus, cum & aliæ orationes nõ definitiuæ inueniantur.

Amplius quod non de subiecto dicitur alio aliquo. Vt opinamur, hoc loco Arist. explicat modum illum per se, qui pertinet ad subiectum, cui insint prędicata; adeo quòd subiectum erit secundum se, si fuerit tale, vt ei primo per se ipsum, & non per aliud subiectum insint prædicata, & est modus per se pertinens ad cõstitutionem ipsius vniuersalis, in quo requiritur (vt patebit ex sequẽtibus) vt illud, quod inest alicui ei insint primo, & non solum secundũ se. Et hic modus in lib. 5. Met. loco citato tertius in ordine adnumeratus est; vbi dr̃, esse secundum se, si ostensum sit cui primo insit, & affertur exẽplum de superficie, quæ dr̃ per se alba, qm̃, quatenus ipsa, primo alba est, & nõ recipit albedinem ob aliud subiectum, cui primo insit. Vnde hoc loco Arist. inquit, esse scd̃m se id, quod non de aliquo alio subiecto dr̃: sicut album, aut ambulans: non. n. ambulãs, est, seu subsistit secundum se: sed supponit aliud subiectum, cui inest ambulatio. Hinc etiam in lib. 4. Met. vbi est disputatio de eo principio, quòd impossibile est simul de eodem affirmare, & negare, aduertitur ab Arist. opus esse pronunciare, quæ proprie significant hoc aliquid. Nam licet dici possit albus medicus, attamen oportet deuenire ad proprium quoddam, de quo albedo dicatur, & in illo subsistat, vt significetur hic, vel ille homo, de quo albedo prædicetur; alioquin nõ daretur vniuersale primum; hinc significans tertium modum dicendi per se, de quo hic est sermo. Et vt exactior huius tertij modi dicti per se intelligentia habeatur, perpendenda sunt verba subsequentia hoc loco posita; hæc nempe; *substantia vero, & quæcunq; hoc aliquid significant non alterum quid existentia sunt, quod sunt.* Nam, cum dixisset *substantia* subiunxit postea, *& quæcunque significant hoc aliquid.* Hinc manifeste denotans, q̃ nõ solum intelligeret esse secundũ se substãtiam indiuiduam, quæ proprie primo, & maxime dr̃ substãtia, & de nullo alio subiecto prædicatur, cum ipsa sit vltimum subiectum, nõ habens aliud infra se, vt patet ex prædicamentis: Verum etiam quæcunq; significant hoc aliquid, nẽpe quid determinatum; qm̃ (vt habetur in lib. 7. Met.) ipsa etiam accidentia significant ipsum qd, licet non ita proprie, vt substantia. Etenim et triangulus p̃ se habet tres angulos duobus rectis æquales. Vnde dictio illa *substantia*, hoc loco non solum accipi potest, vt significat substantiam ab accidentibus distinctam: verum etiam pro essentia cuiusq; rei, & ideo postea subiunxit Aristotelis sermonem generalem, quòd quæ de subiecto nõ dicuntur, sunt secundum se, quæ vero

li. 4. Met. c. 4.

li. 7. Met. c. 5.

to de subiecto dicũtur, sunt accidentia, inquantum habent aliquid per aliud, vt non per se illud habeant, sed secundum accidẽs, nempe per aliud. Idcirco etiam definitum est scire, quod est non secundum accidens, sed secundum se. Item in lib. 2. Phys. definitur natura, quod sit principium eius quod mouetur secundum se, & non secundum accidens. Et in lib. 5. Met. in explicatione huius vocis, *vnum*, dr̃, quòd homo per se hõ est, nõ autẽ animal, licet animal, vt pars materialis ingrediatur hominis cõstitutionem. At quia nõ quatenus significatur per se homo, non est primo animal, sed homo hinc dr̃, quòd homo non est per se animal. Vnde etiam in lib. 7. Met dicit Arist. quòd definitio proprie habetur de ijs, quæ non obtinent esse per participationem, cuius modi sunt species specialissimæ habentes essentiam per se ipsas: cuius essentiæ particeps est genus: atq; ideo specierum specialissimarum propriæ sunt definitiones, vtputa, quarum vltimã differẽtiã vltimum esse ipsarũ determinat: genus aũt concurrit secundum potentiam habentem rationem materiæ aliunde, nempe a prędicta differentia vltima limitandũ. In eodem quoq; lib. dr̃, quòd primum, & per se bonum est immediatum subiectum, & proprium, cui primo bonum competit. Item in lib. 2. Top. habet Arist. quòd scd̃m se est, quòd triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis; at secũdum accidens eosdem habet æquilaterus, qm̃ triangulo accidit esse æquilaterum. Veruntamen aduertendum pręcipue ad distinctionem accidentium, dicta esse ea non per se, quæ non obtinent locum proprij subiecti respectu p̃dicatorum subiecto inhærentium, sed supponũt aliud subiectum, in quo prius insint prædicata. Veluti, si dixerimus, quòd ambulans est risibile, ita erit ambulans non per se subiectum risibilis: sed erit homo, cui accidit, vt sit ambulans. Quòd si tertij modi explicatio referatur, (vt plurimi intellexerunt) ad solam particularem, & indiuiduam substantiam, quæ neque est in subiecto, neq; de subiecto dr̃, vt habetur in tractatu Prędicamentorum, sequeretur quod alia prędicamenta, a substantia (propterea quòd dicuntur de prima substantia) non essent per se entia: quod est inconueniens dicere, cum sint entia per se in sua essentia; licet non ita perfecte, vt substantia, cui accidentium esse inhæret, vti proprio fundamento: quemadmodum ab Arist. explicatũ est in lib. 7. & 8. Metaph. Quia & secundæ substantiæ, genera, & species (iuxta prædictam interpretationem) non essent primo, & per se substantia, sed dicendæ forent accidentia: quatenus secundum aliud, nempe propter primam substantiam sint substantiæ, cum de subiecto alio dicuntur. Neq; id mirum, qm̃ in prędicamento quoq; relationis dr̃, accidere seruo, quod sit homo. Themistius aũt hęc de tertio modo dicendi per se allata ab Arist. ita est interpretatus, vt hinc in duos modos diuiserit, in vnum cum accidentia insunt alicui immediate, sicut calor superficiei, & in alterum, vt illud sit secundum se, quod neq; de subiecto dr̃, neq; est in subiecto, veluti sunt (inquit ipse) particulares substantiæ. Alij vero interpretes passim de substantijs solum particularibus intellexerunt, vti prędictum est. At in opposi tum, prẹter inconueniens iam adductũ, sequitur ad horum intelligentiam, quòd sint dicenda accidentia illa oĩa, quę de subiecto dicuntur, inter quæ cadunt etiam substãtię secundę, genus, & species primarum substãtiarum. Accedit quòd verba illa in contextu posita, *substantia, & quæcunq; significans hoc aliquid*, nõ ad solam substantiam sunt referenda, sed ad plura alia, vti antea quoq; perpendimus. Prẹterea insuetum factum esset apud Arist. quòd, post modos enumeratos dicendi per se, qui ingrediuntur demonstrationem, subiunxisset illos, qui non pertinẽt ad demonstrationẽ; cum simpliciter in more positum habeat, vt priori loco enumeret impropria rerũ significata; postea vero ea, quæ propria, & suo vsui apta adiudicaret.

[Margin: li. 2. Phy. c. 1. — li. 5. Met. — li. 7. Met. c. 5. — li. 7. Met. c. 6. — li. 2. Top. c. 2. — li. 7. & 8. Met. — Them.]

Amplius autem alio modo, quod quidem propter ipsum. Quartus modus dicendi per se his verbis explicatur, vt illud, quòd inest propter ipsum, dicatur etiam secundum se. Vnde aduertendum in lib. 5. Met. explicari ipsum δι' ὁ, tanquam illud, quo denotatur propria rei causa, & aptatur oĩ generi causarũ: vt hinc pateat, typum dictum propter quod in omni demonstratione requiri, quę simpliciter facit scire per propriã causam. Hoc vero loco habẽt particula illa Græce δι' αὑτὸ, qua comprehenduntur etiam ea, quæ non insunt intrinsece in rebus, cum tamen sint talia, vt ab illis dependeant in esse: veluti est mors ob iugulationem causata, & qualis est priuatio luminis in Luna ob interpositionem terrę factum inter Solem, & Lunã: sed & applicatur typus prędictus *propter ipsum*, ad alias causas prẹter efficientẽ: sicuti omnes causę assumuntur pro medio in demonstratione: vti docetur in lib. sequenti, quod etiam adnotauit S. Tho. Vt igitur huiusmodi causa sit secundum se, oportet, vt propter illam, quatenus talis est causa, sit effectus. Vnde, si quis fodiẽs terram, thesaurum inueniat, dum vineam excolit, non erit hmõi effectus καθ' αὑτὸ, neq; δι' αὑτὸ, sed secundum accidens. Sed adnotandum, modum dicendi δι' ὁ, siue *ob ipsum*, aptari ad entia, quę rei essentiam continent, vt ab essentia dicente quod procedatur ad explicandum quid sit aliquid, præmissa quęstione si est; vt habetur in initio libri sequentis. Et in hanc quoq; sententiam clarissime cõspirant, quę habet Arist. in lib 1. de Anim. vbi edisserens de motu animæ tum secundum se, tum secundũ aliud, siue per accidens, inquit; *Quẽadmodũ neq; quod per se, vel propter se Græce* τὸ καθ' αὑτὸ ἢ δι' αὑτὸ, *illud quidem per aliud hoc vero alterius causa*: ex ijs innuens tum tertium modum dicendi per se distinctum a re, quę sit secundum aliud; tum quartum modum, per quem propria causa significatur. *Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se, siue insint prædicatis, aut illa sint in subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate.* Adnotandũ per *simpliciter scibilia*, intelligi subiecta, quæ nõ de alio subiecto dicuntur: sed ipsamet (vt talia sunt) prædicatorum sunt

[Margin: li. 5. Met. c. 18. — li. 2. Post. S. Thom. — lib. 1. de Ani. c. 3.]

su-

ſuſceptiua; adeo quòd his verbis inſinuatur tertius modus dicendi per ſe ante explicatus. Obtinent autem huiuſmodi ſubiecta exiſtentia ſecundum ſe, in ipſiſmet, tum ea, quæ in eorum definitione accipiuntur iuxta primum modum dicendi per ſe; vbi prędicata dicuntur de ſubiecto, & explicatur hac voce ἐνυπάρχειν, tum de ea etiam, in quorum definitione ſubiecta accipiantur, & denotatur modus ſecundus dicendi per ſe explicatus hac voce ἐνυπάρχεσθαι, quod latine proprie exprimi non poteſt verbo, quod reſpondeat Gręce voci. Cũ vero ſubiunxit, *& per ipſa ſunt*, Græce δι᾽ αὐτό, per hæc quartus modus dicendi per ſe innuitur: ſiquidem ita ſignificatur cauſa propter quam, per ipſam nempe, & non per aliam, in ſubiecto ſimpliciter ſcibili, tam prædicata eſſentialia iuxta primum modum dicẽdi per ſe, quæ per ſe inſunt vt cauſa rerum de quibus prędicamentorum, quam accidẽtia propria iuxta ſecundum modum inſunt, vt ita quattuor omnes modi dicendi per ſe iã explicati, qui ingrediuntur demonſtrationem ſint in prædictis verbis comprehenſi.

S. Thom. Ex dictis hoc loco ab Ariſt. S. Thom. dicit, ꝙ ſcientia eſt concluſionum, intellectus aũt principiorum; ſcibilia autem dicuntur proprie concluſiones demonſtrationis, in quibus paſſiones de proprijs ſubiectis prædicantur: & ſubiecta propria, inquit, non ſoli ponuntur in definitione accidentium, ſed ſunt etiam cauſæ. Vnde concludit, ꝙ cõcluſiones demonſtrationum includant, & ſecũdum modum, & quartũ dicendi per ſe; aut qñ ſubiecta ſunt in definitione prædicatorum; aut qñ inſunt prædicata propter ipſũ ſubiectum, quod eſt cauſa prędicati. Et hęc expoſitio S. Thom. eſt ſingularis, cum tamẽ Ariſt. duos modos dicẽdi per ſe, nempe primũ, & ſecundũ comprehenderit in ijs verbis εἴτως ἐνυπάρχειν τοῖς κατηγορουμένοις, ἢ ἐνυπάρχεσθαι.

Non enim contingit non ineſſe aut ſimpliciter, aut oppoſita. Quòd ea ſint ex neceſſitate, quę inſunt in ſubiectis ſimpliciter ſcibilibus, palam facit Ariſt. de ijs, quæ non vno modo, ſed pluribus modis ineſſe poſſunt alicui ſubiecto: ſicuti numero par, & impar, vel lineæ rectum, & curuum. Siquidem oportet alterum oppoſitorum ineſſe ſubiecto ex neceſſitate, vt, cum alterum non inſit, neceſſe ſit alterum ineſſe. De illis vero prędicatis, quæ ingrediuntur definitionem ſubiecti, reticet Ariſt. qm̃ manifeſtum eſt, ꝙ ſunt neceſſaria ad demonſtrationem ſubiectorum, de quibus ſecundum eſſentiam prædicantur: ſed & ſciendum eſt, quòd in his, quæ inſunt ſubiectis ſecundum exceſſum, & defectum, vt ſunt virtutes morales, & vt eſt medium inter inæqualia, in his etiam (vt aduertit

Themiſt. Them. habet locum oppoſitio, qm̃ medium opponitur vtriq; extremo. Vnde ſemper ex neceſſitate vel vnum, vel alterum oppoſitorum inerit ſubiectis quibus competunt.

Io. Grã. Io. Gram ponit diſcrimen inter accidẽtia, quę ſint paſſiones, inſeparabiles proprie, & inter alia accidentia non propria, licet ſint inſeparabilia, inquiens, quòd in definitione paſſionum propriarum accipitur ſubiectũ, quod non contingit de paſſionibus nõ ꝓprijs, qualis eſt nigredo inexiſtens coruo. Item, qm̃, quę ſunt proprię paſſiones, vni ſoli inſunt, & pertinent ad demonſtrationem. At non propriæ poſſunt ineſſe pluribus, quod verum eſt: ſed poteſt etiam dici, ſufficere ad diſtinctionem dictarum paſſionum, vt ſubiecta accipiantur in definitione propriarum paſſionum: non autem in definitione earum, quæ non ſint propriæ paſſiones ſubiectorum. Ex allata autem a nobis expoſitione circa quartum modum dicendi per ſe, ꝙ hic typus *per ipſum* Gręce δι᾽ αὐτό, ꝑtineat ad omnes cauſas, vt hinc pendeat ipſum propter quid, quod affertur in omni demonſtratione ſcire ſimpliciter faciente, quicunq; hęc recto perpenderit, innumeras, vt arbitror difficultates effugiet, ob quas mirum modum digladiuntur interpretes inter ſe.

De Vniuerſali.

VNiuerſale autem illud dr̃, quod & omni ineſt, & ſecũdum ſe, & quatenus ipſum. Vnde colligitur, ꝙ quæcunq; vniuerſaliter ſe habent, ex neceſſitate inſunt, qñ & ea, quæ ſunt ſecundũ ſe, oſtẽſum eſt ꝙ ſunt neceſſaria. Sed aduertẽdum, ipſum ſecundũ ſe, & quatenus ipſum, pro eodem accipi debere; veluti, ſi lineę ineſt ſecundum ſe punctum, & rectũ, vtiq; & in quantum linea eſt, hæc ei inſunt. Similiter & triangulo, quatenus eſt triãgulus, inſunt anguli duobus rectis æquales, cum ei ſecundum ſe ipſum inſunt. Erit autem penes vniuerſale hęc regule, vt tũc ſtatuatur eſſe vniuerſale, qñ de quocũq; eodem primo demonſtratur, quod ſupponitur eidem vniuerſaliter ineſſe. Etenim, habere duos angulos rectos vniuerſaliter non competit ipſi figurę; qm̃ etſi de figura liceat demonſtrare, ꝙ habeat duos angulos ęquales duobus rectis; attamẽ non de omni figura id monſtrabitur: non. n. de quadrangulo, quod eſt ſpecies quædam figuræ. Etſi de æquilatero hæc eadem prædicta paſſio oſtendatur, de oĩ quidem

dem æquilatero ostensum erit; at non de eo, vti primo cui insit, cũ triangulo hæc proprietas primo competat, & propter triangulum ipsi æquilatero. Idcirco, quodcũque primum demonstratur habere duos rectos, vel q d aliud, huic primo inerit vniuersale, & demóstratio secundum se huius erit, & vniuersalis, vtputa triãguli; aliorum autem quodãmodo erit demonstratio, & non secundum se, neq; ipsius æquilateris: Sed ad plusquàm ad æquilaterum, nempe ad vniuersum triangulũ, quatenus est triangulus extendetur demonstratio penes habere tres angulos æquales duobus rectis.

Adnotationes.

V*Niuersale autem dico*. Aperitur quid sit vniuersale, in quo requiruntur, tũ dictum de omni, tũ dictum per se, de quibus antea actum est. Verba vero illa, *per se*, & *secundum quòd ipsum*, supponit Aristoteles idem esse; & id contra Theophrastum, & Eudemum, qui dixerunt in plus se habere *per se*: siquidem vt ipsi dicebant, homo non est sensibilis quatenus ipse; & tñ sensibilitas non est in eo accidens. Idcirco nonnulli dixerunt, quòd Arist. supponit *per se*, vt quid superius: ipsum autem *quatenus ipsum*, vt particulare sub totocontentum. At hoc non dicit Arist. sed probat ex duobus modis dicẽdi per se effici id, quod est secundũ quod ipsum. Ideo aduertendum his verbis, *secundum quod ipsum*: significari tertium modum dicendi per se antea a nobis explicatum; & denotatur subiectum, cui insit aliquid secundum se, vel in primo modo, vel in secundo modo dicendi per se, quatenus proprium subiectum vtriq; generi prædicati sit assignatum. Neq; vero sequitur absurdum inductum a Theophrasto, & Eudemo, q̀ q̃m homo est sensibilis, non quatenus homo, sed quatenus est animal, ideo sensibilitas in homine sit accidens: sed dici quidem potest, q̀ inest homini sensibilitas secũdum accidens, quia secundum aliud nempe per ipsum animal homini insit; quod tñ ad constitutionem hominis requiritur, vt pars ad totam eius essentiam pertingens: quemadmodum etiam de Scaleno dicitur q̀ habet tres angulos æquales duobus rectis nõ secundum se, quatenus est Scalenus; sed per aliud, quatenus est triangulus, cui primo cõpetit habere tres. Adnotandum autem, in explicatione tertij modi dicendi per se superius Arist. attulisse solummodo exempla de accidentibus, quæ dicuntur de subiecto, cui insunt, non spectantia aliquo pacto ad ipsum subiectum; nisi vt quid extraneum. Hoc vero loco accipit prædictum modum dicendi per se magis in communi, in quantum aliquid inest subiecto, secundum q̀ subiectum est susceptiuum prædicati, quatenus tale subiectũ est; & ideo idem dixit esse per se, & secundum quod ipsum; q̃m prædicata vel primi modi, vel secundi modi non erunt per se inexistentia subiecto, si ei non insunt, quatenus tale subiectum est. Vnde etiam de figura in genere dicendum est, quòd secundum modum vniuersalem non habet tres angulos æquales duobus rectis: & cõsequenter dicere possumus, quòd hoc nõ habet figura quatenus figura.

Vniuersale autem est tunc, quando in quolibet, & primo monstratur. Hac dictione *quolibet*, denotatur dictum de omni; hac vero alia, & *primo*, comprehenditur conditio secundum se, & quatenus ipsum: vt significetur subiectum, cui competit primo prædicatum. Vnde dici potest concludi per hanc dictionẽ *primo*, non solum accidentia, quæ accidunt subiecto, sicuti triangulo, quòd sit ligneum, sed etiam genus, veluti figura, cui non primo competit habere tres angulos æquales duobus rectis. Item inferiora contenta sub triangulo: sicuti Scaleno non competit primo prædicta passio quatenus Scalenus est: sed vt triangulus: neq. tñ est accidens Scaleno habere tres, cum hoc habeat per se, quatenus triangulus: ligneum autem esse triangulum, accidens est absolute extraneũ tum a figura, tum a triangulo, tum ab ipso Scaleno.

Sed in plus, Græcè ἐπὶ πλέον. Vnde perperam vertit antiquus interpres, *sed frequentius*. Id enim vult Arist. quòd demõstratio huius passionis, quæ est habere tres ęquales duobus rectis, in plus se extendat quàm ad Scalenum, cum competat omni triangulo. Vnde demõstratio de Scaleno, quòd habeat tres angulos, appellatur infra demonstratio secundum numerum: simpliciter autem demonstratio appellatur ea, quæ est de triangulo. Adnotandum autem, q̀ quamuis vniuersale primum requiratur in demõstratione, attamen non propterea inferendum, quòd demonstratio omnis constet ex terminis conuertibilibus. Nam non solum genus, & differentia (quod etiam aduertit Themistius) seorsum possunt demonstrari, quæ certe seiuncta non conuertuntur cum subiecto, de quo dicuntur: verum etiam definitio rei, quę pro causa accipiatur, sæpe est huiusmodi, vt non conuertatur cũ eo, cuius est causa: vt patet de definitione formali ipsius iræ, & de alijs pluribus. Etenim ira dicitur feruor sanguinis circa cor, & tñ non conuertitur cum eius causa, quæ est appetitus re contristationis: de qua re exactius agetur in libro sequenti: vbi considerabatur habitudo causæ ad causarum. Adnotãdum etiam dici hoc loco a Themistio, quòd genus inest differentijs proximis, & de illis vniuersaliter pręedicatur. Quod dictum si ad differentias, abstractas referatur, nullatenus est admittẽdum: nam seque-

Theoph. Eudem.

Them.

li. 2. Post. c. 17. Them.

li.4.Top. c.3. li.3.Met, c.3.

rentur illa absurda, de quibus egit Arist. in Topicis, & in lib. 3 Met. inter alia quod bis genus diceretur de specie: partim per ipsummet genus: & partim propter differentiam de qua supponeretur genus prædicari, quæ & ipsa de specie prędicatur.

De errore cõtingenti circa vniuersale, et de regula dignoscendi quomodo demonstratio sit vniuersalis, & quomodo non vniuersalis.

OPortet autẽ non latere nos, ꝙ multoties contingit errare, & non esse ostensum primũ vniuersale, prout nobis ostensum videtur. Quo quidem errore ducimur, aut qñ nihil est accipere superius, præter singulare, vel singularia; aut si quid est accipere, istud est innominatum in rebus specie inter se differentibus. Eatenus autem in huiusmodi deceptionem incidimus, quatenus cõtingit, vt accipiamus totũ in parte, circa quam, & non circa totũ exerceamus demonstrationem. Etenim ita quidẽ erit habita demonstratio, quo ad partes rerum, de quibus agitur, & ad hunc sensum erit de omni, quo ad partes demonstratio: Sed tamen nõ erit vniuersale. Et vt quod dictũ est, exemplis reddatur magis perspicuum, aduertendum, quòd si qs demonstrauerit, quòd rectæ lineæ non coincidunt intersectæ a recta linea, videbitur quidem huius q̃siti habita demonstratio, eo quòd de omnibus rectis lineis id verificetur, de quibus fiat demõstratio. Verumtamen non erit, vt debet esse ipsius vniuersalis demonstratio. Siquidem non quia anguli ita sint æquales, vtputa ambo recti, propterea in vniuersali competit lineis rectis, vt nõ coincidunt; sed quia quomodocunq. fiant anguli, æquales duobus rectis, qui pluribus modis fieri possunt æquales, (licet non sit in ijs accipere aliquid superius præter singularia) ideo lineæ sese intersecantes nũquam coincidunt, & ita in quemcunque modum id contingat, astrui deberet demonstratio, quæ ita esset vniuersalis, similiter si non esset alius triangulus, quàm æquilaterus, vtique videretur æquilaterus habere rationem trianguli vniuersalis; quod tñ non est verum. Adhuc in quibus est aliquid accipere superius ad singularia, sed istud est innominatum, veluti ꝓportionale, quod alternatim in numeris reperitur, & in lineis, & in solidis, & in temporibus, si seorsum, quatenus in numeris huiusmodi proportio demonstraretur, aut quatenus in lineis, aut quatenus in solidis, aut quatenus in temporibus seorsum (prout olim quidam rudiores demonstrare conuenerant, eo quòd non sit positum nomen commune in ijs, quę inter se specie differũt) vtiq; non haberetur hunc in modum demonstratio vniuersalis; cũ tñ nunc (qñ Methodi demõstrandi ratio magis illuxit) non seorsum, sed in omnibus simul, de huiusmodi propositione in genere habeatur demonstratio, quæ omnibus istis speciebus inter se differentibus conuenit. Hinc & hoc aduertendum est penes res, de q. bus pręter singularia, est accipere aliquid superius, & illud est nominatum, quòd si quis, vel vna, vel pluribus demonstrationibus ostẽderet de singulo quoq; triãgulo, quòd habeat tres angulos æquales duobus rectis; tum de eo, qui constet ex omnibus lateribus æqualibus, tum de eo, qui constet

ex duobus ęqualibus, tum deniq; de eo, qui constet ex omnibus inæqualibus lateribus; is nondum sciret triãgulum habere tres, nisi sophystico modo, & secundum accidens; qm̃ adhuc nesciret ipsum vniuersalem triãgulum: etiã quòd præter adnumeratos triangulos, de quibus seorsum habita sit demonstratio, nullus alius existeret triangulus. Non.n. hunc in modum sciret triangulũ, vt triangulus est: neq. omnem triangulũ cognosceret, nisi secũdum numerum: at non omnem sciret secundum speciem, etiam quòd nullus alius existeret, quem nõ nouerit, singularis triangulus.

Hinc percunctabitur aliquis, qñ igitur nõ scitur aliquid inquãtum vniuersale? & quando scitur simpliciter, & inquantum vniuersale? qua regula id dignosci possit? Ideo animaduertẽdum, quòd si idem foret esse triangulo, & esse æquilatero, vel singulo, vel omnibus triangulis; vtiq. qui sciret de omnibus seorsum, sciret etiã in vniuersali, quoniam idem foret esse singulo triangulo, & triangulo seorsum a singularib⁹ accepto. At vero, si nõ est idem, sed diuersum est, esse ipsi triangulo, & esse singulis triangulis, & inest habere tres æquales duobus rectis ipsi triangulo, vt triangulus est; vtiq. qui sciret de singulis triangulis, nondum per demonstrationes penes illos habitas, sciret ipsum vniuersale; quod est scire triangulũ habere tres duobus rectis æquales, quatenus est triangulus.

Vt autem dignoscatur, nũ hęc passio, habere tres angulos ęquales duobus rectis, sit ipsius trianguli, an æquilateris, & quando secundum hunc, vel illum insit primo, & cuius de hac passione sit demõstratio vniuersalis: aduertendum erit, quibus nam ablatis; adhuc quid remaneat, cui insit passio p̃dicta. Nam ei, quod seorsum ab alijs remanet, vti primo inerit. Veluti inest ijs omnibus, ęquilatero, æneo, triangulo habere tres æquales duobus rectis: sed ablato æneo, & ablato æquilater[o], non autem ablata figura, aut termino, cum quibus etiã tolleretur triangulus ex ipsis constans, licet illis primo non insit dicta passio, cum adhuc remaneat habere tres in triangulo: hinc certi esse possumus, quòd habere tres primo cõpetit triangulo, adeo vt per triangulum competat, & alijs: ipsius autem trianguli erit demõstratio vniuersalis, & ita simpliciter habebitur scientia de passione, quæ primo competit triangulo.

Adnotationes.

Oppo*rtet autem non latere*. Quòd hoc loco de deceptione agatur, quæ contingit circa vniuersale, cõmunis & interpretatio, cui, vti & verissima est, nos nostram subscribimus sententiam. Quod autem sint plures modi erroris, vt passim supponitur (licet Themistius, & Io. Gram. ab alijs interpretibus aliqualiter deuiantes, dicant tres esse causas errandi quibus & assignant modos varios deceptionis) in hoc nos ab omnibus interpretibus dissentimus; nimirum opinãtes (& in hoc credimus cum Arist. sententia conuenire) quòd nõ sit nisi vnus modus cõmunis erroris, qui contingit circa vniuersale, habens tamen originem ex diuersis rerum conditionibus, quarum sit habẽda demonstratio. Interpretes igitur supponũt in primis vnam causam (iuxta modum Themistij est Io. Gram. seu vnum modum erroris, vt aiunt alij interpretes) esse, qñ nõ est aliquid præter singulare: hunc. n. vt explicant Themistius, & Auerroes, contingit deceptio, qm̃ existimamus non demonstrasse, propterea quòd de singulari, & non de vniuersali habita sit demonstratio: cum tñ demonstrauerimus, qm̃ (vt inquiunt) de tali singulari est habita huiusmodi demonstratio, ac si esset de vniuersali, cum vnius tantum singularis existat natura, vt puta Lunæ, Solis, & Terræ. Et in hoc hi duo clarissimi interpretes dissentiũt ab alijs interpretibus; quin & ab Arist. qui nõ ait, nos propterea

Them. Io. Grã.

Them. Auerr.

de-

decipi, qm̃ cum demonſtrauerimus, opinemur non demonſtraſſe: ſed e conuerſo, ait, deceptionem exiſtere, qm̃ exiſtimemus demonſtraſſe, cum non demonſtrauerimus. Quorum interpretationi aduerſantur verba Ariſt. dum dixit; *& ſi triangulus non eſſet, quàm æquicrus, ſecundum quòd æquicrus videretur, vtiq; ineſſe*. Quibus verbis manifeſte ſignificatur ſupponi, ꝙ videatur alicui recte habita demonſtratio de huiuſmodi ſingulari, cum tñ non ſit qualis eſſe debet demõſtratio vniuerſalis. Secundus vero modus erroris circa vniuerſale ita aſſignatur ab interpretibus; nempe hunc alium modum erroris contingere, qñ eſt accipere aliquid præter ſingularia, ſed eſt innominatum. Vnde demonſtrantes nos circa ſingulas ſpẽs; ſi exiſtimemus demonſtraſſe vniuerſale, vtiq; decipimur: non.n. erit oſtẽſum vniuerſale. Quemadmodum in exemplo allato ab Ariſtotele de proportionalitate, quæ quidem in numeris, in lineis, & alijs pluribus inuenitur; ſed eſt innominatũ illud, quod ipſis eſt commune. Idcirco demonſtrantes circa ſingulas ſpecies, non demonſtrabunt vniuerſale. Vnde & errore ducentur, qui hunc in modum demonſtrantes, ſe demonſtraſſe putabunt. Tertius vero modus, ſeu tertia cauſa erroris cõtingentis circa vniuerſale, iuxta communem interpretationem, eſt, qñ totum accipitur in parte, & de hac fit oſtenſio. Vnde (inquit Themiſtius) putamus de omni demonſtraſſe, qm̃ de oĩ, quoad partẽ, vtputa, quòd duæ rectæ lineæ, quas interſecet linea perpendicularis, faciunt duos angulos rectos, ſi demonſtretur de aliquibus lineis protractis, ſic videretur eſſe demonſtratio vniuerſalis, qm̃ de oĩbus lineis huiuſmodi rectis. i. verum; veruntamen non erit de re vniuerſa habita demonſtratio; propterea ꝙ lineæ rectæ vario modo poſſunt interſecari; vel vt faciunt angulos rectos; vel vt faciunt non rectos, ſed duobus rectis ęquales. Et hoc pluribus modis fieri poteſt ſecundum variam interſecationem, quæ circa duas lineas duci poteſt. Vnde, ſi ſimul ſecũdum quamcumq; interſecationẽ linearum haberetur demonſtratio, ita quidem eſſet vniuerſalis demõſtratio: nõ aũt ſi de his, vel de illis, quæ variæ ſint inter ſe, ſeorſum fiat oſtenſio. Et iuxta hanc communem interpretationem in dictis Ariſt. notantur tres modi, ſeu tres cauſæ erroris hunc in modum. Vnus in illis verbis, *quando aut nihil ſit accipere ſuperius præter ſingulare, aut ſingularia*. Alius ibi. *Vel ſi quidem innominatum ſit in rebus ſpecie differentibus*. Tertius vero ibi, *vel contingat eſſe vt in parte totum in quo monſtratur*. Volut autem interpretes ita exempla ſubdi ab Ariſt. circa hos tres enumeratos modos erroris, vt in priori loco aſſignetur tertij erroris exemplum in illis verbis. *ſi quis igitur monſtret quòd recta non cõcurrant*. Secundo vero loco exemplum primi modi erroris in illis verbis: *& ſi triangulum non eſſet aliud*. Poſtremo vero loco exemplũ ſecundi erroris in illis alijs verbis. *Et proportionale, quod alternatim &c.* Verum huic expoſitioni multa meo iudicio officiunt. Illud in primis, ꝙ Ariſt. ait, *decipimur autem hac deceptione*: hinc clare inſinuans modum vnum generalem erroris circa vniuerſale, & non plures præterea, iuxta allatam expoſitionẽ, nulla ratio aſſignatur circa primos duos modos erroris, quare ſint errores: ſed circa tertium modum tantũmodo aſſignatur ratio, quæ tñ eadem in oĩbus eſt, vt ꝓbabitur. Accedit, quòd, cum in cõtextu ità legatur apud Codices Græcos, & Latinos nẽpe; *quando aut nihil ſit accipere ſuperius præter ſingulare aut ſingularia*, nulla ratio habetur ab interpretibus iſtius dictionis, *aut ſingularia*, quorſum ſit allata: ſupponunt.n. errorem eſſe, qñ eſt vnum tantum ſingulare, vt ex eo ꝙ vnicum ſit ſingulare, ideo error proueniat circa vniuerſale, qm̃ demonſtratur non vniuerſale, ſed ſingulare. Vnde dictio, *aut ſingularia*, aliquid aliud, ſed alium errorem inſinuat ab ipſis interpretibus ꝑtermiſſum. Addamus quòd iuxta allatam expoſitionem redditur Ariſt. in aſſignãdis exemplis ita inordinatus, vt nihil inordinatius eſſe poſſit. Siquidem iuxta communem interpretationem, primum exemplum errori tertio àſſignatur; exemplum vero ſecundum errori primo, & exemplum tertium errori ſecundo. Sed quod præcipuum eſt in hac noſtra impugnatione, dicimus ex verbis Ariſt. manifeſte apparere, ꝙ errores omnes contingentes circa vniuerſale ex eadẽ radice, & ratione pendeunt, quam ſupponunt interpretes allatam eſſe de modo penes tertium errorem: circa quem idcirco nos decipi interpretantur, qm̃ demonſtrantes de parte, ac ſi totum eſſet, ita de vniuerſali demonſtraſſe putamus; quod tñ non efficitur. Atqui id quoq; competit exemplo aſſignato de lineis rectis, quæ ſupponuntur non coincidere, & probatur in aliquibus lineis, vtputa quæ faciunt angulos rectos, & non de alijs, quæ faciunt angulos æquales rectis. Vnde & in ijs eadem fit oſtenſio vt ſuperior: nempe in parte, ac ſi totum ipſum vniuerſale penes omnes lineas cauſantes angulos duobus rectis æquales oſtenderetur. Sed & exemplum adductum de ſingulari æquicrure quod interpretes accommodãt primo errori, pari modo cum prædictis ſe habet, vt ratio huius erroris ſit communis cum illis alijs, qñ & de eo, vt de parte, & non vt de toto, & vniuerſo triangulo habeatur demonſtratio. Similiter exemplum de alternatã proportione, quod accommodãt ſecundo modo erroris, eandem rationem continet cum prædictis: qm̃. ſ. in parte totũ demonſtretur, dum oſtenditur in numeris ſeorſum, aut in lineis ſeorſum, aut in alia re ſeorſum: ita.n. non de omni, vt vniuerſale requirit, ſed de parte erit demonſtratio. Vnde apparet, ꝙ in his omnibus exemplis eadem communis cauſa erroris cõtinetur: nempe quatenus in parte, & non ſecũdum totum habetur demonſtratio vniuerſalis. Quod etiam cõfirmatur ex verbis illis Ariſtotelis, dum inquit. *Non enim ſecundum quòd triangulum nouit, neq; omne triangulum, niſi ſecundum numerum, ſecundum ſpeciem autem non nouit*. Hæc itaq; in hanc ſententiam nos induxerunt, vt cenſeamus hoc loco vnum tantum modum deceptionis circa vniuer

ſale

ſale afferri ab Ariſtotele, cum tñ deceptio huiuſmodi oriatur ex varijs rerum generibus, circa quas habeatur demonſtratio; adeo vt cõtingat in genere eadem deceptio, qñ accipitur pro toto aliquid, quod eſt in parte, de qua fiat demõſtratio; quam exiſtimabimus (in hoc decepti) eſſe vniuerſalem, cum tñ non ſit vniuerſalis, neq; de re accepta in vniuerſali. *Dicimus* autem occaſionem huius deceptionis contingere, aut circa res, de quibus non eſt accipere ſuperius, aut præter ſingulare, aut præter ſingularia: aut circa res, de quibus eſt accipere aliqd ſuperius, ſed hoc eſt innominatum. Vnde pro hac noſtra expoſitione, dictionis huius Græce, ἢ τυγχάνῃ, vbi littera ἢ leui ſpiritu notata eſt ſignificans diſtinctionem *vel*, cenſemus eandem, aſpirato & circumflexo accentu eſſe notandam, vt ita dictio vertatur ᾗ τυγχάνῃ, id eſt, *quatenus contingit*, & cõtextus orationis ita ordinetur. *Decipimur autem hac deceptione, quando aut nihil sit accipere superius præter singulare, vel singularia, vel si sit, innominatum eſt in rebus ſpecie differẽtibus, quatenus contingit eſſe vt in parte totum. in quo monſtratur &c.* quibus deinde verbis, ſubiũgitur in his alijs ratio communis, vnde error ſequatur. *His enim quæ ſunt in parte, inerit quidem demonſtratio, & erit de omni ſed tamen non erit huius primi vniuerſaliter demonſtratio.*

Vt autem hæc etiam clariora reddantur, ponderandæ ſunt res illæ, circa quas facilis contingit occaſio errandi penes vniuerſale. Nam dantur aliqua rerum genera, in quibus, præter ſingularia, eſt accipere, aliquid ſuperius nominatum, vt ita ſit plana & facilis in ijs demonſtratio penes vniuerſale, & non ſit locus errori: ſicuti eſt in alijs rebus, in quibus nihil eſt accipere præter ſingulare, vel ſingularia: vel ſi eſt accipere, illud eſt innominatum. Etenim circa naturam humanam eſt accipere aliquid commune ſuperius, quod eſt idem in ſingulis hominibus, nempe hominis natura eadem in Socrate Platone Alcibiade & in alijs ſingulis exiſtẽs, vnde habita de ſpecie humana demonſtratio, erit vniuerſalis, competens æque ſingulis hominibus; ſicuti & natura animalis ſuperius exiſtẽs ad ſpeciem hominis bouis, equi, & aliorum animalium, ſi demõſtretur, erit demonſtratio vniuerſalis circa totum & vniuerſum genus animalium. At in illis rebus, in quibus nihil eſt accipere præter ſingulare: veluti eſt terra, vtiq; habita demõſtratio de terra, vt eſt ſingularis, videretur eſſe demõſtratio vniuerſalis, quæ tñ non eſſet vniuerſalis, qm̃ de parte, ac ſi de omni habita eſſet demonſtratio: vnde & penes hoc genus rerum errare contingit. Ariſt. autem hanc deceptionẽ exponit ſub hoc exemplo, ſupponens, ꝙ tantum eſſet vnus triangulus æquilaterus. Vnde non ſolũ intelligi poterit ſingulare ſecundum indiuiduum, vt dictum eſt de terra; ſed etiã de vnica ſpecie ſingulari, cum tñ plures eſſe poſſint, vt ſunt trianguli plures ſpecies. Similiter contingit nos decipi eadem deceptione circa res, in quibus præter ſingularia nihil eſt accipere ſuperius: qm̃ oſtendẽdo in his vel in illis indiuiduis ſingularibus, aut indiuiduis ſpeciebus, exiſtimemus de omnibus oſtendiſſe; qm̃ de tota vna ſpecie habita ſit demonſtratio; veluti de lineis nõ concurrentibus, quæ faciũt angulos rectos. Nam cũ poſſit eſſe, vt linea eas interſecans, ita recte cadat, vt faciat duos angulos rectos, & poſſit etiam ita interſecare, vt non cauſet duos angulos rectos, ſed duos æquales duobus rectis; idq;, aut qm̃ anguli extrinſeci ſint æquales duobus rectis; aut qm̃ anguli ex aduerſo poſiti reddantur æquales duobus rectis, aut alio modo: Ideo ſi de omnibus lineis cauſantibus duos angulos rectos habeatur demonſtratio; & nõ de alijs, quibus cauſentur anguli æquales duobus rectis, aut hoc, aut illo modo; non erit vtique hæc demõſtratio vniuerſalis: & ita decipietur, qui putauerit ſe demonſtraſſe, quia de omnibus talibus lineis demonſtrauerit; puta de facientibus angulos rectos, & non de alijs alio modo ſe habentibus. Vnde, cũ præter ſingulares has vel illas ſpecies nihil ſit accipere ſuperius commune his omnibus, hinc decipimur, ſi exiſtimemus demõſtraſſe vniuerſaliter; quod fieri non poteſt, quia in huiuſmodi nihil eſt accipere ſuperius, quod omnibus iſtis ſit commune. Et iis quidem ſimilia ſunt, quæ lucidum vario modo obtinent; & quę refractionem & iridem quandam patiuntur, de quibus nihil eſt accipere ſuperius præter ſingularia, circa qđ vt de vniuerſali, diſtincta aſtrui poſſit demonſtratio. Adhæc, vbi eſt accipere præter ſingularia aliquid ſuperius, ſed eſt innominatum, hinc etiam deceptio cõtingit oriẽs ex hoc, quòd non ſit nominatum id, qđ eſt cõmune omnibus, de quo ſi haberetur demonſtratio, vtiq; eſſet de vniuerſali. At ſi ſeorſum de vna ſpecie, & de alia, & de ſingulis ſeorſum habeatur demonſtratio, non erit vtiq; vniuerſalis, qua non ſecundũ totum commune & vniuerſale erit facta. Huiuſmodi eſt alternata proportio, quæ inuenitur in numeris, in lineis, in ſolidis, & in temporibus; quæ ſunt omnes ſpecies inter ſe differentes, ſed tñ conuenientes in natura alternatæ proportionis, cũ ſit omnibus communis, ſed non nominata: adeo vt de ea explicata haberi poſſit demonſtratio. Et huic quidem a nobis aſſignatæ interpretationi ordo quoq; exemplorum ſatis apte congruit; cum in primo loco appoſitum ſit exemplum de his, in quibus nihil eſt accipere præter ſingularia. In ſecundo vero loco exemplum eorum, in quibus nihil eſt accipere prȩter ſingulare. Et in poſtremo loco exemplum eorum eſt aſſignatum, in quibus eſt accipere aliquid ſuperius, ſed eſt innominatum; vt ita ꝓpoſitȩ interpretationi ſub quendam ordinem exempla etiam correſpondeant.

Plerunq; contingit peccare. Dum *plerumq;* dicitur, inſinuatur frequens occaſio peccandi non varij modi erroris.

Secundum quod videtur monſtrari vniuerſale primum. Ait cõtingere vt erremus, eo ꝙ nõ ſit oſtenſum vniuerſale primum: ſicuti alicui videtur oſtenſum, & idcirco in deceptione verſatur.

Decipimur autem hac deceptione. His verbis

clare

clare insinuatur modus vnus generalis errandi circa vniuersale, & vnde proueniat, subiungitur his alijs verbis: *Quando aut nihil sit accipere superius præter singulare vel singularia aut si sit quidem illud est innominatum*: Et ita tria genera rerum insinuantur: aut qñ nō est accipere aliquid superius præter singulare, aut præter singularia: aut si est accipere, illud est innominatum; de quibus omnibus exempla allata fuerint, vti explicatū est. Adnotandum autem in antiqua lectio ne haberi, *quàm singularia*; cum apud alios omnes interpretes sit *aut singularia*. Atqui nō cōgrue videtur dici, ꝙ nihil sit accipere præter singulare q̃ singularia. Sed forte interpres nō assecutus sensum Arist. eo modo vertit litteram H, nō disiunctiue, sed cōparatiue accipiendo. Nōnulli vero alij dictionem, *vel singularia* omiserunt, forte ab eadē difficultate superati: Nos vero ad dictionē *singulare* exemplum accōmodauimus de triāgulo æquilatero, supposito ꝙ esset tm̃ hęc singularis species trianguli, vt Arist. in cōtextu supponit. Ad dictionē vero *singularia*, supra q̃ nihil sit accipere, accōmodauimus exemplum de lineis nō concurrentibus, eo modo vt explicatum est.

Vel contingat esse sicut in parte totum. Sic cōmunis lectio, nos aūt Græcam dictionem, ἢ τυγχάνῃ, ita vertendam antea supposuimus mutata inscriptione litteræ H, inaspiratam & circumflexam, *quatenus contingat* vt ita interpretemur locum: ꝙ cōtingit circa prædicta varia rerum genera errare penes vniuersale, quatenus totum in parte accipitur, de qua fit demōstratio, & nō de toto; adeo vt cōmunis sit, hic assignata rō errandi penes hæc omnia genera rerum, quoad vniuersale, ꝙ nō ostendatur, prout est ostensum esse existimatur.

Et si triangulum non esset aliud quàm æquicrus. Hoc exemplum pertinet ad ea quorum supponatur vnum tm̃ singulare indiuiduū. Vnde sciendum in lib. 7. Met. doceri ab Arist. ꝙ singularium corruptibilium proprie non potest esse demōstratio neq; definitio; & si habeatur de huiusmodi, oportet nouisse, ꝙ definitio in ijs nō ita se habeat, vti in illis; quorum proprie est demōstratio, & definitio; vt quæ sempiterna sint cōprehendētia species rerum eodem modo semper existentium. Ibidē etiam docetur nō esse posse definitionem eorum, quæ singularia sunt & æterna, veluti Solis, Lunæ, & huiusmodi: qm̄ nō pōt haberi vniuersale, quod de huiusmodi æternis indiuiduis afferatur cōmune ipsis & alijs, prout omnis definitio semper affert aliquid quod est cōmune definitio, & alijs pluribus.

li. 7. Met. c. 5.

Et proportionale quod alternatim Exemplum hoc pertinet ad res habentes aliquid superius, sed innominatum: in quibus, & si de singulis speciebus seorsum demōstratio fiat, attamen id nō erit demōstrare vniuersale. Sciendum autem ꝙ propositio est habitudo vnius quantitatis ad alteram: sicuti sex 6 se habent ad tria 3 in proportione dupla. Proportionalitas autem est collectio duarum proportionum, quæ, si sint disiunctæ, in quatuor terminis cōsistunt; vt, sicut se habent *quattuor* 4, ad *duo* 2, ita sex 6, ad *tria* 3: si vero aut cōiunctæ, in tribus terminis erunt, quorum vnus bis sumitur: sicuti se habent *octo* 8 ad *quattuor* 4, ita quattuor 4 ad duo 2. Permutata autem proportio est, qñ antecēdentia inuicem cōferuntur, & similiter cōsequentia; vt sicut se habent *quattuor* 4, ad *duo* 2, ita *sex* 6 ad tria 3; ergo, sicut se habēt *quattuor* 4 ad *sex* 6, ita se habent *duo* 2, ad *tria* 3.

Nunc autem vniuersaliter monstratur. Antiqua lectio, & illa Argirop. loco huius particulæ *nunc*, legunt *non*, sed perperam: id. n. respōdet priori dicto, ꝙ olim seorsum accipiebantur in demōstratione singulæ spēs proportionalitatis: at nunc demōstratur vniuersaliter; dum in cōmuni ostenditur proportionalitas. Et hunc quidem ordinem docendi præcipue secutus est Arist. in lib. de Animalibus, in quibus diuersæ partes inuicem proportione cōueniant: vt, licet nō habeatur nomen cōmune; attamen in ipsis astruit cōmunem de singulis speciebus demōstrationem. Et hinc forte Arist. pluribus in locis & tractatibus regulas vniuersales tradidit sub elementis litterarum A B C: & alijs huiusmodi, vt eius doctrina vniuersalis redderetur.

Propter hoc neq. si aliquis monstraret singulum triangulum demonstratione, aut vna, aut altera. Docet, ꝙ etiam in his, in quibus est aliquid superius nominatū, si seorsum de quacunq; specie habeatur demōstratio puta de singulis speciebus seorsum, & nō simul de toto genere, quod nō erit demōstratio vniuersalis. Illis vero verbis, *aut vna, aut altera*, innuitur, vel si demōstratio eadem applicaretur vni speciei, & alteræ; aut si diuersa demōstratio de diuersis speciebus institueretur.

Nisi sophistico modo. Id est demōstrare pdicto modo de singulis speciebua seorsum, & nō secundum totum cōmune, esset sophistico modo. i. secundum accidens demōstrare, circa quod versantur sophistæ, & nō simpliciter: qm̄ nō secundum se, & secundum vniuersale demōstratio fieret. Et cum subiungitur, *nisi secundum numerum*, hinc significatur, demōstrationem secundum numerum futuram, si de æquilatero seorsum, & de alia singula specie trianguli seorsum habeatur demōstratio: hæc. n. erit secundum numerum huius vel illius trianguli, & nō secundum speciem vniuersalem, quæ competit vnicuique speciei particulari.

Manifestum. Affert modo regulam ad dignoscendum, qñ alicui composito insit passio per se, ratione. s. propriæ illius partis cōpositi, cui per se cōpetat passio. Et ait ꝙ illud, quod (ablato alio per cogitationem a composito) ita remanet vt passio adhuc insit cōposito, id erit ipsum, cui primo passio competit, & nō alteri eius partis. Veluti, si sit figura triangularis habens tria latera æqualia, & hæc eadem sit ænea, in hac quidē figura inerit hæc passio, vt habeat tres angulos æquales duobus rectis. Atqui, sublato ab hac figura, ꝙ nō sit ænea, adhuc remanet passio prædicta. Et similiter sublato, ꝙ nō sit æquilatera; eadem adhuc passio remanebit. Si autem auferatur ꝙ non sit figura,

hinc triangulus auferetur existens species figuræ, & cõsequenter auferetur etiam habere tres; cum tñ hæc passio nõ sit figuræ propria; quia nõ omnis figura habet tres angulos æquales duobus rectis: sed solũ triangulus. Vnde cõcluditur, ꝙ nõ existẽte triangulo, nõ aderit prædicta passio; & ipso existente aderit; adeo ꝙ eius erit propria. Igitur iuxta prædictam regulam discernendũ erit vniuersale, quatenus competit omni subiecto illud, quod proprie sit eius prædicatum. Et de huiusmodi modo segregandi alia ab alijs, est sermo in lib. Metaph penes doctrinam Pythagoreorum reducentiũ omnia ad numeros per quandam abstractionẽ.

li. 7. Met. §. 11.

Stante hac suppositione, quòd scitum per demonstrationẽ non possit aliter se habere, concluditur demonstrationẽ ex necessarijs cõstare debere.

SI igitur (vt redeamus ad susceptam tractationem de necessarijs principijs demonstrationis) sciẽtia demonstratiua cõstat ex principijs necessarijs (siquidẽ quod scitur, impossibile est aliter se habere) sequitur vt dicendum sit, ꝙ eadem constet ex his quæ sunt per se iuxta traditionem ante habitam de ijs quæ sunt secundum se. Nam inexistentia secundum se insunt rebus ex necessitate: vt patet, tum de prædicatis in primo modo, quæ in eo qđ quid eorum quibus insunt, accipiũtur; tum de illis in secundo modo, in quorum quod quid est, assumuntur subiecta, quibus insunt talia prædicata quando hæc, aut sunt huiusmodi, vt vnico modo semper insint subiectis, veluti homini risibilitas: aut si pluribus modis insunt, horum alterum (cum sint opposita) ex necessitate inest subiecto; veluti lineæ, aut rectitudo, aut curuitas. Quare cum omne, quod inest subiectis, aut secundũ se insit, aut secũdum accidens, & accidentia nõ sunt necessaria, ꝑpterea concluditur, syllogismum demonstratiuum, cum debeat cõstare ex necessarijs, ex quibusdã huiusmodi, quæ sunt secundũ se, cõstituendum esse. Aut igitur ita dicendũ est. Aut ponentibus nobis hoc principium, ꝙ demonstratio est q̃d necessarium, & si demõstratum est aliquid, impossibile est hoc aliter se habere, ex hac positione deducendum est, opus esse vt syllogismus demõstratiuus cõstituatur ex necessarijs. Quandoquidem ex veris ratiocinari potest etiam nõ demonstrans: est ex necessarijs non nisi demonstrans: hoc.n.est proprium demõstrationis. Signum autem sit huius veritatis, qm̃ instantiæ aduersus existimantes se demonstrasse, cũ nõ demonstrarint huiusmodi inferuntur, dicendo quòd non ex necessitate demonstrarint: siue vero opinemur aliter se habere posse id, quod syllogismo deductũ est; siue id agamus disputationis gratia. Vnde etiam debet esse manifestum, quòd stulti, & insipientes illi sunt, qui autumant principia recte haberi, dummodo probabiles & veræ propositiones sint acceptæ. Quo errore labuntur ipsi præsertim sophistæ; vt puta in eo quod quidam ex illis aiunt, ꝙ scire est scientiam habere; ad id subiungentes, quòd qui habet aliquid, sit quod sit illud; ergo qui scit quid sit scientia, illam habet. Non.n.probabile, aut nõ probabile est principium demõstrationis: sed illud primum generis, & vniuersale, circa quod fit demonstratio: sicuti & non omne verum est proprium scientiæ alicuius.

Quòd autem oporteat scientiã demonstratiuam constare ex necessarijs, hinc etiã debet esse manifestum. Nam aliter sequeretur, quòd

quòd demonstrans non sciret ipsum propter quid; quod est cõtra naturam scientiæ demonstratiuę. Siquidem scientia demonstratiua in tantum habetur, in quantum scitur ꝓpter quid sit illud, quòd demõstratur: scire.n. est rem per causam cognoscere,& id per medium obtinetur: at demõstrãs per medium nõ necessarium,non scit propter quid sit illud,quod demõstrat, ergo nõ habet sciẽtiam demonstratiuam. Et ꝙ non sciat ꝓpter quid, ex inde patet: qm̃ medium affert non necessarium, qđ potest deficere. Vnde existente conclusione necessaria (qm̃ quod scitur, supponitur impossibile aliter se habere) perspicuum est, ꝙ medium nõ est allatum ad cõclusionem necessariam inducẽdam; cum possit medium non necessarium corrumpi;cõclusio aũt remanet necessaria; igitur scientia demonstratiua constabit ex medio, & ex propositionibus necessarijs.

Præterea quicunq; obtinẽs sermonem, quo sit ratiocinatus, & saluus est ipse,& salua quoq; res, de qua rationem confecerit,neq; eam oblitus fuerit,si nũc his omnibus conditionibus saluis,scientiam nõ habet; certe dicẽdum, ꝙ neq; prius eam habuerit. Atqui, cum mediũ, quo ratiocinatus est, supponatur non necessarium, ipsum absq; dubio potest deficere: quo corrupto, sequitur ꝙ is, qui demonstrat,non sciat, nõ existente medio, per quod scientia habeatur: Vnde habebit quidem saluam ratiocinationẽ,salua re;neq; tñ scientiam habebit. Quare neq; prius, quàm corrũperetur medium, habuit scientiam. Quòd si medium non sit corruptum, cum corrumpi possit, erit possibile vt corrumpatur: impossibile est aũt vt quispiam hunc in modum dispositus scientiam habeat, quæ debet esse immutabilis.Vnde cõcludendum est, impossibile esse habere scientiam absque modo necessario.

Hinc deducitur hoc consectarium, ꝙ quando fuerit necessaria nil prohibet medium,quo sit probãda,nõ esse necessarium.Siquidem potest ex non necessarijs necessarium ratiocinio cõcludi; quemadmodum est ex non veris verum. Cum autem fecerit medium necessarium, etiam conclusio erit necessaria, sicuti & ex veris necessario concluditur verũ. Nam sit B ex necessitate A, & C ex necessitate B, iuxta regulam dicti de omni, & iuxta complicationes syllogisticas ex duabus necessarijs deducitur, quòd C est ex necessitate A. Quando autem conclusio non fuerit necessaria, neque medium potest esse necessarium.Alioquin si dixeris, quòd possit esse necessarium, sequetur ꝙ conclusio sit etiam necessaria. Veluti ex hac complicatione, B est ex necessitate A, & C est ex necessitate B, sequitur ex regula syllogistica,quòd C est ex necessitate A·& tamen suppositũ erat ꝙ C non esset ex necessitate A. Quare si medium sit necessariũ, oportet omnino & conclusionem esse necessariã.vnde ex his omnibus debet esse manifestum,cum, quod scitur per demonstrationẽ, sit necessarium,oportet etiã medium esse necessarium,per quod demõstratio habeatur. Alioquin qui per medium nõ necessarium, demonstrabit, non sciet neque propter quid,neque quòd necessarium sit esse illud, quod demõ

ſtrare intēderit: ſed aut exiſtimabit ſe ſcire, cum nō ſciat, ſi acceperit medium nō neceſſarium tanq̃ neceſſariū: aut omnino neq; exiſtimabit ſe ſcire; & æquo diſcrimine ſane, ſiue ꝙ ſit aliquid per media, ſiue cur aliquid ſit per immediata ſciuerit.

Accidentia autē, quæ non ſunt ſecundum ſe, eo modo, vt explicata ſunt quæ ſunt ſecundum ſe, nō eſt ſcientia demonſtratiua; q̄nquidem de his non eſt demonſtrare concluſionem ex neceſſitate; cum accidens contingat non eſſe, de quo accidente eſt præſens ſermo. At quiſpiam fortaſſe dubitabit, quorſum igitur de huiuſmodi accidentibus fiunt interrogationes, ſi non eſt neceſſe ſequi cōcluſionem ex interrogatis? ita.n. nihil intererit ſi quæcunq; interrogentur, & poſtea ſubinferatur concluſio. Ad id dicendum eſt, oportere interrogare nō eo ſcopo, vt quod deducitur, inferatur eſſe neceſſarium, ob ea, quæ ſint interrogata; ſed quia ei, qui illa dicit, & ſupponit, neceſſe eſt talem inferre concluſionem, & vere etiam inferre, ſi vere inſint, quæ aſſumpta ſunt, & conceſſa ab ipſo reſpondente.

Adnotationes.

S*i igitur eſt demonſtratiua ſcientia.* Superius in initio 4. cap. deduxerat Ariſt. ꝙ illud, quod ſcitur per demonſtrationem, debet eſſe neceſſarium, q̄m ſit impoſſibile aliter ſe habere: Vnde intulerat, demōſtrationem ex neceſſarijs cōſtare debere; vt nō ſolum ꝓblemata eſſent neceſſaria, verum etiam ꝓpoſitiones. Et cuiuſmodi neceſſaria eſſe deberent, ſubiunxit ſe deinceps cōſideraturū: & ob id explicauit quid ſit dictum de omni, per ſe, & vniuerſale: interpoſitaq; animaduerſione circa euitandum errorem penes vniuerſale cōtingentem; modo in hac parte vult cōſtituere, ex quibus neceſſarijs cōſtituatur ſyllogiſmus demōſtratiuus. Vnde perperam ex noſtratibus videretur interpretari, qui dicunt hic probari, ꝙ demōſtratio cōſtat ex neceſſarijs, hoc medio, q̄m, cōſtet ex ijs, quæ ſunt per ſe. Etenim patet ab Ariſt. hanc inferri cōcluſionem, tanquā præcipue intentam, ꝙ demonſtratio cōſtat ex his, quæ ſunt per ſe, dum inquit: *manifeſtum quòd ex talibus quibuſdam eſſet vtiq; demonſtratiuus ſyllogiſmus*, cum prius explicauerit ipſa dicta per ſe eſſe neceſſaria, de quibus cōſequenter loquitur. Dicit autem *ex talibus quibuſdam*, q̄m poſſunt eſſe, vel in primo modo dicendi per ſe, vel in ſecundo modo. Græci autem expoſitores aiunt, probari ꝙ demōſtratio cōſtet ex ijs quæ ſunt ſecundum ſe. Et ſecundum Io. Gram. per hypoteticam ratiocinationem, ſuppoſito hoc antecedente, ꝙ demōſtratio eſt ex neceſſarijs; item hoc alio, ꝙ quæ per ſe ſunt, neceſſaria ſunt; vnde cōſequitur, ex his quæ ſunt ſecundum ſe demōſtrationem conſtare debere. Themiſtius cōfecit ſyllogiſmū hunc in modum. Demōſtratio conſtat ex neceſſarijs, quæ ſunt per ſe, ſunt neceſſaria; ergo demonſtratio cōſtat ex his, quę ſunt per ſe. Conſpiciens aūt ſyllogiſmum cōflatum eſſe in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis, quarum complicatio non eſt ſyllogiſtica; ideo animaduertit, probatū eſſe ab Ariſtotele, ꝙ quæ ſunt neceſſaria, ea ſolum ſunt per ſe; vnde pōt fieri conuerſio, & ſic erigi ſyllogiſmus in prima figura. Demonſtratio eſt ex neceſſarijs, neceſſaria ſunt, quæ ſunt per ſe, ergo demonſtratio conſtabit ex his quæ ſunt per ſe. Probatum autem eſt, quæ ſunt per ſe, exinde eſſe neceſſaria, q̄m omne quod ineſt, aut ineſt ſecundum ſe, aut ſecundum accidens: ſed hæc non ſunt neceſſaria: illa vero, quæ ſunt ſecundum ſe, ſunt neceſſaria, vt patet, q̄m in definitione accipiuntur; ergo ex ipſis conſtabit demonſtratio. Dici etiam poteſt Ariſt. ſubintuliſſe cōcluſionē, ꝙ demonſtratio conſtet ex neceſſarijs, omiſſo quod conſtet ex his, quæ ſunt ſecundum ſe. Aut dicendum ita conſtitui poſſe ratiocinationem; vt, ſuppoſito ꝙ demonſtratio debeat conſtare ex neceſſarijs, ſicuti illatum eſt antea, dicamus ꝙ debeat igitur conſtare ex his quæ ſunt ſecundū ſe. Nam aut conſtabit ex ijs, quę ſunt ſecundū accidens, aut ex illis, quæ ſunt per ſe: ſed q̄ ſunt per accidens, non ſunt neceſſaria, ergo non ex illis, ſed ex his quæ ſunt per ſe (quæ probata ſunt eſſe neceſſaria) conſtabit demonſtratio. Non autem perturbet nos, ꝙ hoc in loco mentio fit tantummodo de primis duobus modis dicendi per ſe, quaſi ꝙ alij duo poſteriores non pertineant ad demonſtrationem; iam enim antea explicatū eſt quomodo hi poſteriores in alijs duobus prioribus includantur.

Io. Grā.

Themiſt.

Quoniam alterum expoſitorū neceſſe eſt ineſſe. Id patet, q̄m curuum & rectum, par & impar, ſunt oppoſita: vnde neceſſe eſt lineam, aut rectam, aut curuam eſſe; & ſimiliter numerum aut parem, aut imparem, & ita de alijs.

Aut igitur ita dicendum. Explicatum eſt antea, ꝙ ſi demonſtratio conſtat ex principijs neceſſarijs, oportet ꝙ hæc neceſſaria conſtent ex ijs quæ ſunt ſecundum ſe. Nunc Philoſophus aggreditur aliam viam, ſuppoſito tanquam principio, ꝙ demonſtratio eſt

quid

quid necessarium, eo ꝙ impossibile est aliter se habere id, quod scitur per demonstrationem; quod patet ex definitione assignata de ipso scire. Hinc igitur deducitur, opus esse, vt demonstratio constet ex principijs necessarijs: quod pluribus argumentis astruit Arist. asserens id esse proprium demonstrationis, vt constet ex necessarijs propositionibus: idq; ad differentiam syllogismi topici. Et cum hãc ꝓbationem applicet demonstrationi simpliciter dictæ, quæ affert propter quid, dici posset, excludi a dicta ꝓprietate demonstrationem traditam ab effecta; cum propter effectum non reddatur causa, propter quam sit effectus; licet in aliquibus possit effectus conuerti cum causa.

S. Thom.

Veluti sophistæ. S. Thomas censet hic non proprie accipi sophistas, sed sapientes. Atqui, si hi impugnantur ab Arist. ergo de re, circa quam non sunt sapientes. Ipse autem S. Thomas cum alijs latinis exponunt hunc contextum, ꝙ sit stultitia putare sat esse, ꝙ sit propositio vera, & ꝓbabilis ex hoc, qm̃ scire est scientiam habere. Græci autem aliter interpretantur: supponunt.n. hoc fuisse argumẽtum Protagoræ sophistæ, qui per apparentiam procederet ita ratiocinans; scire, est scientiam habere, qui habet aliqd, scit quid illud sit, ergo qui scit, scit quid sit scientia: est.n. illa propositio probabilis, qđ qui habet aliquid, scit quid est illud: & de huiusmodi cauillo est mentio in lib. 9. Met.

li. 9. Met. c. 5.

Non enim est hoc propter medium Nẽpe, existentẽ medio non necessario, non potest dici, ꝙ conclusio ex illo illata sit necessaria.

Dubit.

At penes hoc dubitant nonnulli, qm̃ contingẽs est, vt vulnus equo inferatur, ex quo tamẽ vulnere mors equi necessario causabitur.

Solut.

Cui dubitationi occurrentes dicimus, ꝙ accidit quidem & contingit, vt vulnus equo inferatur; non est autem contingens mors, quæ necessario ex tali vulnere semper sequitur.

Non oblitus. Videtur superuacanea hęc particula, cum sit satis dixisse antea, ꝙ habeat quis rationem saluam: ita.n. non erit oblitus. Dicẽdum idem significari per hoc, vt *non sit oblitus*, & per has alias voces *saluus rationibus*: sicuti & in lib. 7. Met. hũc locum tractans hæc eadem apposuit Arist.

c. 7. Met. l. 14.

Addamus ꝙ potest haberi scientia, & non teneri eius memoria.

li. 2. Prio. Anal. c. 2. Dubit.

Aut non scit neq; propter quid, neq; quòd necesse est illud esse. At in lib. 2. Prior. Analyt. dictum est, ex falsis posse cõcludi verum in syllogismo dicente quia est; nõ au[tem] in demonstratione dicente propter quia.

Solut.

Dicendum vtiq; in demonstratione dicente ꝓpter quid non posse esse falsas propositiones: qm̃ si essent falsæ, causa in ipsis nõ traderetur, quæ semper est vera. Et id est potissimum argumentum, vnde probetur in demonstratione propter quid falsas nõ esse posse propositiones: quemadmodam suppositum est in lib. 2. Prior. dum dictum est, ex falsis posse sequi verum, nõ tñ in demonstratione dicente propter quid, vt cõtingit in demonstratione quia. Nihil tñ prohibet & in demonstratione quia assumi posse necessaria, sicuti & vera ad ratiocinandum.

Io. Grā.

Sed vel existimabit non sciens. Optime interpretatur, hunc locum Io. Gram. inquiens, si demõstrans per medium cõtingens, nesciat quid sit contingens, sic putans se scire, nesciet: Aut si norit esse medium contingens, neq; sic putabit se scire; qm̃ per medium contingens scientia demonstratiua haberi nequit.

Io. Grā.

Et si quia per media, & si propter quid, & per immediata. Ita loquitur Arist. qm̃ licet syllogismo colligere ipsum quia per mediata & per immediata; vt adnotauit Io. Gram. adeo vt particula, *& per immediata* referatur ad ipsum quia, de quo possit esse demonstratio.

Dubit.

Accidens namq; contingit non inesse. Veluti albedo potest homini non inesse. At dicet aliquis, in Cygno albedo est inseparabilis, & in coruo nigredo, & tamen hæc nõ per se insunt.

Them.

Themistius ait ideo cõtingere separari huiusmodi accidentia, quia non omnibus, quibus insunt, sint inseparabilia.

Io. Grā.

Ioan. Gram. ait, per intellectum hęc posse separari: non ita autem ab homine risibilitas, cũ sit eius proprietas inseparabilis.

Solut.

Aut dicendum, ꝙ possumus cogitare coruum nõ esse nigrum, non autem hominem non esse risibilem, vt latius a nobis est explicatum in tractatu accidentis apud Porphyrium. Aut facilius respondendo dici potest, ꝙ illa sunt accidentia secundum se, in quorum definitione accipiuntur subiecta, non autem illa, quæ nõ ita se habent. Verum ad verba Aristotelis non videtur his responsionibus satisfieri, cum dixerit, ꝙ accidens contingit non inesse: nisi dicamus hoc in plurimis intelligendum: aut ꝙ cogitatione possunt abesse, quæ sunt accidentia non propria; licet sint inseparabilia. Adnotandum autem rationes hic adductas, quæ ducunt ad impossibile, inniti suppositi ex definitione tradita de scientia, & probationes adductas, partim ex explicatis circa demonstrationem, & partim ex principijs communibus pendere: prout vnicuiq; inspicienti potest esse perspicuum.

In demonstratione haberi quæsita secundum se, eademq; ex his quæ sunt secundum se probari, atq; ideo non licere de genere in genus transcendere demonstrantem, nisi in subalternis scientiis.

QVoniam autem ex necessitate circa vnũquodq; genus insunt, quæ sunt secundum se, & quatenus quodq; genus tale est; ideo manifestum esse debet, quòd scientiæ demonstratiuæ versabũtur circa quæsita, quæ sunt secun

dum se; & hæc, per ea quæ sint secundum se monstrabunt. Siquidē in demonstratione necessariū est accipere, aut ea quæ sunt secundum se, aut accidentia. At nō debent accipi accidentia, qm̄ non sunt necessaria; adeo ꝙ, vt deductam est antea, si talia sumerentur, non ex necessitate sciretur ꝑpter quid sit cōclusio, neq; si semper sit, sed non secundū se Quippe & semper esse conclusionem possunt inducere syllogismi ex signis conflati, sed non probare conclusionem esse secundum se: ita.n. per demonstrationem a signo, quod est secundum se, non sciretur secundū se, neq; propter quid: quod quidem propter quid scire, est per causam scire, qđ nō largiuntur syllogismi a signo constituti. Quare cum in syllogismo demonstratiuo sint tres termini, maior, minor, & medius, necesse est & medium per se ipsum inesse medio. Vnde deducitur hoc necessarium consectarium, ꝙ non potest quispiam transcendens genus, circa quod versatur, demonstrare aliquid, quod sit alterius generis. Veluti Arithmeticus non demonstrabit quæsitū geometricum, cum Geometria versetur circa quantum continuum, quod est diuersum a quanto discreto, circa quod suam exercet doctrinam Arithmeticus.

Et, vt id magis perspicuum reddatur, aduertendum tria esse, quæ concurrunt in demōstrationibus. Vnum est conclusio demonstranda, & hoc est illud, qđ alicui generi inest secundū se, veluti triangulo habere tres æquales duobus rectis. Alterum pertinet ad dignitates, quibus astruitur demonstratio, & tertium est genus subiectū, cuius passiones & accidentia, quę sunt secūdum se, declarat, & manifestat demonstrans. Verum qđ attinet ad ea, ex quibus fiat demōstratio, hæc contingit eadem esse in pluribus scientijs, quibus sint communia, licet vario modo in varijs scientijs adhibeantur. Veluti est illud principium, si ab æqualibus æqualia demantur, quæ remanent sunt æqualia. Quorum autē genus est diuersum, sicuti aliud est genus Geometriæ, & aliud genus Arithmeticæ, in ijs nō est possibile aptare demonstrationem vnius generis ad aliud genus. Veluti Arithmetica demōstratio ꝓprie non aptabitur ad accidentia magnitudinū, nisi forte magnitudines sint numeri; quod quomodo contingat inferius dicetur. Demōstratio autem Arithmetica semꝑ habet suum proprium genus, circa qđ versatur: sicuti & aliæ omnes aliarum scientiarum demonstrationes, singulæ genus suū habent, circa quod proprium negocium demonstrandi exercent. Vnde manifestum est, necessarium esse, vt genus, aut simpliciter sit idē vnius demōstrationis, & alterius, aut aliqua ex parte, si debet vtrinque demonstratio accommodari in vno, & in alio genere: aliter autem impossibile est de vno genere in aliud genus (quod sit omnino diuersum) traducere demonstrationem. Siquidem oportet, vt ex eodem genere sint & extrema in conclusione deducenda, & media, ex quibus demonstrentur: ita .n. erunt secundum se; aliter autē erunt accidentia, ex quibus non constituitur demonstratio; & de hoc potest hunc in modum erigi syllogismus. Demonstratio ex ijs quæ sunt secundum se cōstituitur,

quæ

quæ ex diuerſo genere accipiuntur, non ſunt ſecundum ſe, igitur demonſtratio ex diuerſis generibus non cõſtituitur. Præterea Geometræ non licet monſtrare, quòd contrariorum eſt vna ſciētia: neq; ꝙ duo cubi ſint vnus cubus; neq; altera ſcientia poteſt monſtrare illud, quod pertinet ad genus alterius ſcientiæ; niſi quęcunq; ita ſe habeant ad inuicem: vt alterũ genus ſub altero contineatur: ſicuti ſe habet perſpectiua ad Geometriam, & Armonica ad Arithmeticam. Sed neq; Geometria monſtrabit quę inſunt lineis, ſi non inſunt, quatenus ſunt lineæ. Neq; ex eius proprijs principijs pēdet problema, ꝙ recta linea ſit pulcherrima linearum; aut ꝙ in contrarium ſe habeat ad circumferētiam: non.n. hæc inſunt lineis tāquam ad propriũ genus Geometriæ ſpectantia; ſed pertinent ad genus, quod eſt commune pluribus ſcientijs.

Adnotationes.

Q*Voniam autem ex neceſsitate inſunt.* Qm̃ hoc loco Ariſt. concludit, ꝙ ſcientia demonſtratiua conſtat ex ijs quæ ſunt ſecũdũ ſe; Ideo Io. Gram. cenſuit repeti ea, quę prius deduxerat, forte (inquit) qm̃ interruperat inchoatum ſermonem: Aut qm̃ adiungit quid aliud; id nempe, ꝙ demonſtratio cõſtet ex proprijs neceſſarijs. Sed dici poteſt hunc ſermonem applicari ad determinata genera ſcientiarum, & ad ordinem ſyllogiſticum iuxta trium terminorum connexionem; vt hinc inferatur, & problema demonſtrationis eſſe ſecundum ſe, nec non etiam præmiſſa, ex quibus probentur. Vnde poſtea deducitur, non licere in demonſtrãdo tranſcendere de vno genere in aliud genus: aut, ſi aliqñ id liceat, quomodo id fieri poſſit, docetur. Per particulam aut illam, & *ſecundum quod vnumquodq;*, denotatur modus dicendi ſecundum ſe tertio loco aſſignatus quatenus ſubiectum, (vt tale ſubiectũ eſt) & nõ propter aliud ſubiectũ, cui inhæreat, habet hæc, vel illa ſibi ſemper inhęrentia. (Io. Grã.)

Neq; ſi ſemper eſſet non propter ſe autem. His verbis innuitur ex ſigno poſſe inferri aliquid, quod ſemper & neceſſario inſit. Veruntamen ſi non ſecundum ſe oſtendatur, non habebitur ipſum propter quid; non.n. per ſigna ſcietur id, quod eſt ſecundum ſe, quatenus ſecundum ſe; quod eſt ſcire per cauſam, & ꝓpter quid. Hinc colligitur, per accidēs eſſe ſcire per ſigna; & quòd habere ſcientiam, ꝙ aliquid ſit, non ſcitur ſecundũ re, ſi cauſa non ſciatur ꝓpter quam ſit. Vnde etiam apparet, ꝙ cum ſcitur propter q̃d ſit aliquid, hunc in modum ſcitur ſecundũ ſe; cum poſſit etiam cognoſci q̃d ſit aliquid medio ſenſu per aliq̃d ſignum, quo tñ non ſcitur res ſecundum ſe ipſam, qm̃ non per cauſam *propter ipſum igitur*. Græce legitur διαὐτὸ: de quo in quarto modo dicēdi per ſe actu eſt, & denotatur cauſa propter quā medium inſit tertio, & primum medio. Vnde cõſtituitur ſyllogiſmus demonſtratiuus ꝓbans ꝙ primus terminus inſit ſecundum ſe tertio.

Vnum concluſio demonſtranda. Et hoc ait eſſe id, quod ineſt alicui generi ſecundum ſe, veluti triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis.

Vnum autem dignitates. Quæreret aliqs, cur tantum dignitates nominentur, cum ex his ſolis non conſtituatur ſcientia demonſtratiua. (Dubit.) Dicendum, dignitates pro exemplo adductas eſſe, vt quid commune demonſtrationis. (Solut.) Infra poſtea magis diſtinctè agetur de principijs, inter quæ etiam definitiones recenſebuntur.

Cuius paſsiones, & per ſe accidentia. Aut *paſsiones* ad aliquid magis commune referuntur, q̃ accidentia ſecundum ſe. Aut per hæc explicatæ ſunt paſſiones, de quibus eſt ſermo, vt ſint ſecundum ſe accidentia, & non alterius generis accidentia. Diceret aliquis, ēt per demonſtrationem oſtendi definitionē materialem, & ita non ſolum paſſiones. (Dubit.) (Them.) Themiſtius, forte declinans ab hac difficultate loco vocis *accidentia*, habet *ſecundum inhærentia*. (Solut.) Verumtamen etiam pars materialis poteſt ꝓ quadam paſſione computari, ſi referatur ad ſubiectũ: ac præſertim ſi alię ſciētiæ, quæ ſpeculantur accidens entis, referātur ad Metaphyſicum contemplantem vniuerſum ens ſecundum q̃d ens eſt; iuxta ea, quæ habentur in initio lib. 4. Metaph. (li. 4. Met. c. 1.)

Niſi magnitudines numeri ſint. Ideſt, niſi magnitudines ad ꝓbationem numerorum reducantur, vt ita numeri euadant; quemadmodum etiam vulnus orbiculare cur diffi cilius ſanetur, euadit quæſitum Geometricum; & de his infra dilucidius.

Arithmetica vero demonſtratio ſemper habet genus. Sciendum eſt in Metaph. præſertim in lib. 4. conſtitui, eſſe vnam ſcientiam, quæ ſpeculatur ens vt ens eſt; alias vero omnes ſcientias ſpeculari accidens circa partem entis, vt hinc inter ſe genere diſtinguantur: qm̃ vna talem partem, alia aliam partē entis aſſumat ad ſpeculandum. ſicuti Geometria magnitudinem continuam; Arithmetica vero diſcretam contemplatur. (li. 4. Met. cap. 1.)

Quare, aut ſimpliciter neceſſe eſt idem eſſe genus. Quemadmodum in ſcientia naturali idem genus ſimpliciter eſt tum miſtorum inanimatorum, tum animatorum. Illud vero *aut aliquo modo*: quēadmodum vulnus, quatenus eſt orbiculatum, aliquo modo reducitur ſub demonſtratione geometrica, quoad hanc

considerationem, quatenus difficilius vulnus sanatur existens orbiculatum, quàm si sub alia figura sit. Potest etiam illud, *aliquo modo* referri ad scientias subalternas, cum genus superiori scientiæ cõprehendat etiã scientiam inferiorem, sicuti Perspectiua ad Geometriam reducitur, quatenus linea vtrinq; consideratur: sed a Geometra in communi, in quantum est linea, a perspectiua vero, vt tali affecta est passione ad sensum visus pertinente.

Nisi quacunq; ita se habeant inter se vt sint alterum sub altero. In his subalternis scientijs licet de genere in genus transire, in quibus tamen non supponitur idem genus simpliciter, sed ex parte aliqua. Vnde etiam põt esse, vt non sit vnum genus sub altero, & nihilominus vnius generis ꝓblema in alio genere scientiæ demonstretur: quemadmodum vulnus simpliciter sub medicina consideratur, quodam vero modo in geometria, vti dictum est.

Secundum quod aliquid commune est. De hoc communi genere secundum se tractat Metaphysicus, qui principia prima speculatur ad hoc, vt illa certa & verissima ostendat: cuius quidem explicationes cõmunes sunt alijs omnibus scientijs inferioribus. Sed ẽt illud nõ ignorandum est, dialecticum quoq; de omnibus rebus secundum accidẽs disputare, vt docetur in lib. 4. Met. & de hoc ẽt infra erit mentio. Siquis autem addubitet, q̃m, si datur vnum commune genus, veluti est ens, debeant etiam esse passiones communes huiusmodi generis: Dicendum dari passiones communes ad omne ens, de quibus agit primus Philosopus: verumtamen non existimãdum de huiusmodi esse ꝓprie demonstrationes, vt palam fit in lib. 3. Met. & in lib. 11. apud nos 13. Notandum etiam in lib. 14. Met. apud nos 12. de numeris cubis, vt numeri sunt, esse mentionem. Vnde non necesse est intelligere per *cubos*, magnitudines circa stereometriam, vt nonnulli in hoc loco interpretati sunt.

li. 4. Met. c. 2.

Dubit.

Solut.

li. 3. Met. c. 2.

li. 13. c. 2.

li. 12. c. 6.

Existentibus propositionibus vniuersalibus, conclusionem æternam esse, et corruptibiliũ non esse proprie demonstrationem aut definitionem, & quomodo sit scientia eorum, quæ non semper, sed sæpe fiũt eodem tamen modo semper.

MAnifestum est autem, quòd si propositiones, ex quibus fit syllogismus, fuerint vniuersales, secundum assignationem factam de vniuersali, necesse est & conclusionem huiusce demõstrationis, & simpliciter in genere demonstrationis esse æternam, cum sequatur ex propositionibus æternis. Et quidem quando fuerit cõclusio corruptibilis, necesse est alteram quoq; duarum propositionum corruptibilem esse, & non vniuersalem: corruptibilem quidem, q̃m & cõclusio est corruptibilis; non vniuersalem autem, q̃m hoc quidem erit, hoc autem non erit eorum, de quibus est propositio; vtputa ex hominib⁹, si de his, vt singulares sunt, existat demonstratio: eorũ n. aliqui erunt superstites, aliqui vero non aderunt, cũ e vita decesserint: quare de huiusmodi non erit ratiocinari vniuersaliter, sed tantũmodo quoad instans tempus, in quo sint. Et quod dictum est de demõstratione, idẽ etiam asserẽdum est de definitione: quandoquidem definitio, aut est principium demõstrationis; aut est demonstratio sola positione terminorum a demõstratione differens; aut est quædam demonstrationis conclusio. Demonstrationes autem, & scientiæ de his quæ sæpe fiũt, veluti de Lunæ defectu, perspicuum est, ꝙ quatenus tales sunt, horum scientiæ sic semper sunt: quatenus autem nõ semper sunt, secundũ partem, & quoad singularia scientiæ erunt: vt de defectu luminis Lunæ, & de alijs huiusmodi.

Adnotationes.

M*Anifestum autem quòd si fuerint propositiones vniuersales.* Quòd Arist. cum hac conditione sit locutus, Alexander (referẽte Themistio) refert ad hoc ipsum, q̃m nõ semper sunt vniuersales propositiones, adeo vt cõclusio sit semper vniuersalis. Et id, q̃m in conclusione potest esse vniuersale non simpliciter: sed penes illud, quod potest demonstrari: propositionum autem aliæ immediatæ sunt, & sic simpliciter vniuersales, aliæ vero sunt quæ possunt demonstrari, & sic non omnes vniuersales. Verum illud est ex

Alex. exposit.

Impug.

aduerſo, qm̃ illatio Ariſt. eſt, ꝙ ſi fuerint ꝓpoſitiones vniuerſales, erit concluſio æterna, quæ etiam ex propoſitionibus non immediatis concludi poteſt. Idcirco dicendũ videtur, locutum eſſe Ariſtotelem cum hac cõditione, *Si fuerint propoſitiones vniuerſales*, vt innueret non fore demõſtrationem, niſi fuerint vniuerſales propoſitiones, quas tales eſſe debere in demonſtratione iam antea conſtitutum eſt. Et cum inquit, *huiuſmodi demonſtrationis* & poſtea ſubiungit, *& vt ſimpliciter dicam demonſtrationis* Hinc voluit per illud, *ſimpliciter*, interre in genere de omni demonſtratione, & nõ ſolum de hac, vel illa, ꝙ erit concluſio æterna, ſi fuerint propoſitiones vniuerſales.

Sed ſic ſecundum accidens. Ait corruptibilium non eſſe ſcientiam ſimpliciter, ſed ſecundum accidens; ideſt, non ſimpliciter ſecũdum modum vniuerſalem; in quo & ſemper, & de omni ſupponitur demonſtratio. At hæc, cum ſint corruptibilia, nõ ſunt ſemper, neq; ipſum omne (prout definitum eſt dictum de omni) in illis exiſtit, cum eorum alia ſint corrupta, veluti, cum nõ omnes homines exiſtunt, de quibus ſit demonſtratio: Sed erit, inquit, de ijs ſecundum quid, quoad tempus, & quodam modo ſcientia; item pe aliqualis, & ſecundum partem, non autẽ ſecundum vniuerſale. Hinc Plato, qm̃ corruptibilia nõ ſunt ſemper, conſtituebat ideas actu exiſtentes, & ſecũdum ipſas aſſerebat eſſe ſcientiam. Verum Ariſt. Platonis ſentẽtiam pluribus impugnat in lib. Met. vbi ẽt conſtituit, corruptibilium eſſe ſcientiam, non vt ſunt corruptibilia, ſed ſecũdum ſpeciem, quam ſupponit æternam vna cum mundo.

li.7.Met. c.5.

Definitio aut eſt principium demonſtrationis. Hinc colligitur definitionem, vt aſſumitur in demõſtratione, fungi officio propoſitionis, cum poſſit eſſe & principium, & concluſio demonſtrationis, vt habet hoc loco Ariſtot.

Eorum vero quæ ſæpe fiunt. Cum nonnulla ſint, vt defectus luminis in Luna, quæ non ſemper exiſtunt, idcirco videretur de huiuſmodi non eſſe demonſtrationem, neque ſcientiam, quæ conſtituitur ſecundum vniuerſale, quod eſt ſemper. Ideo ait Ariſt. ꝙ, quatenus demõſtrationes de his tales ſunt, vt afferatur cauſa, ſic ſemper eſſe intelligũtur huiuſmodi euenientia, qm̃ eodem modo ſe hbbent ſemper. Si autem accipiatur hic vel ille effectus, veluti talis defectus luminis in Luna, ſic non ſemper eſt, neq; de eo ſcientia eſt ſimpliciter: ſed ſolum ſecundum partem, quatenus ſcitur de tali defectu. Dicit autem *quæ ſæpe fiunt*, ad differentiam nonnullorum, quæ eueniunt aliqñ, & non eodem modo ſemper; vt naſci hominẽ cum quattuor digitis in manu, & ſimilia. Aut etiam ita dixit, qm̃, & ſi non ſint ſemper, attamen, quia eodem modo ſemper fiunt, propterea ſcientia de huiuſmodi re ſingulari habetur, ac ſi eſſet vniuerſalis; quoniam ſemper eodem modo de quoque huiuſmodi ſingulari ſcientia eadem haberetur.

Singula ex proprijs principijs ſciri debere, vt ideo ſit difficile dignoſcere, quando vere aliquid ſciatur.

QVoniam autem manifeſtum eſt, ꝙ quodq; non licet demonſtrare, niſi ex proprijs principijs; idcirco, ſi quod demonſtratum eſt, non fuerit oſtenſum quatenus ipſum, non eſt dicendũ hoc ipſum ſciri, tametſi ex veris, & indemonſtrabilibus, & immediatis fuerit oſtenſum. Etenim hoc modo licet demonſtrationem aſtruere ei ſimilẽ, quã aſtruebat Briſſon intendens oſtendere circuli quadraturam. Huiuſmodi.n. rationes ſecundum commune procedunt, quod & aliò inerit, & non ſolum ei, quod oſtenditur: Quemadmodũ, (quod applicabat Briſſon circulis, ita differens, datur & maior circulꝰ quadrato, datur & minor, ergo datꝰ & æqualis circulus quadrato) poſſet & numeris, & alijs pluribus rebus aptari. Conſequenter huiuſmodi ratiocinationes, & alijs non eiuſdem generis rebus aptabuntur. Vnde ſequitur, quòd neq; huiuſmodi ſcientur, quatenus ipſa, ſed ſecundum accidens: nõ.n. (iuxta ante explicata) accõmodatur demõſtratio vnius generis ad aliud genus. Vnumquodq; autem ſcimus nõ ſecundum accidens, quando ſecundum illud cognoſcimus, ſecũdum quod illud ineſt ex proprijs principijs, quatenus illud eſt. Veluti ſcimus triãgulum habere æquales angulos duobus rectis, cum ei inſit hęc paſſio ſecundum ſe ex proprijs principijs. Quare, ſi etiam paſſio ei ſecundum ſe ineſt, cui ineſt, neceſſe eſt & medium in eadem eſſe cognatione cum illis. Aut ſi non abſolute

solute sint in eadem genere, erũt saltem eo modo inter se coiũcta, vt se habet Musica ad Arithmeticam. Et hæc quidem eo modo, vti diximus, demonstrantur: Et tantummodo hoc inest discriminis, ꝙ ad alteram scientiam, nempe ad inferiorem spectat munus patefaciendi rem esse; quandoquidem & eius subiectum genus diuersum est: ipsum autem propter quid assignare, alterius scientiæ munus est; nempe superioris, ad quam etiam pertinent passiones secundum se. Vnde & ex his manifestum est, ꝙ non licet quòdq; simpliciter demonstrare, nisi ex proprijs principijs. Horũ aũt principia habẽt cõmune. Et si hoc manifestum est; patet quoq; quòd non licet propria cuiusq; principia demonstrare: erunt.n huiusmodi principia omniũ principia, & horum sciẽtia erit domina omnium scientiarum. Siquidem magis scit, qui ex superioribus causis habet scientiam; ex prioribus enim sciet, quando non ex causatis: sed ex causis scierit. Quare si magis scit, etiam quàm maxime scit, & consequenter huiusmodi scientia, & magis, & maxime sciẽtia erit. Atq; demonstratio nõ aptatur ad aliud genus, nisi vt dictum est de subalternis: sicuti geometricæ demonstrationes ad perspectiuas, seu ad mechanicas aptantur, & Arithmeticæ ad musicas. Sed aduertendum; difficile esse dignoscere; num sciamus nec ne: difficile.n est dignoscere num sciamus ex proprijs principijs; quod quidem est scire. Existimamus autem scire, dummodo syllogismus habeatur ex quibusdam veris, & primis; quod tamen non ita est; cum præter hæc, opus sit eadem esse cognata ipsis primis, quibus aptentur syllogismi.

Adnotationes.

N*Ecesse est medium in eadem cognitione esse.* Id dictum est de eadem scientia: quod si de subalternis sit consideratio, & in ijs oportet medium inesse subiecto, de quo aliquid demonstratur. Est autem hoc discrimẽ: qm̃ ab inferiori scientia probatur, & manifestatur quia est aliquid: a superiori autem propter quid sit in eadem autem scientia vtrumq; manifestatur, ita tñ vt non sciatur proprie, & secũdum se, quia est aliquid nisi cum scitur causa propter quam sit.

Secundum commune enim monstrant. Cũ impugnetur hoc loco argumentatio Brissonis ꝓbantis dari quadraturã circuli hunc in modum; eo ꝙ, si datur maior circulus quadrato, & minor, debet etiam dari æqualis circulus quadrato; hinc colligitur ex solis principijs communibus astrui non posse demonstrationem, nisi adhibeantur quoq; proprię definitiones; etiam si principium commune applicet̃ particulari subiecto vnius sciẽtiæ; quemadmodum erat principium adhibitum a Brissone, si datur aliquid altero maius, & minus, debet etiam dari aliquid æquale alteri: quod applicabat circulo & quadrato.

Nisi ex vniuscuiusq; principijs. Id est ex ꝓprijs cuiusq; scientiæ principijs. Vnde confirmatur id, quod dictum est antea de principijs communibus: neq; tamen propterea sequitur, ꝙ in quaq; demonstratione termini debeant esse conuertibiles; de qua re, in lib. sequenti propria erit determinatio.

li. 2. Post. c. 17.

Sed horum principia habent commune. Aut id vult innuere, ꝙ principia propria cuiusq; scientiæ, habẽt quid commune. Aut de subalternis. i. intelligendum, vt exponit Ioan. Gram. Nam inferior scientia sub communi subiecto superioris continetur. Hoc autem conuenit pluribus scientijs relatis ad primam Philosophiam; in qua pręcipue principia cognoscẽdi communia comprobantur: & secundum Auerroem principia quoque essendi, qualia sunt actus, & potentia de ꝗbus in Met. Sed & de materia & de forma, vt pertinet ad essentiam rerum naturaliũ, vel aliarum rerũ docet Metaphysicus, hęc tñ considerans sub ratione entis.

Io. Grã.

Auer.

li. 9. Met. libro 7. & Met.

Non est vniuscuiusq; propria principia demonstrare. Ex hoc ꝙ aliæ scientiæ particulares habent principia communia, infertur quòd non est demõstrare propria principia sciẽtiæ alicuius: non in eadem scientia superiori; qm̃, si hæc ꝓbaret communia principia, cum sit scientia communis, ꝓbaret per ea, quæ communia sunt, & ita principia ꝓpria alicui scientiæ, efficerentur communia omnibus; quod non est dicendum. Quod etiam Aristot. in Met. lib. 3. & 11. apud nos 13. afferebat, probando, ꝙ nõ possint principia communia demonstrari, qm̃ efficerentur ꝓpria. Vnde nõ demonstratione; sed alia via, principia communia stabiliuntur in Met.

Ap-

Them.

Appellatur autem hoc loco prima Philosophia, quæ contemplatur communia, *domina scientiarum*, vt etiam innuitur in proœmio Met. & iure merito, cum sit omnium Archi tectonica. Nō videtur autem antiqua lectio recte habere pro dictione, *domina* hanc aliā *propria*. Nam quæ subsequuntur, quod magis sciat, qui *ex superioribus causis non causatis, scit, & quòd magis, & maxime sit talis scientia*, clare innuunt excellentiam, & dominationem quandā supremæ Philosophiæ ad alias omnes scientias relatæ. Themistius autem habet hoc loco, q neq; mechanicæ (vt perspectiuæ principia propria) demonstrari possunt. Quod quidem si intellexisset Themistius quoad propriam scientiam, q in ea non possint probari eius principia, verissimum esset eius enunciatum Si autem intellexit, q neq; a superiori possint probari, id non admittendum, cum in pluribus inferioribus subalternis scientijs aliqua principia sint, quæ in superiori scientia demonstrantur. Quod autem dictum est de scientijs, q vna ostendat quia est, altera vero propter quid: de his infra loco opportuniori (vbi tractatur discrimē ipsius demonstrationis, quia, & propter quid) ex proposito considerabitur.

Quæ sint ea, circa quæ versatur scientia demonstratiua, & de ijs quid sit præcognoscēdum.

SVnt autem principia in vnoquoq; genere ea, quæ q sint, non contingit demonstrare, quid autem significent, tum hæc ipsa prima, tum quæ ex his dependēt, in scientijs præsupponitur: Sed & de principijs, quod sint, oportet accipere, cætera verò demonstrare. Veluti (vt exemplis clarior reddatur institutus sermo) q̄d vnitas sit, quid rectum, quid triāgulum, pariter oportet accipere. Vnitatē vero esse, & magnitudinem, oportet etiam supponere: reliqua vero demonstrare. Sunt autem quæ ad vsum scientiarū demonstratiuarū adhibentur, alia quidē propria cuiusq; scientiæ, alia vero communia. ꝑpria sunt, veluti lineam esse longitudinem sine latitudine, & huiusmodi, quæ definitionē concernunt. Communia vero sunt, quæ secundum proportionem, in quantum competunt ad vsum cuiusq; scientiæ, adhibentur: quemadmodum est illud; si ab æqualibus æqualia demantur, quæ remanent sunt æqualia: quod quidem principium sat fuerit cuiq; scientiæ, si illud ad proprium suum genus accommodabit, sicuti ad magnitudines Geometra; ad numeros vero Arithmeticus: non autē in genere, seorsum a proprio subiecto, absq; vllo fructu illud assumet. Sunt vero & inter principia propria, illa, quæ esse supponuntur, quibus ea, quæ insunt secundum se, vnaquæq; scientia speculatur, nempe ipsum propriū subiectum; sicuti apud Arithmeticum est vnitas; apud Geometram sunt puncta, & lineæ; de quibus accipiunt, & quòd sint, & quid significent. Horum autem principiorū passiones s̄m se, quid vnaquæq. significet, pariter accipit cūcta sciētia: prout Arithmetica, quid sit par, aut impar; quid quadratum, quid cubus. Geometria vero q̄d irrationale, quid refrangi, quid cōcurrere. Quòd autem hęc sint, demonstrant, tum per principia communia, tum per ea, quæ sint demonstrata: quod pariter obseruat Astrologia. Siquidem (vt cōpendio quodam hęc omnia comprehendantur) omnis sciētia demonstratiua circa tria versatur. Vnum est proprium genus, cuius passiones secūdum se speculatur vnaquaq. scientia, quod quidem genus & esse, & quid significet accipit. Alterum pertinet ad illa principia communia, quæ dignitates appellantur, ex quibus tanquam primis, alia demonstrātur: quæ pariter, & quòd sint, & quid significent, præsupponitur. Tertiū vero passiones cōplectitur, qua-

rum

rum quid vnaqueq; sit, accipitur: quòd autem sint demonstrantur. Verum non est ignorandum, nil prohibere, ꝙ aliquæ scientiæ despiciant interdum horum nonnulla; veluti non supponere genus, si fuerit manifestum. Siquidem nó ita perspicuum est, numerū esse, sicut calidum & frigidum. Similiter interdum non est curæ scientijs, supponere quid significent passiones, si fuerint manifestę: quemadmodum etiam non accipiunt quid significent communia principia: veluti illud, si ab æqualibus æqualia demantur &c. qm̃ hoc est per se manifestum, vt non egeat aliqua explicatione. Verū, quomodocumq. id sit, ꝙ aut supponantur, aut non supponatur ex prædictis nonnulla, omnino natura tria sunt ea, circa quæ versantur scientiæ: tum illud, circa qđ demonstrant; tum ea, quæ inesse demonstrant: tum ea, ex quibus demonstrant.

Adnotationes.

D*Ico autem principia.* Cum antea mentionem fuerit Arist. de principijs, idcirco in hac parte distinctam principiorum explicationem est traditurus, eo scopo, vt colligat, quæ sint principia, circa quæ scientia demonstratiua versatur; & hinc doceat, quomodo hæc sint habenda, & quæ ex iis sint demonstranda. Vnde exacte de præcognitis hoc loco Arist. tractat, quod non p̃stitit in initio libri, vbi assumptum fuit in genere, ꝙ omnis doctrina, & omnis disciplina discussiua ex præexistēti fiat cognitione, & qualis in genere præcognitio esse posset, eo scopo, vt hæc acciperentur tanquam fundamentum ad doctrinam tradendam de demonstratione; quemadmodum ibi explicauimus. Verum hoc loco ex proposito, & exacte agitur de præcognitis. Et primo de principijs, quæ supponit Arist. illa esse, quæ quòd sint, non contingit demonstrare. Vbi aduertendum non congrue in antiqua lectione, & apud nonnullos alios haberi, *quæ cum sint*, cū Græce legatur ἃς ὅτι ἐστι, idest, *quæ quòd sint*, non contingit demonstrare. Alius enim est hic sensus ab eo, quē refert antiqua lectio, vt cuiq; potest esse perspicuum. Quod autem non contingat demonstrare principia, perspicuum est ex præcedentibus; alioquin processus demonstrandi principia esset infinitus.

Quid igitur significent & prima, & quæ ex his. Tangit Arist. id, quód est commune principijs, & ijs, quæ ex ipsis pendent: nempe, ꝙ oportet de vtrisq; accipere, & manifestare quid significent, si hæc non pateant; adeo ꝙ non oportet hæc probare per demonstrationem. At diceret aliquis, cum principia (veluti dignitates,) sint complexa, vt omne totum est maius sua parte, non videtur qūo possit supponi quid significent, cum huiusmodi non definiantur. Dicendum, non definitione totius complexi; sed partium seorsum, quid significent huiusmodi principia; posse præcognosci: vtputa quid sit totum, & quid pars sufficit pręcognoscere ad hoc, vt intelligatur ꝙ hoc principio, omne totū est maius sua parte, significetur. Adnotandum autem hanc præcognitionem de principijs, quid significent, in initio libri omissam fuisse ab Arist. penes illud principium ibi adductum, de quocūq; est affirmare, vel negare, de quo solum dictum est ibi præcognoscendum esse, quia est: ex quo illud verificatur, quod diximus ante, nempe tractationem de pręcognitis exacte superius habitam non fuisse, prout hoc loco habetur; & ideo ibi de præcognitis ex proprio ꝓpo sito actum non esse, vt censuit Io. Gram. cuius opinionem in superioribus reiecimus.

Dubit.

Sol.

Io. Grā.

Communia autem secundum proportionem. Intelliguntur principia esse communia scd̃m proportionem, seu secundum similitudinē, qm̃ eadem adhibeantur in pluribus scientijs ad proprium cuiusq; commodum, & vsum. Veluti hoc principium, si ab ęqualibus æqualia demantur, &c. adhibetur & a Geometra circa magnitudines continuas, & ab Arithmetico circa numeros, & ab alijs scientijs alio modo.

Propria quidem. Intelligūtur principia ꝓpria, ipsæ rerum definitiones, de quibus agitur, quæ præsupponuntur, & adhibentur in demonstrationibus.

Sunt autem propria, & quæ accipiuntur esse. Inter principia propria connumeratur et subiectum cuiusq; scientiæ, de quo supponit Aristot. accipi, & præsupponi, & ꝙ sit, & quid sit: & intelligit subiectum generale in quaq; sciētia, vt apparet de pūctis, & lineis, quæ affert in exemplum, quæ subiectū obtinent generale in Geometria: sicuti vnitas in Arithmetica: & de his est sermo præsens Arist. licet etiam ad particulare subiectum scientiæ, hoc idem possit aptari; qm̃ de quacunq; parte subiecti, de qua opus sit demonstrare oportet de ipso supponere, & esse, & quid sit, vt non proprie demonstretur subiectum, licet de eo possit aliquid differi in propria scientia. Quòd si quis instet ex aduerso, in lib. Elench. probari ꝙ datur syllogismus sophisticus, & in lib. 4. Cœli ꝙ datur ignis in concauo orbis Lunæ; dicendum in lib. Elench. Ex similitudine pecuniarū, quarum aliæ sunt veræ, & aliæ adulterinæ, explicari naturam syllogismi sophistici: non autem proprie demonstrari. Similiter in lib. 4. Cęli, de igne, qui sensui est manifestis-

Dubit.

Sol.

simus

fimus,ex natura ipfius grauis & leuis, cum fupereminecat omnibus alijs elementis, dicimus deduci q̃ adiaceat ignis concauo orbis Lunæ. Intelligitur autem totum fubiectum alicuius fcientiæ proprium, ad differentiam fubiectorum,quę conueniunt alijs fcientijs. Sed & proprium pōt intelligi ad differentiam principiorum, quæ funt communia oībus fcientijs, vti funt dignitates.

Horum autem pafsiones per fe. De paffionibus ait,accipi debere quid fignificent: qđ nonnulli referunt ad quid nominis. Sed nō inconuenit intelligere quid rei,veluti eft affignare de tonitro,q̃ fit fonus in nubibus.

Dubit. At diceret aliquis ergo de paffionibus etiam, quia funt præcognofcitur, & , fi quid rei de ipfis eft præcognofcendum , cum quæftio quid rei fupponat quæftionem fi eft,vt habetur in initio libri fequentis.

li. 2. Poft. c. 1.

Sol. Dicendū, quòd pafsiones infint fubiecto , per fe, & fimpliciter,cognofci tm̃ per demonftrationem: quòd autē exiftant,poffunt & alio modo pcognofci , vt docet Arift.in lib. 7. Met. vbi, ait, oportere fupponere aliquid ineffe alicui , & poftea quærere caufam propter quam fit, vt ita fciatur fimpliciter effe rei; ita.n. habet loco citato. *Oportet enim ipfum, quod , & ipfum effe ineffe manifefta inexiftentia.* Et fermo eft de eclipfi Lunæ : quod & clarius infinuant verba illa fubfequentia. *Aliquid ergo de aliquo quærit propter quid ineft.quod autem ineft,oportet manifeftū effe.* Et fi hoc de pafsionibus,quoad quid eft intelligi debet, vtiq; tanto magis id fupponēdum eft de ipfo fubiecto, vt quid rei de ipfo fupponatur. Ipfum vero quid nominis aptatur etiam ad intelligentiam eorum,quæ non funt, ficuti de vacuo;cum tñ & in his ipfum quid nominis aliquid concernat rerum exiftentium, quarum ope,ea, quæ nō funt,aliqualiter ab intellectu percipiuntur;ficuti de hoc latius differetur in libro fequenti.

li.7. Met. c.17.

Dubit. *Quòd autem funt monftrant,& per communia, & ex demonftratis.* Quæreret aliquis,cur folu annumerantur communia principia,quæ ꝓprie non veniunt in demōftratione;fed extra fyllogifmum accipiuntur;& prætermittuntur alia principia propria:folum.n.fubiunxit Arift. *& ex demōftratis*:forte per *oftēfa*, Græce τῶ ἀποδεικνυμένων, intelliguntur

Sol. definitiones, quarum explicatio præmittitur in fcientijs. Siquidem(vt fupradictū eft)definitio eft principium demonftrationis. Aut *ex demonftratis* dictum eft, qm̃ & ex conclufionibus prædemonftratis multa alia deinceps demonftrantur fubfequentia Theoremata.

Nonnulla tamen fcientias, nihil prohibet, Ait quafdam fcientias interdum defpicere , vt non fupponant aliqua eorum,quæ fint præcognofcenda;quemadmodum naturalis defpicit fupponere quòd fit calidum,aut frigidum,cum hęc fint manifefta.Quòd fi in fciētijs inferioribus definitiones allatę manifeftentur, non tñ id demōftratione efficitur, adeo vt tota rei definitio demonftretur: qđ nō licet,aut poffibile eft;vt patebit ex libro fequenti:fed alio quodam modo manifeftátur. Vnde adnotandum eft,nullam fcientiá inferiorem a prima Philofophia facere fermonem de ipfo quod quid eft, aut de fubiecto fibi genere,adeo q̃ huiufmodi velit oftēdere;fed fupponit vnaquęq; fuum fubiectū, & fuas definitiones: prout docet Ariftot.in initio lib.6. Met.cum deinde in lib.7. & 8. eiufdē operis tradatur exacta doctrina de ipfo quod quid eft. In his autem Analyticis in libro fequenti traduntur regulæ communes in omnibus fcientijs obferuandæ , pro venandis,& cōftruendis definitionibus. Adnotandum etiam, præcepta de præcognitis hic tradita deferuire cuiufq; generis fcientiæ demonftratiuæ; ex quorum notitia demonftrationes poftmodum rite recteq; conficiuntur apud eruditos viros , qui valent ingenio.

li.7. Met. c.1.

Explicatur quid fit fuppofitio, petitio,& definitio;& quomodo Geometræ nō peccant fupponendo , quæ vera non fint; & non dari ideas,ex eo quòd propofitiones vniuerfales fupponantur.

VT autem præclarior de principijs notitia accipiatur, nō ignorādum eft,quòd neq; fuppofitio: neq; petitio eft huiufmodi, vt neceffe fit,ex ipfarum intelligētia & claritate videri , & approbari,quod pariter & fupponitur; ꝓut de dignitatibus eft afferēdum; quæ,ob earum propriam claritatem,neceffe eft,vt ab omnibus approbētur. Neq; vero refert,q̃ aliquis tentet aduerfus eas inftare,illasq; oppugnare:fi quidem nō ad fermonem extra mentem , fed ad eum,qui eft in mente, eft demonftratio,& fyllogifmus. Nā aduerfus fermonem externum licet q̃dem femper afferre inftātiam : ad eum autem,qui eft in anima, non femper licet. Idcirco animaduertendum,q̃ quæcunq; demōftrabilia aliquis acceperit non demonftrans,fi hæc, quatenus videntur, affumat , ad ipfum addifcentem erunt fuppofita, & nō fimpliciter horum erit fuppofitio Si aūt q̃dpiā accipiat demonftrans,de quo,

aus

aut nulla ſit opinio, aut ſit cõtraria apparẽtibus, hoc ipſum eſt petere, & non ſupponere. Etenim in hoc differũt ſuppoſitio, & petitio, ꝙ petitio aut eſt aſſumptum contrarium opinioni addiſcentis, aut quid eiuſmodi: vt cum ſit demonſtrabile, aliquis illud accipiat, & eo vtatur non demonſtrans. Suppoſitio autem apparet addiſcenti etiam ꝙ ſit demonſtrabilis. Hinc (quando ſuppoſitiones aliquid eſſe, aut nõ eſſe inferũt) deducitur, quòd termini, ipſæ definitiones, non ſunt ſuppoſitiones. Non.n. dicuntur, & proponuntur definitiones, tanquam aliquid eſſe, aut nõ eſſe dicentes: ſuppoſitiones autẽ in propoſitionibus exiſtũt, enunciantibus aliquid, eſſe, aut nõ eſſe. At terminos ipſos ſolum oportet intelligere; qđ ſane non pertinet ad ſuppoſitionẽ: niſi & audire definitionem, quiſpiam dixerit, & id eſſe ſuppoſitionem. Veruntamen quibuſdam exiſtentibus, eo quòd illa ſint, ſequitur concluſio, & fit ſyllogiſmus, & nõ aliter. Amplius petitio, & omnis ſuppoſitio, aut eſt vniuerſalis, aut particularis: termini autem, ipſæ nempe definitiones neutrum horum ſunt, vt dici debeant aut vniuerſales, aut particulares.

Vendicandi aũt hoc loco ſunt Geometræ a calumnia, quam eis inferunt nõnulli, quòd in ſuis demonſtrationibus ſupponũt falſa; veluti lineam eſſe pedalem, quæ non ſit pedalis; aut rectã, quæ non ſit recta, aſſerentes non deberi aſſumi falſa, aut ſupponi in demonſtrationibus. Atqui dicẽdum, ꝙ ſi interna Geometrę ratio inſpiciatur, vtiq; Geometra nihil concludit ex eo quòd talis ſit linea, quã deſcripſerit ad manifeſtandã demonſtrationem; cũ non intendat, vt ex deſcripta linea vis ſuæ demonſtrationis pendeat; ſed aliunde, ex principijs ſcilicet neceſſarijs, quæ negari non poſſint.

Ex his autẽ quæ ſuppoſita fuerunt de propoſitionibus vniuerſalibus, aduertendum, non neceſſe eſſe, vt propterea ponantur ideæ, vel vnum quid præter multa ad hoc, vt habeatur demõſtratio: ſed vnum quidem de multis vere dici neceſſe eſt. Alioquin nõ eſſet vniuerſale, niſi quid tale fuerit. Vniuerſali autem non exiſtente, non aderit medium, & conſequenter neq; demonſtratio. Vnde oportet aliquid vnum & idem in pluribus eſſe non æquiuocum, ſed ſecundũ eandem communem rationem de illis prædicatum.

Adnotationes.

Non eſt autem ſuppoſitio, neq; petitio. Qũ dixerat Ariſt. in initio cap. 8. Quòd principia in quoq; genere ſunt ea, quæ non contingit demonſtrare; & conſpiciens, ꝙ nõ ſunt huiuſmodi omnia principia, idcirco agit hoc loco de ſuppoſitione, & petitione, quæ ſunt huiuſmodi, vt ſint demõſtrabiles. Nam petitio omnino ſupponitur demõſtrabilis; ſuppoſitio autem, ſi nõ omnis, ſaltẽ aliqua eſt demõſtrabilis. Et quæ talis eſt nõ ſimpliciter ſuppoſitio dicenda eſt, ſed addiſcenti ſuppoſitio. Superius autem cap. 2. Dũ ageret Ariſt. de principio immediato, cõſtituit ſuppoſitionem ſub poſitione, quæ dicebatur nõ eſſe demõſtrabilis, vt quæ immediata ſupponeretur. Ideo hoc loco, quaſi occurrens tacitæ obiectioni, ait, non eſſe ſuppoſitionem, neq; petitionem aliquid huiuſmodi, quod neceſſe ſit ita eſſe per ſe ipſum, & neceſſario verum videri; vt cõtingit de principijs immediatis, præſertim illis, quæ dignitates appellantur.

Non enim ad extrinſecam rationem. Græce habetur, πρὸς τὸν ἔξω λόγον: vnde cõuenientius *ſermonem* interpretaremur, qui quidem vocibus externis pronunciatur. Vult autẽ Ariſt. occurrere obiectioni, qũ aliquis poſſet aſſerere, ꝙ etiam dignitates nõ videantur veræ. At inquit, poſſe quidem aliquem ore & ſermone pronunciare, ꝙ dignitas (veluti quòd omne totum eſt maius ſua parte) nõ ſit vera; nõ autem ita ſentire ex corde ſecundum propriam & veram internã mentis cõceptionem. Quod & in lib. 4. Met. aſſe- li.4. Met. c. 4.

rebat

rebat Arist. cōtra illos, qui principia cōmunia negare audebant; nō ꝙ ipsi ita sentirēt; sed id agentes, vt molestiā præberent scientibus, & ipsi viderentur nō posse conuinci de falsa ipsorum, quā ꝓnuntiarēt, sententia.

Non simpliciter suppositio. Illa nempe suppositio, quę pōt demōstrari, licet appareat probabilis, nō est simpliciter suppositio; sed addiscenti erit suppositio, & poterit demonstrari.

Termini quidem igitur non sunt suppositiones. Hoc etiam dictum est supra in cap. 2. Quòd definitiones nō sunt suppositiones ob eam causam, quæ etiam hic affertur: qm̄ definitiones nō dicunt esse, aut nō esse; sicuti ꝓpositio, quæ est suppositio. Additum autē est hoc loco, & hoc aliud discrimē, ꝙ suppositio omnis, aut est vniuersalis, aut particularis, definitio autē neutro modo se habet. Quòd autem definitiones nō sint in propositionibus, vt dicitur hoc loco, aliqui ita interpretantur: qm̄ scilicet solum in simplici operatione intellectus cōsistunt, cuius ꝓprie nō est verū asserere, aut falsum, vt docetur in fine lib. 6 & in fine lib. 9. Met. Ioānes autem Gram. ait, tunc definitiones euadere propositiones, qn̄ simul cum definitis enunciantur, vt dicendo, linea est magnitudo longa sine latitudine. Verum possumus etiam interpretari, vt dictū est supra in expositione cap. 2. Quòd definitiones, quatenus extra demōstrationem proponuntur in vestibulo scientiarum, (vt patet apud Euclidē) eo scopo, vt intelligatur qd per ipsas significetur, sic nullatenus sunt loco ꝓpositionū; cum tantummodo proponantur vt audiantur, & intelligantur ea, quæ in ipsis significentur. Vnde hunc in modum acceptæ ita ab intellectu nostro cōcipiuntur, quemadmodum & percepti colores a sensu visus cōprehenduntur. Erunt autem tūc definitiones in propositionibus, qn̄ ad demonstrādā assumentur; quod & Arist. innuisse videtur hoc loco, dum dixit: *Sed quibuscunq; existentibus eo quòd illa sunt, fit conclusio,* vt ita definitiones in demonstratione assumptæ euadāt propositiones.

li. 1. Post. c. 2.

li. 6. & 9. Met.

Io. Grā.

Neq; Geometra falsa supponit. Vendicat hoc loco Geometram a calumnia, de qua etiam est sermo in lib. 13. Metaph. apud nos 11. qm̄ videbatur aliquibus quòd perperam se gereret Geometra, falsa supponens in suis demonstrationibus: veluti supponendo lineam, quam describit esse pedalem, quæ tn̄ non sit ad mensuram vnius pedis. Inquit igitur Arist. ꝙ Geometra ex huiusmodi suppositione, cum describit in tabula ad proponēdum facilius ante oculos discipuli Theorema, quod tractat, non astruit suas demōstrationes; sed ex alijs manifestis principijs, q̄ nequeunt improbari; hinc innuens Arist. ꝙ non ad externa, sed ad interna, qbus astruitur demonstratio, mens est nostra dirigēda.

li. 11. Met. c. 3.

Species quidem igitur esse. Tollit aliud falsum suppositum, nempe in pensandum, quod qa suppositum est demonstrationem constare debere ex vniuersalibus, propterea ideę ad modum Platonis acceptæ sint supponendæ pro habenda scientia rerum. Etenim, inqt, sufficit ad scientiam obtinendam, quòd prę dicatum sit aliquod commune multis codē modo se habens in omnibus semper, & nō æquiuoce.

De principijs communibus adnotationes quædam.

Illud autem principium, nō contingit idem simul affirmare, vel negare, nulla accipit demonstratio, nisi in qua opus sit demonstrare huiusmodi cōclusionem, quòd non possit idem simul esse, & non esse. Et huius quidem generis erigitur demonstratio, si accipiatur primum de medio, quod sit verū, & negatur ꝙ non sit non verum. Medium autem nihil interest sic accipere, aut esse, aut nō esse: qđ similiter de minori termino est assērēdum. Etenim, si datum fuerit verū esse, de quo dicatur homo, veluti de Challia quòd sit homo, & quòd verum sit dicere, ꝙ Challias est homo, & non verum dicere quòd non sit homo, si id non accipiatur, sed solum hoc nēpe hominem esse animal, & non aīal, vt ita ad maius extremum apponatur dicti principij oppositio; vtiq; sequeretur conclusio, quòd Challias est animal, & non nō animal, vt ita syllogismus astruatur: homo est animal & non non animal Challias est hō, ergo Challias est animal, & nō non animal. Et huius quidem sequelæ est causa, qm̄ primus terminus nō solum dicitur de medio, verum etiam de alio; vtputa animal non solum de homine dicitur, verum etiam de equo, & de pluribus alijs, & ideo ad inferendam prædictam cōclusioné, nil refert, si assumatur medium, quod sit id ipsum, & non, non ipsum: vt quòd sit homo, & non, non homo.

Illud vero aliud principium, de

quo-

quocunq; eſt affirmare vel negare; accipit demonſtratio ducens ad impoſſibile, & hoc nõ ſemper vniuerſaliter; ſed quantũ ſatis eſt ad genus, circa quod affertur demonſtratio, vt dictum eſt antea.

Communicant autem inuicem ſcientiæ ſecundum hęc cõmunia, nempe ſecundum illa, quibus vtuntur tanquã ex his demonſtrãtes: non autem communicant inuicem penes ea, quæ demonſtrant, aũt penes ea, de quibus demonſtrant. Et Dialectica quidem his omnibus vtitur; & ſi quæ alia tentat vniuerſaliter hæc communia demonſtrare; quale eſt illud principium, neceſse eſt aut affirmare, aut negare; & illud, ſi ab æqualibus æqualia &c. & alia huiuſmodi. Verum aduertendum, quòd Dialectica nõ verſatur circa aliquod genus determinatum. Non enim interrogaret, prout facit, vtramq; partem contradictionis, tanquam de alterutra diſputatura, non autem proprie demonſtratura. Siquidem demõſtranti proprie non conuenit interrogare cũ contradictione; quando ex ſuppoſitis oppoſitis nõ poteſt idem ſequi; vt oſtẽſum eſt in tractatu ſyllogiſmi in Prior. Analyt. in lib. 2.

Adnotationes.

Non contingere autem. Animaduertit hoc principiũ, non contingit idem ſimul affirmare, & negare, nõ venire ad vſum demonſtrationis, niſi qñ opus ſit concludere, quòd aliquid ſit quid tale, & non ſit verum eius oppoſitum. Veluti, quòd anima ſit immortalis, & non, non immortalis: aut quòd mundus ſit finitus, & non quòd non ſit finitus. Docet autem Ariſtoteles; hoc principiũ adhiberi maiori termino: ſi autem medio, aut minori termino apponatur, quidinutile committi; de quo etiam actum eſt in lib. 1. Prior. Analyt.

li 1. Prio. Sect. 1

Et hac neq; ſemper vniuerſaliter. Hoc principiũ, neceſſe affirmare, aut negare, deſeruit demonſtrationi ducenti ad impoſſibile, ita tñ (vt hoc loco aduertit Ariſt.) ꝙ non ſemper in vniuerſali accipiatur, ſed limitatum ad propria cuiuſq; ſcientiæ ſubiecta.

Dubit.

Communicant autem omnes ſcientiæ ſibi inuicem ſecundum communia. At dictũ eſt ſupra, quòd principia communia non accipiuntur, niſi vt applicata proprio generi cuiuſq; ſcientiæ; Quomodo igitur communicant inuicẽ ſecundum communia? Dicendum rationem principiorum communem eſſe oĩbus ſcientijs, licet rebus deinde applicata, in ſingula quaq; ſcientia quodam modo euadant diuerſa.

Sol.

Et Dialectica omnibus Ipſa quoq; ars diſſerendi, quæ ad vtranq; partem diſputat, vtitur omnibus communibus principijs, de q. bus, ait Ariſtoteles tractare aliam quandam ſcientiam, illã nempe, quæ tentat monſtrare communia principia; & innuit primam Philoſophiam Metaphyſicam vulgo nuncupatam; in qua principia communia manifeſtantur, vt reddantur ab omni oppoſitione libera. vt veriſſima, atque certiſſima, prout ſunt apparẽant; non autem proprie demonſtrantur. Et ideo inquit, quòd talis facultas tentat demonſtrare, nempe redarguẽdo, & conuincendo omnes aduerſantes huiuſmodi principijs. Et cum ſubiungit, quod Dialectica non eſt determinatorum quorumdam, neq; generis alicuius vnius ipſam diſtinguit a ſciẽtia demonſtratiua, in qua vnica tñ pars contradictionis (illa quæ eſt vera) aſſumitur demonſtranda: habetq; præterea vnaquæq; ſcientia ſuum determinatum genus, & ſubiectũ, circa quod verſatur. Non ita autem Dialectica, quæ de omnibus diſputat, & quatenus de vtraq; parte contradictionis diſſerere profitetur, eatenus etiã diſtinguitur a prima Philoſophia; quæ licet vniuerſum ens ſpeculetur, ipſum tñ non niſi ſecundum veritatem contẽplatur. Et hinc debet eſſe perſpicuum, perperam a nonnullis Dialecticam accipi hoc loco pro vniuerſa Logica, cum ſolum facultatem Topicam concernat, in qua inſtituitur Dialecticus ad vtramq; partem diſputationis ſuſtinendam atq; defendendam.

Quæ in ſcientijs demonſtratiuis interrogationes, & reſpõſiones locum habeant, & quæ penes has ipſas ſit obſeruanda regula in diſputando, & vnde veritatis obtinendæ difficultas pendeat.

IAm vero cum de interrogationibus ſermo inciderit, perpendẽdum eſt, num in ſcientijs demonſtratiuis interrogationes locum habeant, & quomodo Vnde dicimus, quòd ſi idem eſt interrogatio ſyllogiſtica, quod & ꝓpoſitio con-

contradictionem continens, propositiones autem secundum vnāquamq; sciētiā sunt illæ, ex quibus secundum vnamquamq; sciētiam fit syllogismus, erit vtiq; q̄dā determinata interrogatio, nō vtramq; partem contradictionis continens vt solet dialectica; sed alteram tantum, adeo vt ex ea secundum vnamquamq; scientiam proprius cōstituatur syllogismus. Hinc inferendum, ꝙ non omnis, quæ fieri possit interrogatio, ad geometriā pertinet, neq; ad medicinam, aut ad aliam quamcūq; scientiam particularem: sed erūt illę interrogationes Geometricę, ex quibus, vel aliquid demonstratur eorum, de quibus est geometria, vel aliquid etiam, quod dependeat ex geometria; vti est perspectiua, in qua rōcinationes, quæ subducendæ sunt, ex principijs & conclusionibus geometricis petūtur: quod similiter de alijs subalternis scientijs est asserendum. De principijs autem ipsis non est subducenda ratiocinatio a Geometra, quatenus est Geometra, neq. in singulis alijs sciētijs. Hinc sequitur etiam, ꝙ neq omnis interrogatio a singulo quoq. sciēte est exquirenda: neq. qui aliquam scientiam profitetur, si interrogetur, ad omnem interrogationem sibi factam respōdere circa quæcunq. debet: sed ad ea Theoremata tantum, quæ in quaq. scientia sint determinata: Et quidem si q̄s hunc in modum cum Geometra, quatenus est Geometra, disseruerit, perspicuum est, ꝙ probe disputabit, si ex his, quæ interrogauerit aliquid demonstretur Geometricum. Quod si non ita succedat, vtiq. non recte disputabit: sed & illud manifestū est, quòd si disputatio habeatur cū Geometra circa non Geometrica, in his nō redarguitur proprie Geometra, nisi secundum accidens; quatenus cōtingit, vt sit geometra, qui redarguit de aliquo extra geometriā: veluti circa musicam. Ideo in rebus non geometricis cauendum est, ne de geometricis disputetur: latebit enim hunc in modū, & nō apparebit, qui nā sit praue disputans, & praue instructus circa geometriam: cum non existat disputatio circa geometriam, de qua rectum fieri possit iudiciū, quantum quisq. in ea, vel in alia scientia valeat. Hinc considerandum est, cū circa vnamquamq. scientiā sunt propriæ interrogationes, vti sunt geometricæ, num sint etiā pręter sciētiam interrogationes, vtputa non geometricæ? Item in quaq. scientia, veluti in Geometria, secundum quam num ignorātiam erunt Geometrica, vt pertineant interrogationes, aut propositiones ab aliquo conceptæ ad Geometriam? Item vtrum syllogismus ex ignorantia sit syllogismus ex oppositis, an paralogism⁹? Et num secundum geometriā, an ex alia arte erit? Veluti interrogatio musica est non Geometrica, præter geometriam. Existimatio autem ab aliquo concepta, quòd æquidistantes cōcurrant, est quodā modo Geometrica, & alio modo non Geometrica. Siquidem bifariam hæc est accipere, tum ex ignorantia simplici, tum ex praua dispositione circa falsum concepta: quemadmodum & absonum intelligitur, tum id, quod nullum sonum edit; tum illud, quod praue edit sonum. Nū igitur ita aliud quidem nō est geometricum, q̄m non sit de geometria, vti illud, q̄d

ad musicam pertinet, eodem modo se habens, sicuti illud, qđ penitus sono caret? Aliud vero, ad similitudinem rei prauum edentis sonum erit nō geometricum, qm̄ praue sit acceptum circa geometriam; quod quidem alio modo acceptum, vt decet, erit geometricū; sicuti existimare, quòd lineæ æquidistantes non concurrant. Et ignorantia quidem ex huiusmodi prauis constans principijs, est contraria scientię circa quam existit, adeo vt ex his syllogismus ex oppositis constituatur.

Ad hæc nō ignorandum, quòd in disciplinis, veluti in Mathematicis, non similiter locum habet paralogismus, ratio scilicet fallaciam inducens: & id, qm̄ in ipsis idem medium semper bis accipietur, ita vt de omni ipso maior terminus prędicetur, ipsum vero medium de alio omni minori termino dicatur: nō tamen signo, OMNE ad maiorem terminum adhibito: cum id minime cōueniat, vt patet ex regulis enunciationis in lib. Perihermenias assignatis. Et hæc quidem ita se habent in Mathematicis: propterea ꝙ tāquam ipsa mente cernuntur Theoremata ob descriptiones quæ ante oculos proponuntur; vnde locus paralogismo non est in ipsis. In dialogis autē, & in disputationibus dialecticis hæc latēt. Veluti, si sit interrogatio, num omnis circulus sit figura, & circuli descriptio ꝓponatur, vt fieri consueuit in Mathematicis, statim perspicuū redditur, quòd omnis circulus est figura. Etsi interrogetur idem Geometra, num carmina sint circulus, manifestum eidem erit, ꝙ carmina, iuxta descriptionem factam in ipsa Geometria nō sunt circulus. Non autem ita succedit in dialogis, vbi huiusmodi non fiunt descriptiones, & idcirco in ijs facilis est lapsus ad paralogismos.

Aduertendum autem (qn̄ sermo est de interrogationibus extrinsecus admotis) si fuerit propositio inductiua a disputante inducta, quòd nō oportet ad ipsam afferre instantiam. Nam quemadmodum non est propositio nisi sit in pluribus, (alioquin non erit syllogismus de omnibus, & ita non ex vniuersalibus conflatus) idem etiam afferendum est de instantia quæ nō deseruiet syllogismo, nisi fuerit vniuersalis: siquidem eedē sunt & propositiones, & instātiæ: nam quæ affertur instantia, eadē euadit propositio, vel Dialectiua, vel Demonstratiua.

Illud etiam aduertendum, cōtingerę, vt aliqui asyllogistice ratiocinentur: qm̄ accipiant consequentia vtriq; termino, maiori scilicet & minori: quemadmodū Cęneus astruere intendens, quòd ignis sit in multiplicata analogia ita ratiocinabatur. Quod in multiplicata analogia fit, cito fit; ignis fit cito, ergo in multiplicata fit analogia. Atqui ita ex duabus affirmatiuis in secunda figura exurgit complicatio, inepta ad syllogismum colligendū, qui hunc in modum recte constitueretur. Quod cito fit, in multiplicata analogia crescit, ignis cito fit, ideo in multiplicata crescit analogia. Etenim interdum non contingit syllogismū astruere ex assumptis; interdum autem contingit, sed ex eo quòd non recte positi sint termini, non sequitur syllogismus ex ratiocinantis inanimaduersione.

Illud etiam non ignorandum, quòd si impossibile esset ex falsis

verum demonſtrare, vtiq. facilis eſſet reſolutio concluſionis in ſua principia; qm̃ ex neceſſitate concluſio cum principijs, & propoſitionibus cõuerteretur. vt ſi A exiſtente, nempe ipſa cõcluſione, ea ſunt, per quæ ipſum A eſt, videlicet per B, quo denotantur præmiſſæ propoſitiones, ex quibus oſtendatur A: ita ſane ex concluſione vere cognita eſſet inferre præmiſſas vti veras: quas inuenirem⁹ ſupponi expoſita concluſione; vnde facilis eſſet reſolutio in principia, ſi vera concluſio ſemper ſubinduceret veras propoſitiones; quod tñ nõ ſemper contingit. Veruntñ magis fit conuerſio in mathematicis a concluſione in præmiſſas; qm̃ nullum accidẽs in ſuis demõſtrationibus accipiunt mathematici (in quo etiam differunt a ſermonibus dialecticis:) ſed aſſumunt definitiones. Sed & augentur non per media alia, & alia diſperata: ſed aſſumendo medium conſequens ad aliud medium. Veluti, ſi dixerimus A de B prædicari, & hoc de C, & hoc rurſum de D, & ita ſecundum rectam lineã in infinitum fit prædicatio. Sed & ad latera fit augmentum hunc in modum; veluti A & de B prædicatur & de E; ſicuti numerus quantus de finito, & de infinito, vel de pari, & impari per diuerſa media demonſtrabitur; ſicuti & per rõnale concluditur, ꝙ homo ſit ſenſibilis, & per aliud medium, puta per hinnibile probatur ꝙ equus pariter ſit ſenſibilis. Verum, et ſi ſint plura media ad res diuerſas relata, attamen in vnoquoq. ordine ſecũdum latus adſunt propria media, vt nõ ſint interpollata, aut inuicem extrinſeca reſpectu rei demonſtrandæ; prout ad idem probandum plura extrinſeca, & inuicem interpollata media a dialectico aſſumuntur. Vnde difficilis eſt apud ipſum reſolutio concluſionls in propria principia.

Adnotationes.

SI vero idem eſt interrogatio ſyllogiſtica, & propoſitio contradictionis. Nonnulli dixerunt, ideo cum hac coditione locutum eſſe Ariſtotelem. qm̃ fiat etiam interrogatio nõ ſyllogiſtica, vt cum quæritur, vnde venis? aut cur ferrum trahitur a magnete? ſed hi non animaduerterunt dici ab Ariſt. ꝙ idẽ eſt interrogatio ſyllogiſtica & ꝓpoſitio cõtradictionis, vt hinc innueret, ꝙ interrogatio dialectica non aptatur demonſtrationi. Nam quatenus eſt ſyllogiſtica ꝓpoſitio, ſic ad vtramq; partem aptari poteſt contradictionis; vt docuit Ariſt. in lib. 1. Prior Analyt. Sect. 1. explicans propoſitionem in genere: vnde eadem eſt cũ propoſitione dialectica; propoſitio autem, & interrogatio demonſtratiua debet eſſe limitata tantummodo ad partem veram. *li. 1. Prio. Sect. 1.*

Aut ex eidem monſtratur Geometria. Hoc ait, ꝙ nõ ſolum ſunt Geometrica, quæ in ipſa Geometria demonſtrantur, verum etiã quæ in ſcientia ſubalterna, vt in perſpectiua. Nam, quæ in hac ſcientia demonſtrantur, ex principijs Geometriæ, & ex concluſionibus in ea deductis demonſtrantur.

Inquantum Geometra; Nempe Geometra, vt eſt Geometra, nõ debet de proprijs principijs diſputare. At dicet aliquis, contrariũ huic regulæ factitatum eſt ab Ariſt in lib. 1. Phyſic. vbi tractans de principijs naturalibus, diſputationem ſuſcepit aduerſus placita Parmenidis, & Meliſſi tollentium principia naturalia, vt ea manuteneret, atq; tueretur. Verum dicendum eſt, ꝙ Ariſt. illud egit, non tanquam naturalis Philoſophus, ſed induẽs aliam a Philoſopho naturali ꝑſonam, eo cõſilio, vt de medio tolleret difficultates circa principia naturalia emanantes ex aliorum placitis: cum tñ hoc munus in prima Philoſophia, in ipſa Metaphyſica proprie, & exacte abſoluatur. Verum, cum Metaphyſica poſteriori loco a ſcientia naturali a nobis (ſecundum innatã viam a notioribus nobis) ſit capeſſẽda, idcirco in Philoſophia naturali aduerſus praue ſentiẽtes de principijs naturalibus iure ſuſcepta eſt diſputatio *Dubit.* *Solut.*

Niſi ſecundum accidens. Ait ꝙ ſi Geometra redarguatur circa aliquod quæſitum muſicum, nõ ꝓprie redarguetur vt Geometra, ſed ſecundum accidens; ideſt, quatenus contingit ei, qui eſt Geometra, vt redarguatur circa quæſitum muſicum.

Latebit .n. male diſputans Habet, ꝙ ſi extra ꝓpriam ſcientiã fiat diſputatio, occultum erit, & latebit, qui nam praue diſputet, & qui ſit perperam inſtructus in aliqua ſcientia; qñ circa eam non huiuſmodi diſputatio

habeatur, qua dignosci possit, qui nam bene, vel male disputet.

Quoniam autem sunt Geometrica. Tria quæsita in hac parte proponũtur. Primnm est, num sint etiam interrogationes non Geometricæ factæ ad Geometram. Secundum quæsitum est quam nam ignorantiam habebut interrogationes perperá factę in Geometria. Tertium, num syllogismus secundũ ignorantiam sit paralogismus, an syllogismus ex oppositis. i. syllogismus contrarius scientiæ. Et cum possit syllogismus peccare in forma & in materia, proprie paralogismus est peccans in materia, & hinc inducẽs fallaciam.

Secundum Geometriam vero. Soluitur prima q̃stio cũ hac distinctione, ꝙ interrogationes nõ Geometricæ duobus modis esse possũt: aut, qm̃ ex alia arte sint constructæ; vt, si de re musica ad Geometrá fiat interrogatio: & huiusmodi absolute non est Geometrica interrogatio. Aut, qm̃ sint interrogationes prauæ intellectionis circa Geometriam: vt quòd æquidistantes lineæ intersectæ concurrant, quod falsum est.

Duplex enim hoc Soluitur secũda quæstio, ꝙ erit ignorantia praua ob prauam intellectionem scientiæ, qñ sit interrogatio scd̃m scientiam praue intellectam. Ignorantia autem absoluta, dicta puræ negationis est, cũ aliquid simpliciter ignoratur.

Et ignorantia hac quæ ex talibus principijs. Respondio fit tertio quæsito, ꝙ talis ignorãtia praua pertinet ad syllogismos cõstitutos ex principijs contrarijs scientiæ, vt non sint ꝓprie paralogismi.

In Mathematicis vero. Ait in Mathematicis, Græce, ἐν τοῖς μαθήμασιν (quasi ijs verbis insinuentur artes quæ addiscerentur, & possent intelligi omnes scientiæ contemplatiuæ) non contingere fieri syllogismum deceptorium, prout contingit in Dialecticis. Et hoc, qm̃ in disciplinis bis accipitur idẽ medium secundum modum vniuersalem, vt de omni dicatur maior terminus, & mediũ de omni minori; vnde apta est circa terminos omnes distinctos ratiocinatio. Item, qm̃ ex descriptionibus propositiones reddũtur apertæ, vt intellectus videat quodam modo terminos, de quibus est demonstratio, dum imaginationi simulacra terminorum apparent, & intellectui repręsentãtur: vnde deceptio non contingit ita facile in disciplinis, sicuti in dialecticis sermonibus: tũ, qm̃ in ijs terminorum dispositio variatur, vt nõ bis assumatur medium: tum, qm̃ quæ pronũciantur, aufugere possunt mentis intelligẽtiam, & continere multas æquiuocationes. Quod autem habetur in contextu: *nam carmina sint circulus*, non ignorandum, nonnulla carmina, circuli nomen accepisse, licet æquiuoce sint dicta ad circulum figuram existẽtem: id quæ ob hanc similitudinem, quòd in ipsis quidam circulus conflectur; dũ vno modo recitata carmina, vnum sensum referãt; & alium, si opposito modo recitentur, initiũ sumendo a fine propositorum verborum; quemadmodum in his latinis verbibus est animaduertere: quippe ordine quo scripta sunt exposita continent, vt patet, laudationem: totum autem oppositum ordine retrogrado prolata.

Laus tua non tua fraus, virtus non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium
Eximium decus hoc fecit te scandere
Rerũ copia, non virtus, fraus tua nõ tua laus.

Si autem impossibile est Ait, quòd, si impossibile esset ex falsis verum concludere, cuius oppositum ostensum est in lib. 2. Prior. Analyt. esset facile resoluere conclusionẽ in sua principia; quemadmodum in lib. 1. Prio. Analyt. Sect. 3. Syllogismos resolui docetur in suas propositiones. Et hoc quidem, qm̃ stante cõclusione, propositiones, ex quibus deducitur cõclusio, inueniretur ipsæ quoq; ex necessitate veræ sicuti & conclusio supponitur vera. Veruntamen non tollitur qui in Mathematicis facilior sit resolutio, quã in dialecticis duplici hac de causa. Primo q̃dem, quia non accipiuntur accidẽtia in Mathematicis, sed definitiones, vnde varietas circa propositiones non cõtingit: sicut in cõtingit, vbi accipiuntur ea, quæ sint secundũ accidens vt sit in dialecticis sermonibus. Deinde, qm̃ in augmento mediorum procedityr in disciplinis Mathematicis, aut secũdum rectam lineam, dum per vnum mediũ probatur aliquod Theorema, & deinde per aliud mediũ consequens, probatur aliud pariter consequens Theorema; vnde facile est in his conspicere resolutionem cõclusionũ in sua principia reducendarum; quod nõ est dicendum, si coaceruentur plura media nõ inuicem cohęrentia, sed extrinseca, seu diuersa ad idem probãdum: vt fit in Dialectica, in qua ex pluribus medijs inuicem minime coniunctis, sed extraneis, plura ad idem probandum argumenta astruuntur. Aut, si secundum ordinem transuersalem per latera ꝓcedatur diuersa media accipiendo, hęc etiam in Mathematicis sunt cohærẽtia ad problemata. Quippe contingit in scientijs fieri augmentum mediorum procedẽdo secundum latus; vt cum de diuersis rebus idẽ probatur per diuersa media: sicuti de homine quòd sit sensibilis per risibile, & similiter de equo, quòd sit sensibilis ꝓ hoc aliud mediũ hinnibile: & in his semper aderit recta & immediata cohærentia mediorum ad problemata demonstranda. Ex hoc aũt qđ dicat Arist. assumi in Mathematicis definitiones colligitur definitiones accipi in demonstrationibus tanquã propositiones syllogismi. Et quod dictum est de Mathematicis, quòd non accipitur accidentia: sed definitiones in suis demonstrationibus, id de omnibus scientijs, quæ addiscuntur, & asserendum; vt talis sit etiam sciẽtia naturalis, vt non accipiat in demonstratione, quę sint secundum accidens. Non ob id tñ tollitur, quin naturalis Philosophus consideret multa accidentia, quæ insunt rebus, vt ideo difficiliores euadat speculationes naturales ob compaginem multorum accidentium, quæ insunt rebus naturalibus, a naturali Philosopho cõsideranda; a quibus abstrahunt sciẽtiæ Mathematicæ, præsertim superiores, vt Geometria, & Arithmetica. Nam, & inferiores Mathematicæ, vt Perspectiua, & Armonica, & ipsæ multa accidentia respiciũt re

rum sensibilium, circa quæ non mediocres etiam contingunt difficultates: sed & hæc accidentia in omnibus scientijs accipiũtur secundum se vt propriæ passiones, & non secundum accidens.

De differentia existente inter scire quia, *et ipsum* propter quid.

QVia autem scire, & propter quid scire, inter se differunt, tum in eadem scientia tum in diuersis. Et in eadem quidem scientia duobus modis. Vnus est, cum syllogismus fiat per non immediata; ita enim scientia ipsius propter quid non habebitur, quæ requirit primum immediatũ; sed ipsum quia tantum scietur. Alter vero, si per immediata fit syllogismus, verum non per causam; vt si cõuertibilibus ad inuicem existentibus causa & effectu, per effectum, quoniam fit notior, demõstretur causa. Nihil enim prohibet interdum esse notiorem effectum, quàm causam, vnde per ipsum fiat demonstratio. Quemadmodum, quòd planetę sint prope, ostenditur per hoc medium, quia scintillant, vt ita astruatur syllogismus. Planetæ non scintillant, quod non scintillat prope est, ergo planetæ prope sunt. In quo quidem syllogismo vtraque propositio vera est, tum ea quod planetæ non scintillant, tum ea quòd non scintillãs prope est; quod inductione, vel sensu tanquam manifestum acceptum est; Et est syllogismus de ipso quia est, non autem propter quid: quandoquidẽ non est causa quod planetæ prope sint, ipsas non scintillare; sed e conuerso, quoniam prope sunt, id est causa vt non scintillent. Vnde contingit alterum per alterum demonstrari: sicuti conuerso modo demonstratio largiens propter quid hunc in modum astruetur. Planetæ prope sunt, quod prope est, non scintillat, ergo planetę nõ scintillant. Pariter quemadmodũ quod Luna sit rotunda, nonnulli ostendunt per eius incrementa luminis, quæ recipit a Sole, ita ratiocinantes. Quod augetur vt illuminetur orbiculariter, est rotũdum, Luna augetur vt orbiculariter illuminetur, ergo luna est rotunda, & ita syllogismum astruunt ipsius quia est: quemadmodum cõuerso modo, posito medio termino, fiet syllogismus propter quid hunc in modum. Quod est rotundum, recipit circulariter augumẽta in sua illuminatione, Luna est rotunda, ergo recipit in sua illuminatione augumenta circulariter. Siquidẽ non est causa, circulariter augeri, quòd luna sit rotunda; sed e conuerso, Lunam esse rotundam, id est causa, vt circulariter illuminetur, & augumẽta recipiat luminis.

In quibus autem media non cõuertũtur, & est notius id quod nõ est causa, in his ipsum quia demõstratur, non autem propter quid. similiter in quibus causa extra ponitur, vt non sit immediata, in ijs etiam ipsius quia, nõ autem propter quid erit demonstratio, quoniam causa non assignatur. Veluti si quæratur propter quid paries non respirat, & assignetur causa, quoniam non est animal, hęc certe non est causa propositi quæsiti: si quidem si non esse animal, esset causa non respirandi, oporteret quod esse animal foret causa respirandi per hanc regulam: quoniam si negatio est causa ipsius nõ esse affirmatio est causa ipsi⁹ esse: quemadmodum si ex eo quod calida & frigida inuicem non sunt tem-

temperata, causa sunt non bene se habendi in valetudine; ita etiam commẽsuratio calidorum, & frigidorum erit causa bonæ valetudinis. Et e conuerso, si affirmatio est causa quòd fit aliquid, etiam negatio est causa quod illud non fit. Atqui non est verum dicere, quòd causa cur paries non respiret, sit ipsum non esse animal: quoniam multa animalia, vti pisces non respirant; & ideo in secunda figura astruetur syllogismus de pariete quòd non respiret hunc in modum. Omne respirãs est animal, parier non est animal, ergo paries non respirat. Assimilantur autem huiusmodi causæ illis, quę secundum excessum dicuntur; id est dicere, quòd medium valde distans assumatur in demõstratione. Veluti erat illud Anacharsidis afferentis causam, cur in Scythia non essent tibicenes: quoniam ibi (dicebat ipse) non sunt vites: cum esset dicendum, quoniam nõ inebriantur. In eadem igitur scientia, & iuxta mediorum positioné, hæ sunt differentię inter syllogismum quia, & syllogismum propter quid.

Differunt vero & in diuersis scientijs: quoniam in vna scientia demonstretur quia, in alia vero propter quid. Et hęc sunt quæ ad inuicem ita se habent, vt vna sub altera contineatur: quemadmodum Perspectiua se habet ad Geometriam, Mechanica ad Streometriam, & Harmonica ad Arithmeticam, & apparẽtia ad Astrologiã. Et ferme vniuocæ inter se sunt harum scientiarũ nonnullæ, vt Astrologia. Mathematica, & Nautica: nec non Harmonica Mathematica, & illa, quę est secundum auditum, siquidem sensitiuorum munus est scire quia: propter quid vero ad Mathematicos pertinet: hi enim obtinent causarum demõstrationes, & sæpe ignorant quia est: vti & nõnulli vniuersalia cõtemplantes seu numero quędam singularia ignorant ob inexperiẽtiam. Et huiusmodi sunt scientiæ Mathematicæ, quę, existẽtes quid aliud in substantia, vtuntur speciebus, abstrahentes suas speculationes a subiecto. Mathematicę enim circa species sunt, & non de subiecto aliquo considerarit. Nam & si Geometrica sint de subiecto aliquo; attamen vt Geometrica sunt de subiecto non considerant huiusmodi scientiæ. Ad Perspectiuã autem (sicuti hęc se habet ad Geometricam) & alia facultas similiter ad ipsam se habet, vti illa, quæ idem speculatur. Nã de hoc pertinet ad naturalem nosse quia est; At propter quid discutere, pertinet ad perspectiuum, vel simpliciter, vt perspectiuus est, vel vt per disciplinam est procedens, iuxta ea, quæ tradita sũt in Geometria. Et multæ quidem scientiæ nõ inuicem subalternæ ita se habent, vt aliquid in vna quo ad quia est sciatur; in alia vero propter quid manifestetur: prout contingit de medicina circa hoc problema, quare vulnera orbicularia tardius sanentur: hoc enim cognoscitur a Medico: propter quid autẽ id cõtingat, non nisi ad Geometram pertinet dimonstrare.

Adnotationes.

Q*Via vero, & propter quid scire.* Explicatis ijs, quæ ad internam scientiæ demonstratiuæ constitutionem requiruntur: nunc alia quędam Arist. prosequitur, quæ aliquo pacto in eandem doctrinam inserun tur. Et in primis aperit discrimen inter scire quia, & scire propter quid, quornm antea sępius habita est mentio. Non autem

pen-

pensandum est,ad ipsum scire quia pertine re modum illum alium sciēdi, de quo supra cap.2 fuit sermo,dum ibi dictum est. *Si quidem igitur est & alius modus sciendi inferius dicetur.* Nam,vt ibi patefactum est,modus il le sciendi ad scientiam simpliciter dictam pertinet .scire autem quia modum sciendi per accidens concernit, vt explicatum est supra cap. 7. [li. 1. post. cap. 2.]

Nihil enim prohibet. Supponuntur termini conuertibiles,nempe causa, & effectus a causa proueniens. Et qm̄ notior apud nos sit effectus quàm causa,idcirco demonstratio fieri potest ab effectu ad causam manifestandam Non tollitur autem,quin postea & effectus per causam demonstretur, vt ita modo certiori,& secundum se effectus sciatur. [Dub.] Quòd si diceret aliquis, cum supponatur, causam manifestari per effectum tanquam notiorē quomodo postea a causa vti tiori potest refecti super effectum demonstratio? [Solut.] Dicendum ad hoc quòd causa,& si cognoscatur per effectum;attamen cognita vt causa,sis comprehenditur vt quidpiā magis notum in sua natura quàm effectus, licet prius quo ad nos non esset cognita;vnde postea ex causa in sua natura notiori,potest magis cognosci,& certi⁹ sciri effectus, vti cognitus per causam , & in esse dependens a tali causa.

Planta enim non scintillant. In hoc syllogismo,qui innuitur in contextu & eu huiusmodi ; quod non scintillat prope est planetæ non scintillant, ergo prope sunt,videtur cō plicatio conflata ex minori negatiua in prima figura, quæ in lib. 1. Prior. Analyt.repudiatur vti assyllogistica. Dicendum,dictionem hanc *non scintillare* , accipi debere pro verbo infinito, de quo in lib. Perihermen. vt ita resoluatur propositio, planetæ sunt non scintillantes. [lib. periherm. sectio. 2.]

Hoc autem acceptum sit per inductionē, aut per sensum. Ait Arist inductione nempe experientia accipi,quòd quæ nō scintillant, prope sunt; vnde, quæ longe absunt, videntur scintillare,vti Stellæ fixæ,& Planetæ remotiores a nobis,& id quidē,qm̄ circa res valde distantes visus oculorum hebetior redditur vt visio non sit firma;sed vacillans. Illud autem *vel per sensum* adiectum videtur, qm̄ inductio per sensum conficitur, vt medio sensu effectus rerum innotescant.

In quibus autem media non conuertuntur, & est notius quod non est causa. Ait quòd vbi media non sunt conuertibilia(intelligens tum medium concurrens vt effectus ad causam demonstrandam,tum medium pro causa ad demonstrandum effectum)si cōtingat quòd notior sit effectus, hunc in modum quia aliquid est ostendetur; nō autem ꝑꝑ quid fit. Et id,qm̄ cōtingit vt causa excedat effectū in plus se habens: quemadmodum esset inferre, quòd mulier cum viro concubuerit, si peperit; non autem conuertitur , quòd si concubuit,quòd peperit,& ideo demonstratio ꝑꝑ quid in eiusmodi nō efficitur,sed solum illa,quæ est ipsius quia. Potest aūt & e contra effectus excedere causam : sicuti ad parturientem sequitur quòd sit pallida si peperit;nō aut sequitur,quòd si mulier est pallida,etiam peperit:siquidem & ex pluribus alijs causis potest pallor prouenire. Ait aut Io.Gram. Aristotelem de huiusmodi causis non meminisse,qm̄ est per accidens inferre ex eo quòd mulier sit pallida,quòd peperit, cum plures etiam causæ possint esse palloris: vnde,ait,non inferendum esse,ꝙ existēte causato sit etiam hæc vel illa causa determinata. [Io.Gram.] Sed instat postea ex aduerso,qm̄ si causa & causatum sunt correlatiua, quomodo existente causato nō erit causa,& e cōtra? [Dubit.] Respondet,quòd causa accepta non actu,sed potentia,pōt esse sine causato;veluti ædificator sine actu ædificandi; si aūt accipiatur, vt actu ædificans, erit etiam actu ædificatio; adeo quòd existente causa in actu causandi , erit etiam causatum in actu: sicuti & causa existente in potentia,erit & causatum in potentia. [Solut.] Sed aduertendū posse esse demonstrationem etiam quòd termini inuicem non sint conuertibiles, vt causa non conuertatur cum causato: quemadmodum apparet de ira,de qua probatur, quòd sit accensio sanguinis circa cor ob appetitum vindictæ , quamuis accensio prædicta etiam possit fieri circa cor, ob aliā causam, pręter illam,quę continet appetitum vindictæ . *Themistius quoq; hoc loco ait* ; posse esse nonnulla conuertibilia quæ inuicem monstrentur,non tñ vllo modo per causam; sed qm̄ effectus per alium effectum notiorem demonstretur;sicuti febris,& per celeritatē pulsus,& per calorem intensum potest monstrari : Verum de ijs lucuentius differetur in lib.sequenti. [Them.]

Amplius in quibus medium extra ponitur. Ait demonstrationem *quia* etiam haberi,quando causa externa,& non immediata accipitur. Vnde non est accipiendum hoc loco dictum Arist. vt nonnulli interpretantur , ꝙ per medium extra positum voluerit significare secūdam figuram syllogisticam, in qua medium ponitur extra, nempe a parte prædicati,ratione vtriusq; termini, vt docetur in lib. 1.Prior.Analyt. Nā non tollitur,quin etiam in secunda figura astrui possit demō stratio propter quid; veluti erit hęc; omne respirans est animal,paries non est animal, ergo paries non respirat. [li: 1:Prior. Sect. 1.]

Si negatio causa est. Est regula in Topicis, quòd si negatio est causa,vt non sit aliquid, affirmatio erit causa, vt idem sit; & è conuerso regula procedit ab affirmatione , in negationem . Vnde dubium Io.Gram. euacuatur , dum deducit Arist. argumentari a destructione antecedētis , cum debeat fieri demonstratio a destructione consequentis, qđ est verissimū;& ita obseruari debere docuit Arist.in Topicis. Verum dicimus regulam adduci , & non argumentationem in hoc loco [li. 4. Top. loco 46. & li. 5. loc. 16] [Io.Gram.] [lib. Top. loc. 14.]

Assimilantur autem. Themistius explicat, quòd quæ dicuntur scđm excessum,nō sunt necessaria,sed superflua. S.Tho. quia excedunt communitatem conclusionis probandæ. Forte per *excessum*,dictum est ab Arist. quasi supra modum,vt admirationem præbeat illud quod proponitur,tanquam valde remotum a nostra existimatione , & plurimum recedens a proposito:sicuti Anachar. [Them.]

fidis responsio longe petita erat, dum inter rogatus quare non essent in Scythia Aulctides fœminæ, nempe saltantes præ nimio vino hausto, & sibillantes, dixit ideo non adesse huiusmodi fœminas in Schythia, quia ibi non erant vites; quod refert Io. Gram. in annalibus antiquis reperiri scriptum; & forte ita modeste respondit Anacharsses, ne illos quibus cum agebat, argueret ebrietatis, & ita causam adeo distantē attulerit.

Io. Grā.

Et secundum mediorum positionem. Allatum est prius discrimen inter scī e *quia* & *propter quid*, secundum eandem positionem terminorum in eisdem terminis mutato tñ ordine medij, modo per effectū ad causam procedendo, & modo per causam ad effectum.

Io. Grā. *Fere autem vniuoca sunt.* Io Gram. interpretatur hæc de subalternatis, & subalternis scientijs, vt dicā ur *fere vniuoca*: quia vtræq; quidem sunt eiusdē rationis aliquo modo, non autem absolute, & simpliciter. At Arist. videtur innuere quòd sint *vniuoca*, quia habent idem nomen commune; sicuti nominat musicam sensualem & mathematicam, & Naualem Astrologiam, & Mathematicā, quæ quidem nomine eodem nuncupantur, & etiam conueniunt in tractatione earundem rerū; vt ita vox *vniuocę* accipiatur secundum proprium significatum vniuocorū, de quibus actum est in prędicamentis. Dixit autem *fere*, quā superior scientia contē platur *propter quid* de ijs, de quibus inferior contemplatur *quia*: vnde quodammodo, non autem penitus sunt vniuocæ S. Tho. interpretatur quòd *fere vniuoca*, quoniam communicant in nomine generis, non in nomine speciei.

S. Thom.

li. 1. Met. c. 1. *Quemadmodum qui vniuersale speculatur.* De hoc etiam est mentio in proœmio Met. vbi dr, quòd speculantes causas, sępe ignorant quia est, vt ita vniuersale speculentur, & singularia, ignorent: vt apparet apud illos medicos, qui sunt tantummodo Theorici, non autē & practici, videlicet experti circa singularia, quę sub vniuersali speculatione cōtinentur; in lib. quoq; Prior. Analyt. in cap. de deceptione secundum deceptionem hęc

li. 2. Prio. habentur; quod *scientia vniuersales obtinent notitiam rerum in vniuersali, ignorant autem in particulari ea quoniam tradunt notitiam scientia particulares, versantes circa sensibilia, qua non extra sensum percipiuntur*

Sunt autem hac quacunq. cum alterum quid sint secundum substantiam: vtuntur formis. Vt

S. Thom. interpretatur S. Tho. intelligi tur subalternatæ scientię, quæ cū aliud sint a superioribus secundum substantiam, & materiam, speciebus tamē & figuris vtuntur, sicuti superiores, cōtractis tñ ad materiam: reliquę vero eas, a materia separant, vt ita differāt inter se penes maiorem, vel minorem ab-

Imp. stractionem. At pręcedens sermo Arist. est de scientijs propter quid afferentibus; vt superiores sint ille, de quibus habet verba prędicta, quemadmodum & subsequētia id manifestant, dum inquit *disciplina namq; circa formas sunt* Idcirco id habet Arist. hoc loco, quòd scientię Mathematicę speculātes propter quid, sunt quid aliud a substantia; idest, ea, quę sub ipsarum consideratione cadunt, sunt aliud a reipsa nempe a sensibilibus; vnde vtuntur ideis, nempe speciebus abstractis a materia. Quod etiam habetur in lib. 2. Physic. nec non in lib. 13. Met. apud nos ij. Vnde subiungit, quòd licet Geometrica sit, de quodam subiecto, videlicet de re sensibili, attamen vt Geometricæ sunt, non sunt de subiecto: idest, Geometrię speculationes non tractant res sensibiles, vt sēsibiles sunt: vt puta metalla aut animalia, & alia huiusmodi: sed abstracte ab ijs speculantur secundum ideas & formas eorum, quę speculantur.

li. 2 Phys. c. 2. li. ij. Met. c. 2.

Ipsum enim quia naturalis est scire. Hoc dr de Iride, de qua supponitur vniuersa speculatio, quę de ipsa possit haberi. Vnde ait, quòd naturalis Philosophi munus est scire, quia est de Iride, at perspectiui pp quid: & ita quo ad hanc speculationem, naturalis scientia erit subalternata perspectiuę; non autem vniuersa Philosophia naturalis erit subalternata perspectiuæ, Verum posset ēt intelligi *naturalis*, ille, qui speculo obseruat contingentia circa Iridem: adeo quòd supponatur particularis artifex, qui per sensum visus versatur circa specularia, de quibus deinde perspectiua speculatur scd̄m principia Geometrię, explicans de Iride ipsum propter quid: & ita subalternabitur ei huiusmodi naturalis speculator. Verba aūt illa. *Aut simpliciter aut eius, qui secundum disciplinam.* Ita videntur intelligenda, quòd perspectiuus de Iride potest reddere causam, vel *simpliciter* quatenus perspectiuus est; *aut secundum disciplinam*, quia imbutus sit ex scientia superiori: videlicet scd̄m doctrinam sumptam a geometria.

Multa autem & scientiarum Aduertit quod ex scientijs sunt multę, quę non sunt inuicem subordinatæ secundum totum: at scd̄m aliquod Theorema in vna scientia supponi potest, *quia est*, in alia vero reddi *propter quid*. Sicut medicina cognoscit experientia, quòd vulnera orbicularia tertius sanantur: Geometria autem affert causam propter quam ita eueniat: vt puta, quia latera circuli, maxime distant ad inuicem, & ideo difficilius coalescunt simul partes carnis; vnde superius etiam dictum est, *nisi numeri sint magnitudines*, vt innueretur, quòd possunt considerari magnitudines continuę secundum rationem numerorum. Ex dictis autem hoc loco, notandum est in scientijs absolute subalternis, subiectum superioris scientiæ, totum supponi ab inferiori scientia; quę deinde addit quid vltra ad subiectū superioris: sicuti harmonica supponit vnitatem, & numeros, de quibus Arithmetica; & ijs addit qualitatem soni, quem ipsa considerat secūdum rationē numerorum habitam in Arithmetica, & huiusmodi sunt oēs scientię relatæ ad primam Philosophiam, quæ cōsiderat totum ens, vt est ens: alię vero abscindentes partem entis considerant aliquid adiunctum ipsi enti: vt pura, vel quòd sit sensibile, vnde Philosophia naturalis ortum habet: vel quòd magnitudinem obtineat cōtinuam, vnde Geometria; vel discretam vnde Arithmetica dependet, & ita de alijs particularibus scientijs, & artibus dicē-

li. 1. Post. c. 7.

li. 4. Met. c. 1.

dum

dum eſt. Vbi autem totum ſubiectum non ſupponitur ab inferiori, quæ ſpeculat *quia eſt*, hęc non propriè, neq ſimpliciter erit ſubalternata ſcientia ſuperiori: ſed ſcđm quid reſpectu particularium theorematũ, quęin vtraq; ſcientia conſiderẽtur: in vna aũt ſecundũ *quia*, in alia vero *propter quid*.

De ſpeciebus demonſtrationũ, quanam, & quot ſint, expedita diſputatio.

QVod nõnulli penes queſtionem apud Logicos cogitatam de numero ſpecierum demonſtrationis adnotarunt, genus demonſtrationis non eſſe vniuocum, ſed analogum, ſi demonſtratio *propter quid*, ſeu *ſimpliciter* nuncupata. ad eam comparetur, quę ſolum *quia eſt aliquid* oſtendit: id minime nobis ſatisfacit duplici ex capite: tũ, qm̃ quod naturæ Analogorum conuenit, vt ab vno primo & præcipuo eſſentiam eiuſdem naturę accipiãt Poſteriora, vti perſpicuum eſt de ſubſtantia comparata ad reliqua prædicamenta, quę ſunt accidentia, id non apparet in ſpeciebus demonſtrationis inueniri, cum oppoſito modo demõſtratio illa pręcipua, quæ largitur *propter quid*. & alia docens *quia eſt*, inuicem diſtinguantur, vt parebit ex dicendis: tum etiam propter quòd, ſi nomen demonſtrationis lato vocabulo accipiatur, quatenus *demonſtrare*, ſignificat aliquid oſtendere, ſeu patefacere medio quodam ratiocinio, id ſane vni æque, & alteri ſpeciei demonſtrationis conuenit; vt propterea ſub hoc nominis ſignificatum vniuoce inuicem conuenire dici poſſit vtrumq. genus demonſtrationis. Veruntamen, qm̃ demõſtratio dicta *propter quid* ex prioribus & notioribus ſecundum naturam, ex prorijsq. rerum cauſis conſtituta, ſcientiam ſcđm ſe ac ſimpliciter largit, alia vero demonſtratio. non ex propria cauſa procedens, modum præbet ſciendi per accidẽs, vti conſtitutum eſt in pręcedentibus, ſcientiaq. ſcđm ſe accepta, & ſcientia ſcđm accidens, in ſolo nomine conueniunt, & ſcđm nomen in definitione differunt, propterea, iuxta aſſignatã de ęquiuocis explicationẽ, ſtatuendum videtur, genus demõſtrationũ æquiuocum eſſe, & non analogum, neq. abſolute vniuocum.

Verum, quod attinet ad numerum ſpecierum demonſtrationis, ex doctrina capitis præcedentis explicati conſtat ex ſentẽtia Ariſt. duas tm̃ eſſe ſpecies demõſtrationis, quas ante recẽſuimus: alteram (quæ eſt pręcipua) largientem *propter quid*, & alterà ſolum *quia eſt* aliquid oſtendentem, quam deinde in duos modos partitus eſt Ariſt. videlicet in eum, quo a proprio effectu nobis noto proceditur ad oſtenſionem propriæ cauſę, & in illum, in quo non cauſa ꝓpria, ſed aliena affertur in ſyllogiſmo: qualis erat demonſtratio illa Anacharſidis poetę, qui interrogatus, cur non adeſſent in Scithia tibicines, ſeu fęminæ debacchãtes per vrbẽ, hanc aſſignauit cauſam, quoniam. ſ. non eſſent in ea regione vites, & in hanc quidem ſpecierum demonſtrationis diuiſionem pariter Gręci omnes expoſitores cõſentiunt.

Auer. Vnus Auerroes, quem ex Poſterioribus Philoſophis nõnulli ſectati ſunt, tria demõſtrationum genera conſtituit, ea inuicẽ ita diſtinguens, vt dixerit vnum eſſe genus demõſtrationis, quod potiſſimum nominauit, in quo, & *quia*, & *propter quid* oſtẽditur: aliud vero earum, quæ ipſum *propter quid* tantum demonſtrant, & tertium genus earum quę *quia eſt* aliquid ratiocinio manifeſtant. Hãc autem fuiſſe Auerrois ſententiã expreſſe colligitur, tum ex eius Comment. in 95. Contextum lib. 1. Poſt. Tum ex Epitome ſua in cap. de demonſtratione, tum ex comment. cõtextus 35. in lib. 2. de Cęlo, tum ex lib. 5 colliget cap. 24. Diſcrimen vero inter demonſtrationem potiſſimam, & non potiſſimam dicentẽ ſolum *propter quid* ſi ex verbis Auerrois manifeſta eius ſentẽtia attendatur, in hoc poſitum eſt quòd demonſtratio potiſſima ex notioribus ſecundum naturã, & quo ad nos procedens, ſimul *quia eſt* & *propter quid* oſtendit: aliæ vero non potiſſima, tantumodo *propter quid* affert ipſorum effectũ, qui & aliunde nobis innoteſcũt quòd ſint. Ex Auerrois autem ſectatoribus nonnulli duas has alias differentias ſubiecerunt, tũ quòd potiſſima demonſtratio ex terminis inuicem conuertibilibus conſtituatur, tum quòd per formalem cauſam ipſa ſola demõſtret: cum aliæ non potiſſimæ demonſtrationes neq. ex terminis conſtruantur, conuertibilibus, neq. cauſam vnquam formalẽ aſſumant, licet ex alijs cauſis quamcunque afferant. Et quidem prędictę Auerrois ſententiæ fauere videntur nonnulla loca ex Ariſt. doctrina. In primis ex capite pręcedenti, vbi inter demõſtrationem *ſimpliciter*, & aliam dictam *quia eſt*, aſſignatum eſt hoc diſcrimen in diuerſis, quòd in inferiori ſciẽtia demonſtratur *quia eſt*, in ſuperiori autẽ *propter quid*: hinc. n. colligi videtur ex ſentẽtia Ariſt. dari demonſtrationem *ſimpliciter*, in qua ſolum *propter quid* oſtendatur ſeorsũ ab ipſo *quia eſt*, & conſequenter inferunt Auerroiſtæ, quòd demonſtratio ex notis nobis, & naturę procedens, vti ea, quę & ipſius *quia*, & ipſius *propter quid* cognitionem, & probationem affert, ſit genere diuerſa ab ea, in qua ſolum *propter quid* demonſtratur. In hanc eandem ſententiam conſentire videntur, quę habentur infra in hoc libro dũ docet Ariſt. quomodo prior & exactior, ſit vna ſcientia, q̃ altera, inquiens inter cętera. quòd illa ſcientia, in qua traditur, & *propter quid*, & *quia eſt* prior & exactior eſt ea in qua *quia eſt*, oſtenditur ſeorſum ab ipſo *propter quid*. li. 1. Poſt. c. 23. Poſtremo in libro ſequenti tractans Ariſtot. de ijs, quę quęruntur, & quæ ſciuntur habet quòd *quærimus propter quid, habentes ipſum quod & quòd ſimul vtrumq interdũ fit manifeſtum*. Vnde ex ijs omnibus colligũt Auerroiſtæ Ariſtotelem inſinuaſſe eandem de ſpeciebus demoſtrationis diuiſionẽ, quã & Auuerroes conſtituit.

Quod vero diſcrimen ex Auerrois ſectatoribus nonnulli addiderunt inter demonſtrationem potiſſimam, & non potiſſimam, quòd in potiſſima demonſtratione ſemper

causa formalis assumatur, nunquam autem in alia non potissimam, id ipsum consentire doctrinę Aristotelis sic deducunt; quoniam in libro sequenti in tractatum de causis docet, exempla assignando, quomodo in demonstratione pro medio assumitur tũ causa materialis, tum causa efficiens, tũ finalis, omissa formali, de qua, inquit, antea se ostẽdisse, quomodo & ipsa cadit in demonstratione, tãquam alia specie demonstrationis, vti pcipua & potissima existente illa, quę demõstret per causam formalem, diuersam existens ab alijs, quæ nunquam causam formalem, sed alias quascunque assumunt in demonstrando.

li. 2. Post. c. 11.

Verum aduersus opinionem Auerrois, pręter sententiam Arist. expresse illi aduersantem, qui duas tãtum species demonstrationis constituit, eo modo, vti antea explicauimus, id quoq. magnopere militat, quòd fieri non potest, vt demonstratio vlla astruatur causam afferens *propter quid*, quin simul per eandem causam effectus demonstretur, & ita *quia est*. Id patet ex ijs quę habet Aristoteles in lib 7 Met. prope finem Ibi n. docet in omni demonstratione semper supponi, quòd aliquid insit alicui: deinde vero demonstrari propter quid illud insit. Veluti supponitur, priuationem luminis contingere lunę, deinde vero causa assignatur, propter quam cõtingat huiusmodi priuatio luminis in Luna: vt hinc simpliciter postea, & absolute sciatur, & causa, & effectus, qui antea non simpliciter, sed solũ scd̃m accidens sciebatur. Et id quidem admodum fit rationabiliter: quoniam si demonstratio exigitur per causam veram, & immediatã, propter quam res est, qui fieri, aut cogitari potest, quin simul manifestetur, & credatur rẽ esse, cum assignetur causa propter quam ipsa est? Hinc. n. ad talem causam, talem effectum consequi necessario colligit, & cõprehendit intellectus, etiam quòd sensus iudicio non perciperetur: prout contingit apud Geometrum, qui multas astruit abstractas a rebus sensibilibus demonstrationes, scientiam tantummodo habens vniuersalium, & ignorans singularia, vt dictum est in superioribus. Neq. vero obstat quòd aliqs effectus prius cognoscatur ope sensus, quin & rursus per demonstrationem causam effectus dicentẽ cognosci possit, & meliori modo, nempe simpliciter, & non secundum accidens, prout antea dignoscebatur. Et quippe sensus subministrans intellectui occasionem speculandi, & depromendi causam, ꝑpter quam effectus hic vel ille proueniat; non autem sensus aptus est, sua vi dignoscere, & dijudicare, quòd hoc, vel hoc, sit huius, vel illius rei causa. Vnde infra Arist. ait, quòd si oculis cerneremus in triãgulo tres angulos ęquales duobus rectis, adhuc tamẽ demõstrationem huius effectus inquireremus, tanquam ex demonstratione largiẽte causam rursus effectus sit, & sane meliori modo cognoscendus, quàm antea dignoscebatur. Addamus ad hæc id, quod habet Arist. infra, vbi docens, primam syllogismorum figuram omnium esse prestantissimam, vtpote eam, in qua ipsum propter quid demonstretur, subiungit *propriissimum hunc esse sciendi modum*: nempe contemplari *propter quid*; Vnde palam insinuauit, nullum aliud genus demonstrandi pręstantius hoc ipso esse posse & ita cõtra opinionem Auerrois distinguẽtis demonstrationem potissimam ab ea, in qua propter quid ostenditur, quę tñ est potissima apud Arist. In hanc eandẽ sententiam subscripsit Themistius in lib. sequenti cap. 2. dum ait, quòd quærẽtes nos propter quid est aliquid, pręsupponimus ipsum *quia est*: demonstrantes autem *qa est*, & in ipsum *propter qd* simul ducimur; quoniã in ipso scire, tum esse rem ostenditur, tum causa rei. Similiter S. Thom. in coment. Cõtextus 59. in lib. 2. Cęli haber, Quòd omnis demõstratio probat effectum esse, & simul ostẽdit causam. Ex ijs manifeste colligitur, non subsistere opinionem Auerrois in eo, quod statuit vnum esse genus demõstrationis, qua solum *propter qd* ostenditur, & non simul *qa est*, quorum vtrumq. ait, prestari per illud genus demonstrationis, in quo ex notis nobis simul & naturę fit progressus.

li. 7. Met. c. 17.

.1. Post. Anal. c. 24

li. 1. Post. c. 11.

Themist.

S. Thom.

Ad obiecta autem, quę ex aduerso sunt adducta satisfacientes, quod attinet ad primum argumẽtum inductum ex verbis Aristot. in cap. postremo explicato, dum dixit, in scientijs subalternis hoc esse discrimen, quòd inferior tradit sciẽtiam ipsius, *qa est*, superior autem ipsius *propter quid*, vnde ex eius sententia colligi videtur, quòd detur vnum genus demonstrationes causam solũ largientis distinctum ab alio genere, & causam, & quia est, simul demonstrante; respondemus id, quod dictum est antea, nempe Arist. illis verbis insinuasse, quòd scientiæ superiores subalternę abstrahentes a rebus sensibilibus, non attingunt ipsum *quia est*, quod via sensus acquiritur, & cognoscitur in scientia inferiori, quod *quia est*, desumptã a superiori, in ipsas postea *propter quid* ostẽditur: vt inde cognoscatur, qd talis effectus sit ob talem causam inexistens. Quemadmodum (vt hęc exemplo doceamus) in musica practica manifestatur, cõsonãtia diapasion nuncupata, sensu ex sono edito percepta, quare autem huiusmodi consonãtia ex tot, & talibus vocibus conficetur, causam ꝑpter quid continentem tradit Arithmeticus, docens in numeris pręd ctæ consonantię ꝓportionem inesse, & simul propter quã causam in ipsis insit demonstrat; licet in sua speculatione (quatenus Arithmeticus) effectum sensibilis soni non attingat: vt faciet ille artifex, q abstrahit a rebus sensui subiectis; vt propterea scit, sciẽs res in vniuersali, ignoret autem in particulari; prout in superioribus explicatum est.

Solut. ad primũ argumẽ.

Ad secundum vero argumentum desumptum infra ex cap. 25. quoniam ibi docens Aristot quomodo vna scientia sit prior, & exactior altera, ait illam esse priorem, & exactiorem, quæ sit, & ipsius *quia*, & ipsius *pp quid* & non scorsum *quia* ab ipso *pp quid* ostendit; dicimus in eo loco non esse sermonem de vna simplici demonstratione (vt luculentius apparebit in propria eius loci expositione) sed de varijs scientijs inuicẽ subalternis; in quibus hoc inuenitur discri-

Solut. ad lib. 1. Post.

men,

men,vt inferior scientia rei ſenſibilis effe-
ctum percipiat & doceat,ad quem ſuperior
ſcientia abſtrahens a ſenſibilibus,non attin
git;ſed ipſum aſſumit,& ſupponit vt notum
in ſcientia inferiori ; ac deinde huius effe-
ctus cauſam tradit vniuerſali ſua demon-
ſtratione;vti dictum eſt antea de muſica, &
arithmetica Eſt autem, & aliqua ſcientia,
veluti naturalis Philoſophia,in qua & ipsũ
quia eſt,ſumpta per ſenſum experientia ma-
nifeſtatur,& ipſum etiam *propter quid* oſten
ditur. **Solut. Ad tertiũ** Ad tertium autem obiectum deſum-
ptum ex cap.2.lib ſequẽtis,vbi habetur nõ
poſſe nos accedere ad ipſum propter quid
demonſtrandum , niſi prius nobis conſtet
quia res eſt; dicimus hæc pertinere ad inuẽ
tionem rerum,vt inde poſtea circa eaſdem,
demonſtrationem erigamus;nullam autem
ibi attingit Ariſt. formam demonſtrandi.
Quòd ſi eodem loco ſubiungit,interdum &
quia eſt , & *propter quid* nobis ſimul innote-
ſcere,attamen vtrumq; nobis via ſenſus ma
nifeſtari ſupponit; ſicuti docet de Lunæ ec
clipſi, quem quidem(ait) & quo ad effectũ,
& ſimul ipſius cauſam etiam , ſi eſſemus ſu-
pra orbem Lunæ cõſpiceremus: ijsq; ita in-
uentis & cognitis ope ſenſus, poſtea ab in-
tellectu conſtrui demonſtratio poteſt, qua,
& eſſe eclipſim, & ob quam cauſam fiat,ſim
pliciter dignoſcamus demonſtrantes.Quòd
autem nonnullæ demonſtrationes inueniã
tur conſtantes ex terminis cõuertibilibus,
& aliæ non, id nequaquam(vt nonnulli au-
tumant)efficit,diſcrimen inter demonſtra-
tiones,quin pariter omnes dicendæ ſint ef
fectiuæ, ipſius ſcientiæ ſimpliciter nuncu-
patæ, dum per propriam & immediatã cau
ſam conſtruantur.Pariter quòd aliqua prin
cipia ſint & nobis , & naturæ nota, ex qui-
bus demonſtratio conſtituatur,quam Auer
roiſtæ potiſſimam,nominant demonſtratio
nem.& hoc genus demonſtrationis , aiunt,
diſtingui ab illo genere , in quo principia
non ſint nobis & naturæ,ſed ſolum naturæ
nota;id primum dicimus contingere per ac
cidens , nempe qnòd aliqua ſint principia
nobis nota,& naturæ;& aliqua non niſi na
turæ nota. Præterea aſſerimus,hæc debe-
re intelligi,quo ad modum inueniendi prin
cipia , quæ ſane poſſunt nobis innoteſcere
via ſenſus : prout de Eclipſi Lunæ dictum
eſt,quòd ſi eſſemus ſupra orbem Lunæ , in-
ſpiceremus terram poſitam mediam inter
Solem & Lunam;quę terrę interpoſitio eſt
cauſa effectiua priuationis luminis in Lu-
na; & ita cauſa, quæ eſt nota naturæ, ſimul
etiam nobis eſſet manifeſta. Verumtamen
ſemper(vti oſtenſum eſt in præcedentibus)
demonſtratio ſimpliciter propter quid oſtẽ
dens, ex principijs notioribus naturæ con-
ſtituitur:quæ pariter,vt ſint nobis nota ne-
ceſſe eſt;ſi ex illis alia quædam demonſtra-
mus . Neq; vero ex eo qnòd aliqua princi-
pia temporis interuallo nobis innoteſcãt,
& nonnulla alia quodam quaſi inſtituita ꝑ-
cipiantur (vt dicitur contingere in demon
ſtrationibus Mathematicis) idcirco diſcri
men inter demonſtrationes eſt ſtatuendũ,
cum penes ſcientiam acquirendam, ex hac
temporis intercapedine, nulla poſſit eſſen-
tialis differentia emanari .

Solut. Ad illud poſtremum argumentum addu-
ctum a nonnullis Auerrois ſectatoribus, ꝙ
demonſtratio potiſſima ſit illa,quæ cauſam
formalem tradit , & ideo diſtinguunt eam
ab alijs demonſtrationibus ; quæ per alias
cauſas procedunt, & id deducunt ex ſentẽ-
tia Ariſt.qui in lib.ſequenti,docens quomo **li.2.Poſt. c.11.**
do genera omnia cauſarum accipiantur in
demonſtratione , de omnibus id manifeſta-
uit;reticuit autem cauſam formalẽ,de qua,
ait,prius eſſe oſtenſum, tanquam hac cauſa
ſpectante ad aliud genus demonſtrationis;
& hoc eſſe potiſſimum genus demõſtratio-
nis inferunt,prout & cauſa formalis locum
potiſſimum in rerum cõſtitutione obtinet.

Ad id reſpondemus in loco citato id aſ-
ſerere Ariſt. ꝙ in aſſignatione cauſæ mate-
rialis circa angulum rectum in ſemicirculo
exiſtentem,continetur quod quid erat eſſe
anguli recti;quũ ibi aſſignata cauſa , ꝑtinet
ad quod quid erat eſſe quod quidem ad oẽ
genus cauſæ tãquam typus communis om-
nibus definitionibus accommodatur,prout
in expoſitione loci citati apparebit , ſed &
quæſtione de medio demonſtrationis exa-
ctius hæc explicabuntur;& quomodo quod
quid erat eſſe, iuxta diuerſa genera cauſa-
rum diſtinguatur, fiet manifeſtum, ſimulq;
quõ cauſa formalis coincidat cum finali.

Auic. Non reticenda quoq; hoc loco opinio
Auicennæ,qui demonſtrationem ab effectu
nullatenus dignum nomine demonſtratio-
nis cenſuit, hinc potiſſimum innixus argu-
mento : ſupponit.n.quòd demonſtratio de-
bet conſtare ex neceſſarijs;alioquin neq; ip
ſius *propter quid*, neq; ipſius *quia eſt*, ſcientia
haberetur,prout in præcedentibus oſtenſũ
eſt ab Ariſt.Idcirco,cum effectus non appa
reat ineſſe neceſſario , niſi quatenus eius
inhærentia dependet a cauſa,adeo quod(vt
habet Ariſtot.in lib. ſequenti) cognoſcere
rem eſſe abſq; cauſæ cognitione, id non eſt
cognoſcere:ſed potius ignorare,hinc dedu-
ci poſſe videtur , ꝙ modus ratiocinandi ab
effectu ad cauſam,non ſit cẽſendus pro de-
monſtratione,vt ſenſit Auicẽna. **Solut.** Huic itaq;
argumento hunc in modum credimus faci-
le poſſe ſatisfieri, ſi dixerimus,ꝙ cum ex ef
fectu induci poſſit ꝓpria cauſa, propterea
cum inducitur,ita erit neceſſarius nexus ip
ſius effectus ad cauſam, quemadmodũ etiã
eſt neceſſarius nexus a cauſa propria , ad
proprium effectum. Quamobrem ratiocina
tio ab effectu ad cauſam procedens, nõ eſt
reijcenda a nomẽclatura demonſtrationis,
vt quæ aliquam ſcientiam pariat ; licet ab
ea ſcientiæ excellentia , quam largitur de-
monſtratio dicta *propter quid*,longiſſime ab-
ſit; prout ex ante habitis perſpicuum eſt.

Them. Themiſtius quoq; recentem quendam
modum demonſtrandi adnotaſſe videtur:vi
delicet cum neq; effectus per cauſam, neq;
cauſa per effectum,ſed effectus per effectu
demonſtratur. Veluti cum febris(hoc enim
affert exemplum) ſit cauſa,tum inæqualita
tis pulſus,tum certi caloris in ægroto,hinc
infert , & ex inæqualitate pulſus oſtendi
poſſe quendam excedentem calorem ineſſe
ægroto , & ex calore viciſſim argui poſſe

pulſus inæqualitatem. Hinc autem Themiſtij opinioni aduerſatus, & Auerroes, quòd non ſit modus iſte demonſtrandi admittendus, propterea quòd illum Ariſt. non induxerit. Verum quòd prohibet, & hunc modum ratiocinandi inter demonſtrationes adnumerare, cum conſtet ex huiuſmodi effectibus ſe ſe inuicem conſequentibus mutuam inter ipſos fieri poſſe demonſtrationem; licet hunc modũ demonſtrandi Ariſt. non explicarit, cum ſatis illi fuerit ad tractatum ſuſceptum de ſcientia demonſtratiua, modos demonſtrãdi explicaſſe, qui adhibentur paſſim in ſcientijs, tum ab effectu ad cauſam, tum a cauſa ad effectum.

Primam figuram ſyllogiſticam, uti præcipuam maxime aptam eſſe ad ſcientiam demonſtratiuam.

EX figuris autem, quibus ſyllogiſmi colliguntur, quæ maxime ſit apta ad ſcientiam precipuam, proculdubio ſuper omnes eſt prima, vt ex ſubſequentibus ratiocinationibus poterit eſſe ꝑſpicuum. Nam primò figura illa ſyllogiſtica cenſenda eſt ad munus ſciendi omnium accommodatiſsima, per quam principaliſsimũ ſcire, quod eſt propter q̃d demõſtratur: at qui prima figura eſt huiuſmodi; quod patet, quando ſciẽtię mathematicæ; vti Arithmetica, & Geometria, Perſpectiua, & ferme omnes, quæ (prout & mathematicę ipſum propter quid rerum ſpeculantur) per hanc primã figuram, vel omnino, vel vt plurimum, & in plurimis ſuas inferunt demonſtrationes: vnde inter omnes cenſenda eſt pręcipua, & accõmodatiſſima ad munus ſciẽdi explicãdum ipſa prima figura. Ratio. Præterea ad ſcientiam venandam ipſius quod quid eſt, quod ad ſcire ſimpliciter pertinet, ſola itidem prima figura confert, nõ ſecunda, aut tertia. Nam oportet vt ipſum quod quid eſt, exiſtat tum vniuerſale, propterea quòd nõ eſt homo ſecundum quid animal. ſed in toto; tum etiam affirmatiuum; ſed nullum affirmatiuum cõcluditur in ſecunda figura, & in tertia nullum vniuerſale, quorũ vtrumque, nempe affirmatiuum, & vniuerſale in ſola prima figura colligitur; vnde ſequitur, quod hæc ſola ad venandum quod quid eſt, ſit accõmodata, & conſequenter apta ad maxime ſciendũ, quod per ipſum quod quid eſt acquiritur. 5. Ratio. Poſtremo prima figura aliarum non indiget figurarum, aliæ vero egent eius auxilio. Quod patet, quãdoquidem ſi propoſitiones, quibus aut in ſecunda figura, aut in tertia Syllogiſmi ſint confecti, ad immediatas ſint reducendæ; omnino id fieri oportet tum cõdenſando, tũ augendo media: quod abſoluitur in prima figura; quare hæc alijs præſtantior erit figuris, vt magis apta ad ſcientiam obtinendam.

Adnotationes.

F*igurarum autem maxime* Aiunt nonnulli, poſt explicatam materiam demonſtrationis nunc agi de eius forma, quam ſupponunt eſſe ipſam abſtractam rationem ſyllogiſmi. Verum improprie id dictum videtur, vt latius declarauimus ſupra in expoſitione definitionis traditæ de demonſtratione. Quare ſimpliciter dicendum eſt, nunc exponi, in qua nã præcipue figurarum ſcire ſimpliciter concludatur; & docetur primam figuram hanc ſibi vindicare excellentiam argumentationibus appoſitis, ex locis communibus, ad particularem ordinem ſciendi, & ratiocinandi applicantis.

Aut. n. omnino aut vt plurimũ, & in plurimis. Demonſtrationes ſane in prima figura, aut omnino fiũt, qm̃ cauſa affertur, quæ aut omnino eſt affirmatiua, aut vt plurimum, ſicuti de pluribus rebus fit oſtenſio per cauſam, quę eſt affirmatiua. Non tollitur aũt, quin etiam in ſecunda figura poſſit aſtrui demõſtratio ſimpliciter ipſius propter quid; verũ non ita frequenter, ſicuti in prima figura.

Maxime namq; proprium ipſius ſcire Aut maxime proprium, & pręcipuũ ſcire eſſe illud; in quo traditur propter quid, & hinc colligitur ex Ariſt. ſentẽtia nullum pręſtantius ſcire inueniri eo, quod eſt ſcire propter q̃d; & id contra ſentẽtiam Auerrois (de qua ſupra) diſtinguentis demonſtrationem a prio- cõt. Auer

ri procedentem, in eam, in qua causa tantum effectus demõstratur,& in eam, in qua & causa, & esse ostenditur.

Postea & ipsum quid est Ait solum per primam figuram nos venari posse ipsum quod quid est. Siquidem oportet vt id ipsum sit affirmatiuum,& vniuersale,quod colligitur in prima tñ figura;ideo dicendum est, per ipsam solã venari posse quod quid est, sine quo scientia demonstratiua non habetur. Dicit autem Arist. quòd venari possumus, quod quid est,non autem absolute, q̃ demõstrari queat: non.n. (vt docebitur in libro sequenti)potest definitio absolute demonstrari, vniuersa nẽpe definitio rei; sed pars quidem per aliã probari vt ita deinde vniuersa definitio elucescat ex habita demonstratione. Quod autem dicatur hoc loco,q̃ quid est debet esse vniuersalium, videtur id refragari ijs, quę dicta sunt antea circa distinctionem suppositionis, & definitionis, quod suppositio est,aut vniuersalis, aut particularis,non autem definitio. Et ideo dicẽdum, hoc loco supponi definitionem sumptam in demõstratione,quæ debet esse semper vniuersalium, & nõ alicuius tñ partis.

Illa vero per hanc condensantur, & augentur. Vt propositiones sumptæ mediata in secũda,& in tertia figura reducantur ad immediata,oportet vt id perficiatur per primam figuram, per quã & *condensantur & augentur media* Quæ verba explicãs Themistius ait, condensari media, cum ad immediata peruenitur: augeri vero ex numero mediorũ. S.Thom. intelligit densari media, quando medium acceptum coniungitur mediate vtriq; extremorum,vel alteri;sic.n accipiendo alia media inter medium primũ, & extrema, fit quasi quędã condensatio mediorum: Veluti si ad hęc omne E est C, omne C est A,inter C & E sumatur medium D & inter C,& A accipiatur medium B.Augmẽtari autem,inquit,media, quando medium est immediatum minori & mediatum maiori;quia tunc oportet accipere alia media supra medium acceptum: vtputa si ad hæc,oẽ E est D,omne D est A, postea supra D accipiantur alia media::alis autem cõdensatio, & augumentatio mediorum in sola prima figura perficitur; vnde pręcipua, ex hoc ẽt capite, apparet esse prima inter omnes figuras,forte etiam condensari media ita intelligi posset,quòd diuersa media accipiantur ad probandas propositiones: augeri vero media, cum post vnum medium accedi tur ad aliud,& ad aliud, donec perueniatur ad immediatas propositiones.

Dari principia immediata negatiua sicuti & affirmatiua.

Qvemadmodum autem contingit propofiionẽ indiuidue accipi affirmatiuam vt sit immediata,veluti,A in esse ipsi B, adeo quod non sit dare inter hęc mediũ aliquod: pariter quoque asserendum est dari negatiuã propositionẽ indiuidue se se habentem,vt nullum inter terminos huius propositionis cadat mediũ, veluti quod nullam B, A,ita sit immediatum principium, vt nullum intercidat medium inter B & A, quod quidem ex his erit manifestum. Nam quando vel A, vel B, inerit in quodam toto, vel etiam ambo in quodam toto, vnum in vno toto, & aliud in alio, hunc in modum non contingit,quòd nullum B,sit A,immediate, sed aderit medium inter ipsa ad hoc probãdum.Nam si A inest in toto C, ita fiet syllogismus Nullum C B, omne A C,ergo nullum A B. si autem B, in toto sit D, sic etiam per medium erit syllogismus. Nullũ D,est A,omne B,est D, ergo nullum B, est A. similiter idem eueniet,si vtrũque & B;& A, quæ inuicem negantur, in toto sint aliquo, videlicet B in vno toto, & A in alio toto, ita.n. habebitur medium ad probandam vtroque modo propositionem istam negatiuã quod nullum B, est A. Vnde non erit immediata si probari potest per alia media. Et hoc quidem est manifestum in coordinationibus, quæ non commutantur ad inuicẽ. Nam si nullum ex hac coordinatione A, C, D, prædicatur de aliquo huius alterius coordinationis B, E, F, sed A, supponatur esse in toto F, manifestum quod B, non erit in F, coordinato cum ipsis A, C, D. Alioquin cõmutarentur ẽt inuicem ordinationes prędictę, quod est contra suppositam. Pariter si B,insit in toto aliquo,dicẽdum quòd A,in eodem nõ inerit. Si autem neutrum horum,non A, non B, insit in alio toto,& A, non

inest

inest ipsi B, sic necesse est indiuidue inuicem non inesse A ipsi B. vt omnino huiusmodi propositio sit dicenda immediata, quòd nullum B est A. Nam si erit mediata, necesse est alterum ipsorũ in quodam toto esse. Nam aut in prima figura, aut in secũda erit Syllogismus. Et si in prima fiat, B erit in aliquo toto; ad ipsam enim oportet propositionem affirmatiuam adiungere hunc in modum. Nullum D est A, omne B est D, ergo nullum B est A. Si autem syllogismus fiat in secũda figura, ad vtrũlibet terminũ potest assumi & ad A, & ad B propositio affirmatiua: quia ad quẽuis horũ postea accipiatur ꝓpositio negatiua, fiet syllogismus in secunda figura in primo modo sic. Omne B est D, nullum A est D, ergo nullum A est B, In secũdo autem modo fiet in secunda figura syllogismus nullum A est B, omne B est D; ergo nullũ B est A. Ambabus autem propositionibus negatiuis assumptis, non erit syllogismus; quia huiusmodi complicatio est assyllogistica. Patet igitur ex his cõtingere vt indiuidue aliud alio non insit, ita vt immediate alterum ab altero negetur, & quando id contingat, & quomodo dictum est.

Adnotationes.

Quemadmodũ vero contingebat A inesse B. Constitutum est antea, ꝙ in scientia demonstratiua necesse est immediata adesse principia: quod quidem de affirmatiuis propositionibus satis est manifestum; de negatiuis autem non ita. Et idcirco docet hoc loco Aristot. dari quoq; principia immediata negatiua: quod insinuat his verbis, dum inquit: *nulli B inesse A indiuidue*, ad denotandum ꝙ termini ita inuicem negẽtur, vt separari aliquo interuallo nequeant: qđ contingeret, si inter ipsos medium aliquod daretur, quod supponitur non dari. Notandum autem propositionem immediatã ꝓprie, & pręcipue illam intelligi debere, quę sit prima absolute, & indemonstrabilis in aliqua sciẽtia. Verum & immediatę quoq; ꝓpositiones intelligi possunt illę, per quas aliquid immediate demonstretur, licet huiusmodi propositiones assumptæ possint aliunde demonstrari, & ideo non absolutę immediate, sed ad talem conclusionem immediatæ dicendę sunt. Aduertendum etiã hanc considerationem de immedia a negatiua propositione, quòd contingat, & quomodo contingat ipsam haberi conferre ad sermonem sequentem penes deceptiones, quę contingunt in scientijs.

Quando igitur aut A, aut B in toto aliquo sit. Vt explicatum est in lib. 1. Prior. Analy. penes ipsum esse in toto, intelligitur proprie subiectum esse in toto pręedicato, qñ nihil est accipere de essentia pręedicati, quod nõ reperiatur in subiecto, vtputa hominem in toto aiali esse dicimus, qñ nihil sit de essentia animalis, quod in toto ab homine non participetur. Cum autem dr̃ in contextu quòd, qñ vnus ex terminis ꝓpositionis, vel ambo sint in quodam toto: id non ita accipiẽdum quòd sint ambo in eodem; alioquin non essent inter se repugnantes, vt alter ab altero negetur, vt supponitur. Nam, si in quodam toto essent, vtiq; cõuenirent inuicem; ideo intelligendum, quòd erunt in diuerso toto, adeo ꝙ per totum, in quo erit A, & nullum inerit B, probabitur nullũ B esse A, sicuti, & per totum, in quo insit B & nullum A insit, pariter probabitur ꝙ nullum B est A Hæc autem propositio, nulla nigredo est albedo, videretur ad hũc sensum esse immediata, qñ in nullo communi reperiatur. Verum dicẽdum est assumi posse definitionem albedinis, aut nigredinis per quam ꝓbari potest, quòd nulla albedo est nigredo. Hęc vero alia propositio, nullus homo est animal, cum sit falsa: propterea non inferẽdum quòd hęc sit immediata, omnis homo est animal, quia nullum medium sit ad probandum aliam falsam propositionem. Similiter non dicẽdum, quòd hęc, nullum rationale est irrationale, sit immediata propositio; quandoquidem per definitionem rõnalis aut irrationalis demonstrari potest Illa vero ꝓpositio, nulla substantia est qualitas, est immediata, qñ nullum medium qđ sit superius illis terminis, potest afferri: a posteriori autem poterit esse demonstrabilis; videlicet per hoc. qñ substantia non sit accidens, sicuti est qualitas. Et hęc sint dicta ad tollendas difficultates a nõnullis adductas in hoc loco.

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 1.

De deceptionibus quæ ex praua ignorantia aduersus sciẽtias per Syllogismum inferri possint, tam circa propositiones immediatas quam circa mediatas.

VT autem in vnaquaque sciẽtia qui eam profitetur, cautus reddatur a deceptionibus

bus, quas inducere posset aliquis ex aduerso disputans, illud in primis est aduertēdū, aduersus scientias nō posse contigere deceptiones ex pura ignorantia quę negationis nūcupatur (& est cum quis penitus ignarus alicuius dogmatis existentis in quacunq; scientia sicuti esset ignorare, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, quod sciūt qui callent Geometriā) sed possunt cōtingere deceptiones ex illa sola ignorantia, quę prauę dispositionis dicitur: veluti est illa, quū quispiam se scire aliquid sibi assumit, & tamen ita errore ducitur, vt ob aliquam in eius mente inherentē falsam existimationem, praue disponatur, hinc praue dispositus ignorans esse dicitur. Quare quot modis cōtingere possint circa sciētias huiusmodi ex praua ignorātia deceptiones, tam circa mediatas, quam circa immediatas propositiones, nunc est aperiendum. Vnde illud in primis sciēdum est, huiusmodi deceptiones contingere posse, tum ex syllogismo, tum etiā sine syllogismo. Et si sine syllogismo, erit simplex deceptio, vt quæ vnico modo contingere potest: quemadmodum si quis opinetur triangulum non habere angulos æquales duobus rectis. Si autem fuerit cum syllogismo deceptio, sic multiplex, & varia esse potest; quemadmodum & varij, multiplicesque syllogismi astrui possunt, modo ex ambabus falsis propositionibus; modo ex vna, & modo ex altera falsa, vel in toto, vel secūdum quid, & infra varios modos tum primę figuræ, tum secundæ, & ita circa propositiones immediatas, sicuti & circa mediatas, vt patebit ex sequentibus.

Cōtra immediatam igitur negatiuam veram potest fieri syllogismus deceptorius cōcludens affirmatiuā, & solū in prima figura, accipiendo medium, quod vere nulli inhęreat sub modo inhęrendi, vt in his,

Omne quale substantia
Omne quantum quale
Ergo Omne quantum substantia
Et est conclusio contra immediatam negatiuam veram, quòd nullum quantū sit substantia.

Similiter ex vna vera, & altera falsa potest eadem haberi cōclusio, numquam tamē existēte vera minori propositione ob hanc rationem: quoniā cum supponatur nullum quantum esse substantiam indiuisibiliter, non erit accipere aliquid, sub quo vere contineatur quantum, alioquin non esset propositio immediata, vt supponitur. Ex maiori autem vera & minori falsa poterit esse syllogismus hūc in modum.

Omne corpus substantia
Omne quantum corpus
Omne quantum substantia
Et est conclusio contra negatiuam, quòd nullum quantum sit substantia.

Contra vero immediatam affirmatiuam veram potest fieri syllogismus deceptionē negatiue continens in prima figura ex ambabus falsis vt in his.

Nullum incorporeum substantia;
Omne corporeum incorporeum,
Ergo Nullum corporeum substantia,
Contra affirmatiuam immediate veram, quòd omne corporeum substantia.

Item ex maiori vera, & minori falsa potest contra eandem immediatam affirmatiuam veram construi syllogismus deceptionis in his.

Nullum quantum est substantia
Omne corpus est quantum
Ergo Nullum corpus substantia
Contra affirmatiuam veram, quòd omne corpus est substantia.

Ex maiori quoq. falsa, & minori vera potest haberi syllogismus in prima figura contra affirmati-

uam immediatam verã, vt in his.

Nullum diuisibile quantum
Omne continuum diuisibile
Ergo Nullum continuum quantum
Contra affirmatiuam immediatam verã, quòd omne continuum quantum.

In secunda autem figura contra immediatam affirmatiuã veram nõ potest haberi syllogismus deceptorius cõstans ex ambabus in toto falsis. Nam si A indiuisibiliter prædicatur de B, vtrũq; C non poterit negari falso de A, & affirmari etiam falso de B: iam enim cum contineatur B sub A, neutiquã C falso in toto negaretur ab A: nam saltem ob ipsum B, de quo supponitur C falso affirmatiue dici, nõ poterit de A in toto prædicari falso negatiue. Ideo ex ambabus in toto falsis in secunda figura nõ poterit haberi syllogismus contra affirmatiuam veram immediatã; sed ex ambabus quidem secũdum quid falsis, vel existente maiori affirmatiua, & minori negatiua, vel opposito modo, vt in his.

Nulla substantia mobilis
Omne corpus mobile
Ergo Nullum corpus substantia
Contra immediatam affirmatiuam verã, quòd omne corpus est substantia.

Ex maiori autem vera, & minori falsa potest fieri syllogismus in secunda figura contra immediatã affirmatiuam veram, vt in his,

Omne animal animatum
Nullum rationale animatum
Ergo Nullum rationale animal
Contra immediatam affirmatiuã veram, quòd omne rationale animal.

Aut poterit etiã esse affirmatiua falsa, & negatiua vera, vt in his,

Omne animal inanimatum
Nullum rationale inanimatum
Ergo Nullum rationale animal,
Contra affirmatiuam immediatam verã, quòd omne rationale animal.

Ex hæc eadẽ dicenda sunt quo ad secundã figurã si maior fuerit negatiua, & minor affirmatiua.

Cõtra vero affirmatiuã mediatam veram in prima figura potest astrui syllogismus deceptionis, ex maiori negatiua falsa, & minori semper vera vt in his,

Nullum viuens animal
Omnis homo animal
Ergo Nullus homo viuens.
Contra mediatam affirmatiuam veram, quòd omnis homo viuens.

Et hic syllogismus confectus est per proprium medium in eodem prędicamento sumptũ: quod etiam deducetur, si non ex eodẽ prædicamento sumatur medium, ex ambabus falsis poterit cõstrui syllogismus contra mediatam affirmatiuam veram, vt in his,

Nullum rationale animal
Omne irrationale rationale
Ergo Nullum irrationale animal
Contra mediatam veram affirmatiuam, quòd omne rationale est animal.

Potest etiam ex maiori vera, & minori falsa astrui syllogismus in prima figura cõtra mediatam affirmatiuam veram, vt in his,

Nullum inanimatum animal
Omne rationale inanimatum
Ergo Nullum rationale animatum
Contra affirmatiuam mediatam veram, quòd omne rationale animatum.

In secunda autem figura idem erit, quod dictum est antea de immediata affirmatiua vera; sic enim & contra mediatam affirmatiuam veram licet syllogismum astruere, vel ex ambabus secundũ quid falsis, vel ex altera vera & altera falsa.

Contra autem mediatam negatiuam veram ex proprio medio nõ potest astrui syllogismus, nisi ex maiori falsa; nam minor non potest iuxta ordinem primæ figuræ mutari in negatiuam; ideo ex maiori falsa, & minori vera fiet syllogismus

Non accipiendo autem proprium medium poterit astrui syllogismus e maiori falsa & minori vera, vt in his

Om

Omne animal inanimatum
Omnis homo animal
Ergo Omnis homo inanimatus
Contra hanc mediatam negatiuã verã,
Nullus homo inanimatus.

Si autem ſub maiori termino propoſitiones mediate negatiue terminus qui accipitur pro medio ſit talis, vt nec de ipſo dicatur maior, nec ipſe dicatur de minori, ſic ambæ propoſitiones falſę eſſe poterunt, vt in his.

Omnis color eſt lapis
Omnis homo color,
Ergo Omnis homo lapis
Contra mediatam negatiuam veram
Nullus homo lapis.

Adnotationes.

I*Gnorantia vero.* Supra in cap. 9 habita fuit mentio de duplici ignorantia, tum praua, tum illa, quæ ſimpliciter dicitur ignorãtia hoc loco appellata, ignorantia negationis, quam habent, qui ignari ſunt ſcientiarum; cum deinde praua ignorãtia ſit ea, per quam mens humana praue diſpoſita eſt circa vera dogmata ſcientiarum, de qua longus eſt ſermo in lib. 4. & in lib. 11 apud nos 13. Metaph. Vbi etiam aduertitur, aliquos circa prauas opinationes diſponi, quoniam explicari ſe ſe neſciant a difficultatibus ſophiſtarum: aliquos vero (vt ſophiſtæ) prauis opinionibus inhęrere, vt ſciẽtijs aduerſentur, & ipſi ſapientes appareant. Ideo hoc loco Ariſt. explicat modos omnes, quibus iuxta ordinem ſyllogiſticum afferri poſſint concluſiones oppoſitæ ipſis ſcientijs, aut circa propoſitiones immediatas, aut circa mediatas; quod præſtat oſtendendo, quomodo ex falſis propoſitionibus, vel ambabus, vel altera tantum, vel in toto, vel ſecundum quid falſis, poſſit aſtrui ſyllogiſmus deceptorius. Differt autem hæc cõſideratio ab alia huiuſmodi, quæ habita eſt in lib. 2. Prior. Analyt. quoniam hæc aptatur ſcientiæ demonſtratiuæ; illa vero in genere ad omnem ſyllogiſmum pertinet. Vnde hoc loco conſiderantur propoſitiones, vt ſunt immediatæ, vel mediatæ; & vt vniuerſales; vnde de tertia figura nulla mentio hic habetur.

li. 4. Met c. 4. & 4.

Eſt quidem deceptio, qua per ſyllogiſmum fit. Ait ignorantiam ſecundum diſpoſitionem eſſe eã, quę fit per ſyllogiſmum: poſtea ſubiũgit, quòd eſt altera ſimplex, & altera per ſyllogiſmum; vnde dicimus prius deceptionem ſecundum diſpoſitionem attribuiſſe Ariſt. ſoli ei ignorantię, quæ fit per ſyllogiſmum, quoniam modos omnes ratiocinandi ſecundum deceptionem erat conſideraturus. De ſimplici autem deceptione nullam aliam habiturus erat conſiderationem; quoniam nulla hinc moleſtia afferatur a diſputante; cum in ſola mente praue diſpoſiti, huiuſmodi ignorantia verſetur.

Aliquo deficiente ſenſu neceſſe eſt, & aliquam ſcientiam deficere.

ID etiam debet nobis eſſe ſuppoſitum quòd ſi aliquis ſenſus defecerit, neceſſe eſt, & aliquã ſciẽtiã deficere apud eum, qui ab ortu priuatus fuerit illo ſenſu, per quẽ ſcientia de re aliqua eſſet cõparanda: veluti, qui natus eſt ſurdus ſcientiam harmonicã, quæ circa ſonorem numerum verſatur, nunquam conſequetur. Et huius aſſertionis apertiſſima eſt hęc ratio. Siquidem, cum addiſcamus, aut inductione, aut demonſtratione (hæc ex vniuerſalibus conſtituitur, illa circa particularia verſatur) neq; ſit poſſibile vt vniuerſalia ſine particulariũ inſpectione nobis innoteſcant, neq; inductio ſuum munus obire poteſt ex ſingularibus vniuerſalia colligendi ſine ope ſenſus, ideo manifeſte concluditur, ad defectum ſenſus neceſſario etiam ſcientiam defecturam, quæ ipſius ſenſus auxilio eſſet acquirenda. Et ad eo quidẽ verum eſt, quod ad collectionem vniuerſalium, inductionis, & cõſequenter ipſius ſenſus miniſteriũ neceſſarium eſt; vt non ſolum in ſenſibilium ſpeculatione, & demonſtratione id requiratur; verũ etiam in ijs quæ ex abſtractione dicuntur, de quibus agunt Mathematici: quoniam, ſi quis & hæc manifeſtare voluerit, vtiq; inductione vſu ſenſus manifeſtabit, quæ inſint cuiq; generi rerum mathematicarum; cum ſint eiuſmodi, vt licet tanquã abſtracta a ſenſibilibus conſiderentur, attamen vt ſunt huic vel illi rei inexiſtentia, nequaquam ſunt ſeparabilia; vnde ad horum quoq; manifeſta

 tionem,

tionem, via inductionis & ſenſus eſt ſequenda.

Adnotationes.

PLanum autem. S. Thomas ait doceri hoc loco, vnde proueniat ignorantia puræ negationis, nēpe ex defectu ſenſus, ſine quo ſcientia de obiectis ꝓprijs alicuius ſenſus haberi non poteſt. At cenſeri poteſt, hoc theorema quòd deficiēte ſenſu debeat deficere ſcientia circa obiecta ſenſus, hoc loco appoſitum fuiſſe, vt tolleretur ſuſpitio, quæ in aliquo potuiſſet ſuboriri, ex eo quod dictum eſt ſupra, ꝙ ſenſitiuorum erat noſſe quia eſt, ſcientiarum vero ſuperiorū noſſe propter quid; & quod ſępe qui ſpeculantur vniuerſale, nō norunt aliqua ſingularia; vnde credi potuiſſet, quòd vniuerſalium cognitio haberetur ſine ope ſenſus; idque pręſertim ob ſententiam Platonis ideas ſupponē tis abſtractas a rebus ſenſibilibus, & aſſerē tis per ideas ſcientiam haberi debere. Hāc igitur falſam opinionem tollit Ariſt. docēs, quòd ſi aliquis ſenſus defecerit, etiam deficiet ſcientia ab eo ſenſu proueniens, & ꝙ vniuerſalium ſciētia ſenſus ope acquiritur. Supponendum autem, id intelligi de his hominibus, qui a natiuitate ſenſu aliquo fuerint priuati.

Siquidem addiſcimus. Probat propoſitum dogma, quod ſcientia ad defectum ſenſus deficiat; qm̄ abſq; ſenſu acquiri non poſſit; ſiquidem addiſcimus inquit, aut demonſtratione, nempe ſyllogiſmo demonſtrante, ſub quo cadit enthimema; aut inductione, ſub qua cadit exemplum, vt dictum eſt in initio huius libri. In proęmio autē Metap. latiſſime explicatur, quomodo medio ſenſu concipiantur ſenſibilia, & ꝙ ſenſus non eſt ſcientia; ſed experientia rerum ſenſibilium per ſenſum deſumpta, inductione quadam vniuerſalium acquiritur ſcientia.

Impoſsibile autē vniuerſalia. Supponitur impoſſibile eſſe vniuerſalia contemplari, niſi per inductionem præcedentē, & conſequēter auxilio ſenſus: quod docet Ariſt. etiam opus eſſe ſeruare, ſi manifeſtanda ſint vniuerſalia, quæ ſunt per abſtractionem, de q. bus tractant Mathematicis: vnde tanto magis id præſtandum erit circa ſenſibilia. Aduertit aūt Ariſt ea, quæ ſunt ex abſtractione, ſi nota debent fieri inductione, oportere vt in determinato genere rerum, quibus inſint manifeſtentur: quemadmodum circuli, & quadratæ figuræ in ligno, aut in terra manifeſtabuntur; & ita vt ſenſibilia ſunt, deſeruient manifeſtationi vniuerſaliū abſtractorum. Vnde inquit ꝙ huiuſmodi non ſunt ſeparabilia ſcd̄m ꝙ talia aliqua ſunt; hinc innuens, ꝙ ſenſibilia, vt ſenſibilia, non ſunt ſeparabilia, ſed in materia degunt, vt docetur in lib. 7. Met & alibi; idq; cōtra ſententiam Platonis rerum ſenſibilium ideas ſeparabiles conſtituentis. Hinc colligitur (quod dictum eſt ſupra in tractatu ſpecierū demonſtrationis) ꝙ etiam quę apud Mathematicos ſupponuntur, vel demonſtrantur, poſſunt, quo ad quia eſt, aliqua experiētia manifeſtari. Dubitat autem hoc loco Io. Gram. quomodo, ex inductione, notitia vniuerſalium acquiri poſſit: ita n. fiet vt perfecta notitia, quæ eſt intellectiua generetur ex imperfecta; qualis eſt ſenſitiua, quod nō conueniens, neq; fieri poſſe videtur. Reſpō det, ꝙ animæ noſtræ, tanquam ſopore, & ſomno generationis detētæ, egent ſenſibus expergiſcentibus, & mouentibus ſcintillā in nobis abſconditam cognitionis; ſicuti alta exiſtente in nobis obliuione alicuius amici noſtri, ſi oculis noſtris eius veſtimentum nobis notum peruenerit, hinc in amici notitiam perducimur; ita quoq; & circa vniuerſalium cognitionem ait contingere in anima. Verum hæc ſapiunt Platoniſmum, quum Plato hunc in modum noſtrum ſcire reminiſcentiam eſſe conſtitueret; cui ex ꝓfeſſo aduerſatur doctrina Ariſt. & rei veritas, iuxta etiam certiſſimam noſtram fidem. Ideo dicendum inductionem, & ſenſu adhoc deſeruire, vt imagines rerum in phātaſia quodam ordine imprimantur: vnde poſtea virtute intellectus agentis illuſtrantis phātaſmata, gignitur intellectiua cognitio in anima, quæ lōge excedit, & præualet cognitioni ſenſitiuæ, vt explicatur in fine libri ſequentis.

Non n. contingit. Ait, non contingere vt ſciētia ſenſibilium habeatur abſq; facultate ſenſitiua. Vnde colligitur intellectum non cognoſcere ſingularia, quorum tantummodo ſenſus eſt, cum tamen eſt ſenſibilium ſub quadam vniuerſali conceptione ſcientia obtineatur; prout determinatum eſt in lib. 7. Metaph.

li. 7. Met. 11. — Dubit. Io. Gra. — Solut. — Impug. — Sol. — li. 7. Met. c. 11.

Tres quæſtiones proponuntur contingentes circa terminos quibus aſtruitur demonſtratio.

IAm vero fundamentū illud aſtruere oportet, ſine quo omnis rueret tradita doctrina de ſcientia demonſtratiua, nempe ſtatum dari, & non eſſe proceſſum infinitū in principijs, ex quibus aſtrui debeat demonſtratio: quod quidem ſupra ſuppoſitum fuit cōtra opinantes, quòd nullius rei poſſit eſſe ſcientia. Id autē hunc in modum aſtruēdum erit, vt in terminis tam prædicatis, quam ſubiectis, ex quibus conſtituūtur propoſitiones, conſideretur, num in infinitum ducātur prędicationes terminorum an in illis ſit ſtatus. Itaq; illud primo ſupponendum

ſt,

est, quod patet ex doctrina lib. 1. Prior. Analyt. omnem syllogismũ ex tribus tantũ terminis cõstare, ita quidem, vt vnus inesse altero per medium terminum ostendatur: veluti quòd A insit omni C, ex eo quòd tũ A insit omni B, tũ B insit omni C; & sunt suppositiones, ex quibus colligitur per syllogismũ omne C esse A. Cum autẽ accipiatur illa suppositio, quòd omne B est A, ideo considerari potest, num alius quispiam terminus existat, quo mediante ostendatur quòd omne B est A: quod similiter considerari potest de alia accepta suppositione vt puta quod omne C est B: adeo vt suppositiones prædictę sint mediatę. Aut dicendum est, quòd non detur medius terminus, quo ostendatur, & ita sint suppositiones immediatæ. Præterea aduertendum, quòd qui secundum opinionẽ ratiocinatur, vt consueuit Dialecticus, licet re vera mediũ aliquod sit, quo accepta suppositio probari possit; attamẽ si non adesse medium videatur cum ipse ex opinabilibus ratiocinetur, mediatis vtetur propositionibus, tamquam si essent immediatæ, & ex ijs suas probabiles deducet ratiocinationes. Verum nunc cum propositum sit secũdum veritatem theorema hoc speculari, oportet discutere quomodo hæc se habeant in ipsis met rebus & non solum hominũ opinioni inherendo. Ad hæc aduertẽdum, aliquid posse prædicari tum secũdum accidens, tum secundum se. Veluti secundum accidens erit huiusmodi prædicatio; album est homo; siquidem albũ nõ ipsius hominis est subiectum; sed e cõtra, homo est subiectum albedinis; & ideo prædicatio erit secundum se, si dicatur homo est albus: illa vero alia album est homo per accidẽs. His igitur ita suppositis tres emergunt quæstiones perpendendæ circa terminorum multiplicationem.

1. Quęst. Prima est supposito ꝙ sit vnus terminus, puta C, qui de nullo alio predicetur, ipsi vero C insit primo B; & postea ipsi B insit D, & ipsi D aliud, vt ita supponatur vnum subiectum a parte deorsum ita determinatum, vt infra ipsum nullũ aliud sit; & quæratur postea num sursum ascẽdendo sint termini infiniti, adeo quòd dato quocunq; termino, ẽt de eo alius vti superior prædicetur, & de hoc alius in infinitũ: an potius datur status in prædicatis.

2. Quęst. Secunda quæstio huic opposita erit huiusmodi. Nam supposito vno termino, vt puta A, de quo nullus alius superior terminus p̃dicetur, ipsum vero A de B dicatur, & B de C, & C de D, & hoc de alio quæri potest, num sit procedere deorsum ad subiectos terminos, ita quòd dato quocunque subiecto, adhuc alius terminus de alio, & hic alter de altero prædicetur, adeo ut sit in infinitũ progressus: an potius ad quẽdam terminum tandem erit deueniendũ tanquam postremum nullus alius existat terminus; sed in ipso sit status in prędicationibus.

3. Quęst. Tertia, & postrema quæstio erit huiusmodi: supposito enim ꝙ & ex parte sursũ, & ex parte deorsum in prædicatis detur status, & in subiectis, quærendum, num inter extrema finita, vt puta inter A. primum prædicatum vltimum subiectum, dentur nec ne infinita media. His quippe quæstionibus inuoluitur quæstio, num sit pro-

cessus infinitus in demostrando, & num omnium sit demonstratio: an ad inuicem sit status in termi nis tam sursum, quàm deorsum procedendo. Quod autem dictũ est de affirmatiua suppositione, idem etiam de negatiua dicendũ. Veluti si A de nullo B dicatur, quærendum si hæc suppositio est prima & immediata, aut si est ali- quod aliud medium, vt puta, cui non insit A, deinde inest ipsi B: nũ igitur est accipere alterum termi num, qui insit omni, & ita sit pro- cedere in infinitum, tum sursum eundo, tum deorsum. Si quidem conueniunt hæ quęstiones tam af firmatiuis, quàm negatiuis suppo sitionibus. Verũ aduertẽdum, q̃d in terminis cõuertibilibus duæ il- lę quæstiones, num sit processus infinitus, aut sursum ascendendo, vel deorsum descẽdendo, non di- stinguũtur inuicem, sed simul ve- luti in vnam cõcurrunt quæstio- nẽ. Si quidem in huiusmodi idem erit quærere de subiecto, & de pręedicato, quando inuicem con- uertuntur; adeo quòd reciproca erit consideratio ab vno termino, & ab alio; nisi quòd hoc erit di- scrimẽ, quod si ponatur subiectũ propositionis cõuertibilis ad lo- cum pręedicati, erit prædicatio se- cundum accidens: seruato autem subiecto ad locũ subiecti, & præ- dicato ad locũ pręedicati, ita erit propria, & vera prædicatio.

Adnotationes.

E*st autem omnis syllogismus*. Generosam hoc loco aggressurus est Arist. disputationem, qua confirmabitur, scientiam haberi posse demonstratiuam, dum monstrabitur, deueniendum esse ad principia indemonstrabilia, ex quibus alia demonstrẽtur, & non sit processus infinitus in demonstrando. Quomodo autem principia non subiecta demonstrationi nobis nota, & certa reddantur, in fine libri sequentis patefiet. Et hæc quidem quæstio pertractanda, supposita fuit supra in cap. 3. contra opinantes nullius rei esse scientiam, de qua etiam fuit mentio in lib. 1. Prior. Analy. vbi de Methodo venandi propositiones agitur: dum supponebatur, dari statũ deorsum in subiectis, in ipsis indiuiduis. Quod autem etiam sursum daretur in prædicatis, in posterum se explicaturum ibidem asseruit Aristot. quod præstat in hoc loco.

li. 1. Prior. Analyt. Sect.

Secundum opinionem igitur. Aduertit, apud dialecticum id solum esse curæ, vt, quæ accipit ad ratiocinandum, videantur verã secũdum opinionem; vnde ꝓpositiones accipit tanquam immediatas, dummodo videantur tales, etiam quòd non sint re vera immediatæ. At nunc quæstio est instituenda circa propositiones, quæ ex parte rerum sint immediatæ, & non ex humana opinione pendeant.

Quoniam est quod ipsum quidẽ de alio prædicari. Aduertit dari prædicationem non secũdum accidens, sicuti est secundum accidens dicere, album est homo; at secundum se, erit dicere homo est albus; siquidem accidit homini albedo, dum eam in se recipit, existẽs suppositũ albedinis; quamuis deinde homo non ita sit subiectum receptiuũ albedinis, vt quatenus homo, habeat annexam albedinem; sed tñ in comparatione eius propositionis, in qua dr̃, q᷑ album est homo, hæc pręedicatio, homo est albus, est secundum se. i. recta prædicatio: illa vero alia est secundũ accidens. Et hæc quidẽ distinctio deseruit propositæ quæstioni: qm̃ p̃dicationes erunt limitandæ ad subiecta, quibus insint prædicata; & non è conuerso erunt accipiendæ prædicationes secundum accidens, quæ debent resolui, & terminari in eas, quæ sunt secundum se.

In his vero quæ conuertantur. Vbi sint termini conuertibiles, aduertit Arist. quęstiones illas duas propositas circa progressum sursum & deorsum, in vnam & eandem cadere quęstionem; qm̃ termini sint conuertibiles, adeo quod tam vnus, quam alter põt esse modo a parte subiecti, modo a parte prædicati, tametsi in ijs etiam prædicationibus adsit tunc vera prædicatio, cum definitum ponitur pro subiecto, & definitio stat pro prædicato: alia vero conuersa prædicatio, erit secundũ accidens; ideo qm̃ proprie partes definitionis inhęreat subiecto, & non e contra.

Supposito quòd sit primũ prædicatum sursum, & deorsum vltimum subiectum statuitur nõ posse inter hæc cadere media infinita.

AD postremam autẽ quæstionem accedentes, hanc statuimus conclusionem, quòd suppo- sito

posito vno primo predicato, quo nullum aliud sit superius, & vno vltimo subiecto, quo nullũ aliud sit inferius (sint hæc supremum prædicatum A, & infimum subiectum &c.) impossibile est vt inter hæc cadant infinita media. Quod si quis asserere voluerit, incidet in hoc impossibile vt eadem fateatur esse finita, & non finita; qđ ita facillime deducitur. Nam si A supremum prædicatum de infimo subiecto prædicari debet, & inter ipsa medij existant termini; vtiq; oportet quod per ipsos procedat prædicatio, incipiẽdo ab A, quod dicatur de B, & B de C, donec perueniatur ad vltimum subiectũ quod constitutũ est esse Q. Atqui si media sunt infinita, vtique vel si procedatur ab A descendẽdo versus Q, vel si ab ipso Q. procedatur versus A, nũquam licebit peruenire vel ad A, vel ad Q. quandoquidem infinita actu percurri non possunt: aliter essent finita. Quo circa, si inter A & Q (in quibus est finis & terminus prædicatorum in vno nempe in A, & subiectiorum in alio, nẽpe in Q) sequitur, quòd si percurri non possunt media inter hęc, quia sint infinita quòd nõ erit terminus finitus in ipso A, neq; in ipsi Q: quæ tamen supposita sunt huiusmodi, vt sit primum prædicatum A, & vltimum subiectum Q: Vnde si nequeunt eadem esse finita, & infinita, concludendum est, quòd suppositis finitis ipsis A, & Q, non possunt esse media inter ipsa aut prædicata, aut subiecta infinita. Et ita supposito quòd sursum detur status in terminis, & deorsum: dici nequit quòd inter hos terminos sint medij termini infiniti; quia sic nõ esset, habere neque primum supremũ terminum, neque infimum, vti suppositum est. Et quoniam hęc probatio est circa propositionem affirmatiuam; idem etiam manifestandum est de negatiua hunc in modum. Etenim syllogismus cõcludens negatiue in tribus quidem figuris haberi potest. In prima autem figura hunc in modum deducitur conclusio negatiua. Nã supposito quòd cui omni C inest B, eidem nullo insit A, concluditur quòd nullum C est A. Verum si probanda sit illa propositio affirmatiua, omne C est B, & per media procedendum est, semper vsq; ad immediatam & vltimam propositionem, vtique per media affirmatiua procedendum erit; vnde redit eadem ratio adducta superius de affirmatiua ꝓpositione & ita de negatiua. Si autẽ alia propositio negatiua, nullum B A, sit probãda, oportet habere aliud medium, quod prædicetur de B, & istud sit D, cui nulli insit A: vnde in prima figura concludetur quòd nullum B est A: in quo Syllogismo, accepta illa propositio, omne B est D, si sit probanda per aliud medium superius ad D, rursus redibit ostensio prædicta de syllogismo affirmatiuo. Vnde patet, si in prima figura datur status in affirmatiuis propositionibus, quòd datur etiam in negatiuis In secunda autem figura ita conficitur syllogismus. Nullum B est A, omne C est A, ergo nullum C est B; quare si per medium aliquod sit probanda negatiua ꝓpositio, nullum B est A, si accipiatur medium & conficiatur syllogismus in prima figura, redibit prædicta probatio, quòd sint media finita inter supremum prædicatum, & in-

infimum subiectum. Si autem per aliud medium conficiatur syllogismus in secunda figura hunc in modum. Nullũ A D, omne B D, ergo nullum B A, cũ in hoc syllogismo oporteat semper supponere alteram affirmatiuã propositionem, quæ coniungatur cum altera affirmatiua, vtiq; si in affirmatiuis propositionibus non est processus ad infinitum, non erit etiam in negatiuis. In tertia autẽ figura hunc in modum astruitur syllogismus negatiuus. Nullum C est A, aliquod C B, ergo aliquod B non est A. si igitur probãda sit negatiua propositio nullũ C est A, id aut fiet in prima, aut in secunda figura, aut in tertia. Sed in prima, & in secunda ostensum est dari statum in negatiuis propositionibus, vnde redibit prædicta probatio. Si autem in tertia figura astruatur syllogismus de propositione negatiua, Nullum C est A, vtique fiet accipiendo medium, vt puta E, de quo omni dicatur C, & de eodem nullũ dicatur A: sic enim fiet syllogismus: Nullum E est A, aliquod E est C, ergo aliquod C non est A. Atqui in istis oportet semper accipere descendendo terminos medios, de quibus alter terminus prædicetur affirmatiue: vnde, cum in affirmatiuis propositionibus non sit processus ad infinitum, nõ erit etiã in negatiuis. Quare, & si iuxta modos omnes figurarum negatiuæ propositiones probentur, attamen cum e figuræ sint finitæ, nõ nisi finitum hinc resultabit. Ideo concludẽdum, omnino statũ esse in propositionibus tam affirmatiuis, quàm negatiuis, vt nõ sint infinitæ neq; a parte deorsum, neq; a parte sursum, si supponatur ꝙ sit status in terminis, ex quibus constituuntur propositiones, tum sursum a parte prædicati, tũ deorsum a parte subiecti.

Adnotationes.

Dico autem sursum, quæ magis vniuersalia. Ait hoc loco Philosophus, quòd si in vna propositione sursum accendatur, de ꝓdicato alia prædicta sumendo, ita est progredi ad id, quod est magis vniuersale. Et id quidem est perspicuum, cum superiora prędicata sint semper magis vniuersalia prædicatis inferioribus; sicuti perspicuum est de corpore relato ad ipsum viuens, & de viuẽte relato ad animal. E conuerso vero fiet deorsum circa subiecta procedendo; nã quæ magis erunt inferiora, minus erunt vniuersalia, vt tandem ad indiuidua perueniatur; sicuti se habet Socrates ad hominem comparatus.

Neq; .n. si quis diceret Occurrit tacite obiectioni: Nam dicere posset aliquis, terminos A, B, C, & alios descendendo ab A deorsum versus. Q, esse inuicem consequentes, adeo quòd nõ liceat accipere medium inter vnũ terminum, & alium terminum; quemadmodum inter vnum & duo, aut inter duo & tria non datur medium. Ad hoc respondet Arist. id nihil referre; quia, si inter vnum terminum, & alium terminum non est accipere medium, & ita sit in multis; attamẽ negari non potest, quin, ab ipso A in alium terminum descendendo, vt puta inter A, & O sint media, de quibus dicendum est, numquam ꝙ si sint infinita licebit illa percurrere, & ita non licebit deuenire ad vltimum terminum Q. Quare concludendum est, ꝙ si datur status in terminis sursum, & deorsum, nequaquam inter primum, & vltimum terminum poterunt esse media infinita.

Logice, seu in communi ostenditur, neq; sursum, neq; deorsum esse posse processũ infinitũ in prædicationibus.

Quòd autẽ in prædicationibus detur status tam sursum ascendendo, quã deorsum procedendo, tum logice, communibus scilicet rationibus, tum analytice secundum rationes ad sciẽtiam demonstratiuam spectantes iam manifestandum est. Ac logice quidem prius speculantes, ita disseramus. Et primo quidem si prædicata inspiciantur ad rei defi-

finitionem attinētia, perſpicuum quammaxime eſſe debet, quod ſi licet definire, & eſt cognoſcibile ipſum q͞d quid erat eſſe cuiuſque rei (quod vt veriſſimum ſuppone͞dum eſt) fateri etiam oportet cū infinita percurri non poſſint, idcirco non infinita, ſed finita debere eſſe prædicata, quæcunque ad ipſum quod quid erat eſſe rerum ſint accipienda. Sed vt vniuerſaliter in omni genere prædicatorū magis cōmunis ratio exerceatur, hæ omnes (vti ad hanc argumentationē maxime conferentes ſūt præmittendæ adnotationes. Et primo quidem, cum liceat hunc in modū loqui & verum dicere, quòd album eſt ambulans, aut quòd tale album eſt lignum, & ēt oppoſito modo dicendo quòd lignum eſt album, & quòd homo ambulat; non ignorandū eſt, multum differre, ſi vno vel alio modo ſermo pronuncietur. Nam, qui dixerit album eſt lignum, innuit & ſignificat quòd illud, cui accidit eſſe album, lignum eſt; & non quod album ſit ſubiectum, in quo recipiatur lignum. Et hoc quidē apparet cum nō poſſit dici, quòd album (ſiue in communi accipiatur ſiue vt tale album ad particularia deſcendendo) tamquā præexiſtens ſit factum lignum; Vnde etiam nunc dici nequit quòd album ſit lignum, niſi ſecūdum accidens, vti dictum eſt. Cum vero aliquis dixerit lignum eſt album non intelliget ꝙ ſit aliquid aliud cui lignum contingat; quemadmodum in hac oratione muſicū eſt album, intelligitur, ꝙ aliquid vt puta homo, cui accidit eſſe muſico, eſt albus: Ipſum autem lignū intelligitur abſolute ita eſſe ſubiectum ſuſceptiuū albedinis, vt non ſit aliud quā lignum, ſeu tale determinatum lignum, quòd factū eſt album. Quare cum inuicem, hi modi loquendi diſtinguātur, (ſi licet imponere nomina) ſtatuendum eſt quòd in huiuſmodi oratione, lignum eſt album, vera ineſt prædicatio; in hac autem alia, album eſt lignum, aut non ineſt prædicatio, aut ſaltem non ſimpliciter ſed ſecūdum accidēs inerit, adeo quod dicendo lignū eſt album ſimpliciter prædicatū eſt album, & lignum eſt ſubiectū, de quo prædicatur album. Quocirca ſupponendum eſt, quòd illud, quod eſt prędicatū, ſimpliciter prædicetur de eo, de quo prædicatum eſt, & nō ſecundum accidens: ſi quidem & demonſtrationes ex prædicatis ſimpliciter dictis conſtituuntur, nō ex illis, quæ ſint ſecundum accidens.

Ad hoc ſubiungatur, cum vnū de vno prædicetur (ne in multiplicitate ſignificationum laboremus, quæ tandem ad ſimplices voces ſunt reducendę) oportere, vt quodq; prędicatum prędicetur, vel ſignificans quod quid erat eſſe, quod proprie competit ſubſtā tiæ vel quale, vel quantū. vel facere, vel pati, vel aliquod aliorū prædicamentorum, quę denario numero comprehenduntur; ita quidem, vt quicquid oratione ſignificatur, in aliquod horū prędicamentorum neceſſario cadat.

Tertiò ſupponēdum eſt, quòd quæ ſignificant ſubſtantiam illam nempe ſubſtantiam, quæ diſtinguitur ab alijs prędicamētis quatenus per ſe ſubſiſtit, & alia cum per accidentia inhęreat ſubſtantie, hæc vtique ſignificant illud idem, vel aliquid illius, de quo prædicantur: vt puta, animal ſi-

gnificans substantiam humanam de qua prædicatur est aliquid ipsius hominis, sicuti & rationale, & bipes illud idem referũt, & significãt, quod est homo. Quæ vero significãt subãm, sed dicuntur de alio subiecto ab ipsis diuerso, cui inhęrẽt, quodque nõ est illud ipsum, vel aliqd' illius quod prædicatur de subiecto: hęc sunt accidentia: quéadmodum album, qđ dr̃ de hoie, non est idem cũ hoie, nec aliquid ipsius hominis; sicuti neque homo est idẽ cũ ipso albo, vel aliqd ipsius albi. Atq; ideo q̃ sunt hmói, oĩa sunt accidentia.

Quarto supponendũ, quod hæc quæ non significant substantiam, oportet vt de subiecto aliquo p̃dicentur, cui inhæreant, & per illud subsistant. Quod in prædicamento substãtiæ declaratum est: dũ ibi ostensum est quòd nõ existentibus substantijs nequeũt esse accidentia. Si quidem nõ existimandum quòd sit aliquod albũ quod non existens quid aliud, & alteri inhærens, sit album: quod dicerent, qui ponunt ideas a rebus sensibilibus separatas. Aduersus quos alibi propria erit disputandi occasio sane & textigmata sunt; quod est dicere strepitũ ex hac opinione idearũ excitari ad similitudinem citharas præludio quòd pulsantium, & nihil aliud reuera esse. Sed & si huiusmodi existerent ideæ, attamen nihil ad rem nostram attinent, cum nõ de ijs sed de sensui subiectis demõstrationes constituantur.

Denique id etiam supponendũ quod verissimum est, quòd, quando non est hoc huius qualitas, & illud cuius nempe albedo in ligno, non est qualitas ad ligni naturam pertinẽs neque lignum est qualitas albedinis: neque est qualitas qualitatis, hoc est non est accidens, qualitas alterius accidentis, vt vnum pertineat ad naturã alterius: vtique statuendum in huiusmodi prædicatione quiddã esse posse verum at nõ, ita vt cõuertantur inuicem huiusmodi subiecta & prædicata.

His itaque hunc in modũ suppositis, primo in vniuersali ostendendum est, in prædicatis tũ sursum, tum deorsum statum dari, & non esse processum infinitum in ipsis. Etenim prædicata aut erũt significantia substantiam, existẽtia, vel genera, vel differentiæ alicuius substantiæ de qua predicantur: veluti animal & rationale predicantur de homine, & humanam significant substantiam, quæ de Socrate prædicatur: aut erunt prædicata ad substantiam non attinentia, licet ipsa absq; substantia esse non possint. Quòd si sint prædicata essentialia ad substantiam attinentia, hęc non possunt esse infinita, quòd ex ante probatis deducitur; quoniam si cognoscitur quòd quid erat esse, vt cognoscitur de vniuersa huiusmodi substantia, qualis est illa Socratis vt de ipsa quid sit definiri possit, certe repugnat dicere, quòd infinita sint prædicata ad rei essentiã attinentia, cum infinita ab intellectu hnmano comprehendi non possint. Cui ratiocinationi etiã hæc alia addi posse videtur; quoniã si substãtia particularis qualis est Socrates, est quid determinatum, & vltimũ, vt de alia substantia non possit prædicari; vel si etiam est supremum genus generalissimũ, ipsa substantia vniuersaliter intellecta, certe nõ poterunt esse media infinita, existenti-

tibus terminis finitis; vt superius ostensum est. Si autem prædicata fuerint non attinentia ad substã-tiam, in primis aduertendũ, quòd hæc non possunt inuicem prædicari ad conuertentiam, neque genera ipsa accidentalia inter se, neque cum substãtia. Nam sequeretur quòd vnum genus, vt puta quãtum, esset aliquid ipsius qualis vel aliquid substãtiæ, si ad cõuertentiam inuicem vere prędicari possunt: vnde relinquitur, ꝙ solum secundũ accidens possint prædicari. Quare si quis tentaret producere in infinitum prædicationes, hunc in modum dicendo; musicũ est album, albũ est ambulãs, ambulans est q̃tum, q̃ tum est homo, homo est dominus, dominus est frigidum, frigidum est lignum, & ita procedere in prędicationibus sine fine; statuendum quòd quæ prædicata non significant substantiam de illa dicuntur vt de subiecto cui inhærent vt accidentia; siue sint prędicata secũdum accidens, vt hoc musicũ est album; siue sit prędicatio accidẽtis de substantia, vt hæc lignum est album. Hinc deducitur, substantiam esse illam, in quam omnes accidentiũ prædicationes cadunt & terminantur, adeo quòd ex hac parte omnes prędicationes accidentium erunt determinatę; Nam vel de vltima particulari substantia prędicabũtur, veluti de Socrate quòd sit albus, vel de prædicatis pertinentibus ad substantiam Socratis; quæ cum pertineant ad quod quid erat esse rei iam ex ante determinatis huiusmodi non possunt esse infinita. Si autẽ accidens, quod prædicatur de substantia, habet supra se prędicari vtiq; illa ad eius scientiam pertinebunt: sicuti de albedine, & de colore quid aliud prædicatur, vt tandem ad supremum genus, supra quod non est aliud genus, nempe ad qualitatẽ sit deueniendum: quod & de prędicamento quãti, & de alijs prędicamentis statuendum est. Idcirco, cum vnum de vno prędicari debere sit suppositum, & singula prędicata accidentalia ad supremum suum genus referantur, sequitur quòd horum omnes prædicationes a parte sursum erant determinatæ; sicuti & a parte deorsum, vbi supponitur postrema particularis substantia omnibus prædicationibus subiecta. Et cum numerus prædicamentorũ sit determinatus, cum sint tantum decem genera generalissima, hinc etiam apparet ex numero prædicamentorum finitas esse debere omnes prędicationes, quę de vno genere accidentis, in substantiam possint referri; & ideo concludẽdum est debere dari in prędicationibus vnũ, de quo aliquid primum, & immediate prædicetur, & de hoc aliud, ꝙ in ascensu esse statum, ita quidem, vt deueniatur tandem ad vnum huiusmodi, q̃d non de alio priori debeat prædicari: sed de quodam primo immediate dicatur, de ipso aũt nullum prius prædicetur. Et ita Logice, quod propositum nobis erat, ostẽsum est, non esse processum infinitum in terminis propositionum. Et hic quidem Logicę demõstrationis modus vnus est: cui & hic alius subiungi potest.

Etenim si de ijs est demonstratio, de quibus nonnulla priora prædicentur, & quorum est demõstratio, neq; pro horum cognitione contingit melius habere, quã

per demonstrationem, neq; contingit sine demonstratione hæc scire, & si hæc nobis nota reddun tur per ea, quæ de ipsis prædicantur, hęc autem non sciamus, neq; circa ipsa melius quoad notitiam nos habeam⁹, vtiq; neq; illa, quæ nota supponuntur, ex illis scientur. Quare si est scire aliquid ex demonstratione simpliciter, non ex quibusdã, & ex sup positione, necesse est stare medias prædica tiones. Nam si nō erit status, sed semper sursum versus est accipere aliud, & aliud, sic omnium erit demonstratio. At si quorum sunt infinita, hęc percurri non possunt certe quorum sunt demonstratio nes, hæc nescient per demonstrationem. Vnde concludendum, ꝙ si melius nos non habemus circa superiora in sciendo ipsa, sequitur, quòd non erit simpliciter scire per demonstrationem; sed solum ex suppositione.

Adnotationes.

Q*Vòd autem in illis Logice.* Quòd detur status sursum in p̄dicatis, & deorsum in subiectis, duplici via vult patefacere Arist. tum Logice quibusdam communibus ratiocinationibus, tum Analytice per ea, quæ vti propria conuenire scientiæ demonstratiuæ suppositum est antea. Nam primo circa omnia prædicata cuiusq; generis extendit Arist. suam speculationem; vnde logicus, & communis est processus, cōplectēs in hac probatione, in genere tum alia prædicata, tum quę ad definitionē rei spectant.

Si igitur oportet nomina ponere. Statuit (quasi nomina de nouo imponens) huiusmodi orationem *lignum est album*, vere dicendam esse prædicationem: hanc vero aliam, *album est lignum*, aut absolute non esse prędicationē, aut saltem simpliciter nō esse, sed secundū accidens, nempe quatenus accidit ligno, vt sit album.

Supponatur igitur. Vult vt sumatur prædicatum, quod simpliciter prædicetur de eo, de quo prædicatur: & de hoc statuit oportere, quòd huiusmodi prędicētur, aut in eo quod quid, & designatur proprie prędicamentum substãtiæ, cuius (vt habetur in lib. 7 Met.) proprie & solius est definitio, aut in eo quod quale est, vel quantum, vel ad aliquid, vel facere, vel pati, vel alicubi, vel qñ, cum semper vnū de vno prędicari debeat.

li. 7. Met. Sect. 6.

Quæcunq; vero non substantiã significant. Hoc habet, quòd quæ substantiam nō significãt, oportet, vt de quodam subiecto dicantur, sine quo esse non possunt, vtputa non erit album, quod non supponat aliquam substantiam, cui inhęreat albedo, sit hęc lignũ, vel homo. Vbi aduertendum, accipi hoc loco subiectum pro ipsa substantia cui insint accidentia, cū sine substãtia nō possint esse: non autem consideratur, ꝙ tale, aut tale accidens insit tali substantiæ per se primo, quatenus talis est: non.n. homo erit albus, quatenus homo; numquam tamen albedo erit sine substantia. Sed id potest etiam ac commodari accidentibus: siquidem & quanto possunt inesse qualitates, & alia accidentia, ita tñ, vt tande omnia ad substantiã reuocentur quatenus distincta est ab alijs p̄dicamẽtis cum ei omnia innitantur.

Monstra n sunt. Grǽce Teretismata. & (vt explicat Io. Gram.) hac dictione innuitur, ꝙ idearum opinio est similis sono, & strepitui quem faciunt pulsantes cytharam in pręludio, absq; aliquo alio effectu harmonico: sic & idearum assertores nil aliud quã strepitum quendam edunt huius noui inuenti: aduersus quos in libris Metap longam habet Arist. disputationem: interim hoc loco subiungens, ꝙ etsi essent ideæ rerum a sensibilibus separatæ nihil tñ conferrent ad demonstrationem, quæ de huiusmodi ideis non est apud homines.

Amplius si non est hoc. Aliud suppositum, ꝙ aliquod accidens, qđ prędicatur de substantia, non est qualitas substantiæ; idest, nō pertinet ad essentiam substantiæ: ita n. per *qualitatem* hoc loco intelligēda est essentia; quam qualitates designent rōne ipsius differentiæ, quæ rerum limitat definitiones. Vnde etiam vnum accidens.i. aliquod prędicamentnm ex nouem generibus accidentium, *non erit qualitas illius*, idest non erit cōplectens eius essentiam: vtputa prędicatum quanti, non spectabit ad essentiam prędicamenti qualitatis; & ita non erit *qualitas qualitatis*. Quibus verbis innuitur, ꝙ vnum prędicamentum de numero accidentium, non est de essentia alterius generis accidentiū: veluti, aliquid de qualitate, nō erit de essentia quanti. Vnde concludendū ꝙ in his, quę non pertinent ad qualitatem, idest ad essentiam, vel substantiæ, vel alterius prædicamēti, non licet conuertere inuicem prędicata. Quod deseruit ad accipiendum, ꝙ in prædicationibus, quę per accidens sunt, non est progressus ad infinitum: sed omnes in substantiam terminantur. Quod etiam acceptū fuit ab Arist. in lib. 4 Met. contra negantes hoc principium, quòd non contingit idem simul esse, & non esse.

Aut n sicut substantia. Gręce habetur ἤ γὰρ quę dictio interdum accipitur apud Arist pro hac alia, οὖν, idest, *igitur*, vt testatur Alex. in lib. 7 Met. comment. 10. dum ait. *Nam licet* ENIM *coniunctio in dictione posita significare videatur hac ad confirmationem pertinere non tamen ita est, sed oportet illud* ENIM; *pro* IGITVR. *accipere, quòd ab ipso multis in locis vsurpatur, ut in 2. Poster. & pleriq; alijs in*

li. 4. Met. c. 2.

Alexan.

locis adnotauimus: Hæc Alexander. Vnde accipiendo dictionem *enim*, pro hac alia *igitur*, dicimus hoc loco Arist. post præmissas suppositiones incipere demonstrare q; non est processus infinitus in prædicatis. Id primũ docens circa ipsum quod quid est, quod cũ assignetur de rebus, perspicuum est, q; eius prædicata infinita non sunt supponenda; cũ infinita percurri non possint. Et est hec ratio Logica, seu communis, quam & Dialecticus ex communibus procedens, posset vsurpare. Adnotandum autem Argiropylum in sua versione adiunxisse huic contextui hanc particulam *aut accidens*, ita legens *nam aut accidens, aut substantia*, cum tñ in codice Græco vox, *accidens* desideretur.

Siquidem igitur genera. Patefacit in hac parte, neq; in alijs prædicatis accidentiũ posse esse infinitum processum. Ac primo quidẽ qm̃ non possunt propriæ inuicem prædicari accidentia, quum vnum ad alterius essentiam non pertineat; sed omnia referuntur ad substantiam, cui inhærẽt, & sine qua esse non possunt; non quantũ, aut quale, aut ad aliquid, & alia prædicamenta; in quibus singulis postea datur status in genere cuiusq; generalissimo: Et hæc sunt etiam determinata numero, nẽpe decem genera, existũt, quibus continentur quæcunq; de substãtia prædicantur: vnde concluditur, in omnibus prædicatis statum esse debere, & non esse infinitum processum in prædicationibus.

Aduersus Mirand.

Ex his colligitur contra opinionem Mirandulani, tractatum prædicamentorum manifeste supponi hoc loco tanquam ante habitum; cum statuat Arist. & hæc esse prædicamenta, quæ enumerata sunt, & esse eorũ numerum determinatum; quæ quidem accipiuntur, vti manifesta ex traditis in lib. Prædicamentorum, tãquam initium totius Logicæ facultatis, & quidem deseruit hæc notitia mirifice ad manifestandum q; non sit processus infinitus in prædicationibus.

Ipsa autem de ipsis. Ait non prædicari alterum de altero prædicamento, neq; de substantia quæ non pertinent ad essentiã substantiæ; sed omnia hæc esse accidentia, alia quidem scd̃m se, vt quæ propria sunt, alia vero secundum alium modum, vt sunt accidentia communia, quæ tñ omnia oportet vt de substantia prædicentur, sicuti & in ipsa omnia subsistunt.

Adhuc autem alius. Hæc est alia ratio Logica probans q; non sit processus infinitus in prædicatis. Nam, cum ex superioribus inferiora demonstrentur, si superiora non habent statum, oporteret quæq; superiora, ex alijs superioribus demonstrari: at si sint, infinita, iam non possent percurri, & consequenter non demonstrari; non demõstratis autem superioribus, neq; inferiora demonstrarentur; atq; ita nullius rei esset demonstratio. At datur demonstratio: igitur oportet concludere, quòd detur etiam status in superioribus, ex quibus demonstrantur inferiora, & quòd suprema superiora sint nobis notiora, alia tñ via, q̃ per demõstrationem. Hæc autem ratio communis, & Logica dicenda est, qm̃ in genere accipitur ex communibus procedens, vt possit etiã adhiberi a dialectico, non autem talis erit probatio; in qua accipiãtur ea, quæ proprie cõueniunt demõstrationi; vnde hic alius processus erit Analyticus.

Anayltice, rationibus scilicet appropriatis scientiæ demonstratiuæ probatur non esse processum infinitum in prædicationibus.

ANalytice autem compẽdio, est ostendendum, non esse processum infinitum in prędicatis, neq; a partẽ sursum, neq; a parte deorsum: idq. insistendo prædicatis attinentibus ad scientiam demonstratiuã, de qua præsens est contemplatio. Etenim si prædicata, circa quæ versatur demonstratio, sunt ea; vti patefactũ est antea, quæ secũdum se dicuntur, & hęc duobus modis; aut talia, quæ in definitione subiecti accipiuntur, iuxta primum modũ dicendi per se; aut talia, vt in eorum definitione subiectum, cui primo insunt, accipiatur iuxta secundum modum dicendi per se: Veluti iuxta primum modũ multitudo, seu diuisibile in eo quod quid prædicatur de numero: impar autem iuxta secundum modũ inest numero, vti primo subiecto quod in definitione imparis accipitur. Atqui neutro modo contingit prædicata abire in infinitum, quod patet. Nam quòd pdicata iuxta modum secundum dicendi per se non possint esse infinita, sic manifestatur. Dicatur.n. quòd impari, quod inest numero primo eius subiecto, insit quid aliud; vtique oportebit & hoc in esse numero vti subiecto imparis; & ita de alijs omnib⁹ similibus prędicatis dicendũ erit. Non.n. possent sine subiecto subsistere cum primum

præ-

prædicatũ, quod ſupponitur eſſe impar, inſit in ſubiecto in ipſo numero; vnde conſequenter omnia alia prędicata quę inerũt impari, inerunt etiam numero, vt numerus in omnium definitione accipiatur; cum ſint ad conuertentiam, vt quæ inſunt prædicto modo in ſubiecto vt accidentia propria, ſubiectum etiam inſit in eorum definitione; quare, ſi infinita prædicata ſupponantur, ſequetur quòd erunt infinita prædicata in vno ſubiecto, quod eſt impoſſibile; nempe quòd ab vno finito infinita contineātur. Sed neq; prędicata primi modi poſsũt eſſe infinita. Si quidem hęc pertinẽt ad qđ quid erat eſſe rei, de qua prædicantur. Atqui res nulla, ſi infinita eſsẽt eius prędicata, poſſet definiri: & tamen rerum dantur definitiones, vti perſpicuum eſt de corpore, de linea, & de homine, & de alijs plurimis: quare nõ erãt prędicata infinita, quę pertinent ad rei definitionem. Vnde ſi prædicata omnia per ſe dicuntur ſpectantia ad demonſtrationem, hæc non poſſunt eſſe infinita, ſtabunt igitur quæ ſurſum ſunt prædicata, & quę deorſum, cum neutro modo poſſint eſſe infinita: quare & quę erunt media inter ſupremum & infimum, finita erunt & determinata. Ex quo ſequitur, palam factũ eſſe quòd neceſſe eſt dari certa principia demonſtrationum, & nõ omnium eſſe demõſtrationem, vt aliqui aſſerebant, prout antea dictum eſt inter initia: & hoc quidem conſectarium manifeſtum eſt. Nam ſi ſunt principia, non omnia erunt demonſtrabilia, neq. erit abire in infinitum in prędicatis: alioquin altero horũ ſuppoſitio, nõ eſſet accipere propoſitiones immediatas, atq; indiuiſibiles; ſed omnes in alias diuidi poſſent, & per alias monſtrari. At que ſi duo ſint termini extremi & determinati a parte ſurſum, & a parte deorſum, & omne demonſtrabile in ſcientia demonſtratiua demonſtretur per medium terminum ſumptum inter prędicatum, & ſubiectum, & non extra accipitur, vt ſolent dialectici accipere: vtique ſic ad immediata principia erit deueniendum: alioquin duorum terminorum media eſſent infinita, quod eſt impoſſibile, ſi ſtant prædicata ſurſum & deorſum: ſtare autem prius oſtenſum eſt Logice, & poſtmodum etiam Analytice.

Adnotationes.

R*Eſolutorie vero per hæc*. Applicat diſputationem de terminis, & prædicatis ad præſentem doctrinam, quæ eſt de ſcientijs demonſtratiuis, & ita rationes huic doctrinæ appropriatas affert, & appellat modum hũc reſolutorium propter inſcriptionem his libris aſſignatam, vt innueret rõnes has conuenire doctrinæ in ijs libris Analyticis traditæ: vnde aſſumit prædicata ſecundum ſe dicta, vel iuxta primum modũ dicendi per ſe, vel iuxta ſecũdum modum; & patefacit in omnibus ſtatum eſſe in prędicationibus. Neq; vero hinc eſt arguendũ, quod tñ ſint duo modi, ſeu duæ tñ ſignificationes dicendi per ſe; qm tantummodo primus, & ſecundus modus adnumerentur. Nam dicimus in his primis duobus modis contineri quæcunq; prædicata ſunt per ſe exiſtentia, adeo ꝙ non tollitur quin ſit, & tertius modus, quo denotatur propriũ ſubiectum, cui primo inſint prædicata, quæ per ſe inhęrent ſubiecto. Sed & quartus modus non aufertur, in quo continetur, ꝙ prædicata inſint ſubiecto per quandam cauſam propriam, & ita per ſe eo modo, vt latius ſupra in propria tractatione de modis dicendi per ſe explicatum eſt: hæc n. ſe ẽt in definitione rei accipiuntur, de qua prædicantur.

Quar & deorſum Quòd deorſum ſtent prędicata, patet ex præcedentibus: qñ adſunt indiuiduæ ſubæ, quibus non poſſunt ineſſe infinita prædicata: qñ in vno finito nõ poſſunt eſſe infinita, cum etiã non poſſent de-

fi-

finiri, si opus esset infinita de illis ꝑcurrere.

Et non omninm esse demonstrationem. Hinc patet disputationem de progressu terminorum ad infinitum, ob hanc potissimam causam susceptam fuisse ab Arist. vt colligeret contra opinionem nonnullorum, de quibus supra, quòd nō omnium est demonstratio, sed oportet vt sint principia indemonstrabilia in scientijs demonstratiuis.

Immediatam, & indiuisibilem. Dicitur propositio immediata indiuisibilis, quatenus non sit dare medium, quo prędicatum propositionis inesse subiecto probari possit: sic .n. diuiderentur adinuicem, si daretur medium; & ideo, non existente medio, intelligitur propositio indiuisibilis. Vt autem exactius intelligatur, quid sit Logice, & Analytice ratiocinari, de quibus hic est habita mentio, sciendum est ex Arist. in lib. 2. de Gen. animal. haberi, q̃ illa dicitur ratio Logica, quæ longe abest a proprijs principijs rerum, de quibus fit demonstratio continēs vniuersalia & communia; & ideo ibidem, ait, rationes huiusmodi inanes esse, vt quæ ea, quæ insunt rebus, non attingāt. Vnde & lib. 1. de Anima idem Philosophus dixit in proęmio q̃ animal, vt vniuersale, aut nihil est, aut quid posterius. Et rursus in eadem proęmio habet, q̃ definitio iræ data per communia, est dialectica, nempe cōmunis, & distans a proprijs rerum. Vnde & in scientia naturali sæpenumero nonnullæ rationes appellantur Logicæ; illę nempe, quæ procedunt ex iis quæ communia sint pluribus generibus rerum; cum deinde propriæ appellentur rationes naturales, illę, quæ ex proprijs rerum naturalium principijs constant. Ita igitur in præsenti loco Logicæ rationes fuerunt illę, quę omnibus prædicatis communes fuerunt. At Analyticæ seu resolutorię, idest proprię illę fuerunt, quæ circa prædicata conuenientia solis scientijs dęmonstratiuis allatæ sunt. Et de commune discrimine rationum magis, & minus cōmunium, & propriarū exacta habita est a nobis consideratio in lib. 11. Metap. apud nos 13. in tractatu de infinito. Quòd si quis dubitaret metaphysicum esse, vti dialecticum, qm̃ considerat ens, quod omnibus est commune, & ideo oportere, vt per rationes Logicas, & communes procedat, is animaduertit, Metaphysicum seu primū Philosophum considerare res secundum ens (vt per se sub rōne entis in cōmuni cōsiderentur) & entis principia, vt talia sunt, per se explicare, & non extraneo modo, vt faceret dialecticus. Sed & idem considerat determinata principia entis, saltem iuxta considerationem primi omniū principij nempe Dei optimi maximi, & aliarum intelligentiarū. Si autem spectentur res compositæ ipię naturales, quas etiam considerat Metaphysicus, sicuti, & Mathematicus, quatenus entia sunt secundum se, & referatur hęc consideratio Metaphisicalis ad particulares res, vt tales sunt in propria natura, vtiq; erit tanquam cōmunis cōtemplatio Philosophi primi, & nō propria rebus ipsis applicata, quæ possunt magis proprie explicari, & explicantur in singulis proprijs scientijs; sicuti in Geometria, quę eius sunt propria, & in Philosophia naturali, quę eius pariter sunt ꝓpria tractantur.

lib. 2. de Gen. ani. c. 6.

lib. 1. de Ani. c. 1.

li. 13 Met.

Dubit.

Solut.

Regulæ circa propositiones, quæ sunt rebus pluribus cōmunes, quando sint mediatæ, et quando immediatæ.

Ex his autem quæ ante ostensa sunt, deduci debet hoc cōsectarium tamquam manifestum quòd si quid duobus insit, quorum alterū de altero aut nullatenus prędicetur, aut saltem nō secundum totum, id ipsum non semper secundum aliquod commune eisdem inerit. Quemadmodum (vt exemplo res doceatur) triangulo tum æquilatero, tum ei qui est inæqualium laterum, inest habere tres angulos æquales duobus rectis secundum aliquid ipsis commune, quatenus certa quędā figura sunt, nempe triangularis: & non secundū aliquid aliud hāc obtinet communem passionem. Eisdem igitur non supponendū quòd commune illud, nēpe triangularis figura, insit secundū aliud commune, & ita semper procedēdo. Alioquin sequeretur quòd inter duos terminos infinita essent media quod est impossibile: vt patet per ea, quę superius ostensa sunt. Assumptū autē hunc in modum manifestatur in ipsis elementis. Nam si B sit medium commune, per quod A insit ipsi C, & ipsi D; etiam patet quòd B per aliud commune inerit eisdem C & D. Et rursus mediū B, per aliud commune medium eidē inerit, & ita infinita media cadent inter duos terminos, quod est impossibile. Idcirco concludendum est, non esse necessarium, vt quidpiā semper insit pluribus secundum aliquod

quod commune; sed erunt immediata interualla, ipsæ propositiones sine medio existētes. Sed aduertendū, necessarium esse vt termini in eodem sint genere, & ex eisdem indiuiduis, vt ita commune quod insit ipsis secundum se accipiatur; cum non liceat ex alio genere in aliud genus transcēdere demonstrando.

Manifestum etiam id nobis esse debet, quòd si A inest ipsi B, & medium aliquod datur inter ipsa vtiq; per hoc medium licebit demonstrare quòd A inest ipsi B. Et pro hac ostensione tot erunt elemēta, quot fuerint media. Si quidem immediatę propositiones, vel omnes, vel saltē vniuersales, sunt elementa demōstrationum. Quod si non fuerit medium aliquod inter A & B, in ipsis nō erit locus vltra demonstrationi. Sed hęc via ad principia tendit, ad quæ iam erit deuentum. Et quod dictum est de affirmatiua propositione, idem etiam statuendum de negatiua; veluti quòd nullum B est A. Nam si fuerit mediū, vel aliquod prius, cui non insit A, & ipsum insit ipsi B, ita erit locus ad demonstrandum, quòd nullum B est A. Si autem non adfuerit medium, demonstrationi vltra locus non erit; sed principia, & elementa tot erunt, quot sunt & termini: siquidē horū propositiones sunt principia demonstrōnis. Et ideo, quēadmodum sūt principia indemōstrabilia affirmatiua, ꝙ hoc est hoc, vtputa ꝙ B est A, aut ꝙ A inest ipsi B; ita quoq; sūt principia indemōstrabilia negatiua, vt puta ꝙ B nō ē A; aut ꝙ A nulli inest B.

Quando autem opus sit demonstrare aliquid, hęc erit obseruanda regula: vt si sit affirmatiuum theorema, veluti ꝙ oē B est A, & adsint media ad id demonstrandum, accipiēdum est illud, quod primo p̄dicatur de D; sit istud C, de quo A p̄dicetur; ita enim erit monstrare ꝙ B est A per mediū C. Et rursus si inter A & C adest medium, similiter primum erit accipiendum, quod insit ipsi C, sit istud D, de quo A prædicetur; ita enim mōstrabitur ꝙ omne C est A per medium D: quod pariter de oībus alijs medijs intercidentibus dicendnm est. Nunquam autem accipiendum est aliquid extra propositionem, ꝙ insit ipsi A, vti superius ad A: sed debet esse semper intra propositionem illā primam dicentem, quòd B est A, quodcunq; medium accipiatur; vt ita denotetur medium, seruato ordine, sumendo vnum post aliud: veluti, vt post C, quod supponatur esse primum prædicatū de B, accipiatur D, quod sit primum prædicatum de C: & ita procedēdo, donec fiant indiuisibiles termini, & in vnum coeāt principiū. Veluti, si E, est primum p̄dicatū de D, ita fiet, vt hæc propositio omne E est A, sit immediata, & indiuisibilis tanq̄ principium, nō habēs aliud superius principium in hoc genere. Probatum n. erit p̄ C, ꝙ A inest ipsi B: & rursus per D, ꝙ A inest ipsi C: & rursus qđ per E A inest ipsi D. Hæc autem propositio omne E est A; erit indiuisibilis non habens medium, vnde erit immediata, & ita erit principium in hoc genere demonstrationis. Est quippe vnum principium, quando sit immediatum, & vna est ꝓpositio simpliciter, quæ est immediata, & quemadmodū in alijs rebus principium est simplex, & non vbique, & in omnib⁹

idem

idem; ſed in pondere mina, ſeu vncia, in melodia ſonus, ſeu primus ſenſibilis ſonus; & aliud in alijs eſt principium, ita in ſyllogiſmo vnum eſt principium, ipſa propoſitio immediata: in demonſtratione autem, & in ſciētia principium eſt ipſe intellectus.

Quod autem attinet ad immediatas propoſitiones, illud debet eſſe perſpicuum, ꝙ in ſyllogiſmis demonſtrantibus eſſe, nunq̃ medium cadit extra propoſitionem, ſed ſemper inter eam ſunt accipienda media. Veluti in hac propoſitione, omne B eſt A, ſi ſit in prima figura oſtendendum, quòd omne B eſt A per medium hunc in modū aſtruetur probatio; Omne C A, omne B C, ergo omne B A. Et patet ſimiliter eſſe obſeruādum ſi ſit probandum quòd omne B eſt C; oportet .n. accipere medium inter B & C, adeo ꝙ cadet extra medium; &ita in oībus affirmatiuis, in prima figura eueniet.

In negatiuis autem demonſtrationibus ſimiliter quo ad propoſitionem affirmatiuam aſſumptam in ſyllogiſmo, ſi hæc ſit demonſtranda, eodē ordine ſemper erūt accipienda media, donec ad immediatā ꝓpoſitionē deueniatur.

Si autem oportet demonſtrare negatiuam propoſitionem in ſecunda figura, vt puta ꝙ nullum E eſt D per medium C, quod omni inſit D, & nulli, vel alicui non inſit E, ſic fiet ſyllogiſmus in ſecunda figura; Omne D eſt C, nullum E eſt C, ergo nullū E eſt D, & ita ſemper erit medium intra E accipiendum, & nunquam extra E; quod eſt illud, cui non oportet ineſſe D. In tertia aūt figura nunquam cadet mediū aut extra terminum, qui negetur ineſſe alicui aut extra terminum, de quo negetur; ſic.n. in tertia figura erit ſyllogiſmus; Nullum E eſt A, omne E eſt B, ergo aliquod B nō eſt A. Si igitur ſit probanda illa maior, nullū B eſt A, in hac eadem tertia figura per aliquod medium: vtiq; hoc erit intra ipſum B. & ſi eſſet probanda negatiua, quòd nullum E eſt B, eadē ratio probandi obſeruaretur.

Adnotationes.

M*Anifeſtum quòd ſi aliquid idē duobus inſit.* Potuiſſet exiſtimari, ꝙ ſi non eſt procedere ad infinitum circa media, qn̄ vnum de vno prędicatur, prout ſupra conſideratum eſt, id ſaltem contingere poſſet, quando vnum aliquid duobus inſit, quorum vnū alteri non ineſt vllo modo, aut ſaltem non ſecundū totum: ſicuti habere tres ſingulos ęquales duobus rectis competit & ęquilatero, & etiam triangulo habeat tm̄ duo latera ęqualia. Vnde, qm̄ vnum horum alteri non ineſt videretur ꝙ ſemper commune illis inexiſtens per aliud commune ineſſet, & ita hoc per aliud cōmune in infinitum; ſiquidem, id ipſum non prius vni ex duobus triāgulis q̃ alteri ineſſet. Et quia videretur debere eſſe aliquod immediatum principiū competens vni dictorum triangulorum, cū id non contingat, qm̄ vnum eorum ineſſet ſuperius altero, hinc ſuſpitio locum habere videretur, quod ſemper per aliquod cōmune media eſſent deſumenda in infinitum. Verum hoc non eſt exiſtimandum; qm̄ non poſſunt eſſe infinita media in vno genere, vt antea monſtratum eſt: ſed omnino neceſſe eſt deuenire ad immediata principia. Illud autem, quod *non ſecundum totum, aut nullatenus de altero prædicetur*, ita eſt intelligendum. Nam animal, vt quid commune ineſt rationali, & irrationali, quorum alterum de altero nullatenus prędicatur. Rurſus vero animal ineſt rationali, & mortali, quorū rationale ſecundum quid prędicatur de mortali: non ita tn̄, ꝙ omne mortale ſit rationale. Et hinc colligitur, quòd non omnis demonſtratio eſt ex terminis cōuertibilibus, cum poſſit idem commune eſſe duobus, & de ſingulo demonſtrari, de quo tn̄ infra in lib. ſequenti exactius determinandum erit.

In eodē tamen genere & ex eiſdem indiuiduis. Hęc deſeruiunt pcedentibus, vt animaduertat Ariſt. ꝙ qn̄ aliquod commune ineſt duobus, oportet (ad hoc vt prędicata ſcd'm ſe accipiantur, vt conuenit in demōſtratione) conſiſtere in eodem genere; quia non eſt demonſtrare tranſcendendo de vno genere in aliud genus. Vnde aſcendendo per communis ſuperiora neceſſe eſt cōſiſtere in eodem genere ſcientię, adeo vt non intelligatur genus generaliſſimum (vt aduertit Io. Gram.) qn̄ circa quantum, vt continuū eſt, ha-

Io. Grā̄

habetur vnum genus ſcientię, nempe Geo-
metrię, & aliud circa quantum diſcretum,
ipſa Arithmetria: ſed & requiri ait Ariſtot.
vt ex *eiſdem indiuiduis* accipiantur commu-
nia prędicata, intelligendo terminos propo
ſitionis, qui in eodem genere conueniant.
Aut etiam poſſunt intelligi *indiuidua*, ipſa
ſubiecta, de quibus prędicationes ſint ſcd͂m
aliquod commune: ita.n. non erit tranſitus
extra genus ſciẽtię, ſed de eiſdem ſubiectis
erunt prędicationes: vnde media erunt de-
terminata. Alioquin, ſi eatur extra genus
proprium, & non circa eadem indiuiduas
habeantur demonſtrationes, ſic videretur
habere locum proceſſus ad infinitum, non
ſecundum aſſumpta, ſed ſecũdum aliena, &
non de iiſdem indiuiduis prędicata.

Et elementa huius ſunt hæc, & tot quot media ſunt Io. Gram ita hunc locum explicat, ꝙ
termini, ex quibus propoſitiones immedia
tę componuntur, ſunt elementa, & princi-
pia, ſicuti materia & forma; aut quattuor

Impng.

elementa reſpectu mixtorum. Verum ali-
ter Ariſt. explicat, quomodo propoſitiones
ſint elementa, cum ſubiungit, ꝙ ſunt princi
pia, & elementa tot, quot termini: nempe,
quia ex vno medio ſumpto fit vna propoſi

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 1. cap. 26.

tio, & ex alio alia. Et hęc conſona ſunt di-
ctis in lib. 1 Prior. Analyt. vbi conſtitutum
eſt ꝙ propoſitiones ſunt terminis in vno
pauciores; qm̃ ad vltimum terminum nihil
copulatur, vt ibi explicatum eſt. Dicuntur
aũt propoſitiones principia, & elementa,
qm̃ ex illis cõſtituuntur demonſtrationes:
vnde extant etiam libri de elementis apud
Euclidem, continentes principia ſub qui-
buſdam propoſitionibus, ex quibus aſtruun
tur demonſtrationes Mathematicæ.

Aut omnes, aut vniuerſales Nonnulli id in-
telligunt de ꝓpoſitionibus maioribus, quas
dicunt appellari vniuerſales, qm̃ in earum
virtute (ſicuti in virtute agentis vniuerſa-
lis alia inferiora operantur) minores propo
ſitiones vim obtinent ad demonſtrandum.
Alij ideo *vniuerſales* dictas interpretantur,
qm̃ etiam ſingularium ſint immediatæ ꝓ-
poſitiones; vt Socrates eſt homo; neq; tamẽ

S. Thom.

hæ ſunt principia demonſtrationis. Aut *vni
uerſales* ſcd͂m S. Thomam, qm̃ principia ſunt
illa, quę ſunt cõmunia ad oẽs propoſitiones

Impug.

in aliqua ſcientia, vt omne totum eſt maius
ſua parte. At, cũ dicat Ariſt. ꝙ ſunt tot prin
cipia, quot termini, & quot media; ideo vna-
quæq; propoſitio accepta ex vno medio ad
probandam aliam propoſitionem erit prin
cipium, & elementum; Aut, ſi non abſolute
elementum, qm̃ adſint aliæ illi ſuperiores
propoſitiones, erunt ſaltem & hæ aliæ infe
riores immediatæ principiaq;, & elementa,
& ſi non ſimpliciter ſint prima.

Sed ſemper medium condenſatur. In proba-
tione vniuerſalis affirmatiuæ, quæ ſola fit
in prima figura, ſi propoſitio habet mediũ,
vtiq; id aſſumetur non cadens extra maio

li. 1. Poſt. c. 11.

rem terminũ, ſed ſemper erit inter ipſum,
& minorem: vt ſic cõdenſentur media, vnũ
poſt aliud accipiendo, quod eſt augeri, vt di
ctum eſt antea, circa primam figuram, vt
nunquam extra ſit accipiendum medium.

In Syllogiſmis. Principium in Syllogiſmo
in communi accepto eſt propoſitio imme-
diata, quam etiam adhibet Dialecticus ſecũ
dum opinionem. *In demonſtratione autem ac
ſcientia intellectus*: addita eſt dictio *ſcientia*,
particulæ *demonſtrationi*: qm̃ demonſtratio
largo modo accepta poteſt aptari ſyllogiſ-
mo non ſimpliciter ſcientifico. Aut ita di-
ctum eſt, vt innueretur quód principium
ſcientiæ eſt intellectus quo terminos co-
gnoſcimus, & principia immediata perci-
pimus; vt declaratur in fine libri ſequentis.
At autem quod in omnibus principium eſt
ſimplex, vtpote, qm̃ ex alio non compona-
tur; veluti vnitas & principium numeri, &
punctum lineæ; etſi vncia eſt principium in
ponderibus, vtiq; vncia erit ſimplex, ex qua
omnia pondera conſtabunt. Ita quoq; pri-
ma propoſitio immediate in quaq; ſciẽtia
erit principium ſimplex, vti ea, ex qua aliæ
propoſitiones probationem accipiant. Ioã.

Io. Grã.

Gram. habet quod propoſitio immediata,
& principium indiuiſibile, ad hunc ſenſum;
qm̃ in aliam ꝓpoſitionem diuidi nequeat,
quemadmodum eſt vnitas reſpectu numeri,
& punctum ratione lineæ. Verum id forte
abſolute non conuenit dicere de propoſi-
tione immediata, quòd ſit indiuiſibilis, cũ
diuidatur in terminos, ex quibus conſtitui-

S. Thom

tur. S. Thom. inquit, propoſitionem mediatam eſſe diuiſibilem potentia, inquantum
accepto medio formantur duæ propoſitio-
nes; quod non cadit in propoſitione imme-
diata, quam ſupponit etiam potentia eſſe
indiuiſibilem; quoniam non cadit in ipſa
mediũ, ex quo termini poſſit alia ꝓpoſitio.

In priuatiuis vero. Dictum eſt antea quo-
modo in propoſitionibus affirmatiuis den-
ſentur media, donec perueniatur ad imme-
diatas propoſitiones: nũc de priuatiuis eſt
ſermo, quod idem eſt præſtandum in earũ
probatione, aſſumendo media extra maio-
rem terminum. In ſecunda autem figura ſi
probanda erit ꝓpoſitio negatiua numquã
extra cadet medium. Vt, ſi ſit oſtendendũ,
ꝙ nullum E eſt D per medium C, & fiat ita
ſyllogiſmus, omne D C, nullum E C, ergo
nullum E D, ſic nunquam medium extra C
cadet; & eſt illud, nempe E, cui non oportet
ineſſe D. Et hic eſt ſenſus ſuperficialis hu-
ius loci, in quo cadit maxima difficultas;
propterea ꝙ in ſecunda figura ſemper me-
dium cadit ſupra minorem, & maiorem ex-
tremum, cum ſemper de vno prædicetur
affirmatiue, & de alio negatiue. Idcirco Io.

Io. Grã.

Gram. intellexit non cadere extra mediũ
in ſecunda figura. i. ꝙ ſemper medio termi
no ſubijcitur maior terminus, & de eo ſem-
per prædicatur medius: variat autẽ (inquit)
in tertia figura, qm̃ ſemper ſubijcitur etiã

Impug.

minori medius terminus. Quæ Io. Grã. ex-
poſitio admodum extorta videtur, tum qm̃
dictio, *extra cadere terminum*, non accipitur
vno & eodem modo ab Ariſt. ſed aliter in
prima figura, & aliter in ſecunda; tum quo-
niam, nõ ſolum minor ſubijcitur medio ter
mino in ſecunda figura, ſed etiã maior ter-
minus eidem ſubijcitur. Aliqui interpreta-
ti ſunt ex Auerroe, & ex Ariſt. ex contex-
tu comment. 10. quòd extra cadere, ſit eſſe
communius eo, de quo dicitur; & de ipſo af

fir-

ſirmatiue prædicari; & per oppoſitum ſit
non extra cadere. Et ideo in prima figura,
aiunt, numquam affirmatiue de maiori dici
medium terminum; vnde, & ſemper negati
ua eſt propoſitio maior in negatiuis ſyllo-
giſmis primæ figuræ, nũquam aũt negatiua
minor eſt. In ſecunda autem figura in ſecũ
do modo non erit extra medium, quoniam
non prædicabitur affirmatiue de minori, &
ita ad hunc ſenſum medium non erit extra.
Hæc quoq; expoſitio ſuas habet anguſtias, *Imp.*
quoniam & in ſecunda figura medium ne-
gatiue de vno termino, & affirmatiue de
alio prædicatur: neq; conſentiunt dicta de
tertia figura in ſyllogiſmis negatiuis, in q-
bus ſemper ſubijcitur medius terminus tã
maiori quam minori extremo. Forte ita in- *Solut.*
telligendus eſt locus preſens; ꝙ numquam
in propoſitione negatiua probanda cadit
medium extra, vt excedat; ſiquidẽ negatiua
vniuerſalis cõuertitur in ſeipſam. In tertia
autem figura numquam extra vnum, neq;
extra alium terminum cadit medium. i. nũ-
quam excedit extrema; & hunc in modum
etiam de prima figura eſt intelligendum, in
qua medius terminus ſimiliter ſubijcitur.
Et in ſecunda figura, ſi reducatur ad primã
vtiq; ſtabit medium inter extrema; vt ita
tandem perueniatur ad immediata etiam
negatiua principia. Aduertendum autem
de minori negatiua Ariſtot. docuiſſe, ꝙ non
extra cadet medium eo modo, vt explicatũ
eſt: vnde tanto magis de negatiua maiori
id eſt aſſerendum; cum minor terminus ſu-
bijciatur maiori in concluſione.

Quod vniuerſalis demonſtratio ſit præſtantior quàm particularis.

CVm autem ſit demonſtratio
tum vniuerſalis, & particula
ris, tum affirmatiua, & nega-
tiua, tũ oſtenſiua & ducens ad im
poſſibile, ex ijs omnibus cõſide-
randum eſt, quæ nam altera alte-
ri, vti melior atq; præſtantior, ſit
anteponenda; vt puta, nũ vniuer-
ſalis ſit præſtantior quàm particu
laris, affirmatiua quã negatiua,
oſtenſiua quàm ducẽs ad impoſ-
ſibile. Et quidem exordientes a
priori problemate, videretur ꝙ
particularis demonſtratio eſſet
præponenda vniuerſali. Primo
quidẽ, quoniam, ſi illa demõſtra-
tio potior, atq; melior cenſenda
eſt, quæ magis præſtat quod con-
cernit propriam virtutem demõ-
ſtrationis: nempe vt faciat ſcire,
vtiq. particularis antecedere vi-
detur vniuerſali, quoniã particu-
laris magis faciat ſcire Quod pa-
tet ex hoc quòd facit ſcire ſecun-
dum ſe illud, quod demonſtrat:
& proculdubio magis ſcimus
vnumquodque cum illud ſcimus
ſecundum ſe, quod præſtat demõ
ſtratio particularis, & nõ ſecun-
dũ aliud; ſicuti facit ſcire vniuer-
ſalis demonſtratio. Aſſumptum
autem quòd demonſtratio parti-
cularis ſcientiam afferat ſecundũ
ſe de eo, quod demõſtrat, ita fiet
manifeſtum. Etenim ſcire ꝙ triã
gulus æquilaterus habet tres an-
gulos æquales duobus rectis, qua
tenus equilaterus eſt, iſtud eſt ſci
re ſecundum ſe de æquilatero; at
ſecundum aliud erit ſcire, ſi ſcia-
tur quòd æquilaterus habet tres
angulos quatenus triangulus: qđ
eſt ſcire ſecundum modũ vniuer-
ſalem. Ideo concludendum, quòd
demõſtratio particularis ſit præ-
ſtantior vniuerſali. Præterea hac
ſtante ſuppoſitione quòd vniuer-
ſale non eſt aliquid preter ſingu-
laria: item hac alia, qđ demon-
ſtratio parit exiſtimationem ꝙ
aliquid ſit illud ſecundum quod
demonſtrat, & ꝙ eiuſmodi natu-
ra ſit in rebus, veluti trianguli in
quibuſdam triangulis, & figuræ
in quibuſdam figuris, & numeri
in quibuſdam numeris: hinc du-
plici ex capite deducitur, ꝙ parti
cularis demonſtratio ſit preſtan-
tior vniuerſali: tum quoniam par
ticularis eſt de eo quod eſt, vti sũt
abſq. dubio ſingularia; vniuerſa-
lis autem eſt de ijs, quæ non ſunt,
cum vniuerſale non ſit preter ſin
gularia, preſtãius autem eſt de-
monſtrare illud quod eſt, quã il-
lud quod nõ eſt; tum etiam quo-

niam illa melior est demóstratio, per quam nó decipimur, neq; aberramus; non aberramus autem, neq; decipimur in demonstratione particulari, cum ipsa non sit nisi de ijs quę sũt; vnde si talia osté dit, nullus error prouenit, cum ita inducamur ad credenda ea, quæ vera sunt. Vniuersalis autem demonstratio ostendit ea, quę non sunt; vnde in ipsa decipimur credentes esse vniuersalia, quę tamé non sunt. Patet autem de eiusmodi non existentibus esse demonstrationem vniuersalé; vt in exéplo demonstrantium proportionale, vt tale est. Deducunt enim atq; concludunt proportionale, vt est proportionale, esse illud, qđ nó est numerus, non lineæ, non solidum, non superficies, sed quid aliud præter hęc. Vnde illud, qđ non est, demonstratur in vniuersali demonstratione; & consequenter hinc deceptio oritur; vnde particularis demonstratio pręstátior vniuersali ex his rationibus dicenda videretur.

Verum ex aduerso ꝙ vniuersalis demonstratio sit præstantior quã particularis, in primis aduertendum est, quòd primã adductã argumentationem non minus fauet vniuersali demonstrationi quàm particulari, immo multo magis. Siquidem si habere tres angulos ęquales duobus rectis non inest æquilatero, vt ęquilaterus; sed vt triangulus est, vtiq; qui scierit ꝙ ęquilaterus vt æquilaterus habet tres æquales duobus rectis minus sciet quàm sciés quòd habet tres quatenus est triangulus. Et omnino (magis in vniuersali hanc exponendo rationem) dicendũ est, quòd si de ęquilatero fiat ostensio, ipso non existente vt triangulo, sic nulla erit demonstratio: si auté sit ostensio, quatenus est triãgulus, sic sciens hunc in modum quodque, quatenus quodq; magis sciet: Vnde, si triãgulus in plus se habet quàm æquilaterus, & est eadem ratio de vniuersali triangulo & de particulari ęquilatero, de quo, quatenus triangulus est habeatur demonstratio, & nó est triangulus secundum ęquiuocationem, sed omnibus singulis triangulis pariter inest secũdum eandem rationem, & secundũ nomen, & triangulo omni inest habere tres ęquales duobus rectis; hinc colligitur quòd triangulus habet tres, nó vt est ęquilaterus; sed e conuerso ęquilaterus habet tres, quatenus est triangulus. Vnde sequitur, quòd sciens in vniuersali magis scit quodq. quatenus inest alicui quidpiam, quàm cum scit secũdum particulare; & ideo demóstratio vniuersalis erit pręstantior particulari. Amplius, vt secundę ante habitæ argumentationi respódeatur, cum vniuersale sit quędam ratio, & definitio, & non est in ipso ęquiuocatio, vtiq. non minus erit in re, quàm sint quædã particularia, quinimo magis entis habebit rationem ipsum vniuersale, quanto magis in vniuersalibus ipsa particularia sunt incorruptibilia; quæ sumpta vt particularia magis sunt corruptibilia. Amplius occurrendo alteri ratione aduersus vniuersalé demonstrationem constructę dicendum, ex eo quòd vniuersalis demóstratio habeatur nullã propterea hinc induci necessitatem opinandi ꝙ vniuersale sit aliquid præter singularia, cũ vnũquodq; per ipsum vniuersale significetur, non magis sane quàm inducatur ne-

necessitas, ex eo quòd sola substã tia sit quæ hoc aliquid significat, cætera vero omnia prædicamenta quantum, quale, & alia non significent hoc aliquid, vt propterea credendum sit, hæc alia prædicamenta non esse entia, quoniam non sint eius naturæ entis cuius est substantia. Quòd si error, aut deceptio contingat in demonstratione vniuersali, non id tribuendum est demonstrationi, quoniã sit vniuersalis, sed audiẽs ipse est sibi ipsi causa deceptionis, vt qui existimet vniuersale esse præter singularia, non considerans quòd demõstratio est de vniuersali iuxta eam rationem, quæ in singularibus inuenitur.

Sed quòd vniuersalis demonstratio sit præstantior particulari, & alijs pluribus modis ostendi potest. Ac primo quidem, si demonstratio est syllogismus ostendens causã, & ipsum propter quid vtique asserendum, ꝙ illa demonstratio sit præstantior, quæ magis ostendit causam, & propter quid. Sed vniuersalis est eiusmodi, q̃d patet. Nam cui aliquid inest secũdam se, id quod inest ei, cui inest, est causa, atqui vniuersale est primum, idest, cõtinet primo inherentiam vnius rei in alia secundum se, igitur demonstrando secundum vniuersale, magis ostẽditur causa, & ipsum ꝑpterquid, quàm si per particulare, quòd nõ est primum, neq; secũdum se fiat demõstratio; & ideo demonstratio vniuersalis erit præstantior particulari.

Præterea eo vsq; quærimus ꝑpter quid, & tunc opinamur scire, quando nõ fuerit quid aliud, vltra illud quod sit aut factum, aut existens. Sic.n. finis & terminus erit in hoc ipso vltimũ ac postremum. Veluti, si quæratur, cuius causa ille venit; & respondeatur vt accipiat argentũ; adhuc quæritur, & cur hoc? nempe respondebitur, vt illud reddat cui debet; & adhuc cur hoc ipsum? respondebitur, ne iniuste agat. Et ita procedẽdo quando non est vltra assignare quid aliud propter q̃d, & cuius causa, tunc ob id ipsum, tamquam ob finem dicimus illũ aduenisse, & quidpiã esse, aut fieri: Et sic scire maxime putamus propter quid aduenerit. Quamobrẽ, si, ut in causa finali, ità quoq; se res habet in omnibus alijs causis, & in ijs quę sunt propter quid vt maxime sumus in causa finali, cum vltimam causam nouerimus vltra quam non sit alia causa; ita igitur & in alijs causis tũc maxime scimus, cum non amplius ita inest aliquid, vt ob aliud sit, sed illud ipsum est postremum. Itaque cũ nouerimus quòd anguli quattuor exteriores sunt ęquales quattuor rectis, quoniam sit æquilaterus, adhuc relinquitur quærendũ, propter quid ęquilaterus hęc habet; nẽpe quia est triangulus: & quare triangulus? quia est figura recti linea. Quod si vltra non est quid aliud, propter quod recti linea figura habeat extraneos angulos æquales quattuor rectis, tunc maxime scimus sciendo recti linea figura ꝙ habet pręditos angulos æquales: at hoc est scire vniuersale; quare demonstratio vniuersalis erit præstantior particulari.

Præterea, quæ magis sunt demonstrabilia magis sunt scibilia; sed multo magis demonstrabilia sunt vniuersalia q̃ particularia; quod patet, quoniam quãto ma-

gis itur versus particularia, tanto magis tenditur ad infinita, quæ vt infinita sunt, non sunt scibilia. E contra vero quatenus res ad vniuersale tendũt, sic ad aliquid simplex, & ad terminum reuocantur & concluduntur: vnde, ut ita terminatę sunt, sic magis etiam scibiles redduntur: atq; ideo vniuersalis demonstratio, cum sit circa magis demonstrabilia, magis etiã erit demonstratio, quam particularis, & consequenter longe præstantior.

Amplius, si eligibilior est illa demonstratio per quam & hoc & illud scitur, quàm ea, per quã alterum tantum scitur; certe cum per demonstrationem vniuersale id quod est particulare etiam sub ipso vniuersali sciatur, & nó e cõtra in particulari demonstratione ex cognitione particularis scitur vniuersale; hinc etiam cõcluditur quòd demonstratio vniuersalis est prętãtior quàm particularis.

Deniq; & hac alia argumentatione idem probari potest. Nam illud magis demonstratur, & scitur, quod ostenditur per medium propinquius principio: & propinquissimum quidem est ipsum immediatum, quod est demonstrationis principium. Vnde si demóstratio procedens ex principio, & ex magis principio est exactior, q̃ ea, quæ non ex principio, aut minus ex principio procedit, vtiq; & hac ratione vniuersalis melior erit quàm particularis, cũ vniuersalis magis ex principio cõstituatur. Veluti, si sit ostendendum A de D, per hæc media B C, vtiq; per B vti superius, & magis vniuersale, & propinquius principio ipsi A astruetur exactior demonstratio quàm si per medium C habeatur; quod lõgius abest a principio, & est minus vniuersale. Verũ ex adductis ratiocinationibus nonnullæ sunt logicæ, atq; communes.

Ex hoc autem maxime debet esse manifestã quòd demóstratio vniuersalis est præstantior, & potior quam particularis: quoniam ex propositionibus habentes nos primam, noscimus quodãmodo & postremam potẽtia ipsam obtinentes: quemadmodum si quis noscit ꝙ omnis triangulus habet tres ęquales duobus rectis, is quodammodo scit ꝙ & æquilaterus eosdem habet, etiam ꝙ non nouerit talem triangulum esse ęquilaterum. Qui autem hanc habuerit propositionem, ꝙ æquilaterus habet tres, is nondum noscit vniuersale, neq; potẽtia, neq; actu. Accedit, quòd propositio vniuersalis est intelligibilis; particularis aũt definit in sensum; vnde vt intellectus præstat sensui, ita demonstratio vniuersalis pręstabit particulari. Quod igitur demonstratio vniuersalis sit melior quàm particularis, tot sint dicta.

Adnotationes.

V*ideretur igitur fortasse aliquibus.* Hoc loco ꝓponit Arist. quæstiones Logicas disputandas, vt quæ versentur, circa orationis modos; & exorditur ab hac ipsa nũ vniuersalis demonstratio, an particularis sit cẽsenda potior. Et in primis affert quædam argumenta, quibus videretur præponenda demonstratio particularis ipsi vniuersali; quibus deinde respondet, & satisfacit, concludens ex responsionibus, quas affert ad cõtraria argumenta & ex quibusdam alijs rationibus, ꝙ prętantior sit vniuersalis, q̃ particularis demonstratio

Hæc n. est virtus demonstrationis. Idest, hæc est perfectio demonstrationis, vt eius munus & virtus sit sciẽtiam parere; quare quæ demonstratio magis id prętat, hæc in potioribus quoq; est habenda.

Vniuersalis autem quid aliud. Eiusmodi est argumentum; ꝙ particularis demonstratio

fa-

faciat, exempli gratia, fine æquilaterũ habere tres, quatenus æquilaterus; & ita secundũ se; quod non præstat vniuersalis, quæ nō facit scire de æquilatero secũdum ipsum, sed quatenus est triangulus; vnde præstare videtur particularis demōstratio vniuersali.

Demonstratio vero opinionem facit. Hoc habet, ꝗ demonstratio parit in mente hominis ꝗ sit aliquid, id, quod demonstratur, & esse inter entia quandam naturã ipsius vniuersalis; & cum subiungitur, *vt trianguli præter quadam* aduertendũ Græce haberi περὶ interpretes autem legere *præter* ac si Græce legeretur παρὰ. & nihilominus si legatur, περὶ, absq; dubio non *præter*, sed *circa* vertendum esset, & erit sensus, ꝗ demōstratio vniuersalis faciat opinionem, ꝗ sit circulus vniuersalis circa particulares circulos, tanquã existens in illis; & est dicere, ꝗ etiam sit circulus vniuersalis in ipsis particularibus: nō autem intelligendũ, ꝗ sit aliquid vniuersale separatum a singularibus, vt ponebat Plato. Et non ignorandum in lib. 7. & 10. Met. ostendi, ꝗ non datur vniuersale, vt est commune pluribus. In lib. aũt 13. apud nos 11. ostenditur, quomodo vniuersale sit accipiẽdum pro habenda de rebus sciẽtia, licet extra mentis nostræ notitiam nō existant, nisi singularia: quorum ratio, & cognitio ex vniuersaliũ rōne singulis indiuiduis vnius speciei conueniente dependet.

li. 7. Met. c. 16. & li. 10. Met. c. 4. lib. 11. c. 9

Si itaq; triangulus in plus est. Hac rōne intelligitur triangulus in plus se habere quã æquilaterus, cum etiam competat alijs speciebus trianguli æquicruri & scaleno. Et cum subiungitur, *& eadem ratio*. Aduertendũ, Græce legi, λόγος, & potest verti *oratio* seu *definitio*, quæ sit eadem in omnibus speciebus trianguli, & non adsit æquiuocatio, per quam error causetur apud aliquem; qui sciens ꝗ natura trianguli est eadem in æquilatero, & in alijs triangulis, non errore ducetur existimans naturam communem triãguli eãdem in omnibus esse; quin immo vere scit, si hunc in modum scierit.

Quanto incorruptibilia in illis sunt. Ad naturã cuiusq; entis hoc spectat vt sit; & quanto perfectiori modo aliquid existit, sic magis ens censendum est; & ideo quæ sunt incorruptibilia, magis erunt entia ipsis corruptibilibus; vnde cōcluditur ab Arist. ꝗ vniuersalia sint magis entia, q̃ particularia; qm̃ illa sunt magis incorruptibilia; idq;, quoniã species rerum, iuxta opinionem Arist. sunt æternæ; corrumpuntur autem ratione indiuiduorum; quæ corrumpuntur, in quibus est natura vniuersalis: sicuti & indiuidua dici possunt quodãmodo incorruptibilia ob species vniuersales, quæ in illis sunt, cum tamẽ indiuidua proprie subsistere dicantur. Q̃d vero habetur in contextu (*nihil minus essent quibusdam, quæ secundum partem*. Per hoc insinuatur, ꝗ indiuidua quæ corrumpuntur, nō sunt simul omnia: sed secundum partem, q̃a alia præterierunt, alia nunc existunt, & alia sunt futura.

Cui. n. per se inest aliquid. Hoc habet, ꝗ si inest alicui aliquid secundum se, vt triangulo figura recti linea istud est causa ipsi triangulo. i. hinc desumitur causa, propter quam ta se habeat triangulus; & innuitur ijs verbis quartus modus dicendi per se: quo significatur, vt sit aliquid per ipsum, & non ob aliud extraneum. Cum vero subiungitur *vniuersale autem primum*. His verbis significatur, ꝗ sit secundum se, quatenus ipsum, il lud, quod est vniuersale primum in ipsis indiuiduis.

Quando non amplius propter aliud. Significatur ijs verbis; tunc deuentum esse ad vltimam causam, & supremam quæsiti, qñ non est vltra causa alia superior, propter quam aliqd sit, vt ita primũ vniuersale habeatur.

Valde autem proximum est immediatum. Per dictionem *proximum* intelligitur ille terminus, qui immediate coniungitur supremo ꝑdicato: sicuti diceremus B esse proximũ, & ita immediate coniunctum ad A, & A intelligitur principium in ordine oium terminorum, cui medium immediatum ipsum B, subiacet, & ita euadit primum vniuersale immediatum, nempe ex istis constans ꝓpositio, omne B est A, & sic de alijs consimilibus.

Sed ex his quæ dicta sunt. Aduertit Aristot. ex adductis rationibus nonnullas esse Logicas. i. communes, & non Analyticas: veluti (vt opinatur S. Thom.) est tertia & quarta rō, in quibus assumitur medium quod est commune oĩ cognitioni. Prima autem & secunda, & quinta in ordine ratio videntur magis Analyticæ. Verum vt hęc magis explicentur dicimus, quod prima ratio est Analytica, vt quæ procedat hoc medio, quod vbi accipitur causa, & propter quid sit aliquid, ibi magis scire contingat, quod præstat vniuersalis demonstratio. Secunda aũt ratio videtur Logica, vtpote qñ constet ex similitudine desumpta ex causa finali ad alias causas comparata. Tertia quoq; ratio procedens circa infinita, quæ non sunt scibilia, videtur Logica, qm̃ etiam dialecticæ facultatis potest esse communis. Quarta vero ratio videtur Logica, in qua accipitur eligibilius esse scire vnum & aliud, quam vnũ tantum, qm̃ & hæc communis erit dialectico. Quinta autem ratio videtur Analytica, cum supponat principium immediatum, & primum vniuersale secundum se acceptũ, quod conuenit demonstrationi simpliciter acceptæ. Notandum autem in sexta rōne dici, quod demonstratio est κυριωτέρα, idest, magis domina: quoniam in ipsa, cũ sit vniuersalis, continetur etiam particularis demonstratio saltem potentia; siquidem singulare actu per sensum est comprehendendum. Vnde etiam hęc ratio ex probabilibus procedens, & ex communibus, erit Logica: sicuti etiam illa postrema, ꝗ vniuersalis demonstratio sit cōueniens intellectui, particularis autem magis aptetur sensui, est probabilis, ex loco illo deducta, ꝗ sit præstantius illud, quod præstantiori, & digniori conuenit, sicuti & intellectus est dignior sensu. Inter omnes aũt rationes adductas, Arist. supponit maxime nobis manifestum fieri, ꝗ vniuersalis sit potior, q̃ particularis ex ea rōne, qua cōcluditur in priori demōstratione etiam posteriorem contineri: ita .n. facile conspicitur, ꝗ sit præstantior huiusmodi demonstratio quæ vtramq; cognitionem, & vniuersalem, & particularem cō-

S. Thom.

tinet: neq; obſtat, quin rō Logica ſit dicenda vt explicatum eſt; & quod nihilominus ſit ſimul maxime & apta ad perſuadendū, ꝙ maxime cognoſcere nos faciat vniuerſalis demonſtratio ſupra particularem. Dubitat aūt hoc loco Io. Gram. quando videtur Ariſtot. ſibi contradicere, cum hoc loco habeat, magis eſſe entia ipſa vniuerſalia, q̃ ſingularia, in proœmio aut lib. de Ani. dicat quod vniuerſale, aut nihil eſt, aut quid poſterius eſt. Et dimittit Io. Gram. hanc dubitationem inſolutam. Verum, (vti ſupra explicauimus) intelligitur hoc loco vniuerſale, non vt eſt, quid commune pluribus, ſed vt ratio quædam eſt, & conceptus in mente, qui complectitur hanc vel illam naturā ſemper indiuiduis exiſtentem. Vnde hunc in modum conſiderata ratio, & conceptus non concernunt, aliquid commune qđ de pluribus dictum ſit iuxta generis & ſpeciei explicationem factam a Porphyrio, prout in proœmio de Ani. dr̄, ꝙ animal, vt vniuerſale, nempe vt cōmune prædicatum de pluribus, aut nihil eſt, aut quid poſterius; qm̄ vt explicatum eſt in lib. Porphyrij, hunc in modum acceptum, ad ſecundam notionem pertinet, quæ poſt primam rerum notionē in mente noſtra gignitur. Vnde de his tractans Logica, dr̄ agere de ſecundis intentionibus. Vnde hunc in modum cōſideratum vniuerſale non reſidet in re: ſed ſolum in mente, & ratio rei, vt quid tale ſignificatur, & intelligitur, eſt in rebus, licet cum propria materia aſſociata a qua abſtrahit intellectus.

[Margin: Dubit: Io. Gram — Solut.]

Quòd demonſtratio affirmatiua ſit potior, quàm negatiua.

QVod autem demonſtratio oſtenſiua, ipſa ſcilicet affirmatiua, ſit potior quàm priuatiua ſeu negatiua, ex his erit manifeſtum. Et primo quidē hūc in modū ſupponatur enim quòd illa demonſtratio ſit potior quę cæteris exiſtentibus eiſdem, conſtituitur ex paucioribus, ſiue petitionibus ſiue ſuppoſitionibus ſiue propoſitionibus notis in vna, ſicuti in altera demōſtratione. Atqui ab ea, in qua ſunt pauciores propoſitiones, citius ad notitiam peruenitur, quod ſane eſt eligibilius: q̃ſi tardius ad eandē perueniatur vnde ꝑ pauciora ꝓcedēs demonſtratio, qualis eſt affirmatiua pręcedet illi, quę ꝑ plura cōſtituitur, vti facit negatiua. Sed ꝙ potior ſit demonſtratio cōſtans ex paucioribus, hęc erit ratio vniuerſalis. Sit enim hoc ſuppoſitum, ꝙ ſimiliter ſint nota media aſſumpta in duabus demonſtrationibus. Itē hoc aliud, quòd priora ſint notiora poſterioribus. His itaq. hunc in modū ſuppoſitis, ſi vna demonſtratio fuerit, in qua tribus ijs medijs; B, C, D, oſtendatur quòd A ineſt ipſi E: ſit vero & alia, in qua duobus ijs medijs F, G, pariter oſtendatur A ineſſe ipſi E: cum ſimiliter igitur ſe habeat quod A ineſt ipſi D ꝑ C B: ſicuti quòd A ineſt ipſi per E, F, G. vtrinq; enim ſunt duo media aſſumpta: vt in vna demonſtratione oſtendatur A ineſſe D per B C. & in alia ꝙ A ineſt E, per F G. Eſt aūt notius, & prius qđ A ineſt ipſi D, quàm qđ A inſit ipſi E. Siquidē hoc per illud oſtēditur, nempe per D ineſſe A ipſi E. Cū igitur credibilius ſit id per qđ aliquod aliud probatur, ſequitur ꝙ & demonſtratio cōſtans ex paucioribus ſit potior altera, in qua plura accipiatur media, eiſdem exiſtentibus alijs in vtraq. vt ſcilicet, quę in primo loco ſunt media ſint vtroq ęque nota, & ita deinceps. Vnde applicando hāc ratiocinationem vniuerſalem ad propoſitum problema, dicendum eſt quòd demonſtratio affirmatiua potior eſt quàm negatiua. Nam & ſi vtraq; ex duab. propoſitionibus & ex tribus terminis aſtruatur, & in hoc ſint pares; attamen, quoniam affirmatiua tantū eſſe aliquid aſſumit, negatiua vero & eſſe, & non eſſe; ideo ſequitur ꝙ negatiua ex pluribus conſtans ſit peior, & per cōſequēs potior erit affirmatiua ex paucioribus conſtructa.

Amplius ſtante hoc ipſo, quod in

in tractatu syllogistico ostensum est, ꝙ ex duabus negatiuis propositionibus impossibile est cõstruere syllogismum, sed oportet alteram adesse affirmatiuam propositionem pro syllogismo quoque negatiuo astruendo. Item stante hac alia suppositione, quòd propositiones affirmatiuæ semper augentur, & semper crescũt, si opus sit augere demonstrationes per alia sumpta media; & hoc nõ solum in affirmatiuis demõstrationibus verũ etiam in negatiuis: Et hoc patet quoniã sit sit huiusmodi syllogismus, Nullum B est A, omne C est B, ergo nullum C est A; si sit ostendédum, quòd omne C est B, vtiq; hæc propositio nõ nisi ex duabus affirmatiuis comprobabitur. Si autẽ negatiua propositio vt puta nullum B est A, sit demonstranda per mediũ D, qđ insit ipsi B, sic fiet syllogismus: nullum D est A, Omne B est D, ergo nullũ B est A. Ex quibus patet ad syllogismum negatiuũ cõprobandum, opus esse auxilio affirmatiuarum propositionum; nõ autem e conuerso, syllogismus affirmatiuus indiget negatiuarum propositionum. Vnde si id per qđ aliquid demonstratur, potius est & credibilius eo quod demonstratur, & negatiua demonstratio ostẽditur per affirmatiuam, tamquam per priorem, & credibiliorem; & nõ econuerso affirmatiua per negatiuam; hinc sequitur, ꝙ affirmatiua demõstratio vti prior notior, & credibilior, sit quoque potior quàm negatiua.

Ad hæc cum principium syllogismi sit propositio vniuersalis immediata, & in demonstratione ostensiua principium sit affirmatiuum, in priuatiua vero negatiuum (est autem affirmatio prior & notior negatione cum per affirmationem fiat nota negatio, sicuti & prior est affirmatio quam negatio, quemadmodum & esse est prius quàm non esse) sequitur & ex his, quòd vt principium ostẽsiuæ demonstrationis est potius principio priuatiuæ demonstrationis, ita quoq; demõstratio potioribus gaudens, & vtens principijs, sit melior censenda: & hæc est ostẽsiua, quę etiam principalior, & magis dominans est dicenda, cum sine ea nequeat esse priuatiua.

Adnotationes.

Q*Vod autem demonstratiua priuatiua.* Grece sic habetur δεικτικὴ & intelligitur affirmatiua, vt quæ aliquid ostẽdat esse, cum negatiua non esse demonstret; & infra appellatur ostensiua *prędicatiua*, qm̃ affirmatiuam continet prædicationem rei :nexistentis; negatiua autẽ, dicitur *priuatiua*, qm̃ in ea prædicatum negatur ab aliquo.

Celerius cognoscere per has inerit. Quòd cognoscere per pauciora media sit celerius cognoscere q̃ per plura per se manifestum esse debet, quando plura pręsequi temporis longioris spacio opus sit. Quòd autem eligibilius sit celerius cognoscere; quàm tardius, supposito ꝙ æque sint nota pauca media ex vno latere, sicuti ex alio plura, singula in suo gradu, hinc debet esse perspicuum. Nam (vt inquit Io. Gram.) cum actus potissimus intellectus sit simplex, cum rem abiq; discursu cognoscit: hinc deducẽdum, ꝙ quo magis prope ad ipsum acceditur eo etiam actus intellectiuus sit perfectior, qđ cõpetit cognitioni ex paucioribus medijs, q̃ ex pluribus desumptæ. Sed & idẽ ex hoc debet esse perspicuum: qm̃ vt optimum est illud, quod nullius indiget, sic ꝑfectius, qđ paucorum indiget, q̃ illud, quod pluribus opus habet, & est locus Topicus secundum magis & minus.

Io. Gram.

Ratio autem propositionis. Quòd cognoscere celerius, sit eligibilius, assumptum est: itẽ ꝙ cognoscere per pauciora sit celerius cognoscere. Hic modo astruere in vniuersali vult Arist. quod sit melior demonstratio, quæ ex paucioribus conflatur exercendo probationem de eodem ex diuersis medijs faciendam. Est autem huiusmodi vniuersalis ratiocinatio. Supponitur n. ꝙ æque nota sint media in vna, & in altera demonstratione; & quod priora in vtraq; sint notiora posterioribus: quibus ita stantibus, existant media B, D, quibus ꝓbetur A, inesse ipsi B.

Item ſint hæc alia media, F, G, quibus pariter oſtendatur A *ineſſe ipſi* E (ita.n. debet legi, ſicuti apud Ioan. Gram. & S. Thomæ commentaria legitur, & non debet legi, ꝙ A ineſt ipſi D.) Tunc dicendum, ꝙ ita ſe habeant, media quibus probetur A ineſſe ipſi D, nempe C B; vti etiam per F G probatur A ineſſe ipſi E: hinc ſequitur ꝙ ſit notius D, quam E, qm̃ hoc per illud probatur. Vnde aduertendum in Græco codice, non recte verba iacere cum ita legatur διὰ γὰρ τούτου ἐκεῖνο ἀποδέικνυται. ita enim dictio, διὰ τούτου videtur referri ad ipſum E vti propinquius, cum tñ aperte dicendũ ſit, ꝙ D eſt notius quàm E, cũ per D ꝓbetur E. Vnde ita legendum videretur διὰ ἐκείνου αὐτὸ ἀποδέικνυται; ideſt, per illud, nempe per D, oſtenditur C. Et ita omnes latinæ verſiones habent; vt intelligatur ab interpretibus, concludi quòd notius ſit, ꝙ A inſit ipſi D, q̃ quòd inſit ipſi E. Et ꝙ conſequenter demonſtratio cõſtans ex minoribus ſit potior q̃ illa, quę conſtet ex pluribus; & applicatur hæc ratio demonſtrationi affirmatiuæ, ꝙ ſit potior q̃ negatiua: quia ex paucioribus conſtet, vt quę aſſumat tm̃ propoſitiones dicentes eſſe, cum negatiua demonſtratio aſſumat, & eſſe, & non eſſe. Et ideo aduertẽdum, in hac probatione Ariſt. vſum eſſe alijs terminis, in quibus probetur A ineſſe ipſi E per F G, & alijs, quibus probetur ꝙ inſit A eidem E per B, C, D, hic multiplicans terminos plus vno, propter diuerſitatem affirmationis, & negationis, quę adhibentur in priuatiua demõſtratione; cum in oſtẽſiua ſolũ affirmatio accipiatur: ideo pręſtantior hęc dicenda, vti ea, per quã celerius cognitio acquiratur, cum ſolum circa affirmationem mens intẽta requiratur, & non etiam circa negationem, vti oportet in priuatiua demonſtratione.

Ambæ igitur & per terminos tres. Applicat ratiocinationem propoſitio problemati, ꝙ affirmatiua demonſtratio ſit potior q̃ negatiua, licet vtraq; duas propoſitiones ſumat, & terminos tres. At diceret aliquis; quomodo ex pluribus conſtabit priuatiua demonſtratio, q̃ oſtenſiua? Reſpondet S. Thomas in priuatiua eſſe qualitatem propoſitionis affirmatiuæ, & negatiuę, & ita duplicẽ qualitatem illi ineſſe: cum tm̃ ſimplex qualitas affirmatiua aſſumatur in demonſtratione oſtenſiua. At Alber. Magnus dixit, in negatiua plura media cadere in probatione, q̃ in affirmatiua: vt ſi ſit oſtendendum, ꝙ animal eſt ſubſtantia, probabitur per medium viuens, & per corpus. Si autem ſit probandum, ꝙ nullum animal eſt qualitas probabitur per media viuens, corpus & ſubſtantiã, & ita per plura media. Verum Ariſt. expreſſe ait, tres tm̃ terminos, & duas propoſitiones accipi in vtraq; demonſtratione. Pręterea exemplum adductum ab Alberto excedit propoſitum: quoniam aliud eſt probare quòd animal ſit ſubſtãtia; & aliud quòd animal non eſt qualitas, cum qualitas ſit genus diuerſum ab eo in quo eſt animal. Vnde reſponſio S. Thom. optima eſt cenſenda.

Dubit.

Solut.

S. Tho.

Alb. Mag.

Impug. Alb.

S. Tho.

Præterea quoniam monſtratum fuit. S. Thom. cenſet afferi ab Ariſt. aliam huiuſmodi rationem, quoniam ex duabus negatiuis non ſit ſyllogiſmus, ſed altera requiritur affirmatiua: vnde inquit efficacior eſt affirmatiua, quàm negatiua. Verum hoc eſt, vnum ſuppoſitum factum ab Ariſtot quòd ex duabus negatiuis non fiat ſyllogiſmus, cui ſubiungitur hoc aliud, quòd in omni ſyllogiſmo ſemper affirmatiua requiritur propoſitio, vt hinc poſtea concludatur, quòd oſtẽſiua demonſtratio eſt potior, quam negatiua, quoniam hęc indigeat affirmatiuæ, non autem oſtenſiua indiget priuatiuæ; ſiquidẽ notius, & credibilius eſt illud, per quod aliquid aliud oſtenditur; & conſequenter pręſtabilius.

Impug.

Affirmatiua autem negatiua prior, & notior. Supponit affirmationem ſimpliciter eſſe notiorem negatione, cum per ipſam nota fiat negatio. Item eandẽ eſſe priorem, quoniam dicit eſſe, quod ſimpliciter eſt prius, q̃ non eſſe; Quod dictu intelligendum eſt ſimpliciter, quo ad ſpecies rerum, non quo ad indiuidua generabilia, quorum nõ eſſe antecedit eorudem eſſe; ſicuti in lib. 9 Met. docet Ariſtot. oſtendens quòd circa ſingularia generabilia potentia pręcedit actum, actus autem ſimpliciter præcedit potentiã. Neq; vero hinc arguendum, quòd enunciatio nõ ſit genus vniuocum ad affirmationem, & negationem, eo quòd affirmatio dicat eſſe, qđ pręcedit non eſſe quòd negatione pronunciatur. Nam in lib. Prior. Analyt. & in lib. Periherm. contra ſententiam Alexan. oſtẽſum eſt, enunciationem eſſe genus vniuocum ad affirmationem & negationem, quo ad actum enunciandi; licet, eſſe rerum, ſimpliciter antecedat non eſſe.

li. 9. Met. c 5.

Amplius principalior. Gręce habetur κυριωτέρα. ideſt principalior, & magis domina, vt hoc ſit aliud attributum affirmatiuæ demonſtrationi, quòd ſit principalior, & dominãs priuatiuæ, quoniam ſine oſtenſiua locum non habet priuatiua; oſtẽſiua vero ſine priuatiua conſtrui poteſt.

Quod demonſtratio prædicatiua ſit potior ducente ad impoſſibile.

QVoniam autem in præcedẽtibus oſtenſum eſt, ꝙ prędicatiua, ſeu affirmatiua demonſtratio potior eſt quàm priuatiua ſeu negatiua; conſequenter eſt patefaciendum, quòd eadem ſit potior ducente ad impoſſibile: quod maxime perſpicuum erit, ſi prius oſtendatur, quòd & negatiua oſtenſiua ſit potior ducente ad impoſſibile; id.n. multo magis aſſerendum erit de affirmatiua oſtenſiua, de qua iã oſtenſum eſt, quòd præcellit negatiuæ. Ad

hanc

hanc autem veritatẽ astruendã, in primis est aperiendum discrimen, quod est inter syllogismum ostensiuum, & ducẽtẽ ad impossibile. Etenim syllogismus negatiuus ostensiuus construitur ex tribus terminis, vt puta ex A B C hunc in modum. Nullum B est A omne C est B, ex quibus colligitur conclusio, quòd nullum C est A; syllogismus autem ducens ad impossibile hunc in modum cõstituetur. Nam si sit ostendendũ, ꝙ nullũ B est A, & id negetur ab aduersario, in primis accipietur opposita propositio, quòd omne B est A: ad quam hæc alia adiungetur tanquã manifesta, quòd omne C est B. ex quibus sequitur quòd omne C est A. quod quidẽ supponendum est in confesso esse quòd sit impossibile: vnde postea infertur, quòd sit etiam impossibile quòd omne B sit A cum ex hac propositione supposita, & non ex illa alia, omne C est B, deductum sit impossibile. Et consequenter inferendum, veram else oppositã propositionem, quòd nullũ B est A, si illa est impossibilis, quod omne C est A: & ita ratione ducente ad impossibile id quod propositũ fuerat, erit ostensum. Quare si termini respiciantur, & eorum in ordine syllogismi dispositio spectetur, nulla penes hoc inter syllogismum ostensiuum, & ducẽtem ad impossibile, erit differentia; cũ vtriq; ex tribus terminis, & duabus propositionibus iuxta regulas explicatas in Prior. Analyt. omnis confletnr syllogismus. Verũ discrimen hinc exurgit quòd in syllogismo ostensiuo propositiones assumptę sunt notiores quàm conclusio ex illis inducta; veluti propositio, nullũ B est A, est prior & notior quàm cõclusio deducta, nullum C est A: Si quidem conclusionem priora sunt ea ex quibus deducitur conclusio. Si autem id quod inducitur in cõclusione; eo quòd impossibile eo quòd manifeste sit est notius quam assumpta propositio, sic erit syllogism° ducens ad impossibile conflatus ex conclusione notiori, quam sit propositio assumpta. cũ deinde in syllogismo ostẽsiuo notiores sint propositiones, quam cõclusio ex illis deducendũ. Non autem supponendum quòd, si quid contigat tolli per deductionem ad impossibile, quòd id sit conclusio, alia vero sint ea, ex quibus, tanquam ex propositionibus in syllogismo constructis aliquid fuerit sublatũ: siquidem illud est cõclusio, quod deductum sit ex eo, ex quo sit syllogismus, qui ita se habeat vt illatio facta vel vt totum ad partẽ, vel vt pars ad totum referatur. At qui propositiones assumptę in syllogismo ducente ad impossibile, Vt omne B A, omne C B, non ita se habent, vt vel secundum modũ totius ad partem, vel secundum modum partis ad totũ in ipsis existat complicatio syllogistica, ex qua ducatur conclusio negatiua, cum hæc nullum habeat nexum cum illis propositionibus affirmatiuis, sed infertur ex deducto impossibili. Quamobrem ex ijs pręmissis rationem astruentes, dicemus, quòd si illa demõstratio est potior, quæ ex notioribus, & prioribus natura constituitur, vtraque autem demonstratio, tum ostensiua, tum ducens ad impossibile facit fidem, quòd aliquid non est, vt puta quòd nullum C est A, & illa est melior, quæ ex priori propositione construitur, quam illa

quæ

quę ex posteriori; hinc sequitur quòd simpliciter erit melior demõstratio ostẽsiua, quæ ex priori procedit propositione, quàm ducens ad impossibile, quę probatur ex propositione posteriori: & cõsequẽter, cum ostensum sit, quòd affirmatiua ostensiua, sit potior quàm negatiua, idcirco inferendum, quòd eadem erit etiam pręstantior ducente ad impossibile.

Adnotationes.

Quoniam vero prædicatiua. Vltimũ problema ex tribus propositis hic absoluitur, ꝙ affirmatiua demõstratio sit potior ducente ad impossibile, quod manifestatur, probando quòd negatiua ostensiua pręstat ducenti ad impossibile; vnde eidem multo magis præstabit affirmatiua.

Hoc autem sit notum & confessum. Ait, aut notum esse simpliciter, aut ex consensu aduersarij, quòd sit impossibile illud, quod in syllogismo ducente ad impossibile deducitur in conclusione.

Quando igitur conclusio notior Hoc habet, ꝙ si conclusio sit notior; ꝙ non ita se res habeat vt deductum est, sed ꝙ oppositum est verum, adeo vt conclusio sit notior, quam propositio accepta in syllogismo, sic astruitur demonstratio ducẽs ad impossibile. At qñ propositio fuerit notior in syllogismo, sic erit ostensiua demonstratio.

Natura autem prior. Si ex syllogismo ostẽsiuo, Nullum B est A, omne C B, deducta est cõclusio, ꝙ nullum C est A, vtiq; propositio, nullum B A, ex qua illata est cõclusio, quòd nullum C A, erit potior q̃ cõclusio, nullum C A. In syllogismo autem ducente ad impossibile infertur qđ omne B est A. Quod cum sit impossibile, hinc concluditur, oppositum esse verum, quòd nullum B est A. Infertur autem ex cõclusione impossibili deducta, puta quòd C est B, quæ illata est ex illa propositione, quòd omne B est A, quæ ꝓbatur impossibilis ex conclusione deducta, quæ manifeste est impossibilis.

Non n. si contingit ablatum esse aliquid. Ait, ꝙ si contingit aliquid auferri, non sequi propterea, vt quod aufertur sit conclusio, & qđ ea, ex quibus tollitur, sint ꝓpositiones: sed oportet vt se habeat conclusio illata; *aut vt totum ad partem, aut pars ad totum.* Quę verba Io. Gram. explicat, quòd totũ sit maior terminus in affirmatiuis, perspicue in plus se habens, quàm medium; & tanto magis; q̃ minor terminus, cum maior existens prædicatum in plus se habeat, q̃ subiectum, quod ẽt ait contingere in negatiuis, si sit negatiua propositio maior, qñ potest etiam esse minor in secunda figura, cum conuertatur negatiua vniuersalis in seipsam. At S. Thom. ita interpretatur, quòd propositio se habet

Io. Grã.

S. Thom.

vt totum relata ad conclusionem, quæ vt pars, ad principium tanquam ad totum refertur: quoniam subiectũ conclusionis negatiuæ sumitur sub subiectum primæ propositionis. Verum, si recte perpendantur verba contextus, Aristot. videtur hoc innuere, quòd conclusio, quæ infertur per rationem ducentem ad impossibile, non pendet neq; ex syllogismo (in quo proprie tãquam per totum pars probatur, sicuti si cõcludatur, quòd Socrates est animal per hominem: ita.n. pars contenta sub toto aĩali erit probata) neq; ex eo syllogismo, in quo probatur totum per partem, vt fit in syllogismum ex inductione constitutum, sicuti & per exemplum probatur aliquid syllogismo a parte ad partem procedente, vt docet in lib. 2. Prior. Analyt. in tractatu inductionis & exempli. Hoc igitur vult inferre Aristot. in prædictis verbis, quàm in syllogismo ducente ad impossibile deducitur conclusio impossibilis, cum qua nullum nexum syllogisticum habere potest propositio vera; quæ deinde subinfertur vt probata, ne impossibile aliquod admittatur.

li. 2. Prior. Anal. c. 4.

Adnotandum autem optima ratione factum esse, vt Arist. tres præcedentes quæstiones quæ possunt esse communes etiam alijs sylogismis præter demonstrationem; hoc loco tractauerit: tum ob excellentiam syllogismi demõstratiui; tum etiam quoniã in hac disputatione multa desumuntur ex doctrina hic habita de demonstratione.

Quibus modis exactior, et prior scientia dicatur.

Exactior autem & dignitate prior est vna scientia quàm alia tribus modis: Aut quoniam in vna & eadem ipsum quia & propter quid traditur; & non seorsũ quia ab ipso propter quid, Aut quoniã vna non est de subiecto, quę ideo exactior est, & prior quàm ea, quæ est de subiecto cõsiderans quid adiectum generi alterius scientiæ cui subalternetur; sicuti harmonia est de subiecto, vt quæ contemplatur sonum adiectum numero, qui est genus subiectum scientiæ Arithmeticæ, cui harmonica subalternatur. Arithmetica autem numerum simpliciter speculatur. Aut deniq; scientia, quæ est ex minoribus, exactior & prior est ea, quę est ex appositione; sicuti hac ratione Arith

metica precellit Geometrię;propterea quòd illa versatur circa vnitatem,substantiā nullibi positam, hæc vero contemplatio punctum vti substantiam alicubi positam.

Adnotationes.

C*ertior autem scientia.* Hoc Theorema de præstantia scientiarum,in hac Methodo,in qua agitur de scientia demōstratiua, conuenientissime tractatur:alio autem modo perpēditur in lib. 1. Met. vbi scopus est detegere,quæ notæ sint attribuendæ sapiētiæ, quæ excedit dignitate omnes scientias particulares. Vnde prima Philosophia,cui competit sapientia, non cadit in præsenti consideratione Cum autē proponitur quæ sit scientia *certior* hac dictione insinuatur, quæ scientia magis absoluat munus sciēdi: Illa vero alia dictione *prior* significat prioritas, aut secundum naturam, quemadmodum prior est Arithmetica, q̃ Harmonica; aut secundum dignitatem subiecti, cui etiā prioritas naturæ potest esse adiuncta, & simul adesse exactior modus sciendi. Vnde in proęmio lib. 2. de Anima adnumeratur sciētia inter pulchras res, & honorabiles; vbi etiam dicitur, aliam scientiam alteri pręstare, vel ob exactiorem modum sciendi,quod etiam hoc loco tangitur;vel ob dignitatem subiecti, de quo agatur: atq; ideo scientia de anima ibi inter primas collocatur; non autem in supremo loco, qm̄ hęc supremæ scientiæ prærogatiua soli conuenit primæ Philosophiæ,cui & nomen sapientiæ merito attribuitur.

In pęm. li.1.Met.

libro 1.de Anim.

Quæ ipsum quod, & propter quid. Quòd exactior & prior sit censenda illa scientia quę tradidit & ipsum quod,& ipsum ꝓpter qd, q̃ ea, in qua traditur ipsum quod seorsum ab ipso propter quid,est perspicuum; cū illo modo magis sciatur sciendo vtrumq;, & quòd est aliquid, & propter quid est,& non solum ipsum quod. Verum aduertendū est, id intelligi passim de vna demonstratione, in qua propter quid tradatur de ipso quia est, vt explicat Themistius: talis.n.demonstratio pręcellit illi alteri,quæ solum, quod est seorsum ostendit ab ipso propter quid, procedens non ex primis causis, vt inquit idem Themistius: sed demonstrans per posteriora & per signa. Et hanc expositionem communiter sequuntur interpretes; licet aliqui ita explicēt, quòd sit exactior demōstratio, quæ et ipsum quia est, & ipsum ꝑꝑ quid simul largitur;non autem seorsum,aut propter quid tantum, aut ipsum quod tm̄ idque iuxta sententiā Auerrois distinguentis demonstrationem in tria genera, vt dictum est supra. At in oppositum illud in primis est, quòd Arist. superius ostendit discrimen,quod cadit inter demōstrationem ꝑꝑ quid, & quia,& quantum illa huic præcellat, manifestauit:vnde non debet frustra repeti hæc eadem consideratio. Propterea manifestum est,quòd hic non est sermo de vna demonstratione; sed de scientia in genere; vt patet in omnibus alijs modis hic assignatis,in quibus vna sciētia alteri comparatur. Ad hæc verba Arist. clare insinuant, quòd sit exactior illa scientia,quę & quia & propter quid tradit, quàm ea, quæ tradit quia seorsum ab ea scientia, quę docet ꝑꝑ quid ex quibus verbis insinuatur, tum vna sciētia,quæ tradat quia,tum altera,quæ doceat ꝑꝑ quid: & huiusmodi sunt scientiæ subalternæ,de quibus supra dictum est,quòd inferior probat quia est, superior autem ꝑꝑ qd,quæ sępenumero ignorat qa est, illudq; supponit. Vnde iure prior, & certior illa scientia adiudicanda est, in qua & quia, & propter quid traditur: id est dicere, quòd manifestentur & esse, quæ probanda sunt, & pro horū demonstratione assignetur causa propter quam sint. Vnde in calce lib 7. Met. dicebat Aristot. quòd si est assignanda causa, ob quam priuatio luminis fit in Luna,oportet prius manifestum esse,quòd lumen deficiat:hæc autem manifestatio, sensu,& experientia, & alia ꝓbatione fieri potest. Hinc Arist. Historiam de Animalibus texuit, in qua ipsum quia est manifestatur eorum, quę pertinēt ad esse & constitutionem animaliū,& quo ad materiales, & quo ad formales partes, & quo ad operationes totius compositi;de quibus omnibus postea in alijs tractationibus ipsum quid,aut propter quid tradit. Vnde in lib. de incessū Anim. dicit. *Quid hæc ita se habeant manifestū ex hist naturali, at propter quid nunc considerandum.* Quæ ratio docendi haud dubium est quin sit pręclarissima,& scientiæ in qua hęc agantur,multam dignitatem afferat. Vnde ob hoc munus, quod pręcipue absoluit sciētię naturalis, ex hoc capite dici pōt, quòd pręcedat Mathematicis,in quibus seorsum quia est rerum sensibiliū ab inferiori sciētia manifestatur,quod ignoratur a superiori:in qua deinde,dum astruitur,demonstratio propter quid importans, hinc quare sit quod supponitur in scientia inferiori, simpliciter demonstratur. De Acriuologia vero Mathematica, de qua est sermo in lib. 2. Met. ibi latissime exposuimus quomodo sit intelligenda,& non expetenda in omnibus, sed solum in ijs quę carent materia.i.quòd Mathematici in superioribus sciētijs, vt est Gęometria, abstrahentes a rebus sensibilibus, & ab accidentibus rerum naturalium perstricta sermone omnia contemplantur: quem modum docendi ita perstrictū & exactum non admittit Philosophia naturalis, quæ omnium accidentium rationem reddere debens ideo pluribus cōtemplationibus, quę longiorem expetant sermonem est astricta.

Them.

li.9.Met. c.17.

li.2 Met. c.3.

Et quæ non de subiecto. Superius cap. 10. dictum est, quòd Mathematicę scientiæ non sunt de subiecto,vt quę considerant species rerum abstractas a sensibilibus. Vnde videtur intelligendum *de subiecto* pro eo, qđ est de re ipsa, vt se habet extra intellectum: & ita comparatio in hac parte proprie cadit

inter scientiam superiorem & inferiorẽ, vt intelligatur certior, & prior illa scientia, q̃ nõ est de subiecto, & est superior inter Mathematicas subalternas: cuius dicti non affert Arist. vllam rationem; vt qui supponat quę dicta sunt antea cap. 10. Nempe, qm̃ superior reddit causam eorum, quę ab inferiori scientia supponantur. Et ideo ex hoc dicto non proprie fieret comparatio inter Mathematicas, & naturalem sciẽtiam; quasi vero, quoniam hęc sit de subiecto, illæ vero non de subiecto, illis ꝓpterea naturalis sciẽtia subalternetur. Nam et si id verum est, quòd naturalis scientia est de subiecto, inquantum cõsiderat res compositas; attamẽ non est ita de subiecto, tãquam aliquid additum generi Mathematico cõsideret, & in Mathematicis postea probetur in genere ipsum propter quid rerum naturalium: qđ manifeste falsum est.

Et quæ ex paucioribus. Quid per hoc intelligatur, aperitur per hęc alia verba, *ea quę est ex appositione.* Intelligitur autem nõ esse ex appositione vnitas, & numerus, de quo Arithmeticus tractat; punctum autẽ dicit quandam positionem, de quo tractat Geometria, & ideo Geometrię pręcellit Arithmetica scientia. Et quoniam hæc conditio attributa scientijs videtur coincidere cum præcedenti, vbi dicitur quòd prior scientia est, quę non est de subiecto; ideo nonnulli respondent, quòd in priori conditione cõsideratur abstractio a materia sẽsibili: in hac vero alia considerat abstractio a continuo, & ab ipsa positione. Addamus, in prima supponi scientias subalternas: in hac aũt alia non supponi. Et de hac quidem conditione est prolixus sermo in lib. 1. Met. Aduertendum autem pręcellere sciẽtiam, quę est ex minoribus alteri, quę sit ex pluribus: tum qm̃ exactior est in suis perscrutationibus, vt quę magis sit libera, & absoluta a particularibus conditionibus rerum, tum quoniam rationes magis vniuersales afferre potest, q̃ in aliquibus Theorematibus queunt applicari scientię ex appositione constructæ: vt patet etiam de Arithmetica relata ad Geometriam, & hac ratione exactissima omnium scientiarũ est prima Philosophia, cum sit sapientia tradens supremas omniũ causas, ob quas scientię inferiores tamen, & vim suarum demonstrationum sumunt.

li. 1. Met. c. 1.

Vt vnitas substantia. Sed ait ex aliorũ opinione, quòd vnitas & punctum sint substantiæ, & de ijs in lib. 3. & in alijs postremis libris Met. latissime disputatur aduersus Pythagoreorum & Platonis placita.

Quæ scientia sit vnius generis, & quæ diuersi, & quomodo eiusdem possunt esse plures demonstrationes.

VNa autem, siue vnius generis scientiæ sunt, quæcunq; ex primis componũtur, & partes horum sunt, vel passiones secundum se. Diuersa autẽ scientia vna ab altera dicitur, siue ad scientias diuersi generis pertineãt ea, quorum principia neq. ex eisdem cõmunibus constant, neque alia ex alijs; sicuti subalternatæ scientiæ principia constant ex principijs scientiæ superioris. Et inditiũ ad dignoscendum, num eadem sciẽtia vna, an diuersa sit, sumendum erit ex hoc ipso: vt, cum peruentũ fuerit ad ea principia, quæ sint indemonstrabilia, tunc spectetur num hæc conueniant in eodẽ genere cum ijs, quæ demonstrãtur: siquidem oportet vt conueniant in eodem genere, si ad vnam & eandem scientiam pertinent. Itẽ & hoc aliud erit signum dignoscendi, quę nam eiusdem sint sciẽtiæ: si quæ per eadem principia demonstrantur sint in eodem genere, & inuicem congenea; alioquin, quæ secus se habebunt, ad diuersas spectabunt scientias.

Plures autem eiusdem rei cõtingit esse demonstrationes, non solum ex eadem coordinatione, quemadmodum licet demõstrare, quod homo est substantia per animal, per viuens, & per corpus, verum etiam ex altera coordinatione, non accipiendo vnum medium continuum post aliud, quẽadmodum in ijs terminis perspici potest. Sit enim A transmutari, D autem moueri, ipsum vero B lætari, Et rursus sit E quiescere. Verum est igitur & D de B, & A de D prædicari; siquidem verum est, quod qui lętatur, mouetur, & quod mouetur, transmutatur: vnde deducitur, quòd, qui lętatur, transmutatur. Rursus etiam verũ est A de E & E de B prædicari, nempe quòd qui lætatur, transmu-

tatur, vt iterum eadem conclusio deducatur, quòd qui quiescit trã-sn utatur: vt ita per diuersa media non eiusdem coordinationis fieri possit syllogismus, nõ ita tamen vt ex his medijs alterum de altero nullatenus prædicetur. siquidem oportet vt alicui eidem insit. Vnde vt & inter se conueniant aliqualiter est necessarium. Quot modis autem contingat & in alijs figuris de eadem re fieri syllogismum, perspiciet qui ad hæc animaduerterit.

Adnotationes.

V*Na autem scientia, quæ est vnius generis.* Forte aptius loco particulæ relatiuæ *quę* legeretur, *vel*, vt dicatur vna scientia *vel vnius* generis; & id propter verba quę sequuntur. *Quęcunq, ex primis componuntur*, quę quidem apte non coherent in plurium numero prolata cũ prędictis, si legatur (iuxta communem lectionem) quòd vna sciẽtia est, quę vnius est generis. Et cum dicitur. *Quęcunq; ex primis componuntur*, cum reliquis adiunctis: Sciẽdum, Themistium ita locum hunc explicare: nẽpe vnam scientiam esse, quę circa vnum genus inexistentia demonstrat: vnum vero genus esse vnius prima principia sint eadem. At Io. Grammaticus interpretatur, vnam esse sciẽtiam, quę versatur circa vnum genus Theorematum demonstrandarum, & hęc esse vnius generis, constãt ex eisdem principijs illius generis: sicuti Geometrica Theoremata fiunt ex lineis, triangulis, figuris, & alijs contẽtis sub genere Geometrię, vt puta sub continuo. Similiter supponit omnia esse ex eisdem principijs, & dignitatibus illius subiecti: nec non vnius generis esse partes, & passiones principiorum vel Theorematum; sicuti partes principiorum sunt partes integrantes, vel essentiales subiectorũ, vt partes circulorum, quadratorum, corporum: passiones vero principiorum, sicuti passiones linearũ (quæ sunt principia figurarum) sunt frangi, concurrere, & similia. Verum considerandu est, q̃ si intelligantur ea esse sub vna sciẽtia, quorum demonstratio ex veritate superiorum demonstrationum constituatur, sic & dignitates intelligi poterunt, ex quibus cõponatur veritas, & demõstratio contentorum sub vno genere scientiæ. Si autem accipiatur compositio, prout verba, contextus importare videntur, pro ea, in qua aliquid ex principijs concurrentibus ad constitutionem compositorũ constituatur, non proprię intelligendæ sunt dignitates; sed solũ genus commune primum subiectum scientiæ, & eius principia; quemadmodũ in sciẽtia naturali est corpus mobile, vel ipsa nãtura, vt communis est materiæ & formæ. Vnde, quæ ex his componuntur, omnia ex eadem scientia vnius generis constare dicẽtur, ad quæ, vti principia, omnes propositiões referentur, quæ concernunt naturã & ipsam materiam, & formam: partes autem subiecti, vt natura hominis, lapidis, & aliorum similium, dicuntur esse partes subiecti communis, & principiorum prędictorum; sicuti & passiones scd̃m se ad commune genus referuntur, vt ita quæcunq; sunt huiusmodi, dicantur esse sub vno, & eodem genere scientiæ. Accipiendum est autem genus, vel vniuocum, vel analogum, quo etiã sciẽtia vna constituitur; vt patet ex declaratis in lib. 4. Met. Sed & consideranda est ꝓpria ratio spectandi, quã adhibet vnaquęq; sciẽtia, vt limitetur genus subiectũ in propria sciẽtia. Vnde, licet Philosophus naturalis, & medicus, & Astrologus de substantia speculationem faciant; attamen id peragunt sub diuersa scientiæ ratione: qm̃ naturalis considerat substantiam, vt est habens principium motus, & quietis; & medicus autem eandem considerat vt est corpus aptum sanitati, & ægritudini; & ita alio modo Astrologus.

Quarumcunq; principia neque ex eisdem. Statuit non esse sub eodem genere sciẽtiæ ea, quorum principia ex eisdem non componũtur, intelligendo principia partium subiectarum. Nam principia particularia hominis constant ex principijs communibus ipsius naturæ de qua Philosophus naturalis tractat. Quòd si sint alia aliorum principia communia, hęc non erunt sub vno genere scientiæ. Et cum subiungitur, *neque alteræ ex alteris sunt*, hoc pertinet ad scientias subalternas, quarum principia ex principijs constant superioris scientiæ.

Vnum autem signum. Ad dignoscẽdum, nũ vna scientia constet ex alijs principijs, vel ex eisdem, ex quibus alia; hæc duo afferuntur signa; Alterum est, vt, cum peruentum erit ad indemonstrabilia, spectetur si hæc sint in eodem genere cum his, quæ demonstrantur, vel simpliciter in eadem scientia, vel in inferiori saltem secũdum quid: sicuti problemata perspectiuæ reducũtur ad principia indemonstrabilia Geometriæ. Aliud vero signum est ad dignoscendum, quę sint in eodem genere scientiæ: vt perspiciatur, num quæ demonstrantur, sint in eodem genere cum ijs, per quæ demonstrantur: sicuti animalium, & multorum inanimatorum, & aliorum huiusmodi speculatio ad vnũ genus scientiæ naturalis pertinet. Dictio vero illa, *& congenea*, aut est explicatiua prioris dicti, vbi supponutur diuersę partes sub vno genere contentę; aut ad subalternatas & subalternas scientias referenda est, vt hęc dicantur congeneę, nempe eiusdem generis.

Plures autem demonstrationes. Supra cap. 9. patefactum est, quòd non possunt augeri demonstrationes ex parte mediorum quo ad vnam demonstrationem, quę debet esse ex principio immediato. Hic autem supponitur esse posse plures demõstrationes eiusdem non ex medijs tñ immediatis. Vnde si

Themist.

Io. Grã.

li. 4. Met. c. 2.

la dictio *non continuum* explicatur quòd sit medium non immediatum ad problema; sicuti in eadem coordinatione plura media accepta sunt immediata. Sed neq; ex diuersis ordinationibus diuersa media sunt omnia absolute immediata: sicuti in exemplo allato, quòd *delectari* sit *mutari*, per medium *moueri* demõstratur; item per hoc, quòd delectari est *quiescere*, & quiescẽs permutatur; hinc. n. etiam probatur, quòd delectari est mutari. Sed aduertit Arist. hęc duo media, *moueri*, & *quiescere*, non ita esse diuersa, quin aliqualiter conueniant, & alterum de altero non dicatur saltem secundum quid: adeo ꝙ, quod mouetur, dicitur etiam quiescere: sed non est absolute idem. Et notandum hanc considerationem habitam esse hoc loco ab Aristot. qm̃ quodammodo ad scientiam demonstratiuam attineat; non autem qđ simpliciter in scientia simpliciter accepta huiusmodi demonstrationes per varia media de eodem factę proprie sint admittendæ, cum debeat esse immediatum principium scientię simpliciter acceptę. Est etiam non ignorandum de eadem re posse esse diuersas demonstraciones proprias secundum diuersas rationes considerandi, quę in diuersis scientijs tractantur modo diuerso; sicuti de Cœlis aliter tractat naturalis, & aliter Astrologus.

Quod eorum quæ proueniunt a fortuna, non est scientia demonstratiua; & quòd per sensum non est scire.

NOn est etiam silentio pretereundum, quod eorum, quæ proueniũt a fortuna, nõ est scientia demonstratiua, qđ ex ijs erit manifestum. Etenim quod est a fortuna, neq. est necessariũ, neq; vt in plurimis, sed quid præter hæc factum raroq; cõtingẽs, qualis est inuentio thesauri facta, dũ arboris in terra fit plantatio. At demonstratio, aut est necessariorum, aut eorum quæ sunt in plurimis: sicuti & omnis syllogismus, aut ex propositionibus necessarijs aut ex his quæ sunt in plurimis, construitur; ita tamen vt ex necessarijs propositionibus conclusio deducatur necessaria; & ex his q̃ in plurimis, conclusio similiter vt in plurimis, vnde sequitur, quòd eius, quod est a fortuna, nõ sit demonstratio.

Addamus ad hoc, quòd neque ad sensum pertinet scientia, adeo vt sentire sit scire. Nã & si non est inficiandum quin sensus versetur indeterminate circa tale, aut tale obiectum, & non determinate circa hoc aut hoc: attamen dicendũ, quòd actus sentiendi necessario consistit circa hoc aliquid, quod & alicubi, & nunc in tali tempore existit: prout visus semp̱ munus suum sentiendi prodit circa talẽ albedinem in hac pariete hoc tẽpore existẽte, vt omnino ei⁹ actus versetur circa rem quandam singularem: Quo ita se habente, sequitur quòd sit impossibile vt vniuersale, & id qđ est in omnibus a sensu sentiatur. Non enim tale quid, & nunc existẽs (quod solum suppositum est sentiri) est vniuersale: alioquin non esset vniuersale id quod constitutum est antea esse semper, & vbiq;. Vnde (vt ratiocinatio de hoc astruatur) si demõstrationes scientiam facientes sunt vniuersales, & sensus, eius nẽpe determinata functio proprie non est circa vniuersalia, hinc sequitur ꝙ neq. sciẽtia per sensum habeatur. Sed & statuendum est, quòd si liceret sentire, & sensu cõprehendere quòd triangulus habeat tres angulos ęquales duobus rectis, adhuc tamẽ huius facti demonstrationem inuestigaremus, tamquam eam nondum obtinentes: & non essemus de hoc scientes per sensum, vt quidam aiunt. Siquidem id pro comperto nobis esse debet, quòd oportet sentire singulare: scientia autem consistit in notitia de rebus in vniuersali. Quare & si supra Lunam existentes conspiceremus obiectam terram inter Solem & lunam; attamen nõdum causam sciremus,

cur

tur deficeret lumẽ in Luna, quod a Sole recipit. ſentiremus quippe quòd deficeret lumen in Luna: at non omnino, propter quid deficeret, ſentiremus. Siquidem non eſt ſenſus circa vniuerſale, per qđ propter quid ſcitur. Verum illud quidem aſſerendum eſt, hoc maximum commodum ex ſenſu nobis prouenire, quòd ex eo quod ſępe intueamur talem contingentem circa Lunam defectum, hinc venãtes vniuerſale huius effectus, demonſtrationẽ obtinemus; quãdoquidem ex pluribus ſingularibus fit manifeſtũ vniuerſale. Verũ tamen, & ſi ſenſus præbeat adiumentum ad vniuerſale colligendum, & ad demonſtrationem habendam, attamen vniuerſale eſt honorabilius, vti illud, quod cauſam manifeſtat: Vnde conſequẽter & cognitio vniuerſalis de huiuſmodi rebus honorabilior eſt ſenſum perceptione, & omni etiã intellectione eorum, quorum eſt altera cauſa, quæ poſſit tradi. De primis autẽ intellectionibus, ſeu propoſitionibus eſt alia ratio, quę infra erit perpendenda. Quare concludendum eſt, impoſsibile eſſe vt per ſenſum aliquid ſciatur eorum, quæ cadunt ſub demonſtratione; niſi quis dicere velit quòd ſentire ſit idem quòd habere ſcientiam per demonſtrationẽ.

Sunt autem nonnulla, quæ ob ſenſus defectum reducta ſunt inter problemata, de quibus ſit ratio inquirenda. Etenim ſunt quædam, quæ ſi conſpiceremus, de illis non inquireremus, non quaſi ſcientes eo quòd videremus: vel tanq̃ ex ipſo conſpectu vniuerſale conſequentes. Quemadmodum, ſi vitrum perforatum inſpiceremus, & lumen permeans per ipſum vitrum, vtique manifeſtũ etiam nobis fieret, propter quid Sol illuminet; tum ex ipſo cõſpectu ſeorſum habito circa vnamquamq. ſingularem illuminationem Solis, tum ex ipſa ſimul intellectione, quod in omnibus ita ſe res habeat.

Adnotationes.

E*Ius vero quod eſt a fortuna.* De fortuna & caſu longum tractatum habet Ariſtot. in lib. 2. Phyſ. docens quid per fortunam, & quid per caſum ſit intelligendum. Hoc aut loco docet, non eſſe ſcientiam demonſtratiuam eorum quę ſunt a fortuna. Et conueniens ſane erat hęc conſideratio, cum hic ſit ſermo de ſcientia demonſtratiua: ſuperius autem oſtenſum eſt, quòd non eſt ſcientia corruptibilium, quatenus ſunt corruptibilia. Cum autem dicat, quòd non eſt ſcientia demonſtratiua eorũ quę a fortuna hinc videretur, quòd aliqua alia ſcientia de illis eſſe poſſet. Sed dicendum, negari quòd non ſit de his ſcientia demonſtratiua, de qua agitur in hoc libro, cum tñ ſentiri poſſit quę ſunt a fortuna, & nonnulli ipſum ſentire, ſcire nuncuparunt; vt apparet in contextu ſuperius explicato.

Neque.n. vt neceſſarium. Hac argumentatione probat non eſſe ſcientiam eorũ, quę ſunt a fortuna; qm̃ hęc neq. important aliquid vt neceſſarium: neque vt in plurimis, quorum ſolum eſt demonſtratio: vt explicatum eſt lib. 1 Prior. Analyt. & eſt argumentatio a materiali cauſa eorũ de quibus traditur demonſtratio. Atqui neutrum dictorum habet locum in ijs quę ſunt a fortuna. Vnde nõ erit horum demonſtratio. In lib. autem 6. Met. Ariſt. docet ideo ſciri nõ poſſe ea, quę a fortuna, & ea quę per accidẽs, quoniam non habent cauſam determinatã.

li. 1. Prio. Sect. 2

li. 6. Met. c. 2.

Si.n. & eſt ſenſus talis. Hoc habet, quòd ſenſus eſt huius, & non vnius cuiuſdam, vt denotet, quòd ſenſus non eſt limitatus ſolum ad tale ſingulare ſenſibile, ſed ad ſenſibile in communi referendus eſt ſenſus: vtputa viſus non ad vnum ſolum colorem conſpiciendum eſt limitatus: ſed quemcũq. colorem perſpicere poteſt: neq. tamen propterea dicendum, quòd aliqua ſenſatio ſit vniuerſalis: ſed ſemper eſt ſingularis. Accidit autem ſenſationi vniuerſitas, inquantũ ſenſus ad ſingularia quęcunq. verti poteſt, ex quibus deinde aſtruitur vniuerſale apprehenſum, & conſideratum ab intellectu. Vniuerſale autem huiuſmodi intellectiuum, qđ percipit intellectus intelligendo, eſt ſecundum ſe vniuerſale, non limitatum ad nunc & vbi: ſicuti ſenſibile (quatenus eſt ſingulare) pertinet ad functionẽ ſenſus. Et de hoc inſignis eſt conſideratio apud Ariſt. in lib. 13. Met. apud nos ut in fine libri.

li 13

Sed & ſentire neceſſarium hoc aliquid, & alicu

bi & nunc. Hinc manifeste colligitur, quòd ad ſenſum ſolum pertinet cognitio rerũ ſingularium, & nõ ad intellectum. Quod & ex alio dicto Ariſtot. confirmatur, dum paulo poſt hęc ſubiungit: *Sentire quidem .n. neceſſe eſt ſingularia, ſcientia vero eo quod vniuerſaliter cognoſcitur*. Quare non intelligit intellectus ſingulare, ſed ſenſus ſolũ illud percipit: ſentire autem non eſt ſcire, vt dictum eſt etiã in lib. 1. Metaph.

i. 4. Met cap. 2.

Non vtiq ſciremus cauſam defectus. Ait, quòd etiam quod cõſpiceremus obiectam terrã, vnde prouenit defectus luminis in Luna, non propterea tñ huius effectus ſciremus ꝓpter quid oĩno, ſeu abſolute: Gręce ὅλως. Et hoc quidem: quoniam ſcientia ipſius q̃d eſt, conſiſtit in cognitione cauſę, & cauſa in vniuerſali comprehẽditur ab intellectu. Vnde ſubiungit Ariſt. quod vniuerſale eſt honorabilius, quoniam manifeſtat cauſam, quę ſolo intellectu comprehenditur: quãdo & tale vniuerſale complectens cauſam eſt honorabilius quàm ſentire, & q̃ ſit notitia intellectiua eorum, quę habent cauſam alteram, vt ita cauſa immediata ſuprema denotetur, quę in notitia pręcellit eorum cognitione, quorum aliqua alia ſit ſuperior cauſa.

De primis autem alia ratio. Intelligit prima principia, quorum non eſt cauſa, & tñ eorũ eſt pręſtantiſſima notitia: vt docetur in fine libri ſequentis.

Atqui ſunt nonnulla. Animaduertit in defectu ſenſus, hoc eſt ex eo quòd nonnullarum rerum effectus non comprehenduntur ſenſu, ideo reducuntur ad problemata, vt de illis inquiratur cauſa ex coniecturis: vti ſit apud Ariſtot. in lib. problematũ. Vbi autem adeſt teſtimonium ſenſus, hinc medio ſenſu colligitur vniuerſale, & cauſa rerum, vnde poſtea certa ex certis principijs erigitur demonſtratio.

Propter quid comburit. Gręce φωτίζει id eſt *illuminat*, licet apud Themiſtium verbũ *comburens* habeatur. Ioan. autem Gram. ait eſſe problema, cur lumen pertranſit vitrũ. Aliqui enim dixerũt, q̃m adſunt foramina. At quomodo corporũ eſt penetratio. Ideo dubium eſt de hoc quęſito, quod tolleretur, ſi apparerent pori in vitro, per quos ſolis pertranſit lumen. Vnde concludendum eſt, ſenſum deſeruire ad ſcientiam habendam, vt cauſa, ſine qua non. Non conſiſtit tamen in functionẽ ſenſus ipſum ſcire: neq. ꝓpter ſenſum generatur ſcientia, vt ipſe ſolus cõcurrat: ſed eſt quidem occaſio ad ſcientiã & notitiam principiorum comprehendendam, vt explicabitur latius in fine lib. ſeq.

Propter videre quidem ſeorſum in hoc quoque. Innuitur modus, quem pręſtat ſenſus, vt ꝑ ipſum ſeorſum vnumquodq. ſenſibile ſingulare comprehẽdatur: poſtea vero ſimul ſiat intelligere, nempe ex omnibus ſingularibus ſimul collectis in ſpecie, & in ratione vniuerſali. Adnotandum ex dictis in hoc cap. nempe, quòd etſi ſenſu perciperemus quòd triangulus habet tres angulos ęquales duobus rectis, adhuctamen perquireremus huiuſce rei demonſtrationem. Qua ſane hęc paſſio de triangulo oſtenderetur, & hinc haberetur notitia cauſę, & effectus pariter ex cauſa ſimpliciter manifeſtari.

Impoſſibile omnium ſyllogiſmorum eadem eſſe principia.

EAdem vero principium omnium ſyllogiſmorum eſſe nõ poſſe certis ratiocinationibus eſt ſtatuendum. Ac primo quidẽ Logice id perpendendũ eſt. Etenim cum ſyllogiſmorum alij ſint veri, & alij falſi, & verorum debeant eſſe principia vera, falſorum antẽ falſa (nam & ſi ex aliquibus falſis propoſitionibus interdum verum concludatur, attamen id ſemel tantum erit, quoniam, ſi aſſumptæ propoſitiones falſę alio ſyllogiſmo ſint colligendę, hæ nõ niſi ex falſis poterunt deduci, cũ falſum niſi ex falſis concludatur, (vt oſtenſum eſt in lib. 2. Priorũ Analyt.) Ideo non omniũ erunt eadem principia, quia alia erunt Verorum ſyllogiſmorum principia & alia falſorum. Accidit quòd & falſorum principiorum quædã ſunt inuicẽ contraria, vt quòd iuſtitia ſit iniuſtitia, quędam etiam ſunt ſimul impoſſibilia, vt quòd homo ſit equus; quare, & varij Syllogiſmi, & non ijdem ex talibus propoſitionibus cõtrarijs, aut inuicem impoſſibilibus conſtruantur.

Quòd autem & iuxta ea, quæ poſita & cõſtituta ſunt in hac ſciẽtia demõſtratiua, impoſſibile ſit pariter omnium verorum ſyllogiſmorum eadem eſſe principia, ex his poterit eſſe perſpicuum. Si quidem conſtitutum eſt antea, ꝙ ſunt multarum rerum principia genere diuerſa, quæ inuicẽ non conueniunt, neq; ſimul coaptari poſſunt; veluti vnitates, & puncta;

cta: hæc.n.habent positionem, illæ vero non habent positionem. At vero si de ijs constituẽdi sint syllogismi per eadem principia, necesse erit aut hæc ipsa diuersa rerum genera conueniant, vel in medijs, vel sursum in prędicatis, vel deorsum in subiectis; aut ꝙ habeant ex terminis aliquos intra, aut extra, quod si concedatur, oportet fateri, quòd quę non conueniunt, inuicem conueniãt, quòd est dictu impossibile; Vnde non possunt diuersorum generum esse eandem principia syllogismorum. Neq. vero dici potest, quòd sint aliqua communia principia (quale est illud quòd de quocunque est affirmare, vel negare verũ) ex quibus possint omnia demonstrari. Si quidem cum sint entium diuersa genera, & alia quantis solis insint, alia solis qualibus perspicuum est, quòd cum ijs adiũgantur principia communia, & ita demõstrationes in quaque sciẽtia fiant, nõ potest dici ꝙ per communia sola, hæc, aut illa demonstrentur. Et si non per sola communia fiant syllogismi, certe neq; aliqua erunt communia, ex quibus omnia demõstrentur. Amplius principia nõ multo sunt minora conclusionibus: Siquidem principia sunt propositiones, quæ crescũt, vel assũpto termino medio extra propositiones, vel immisso intra propositiones: item conclusiones sunt innumeræ; termini autem sunt finiti: item principia alia sunt necessaria, & alia contingentia: Vnde ex his omnibus colligitur: impossibile esse, vt sint eadem omniũ principia determinata, infinitis existẽtibus cõclusionibus, quæ ex propositionibus sunt colligendæ. Quare omnium syllogismorum eadem non possunt esse principia. Si quis autem aliter astruere vellet, omniũ eadem esse principia, quoniã hęc quidem sunt principia Geometriæ, hæc numerorum, illa vero medicinę; id quidem nil aliud esset dicere, quàm quòd sunt principia scientiarum, quod est verissimum: sed sic non omnium eadẽ esse principia cõcluderetur; quinimo fatuum esset ita loqui; nempe quòd sit omnium eadem principia, quoniam quædam eadem sint in vna scientia, & quædam eadem in alia scientia: ita enim facile esset dicere quòd omnia eadem fierent quod non est dicendum. At vero neq; si quis dixerit quòd ex omnibus quodq; ostendatur, istud esset quærere, & constituere quod omnium eadẽ sint principia; hoc enim dicere etiam valde stultũ est, cum neq; in manifestis disciplinis id fiat, vt ex omnibus quodq; demonstretur; Neq etiam possibile est id venari in resolutione, quæ fiat in principia, siquidẽ, propositiones immediatæ, sunt principia, & non aliæ; adeo vt vnius cõclusionis sit vna immediata propositio; alia vero immediata propositio sit alterius conclusionis principium. Si quis autem contenderet quòd ꝓpositiones immediatę sunt principia; dicẽdum ex aduerso quòd vna propositio immediata est in vnoquoq; genere. Quare si neq. ex omnibus principijs potest esse vt quodq; mõstretur; neq; ex altero principio quodq., quoniam alia sint alterius scientiæ principia: relinquitur solum vt dicatur ex aduerso, ꝙ congenea sint principia omniũ. Sed ex his hæc mõstrari, & ex illis alia. Verum neq;

hoc dici poteſt, qm̃ oſteſum eſt, quòd alia genere principia ſunt eorum, quæ differunt genere. Sũt autem principia duplici modo ſe habentia, tũ ea ex quibus fit demonſtratio, tum illud, nempe genus ſcientiæ, circa quod demonſtratur Et quidem illa principia, ex quibus demonſtratur, ſunt cõmunia: hęc vero circa quę eſt demonſtratio, ſunt propria; veluti eſt numerus, & magnitudo, hæc genus ſubiectum exiſtẽs geometriæ, illa vero genus arithmeticę.

Adnotationes.

E*Adem vero principia.* Cum ſuperius cõſtitutũ ſit, diuerſas eſſe ſcientias quarum ſunt diuerſa principia; ideo conſequẽter id erat ſtatuendum, q̃ non poſſunt eſſe eadem principia omnium ſcientiarum. Et cum dicatur, q̃ non ſunt eadem principia omnium ſyllogiſmorum, hinc patet de principijs complexis eſſe ſermonem, cum ſyllogiſmorum principia ſint propoſitiones, quę conſtant ex nomine & verbo.

Primum quidem logice Ideſt, in cõi prius eſt ſtatuendum, q̃ in genere ſyllogiſmorũ non poſſunt eſſe eadem principia, cum verorum vera, & falſorum falſa ſint principia; & hęc aut contraria, aut impoſſibilia; vnde Logice .i. in communi ſic probatur omnium ſyllogiſmorum non poſſe eſſe eadem principia.

Sed ſemel hoc ſit. Non tollitur, quin ex falſis poſſit concluſio vera deduci, vt probatã eſt in præcedentibus. At ſi propoſitiones falſæ aſſumptæ, ſunt ſyllogiſmo probandæ, oportet, vt tanquam concluſiones falſæ ex falſis propoſitionibus colligantur, cum falſum non niſi ex falſis colligatur; & ad hunc ſenſum ducitur, quòd ſemel ex falſis poteſt deduci verum, quod in lib. 2. Prior. Analyt. latiſſime explicatum eſt.

Io.Grã. *Ex poſitis vero.* Sic quidam exponunt *expoſitis.* Ideſt ſyllogiſmis demonſtratiuis, vt Io. Gram. Alij *expoſitis.* Ideſt, ex proprijs intelligunt. Videtur autem poſſe explicari, *ex poſitis.* Ideſt, ex determinatis, & conſtitutis in his libris Analyticis: vt ex ijs proprię ratiocinationes circa problema propoſitum aſtruantur.

Io.Grã. *Neceſſe autem aut in media conuenire, aut ſurſum, aut deorſum, hos autem intra habere illos autem extra terminorum.* Quæ verba interpretare Ioan. Gram. ait, puncta, & vnitates, ſi eorum ſunt eadem principia, neceſſe eſt, vt cõueniant, vel in media .i. in prima figura, vbi medium aſſumitur proprie medium inter extrema; aut ſurſum in ſecunda figura; aut deorſum in tertia figura; Pariter illa alia verba, *aut hos quidem intra habere, illos aũt extra terminorum.* Interpretatur dicta de tribus figuris. Aut intelligendum ait, q̃ media habeant alios communiores terminos, & alios minus communes, intelligendo per cõmuniores, terminos exteriores: Nam huiuſmodi continent alios, & ſunt quid communius; quod vero interius eſt, & minus continet, eſt etiam minus commune. Quidã alij ſic explicant; quòd puncta, & vnitates cõuenirent, aut tanquam in medio, aut tanquam in maiori extremo, qđ dicitur ſurſum; aut in minori, quod dicitur deorſum. Illud vero *hos quidem intra habere,* applicant ad primam figuram; illa vero alia verba *illos autem extra terminorum* ad ſecundam, & tertiam figuram accommodant. S. Thom. ita habet. Si omniũ ſyllogiſmorum eadẽ eſſent principia, oporteret, vt puncta, & vnitates cõuenirent, aut in medio, vel deorſum verſus minorem; & hoc, quia neceſſe eſt, vt termini aſſumantur, vel intra, qñ multiplicantur ſyllogiſmi ad probandas propoſitiones inductas, vel extra, cum maior ex terminis accipitur vt medium aſcendendo; vel minor deſcendendo. Forte facilius ſic. Si omnium ſyllogiſmorũ eadem eſſent principia (exercendo hanc cõſiderationem circa puncta & vnitates) oporteret, vt hęc conuenirent inuicẽ, aut in medijs terminis, aut ſurſum in prædicatis aſcẽdendo, aut deorſum infra in ſubiectis; aut partim oporteret, vt haberent interius aliquos terminos communes, de quibus prędicarentur, aut partim aliquos exterius, qui de illis dicerentur. Hi n. modi omnes cogitari poſſunt, ex quibus ſyllogiſmi conſtituãtur, in quibus conuenirent puncta, & vnitates; & tñ diuerſa genera non poſſunt ita cõuenire; alioquin eiuſdem generis redderentur ea, quæ ſunt diuerſa genere, vt antea deductum eſt. — S. Thom.

Amplius principia non multo pauciora ſunt concluſionibus. Immo videntur propoſitiones eſſe plures, cum ex duabus propoſitionibus proueniat vna concluſio, in vno ſyllogiſmo. Ideo dicunt aliqui intelligi de immediatis propoſitionibus, quod tñ nõ eſt veriſimile, cum ſermo ſit vniuerſalis de propoſitionibus. Sed aduertendum in lib. 1. Prior. Anal. oſtenſum eſſe, q̃ concluſiones in quodã progreſſu exſuperant terminos, nedum propoſitiones. Verum, & hoc ſtante dicendum ẽt veriſſimum eſſe, quod propoſitiones non ſunt multo pauciores concluſionibus, quæ quidem propoſitiones deinde creſcunt, *aut aſſumpto termino*, vt in ſecunda, & in tertia figura *aut iniecto*, vt in prima figura, vt quidem exponunt. At S. Thom. per aſſumptum terminum explicat, cum propoſitiones multiplicantur per terminos extrinſecos; vel aſſumendo ſupra maiorem, vel infra minorem. Per terminos autem iniectos intelligit cum media ſumantur inter extrema. Et cum ſubiungitur. *Amplius concluſiones ſunt infinitę termini vero finiti.* Ipſe vult hæc addita eſſe pro tota vna ratiocinatione; & cõuenientiſſime, vt ſit deducendum, quòd nõ poſſunt eadem omnium eſſe ſyllogiſmorum principia, qñ propoſitiones nõ ſunt multo pauciores concluſionibus, hæ autem ſunt — li. 1. Prio. Analyt. Sect. 2

in-

innumeræ; conſequenter indeterminatæ ſunt propoſitiones, quæ de omnibus rebus eſſe poſſunt. At infinitorum non poſſunt eſſe eadem principia. Et cum dr̃, termini ſunt finiti, hoc ſtat cum diſputatione ſuperius habita, quòd ſit ſtatus in terminis. Non aũt mirum ſit, quòd terminis exiſtentibus finitis, poſſint creſcere innumeræ propoſitiones, & cõcluſiones; cum ex quattuor elemẽtis infinita ꝓpe mixta conſtituantur, & ex vigintiquattuor literis infinitę dictiones.

Ridiculum quoniam hæc ſibi ipſis eadem. Aduertit, ſtultum eſſe dicere, qm̃ in vna ſcientia ſunt ſua principia communia, & in alia pariter ſua principia communia, quòd ideo omnia ſint eadem principia, colligendo omnia ſimul; cum tñ alia aliarum ſcientiarum ſint principia Hęc eadem opinatio de principijs hic recenſita, apud eumdem Ariſtotelem habetur in lib. 12. Met. apud nos 13.

li. 12. Met. c. 3.

Neque in reſolutione fieri poteſt Nempe vt in queq. principia, quæ ſint communia oĩbus ſcientijs, fiat reſolutio ſyllogiſmorum; qm̃ principia cuiuſq; ſcientiæ ſunt immediata: vnde non poſſunt eadem eſſe omnium ſciẽtiarum. Et hinc colligitur, proprie intelligi ab Ariſtot. reſolutionem, de qua egit in poſtrema Sectione lib. 1. Prior. Analyt. cum. ſ. propoſita aliqua ratiocinatione, ſtudemus principia ſeu propoſitiones elicere, ex quibus ſyllogiſmus ſit conſtructus confuſę ſępenumero, & permixtim in ſermone poſita exiſtente ipſa ſermocinatione; necnõ & manca vt ſint ſupplendæ propoſitiones.

Manifeſtum autem & hoc, quod non contingit. Nempe. vt principia omniũ ſint congenea: cum oſtenſum ſit, quòd alia principia genere diuerſa ſunt rerum generum inter ſe diuerſarum. Sed aduertendum, quòd principia ſunt duplici modo ſe habentia: nempe & communia, & propria; vt communia ſint ea, ex quibus fiunt demonſtrationes: ꝓpria autem concernunt genus, quale eſt numerus, aut magnitudo, circa quod ſit demonſtratio.

Scibile & ſcientiam differre ab opinabili, et ab opinione.

Conuenit etiam huic methodo demonſtratiuo & hoc ipſum determinare quomodo differunt ſcibile & ſcientia ab opinabili, & ab opinione. Inter quę hoc eſt diſcrimen, quòd ſcientia eſt vniuerſalium, quæ per ſe & eodẽ modo ſe ſemper habẽt, & procedit per neceſſaria in demonſtrando. Neceſſarium autẽ eſt eiuſmodi, quod non contingit aliter ſe habere. Sunt autem nonnulla vera quidem & entia, quæ contingũt & aliter ſe habere, de quibus manifeſtum eſt ꝙ nõ eſt ſcientia: alioquin impoſſibile eſſet aliter ſe habere, quæ ſupponuntur aliter ſe habere poſſe: ſed neq; horum eſt intellectus, qui eſt principium ſcientiæ; neque ſcientia indemõſtrabilis, ipſa immediata propoſitionis aſſumptio; Eſt autẽ verus intellectus, & vera ſcientia, & vera opinio; ſicuti & verum eſt illud quod per hæc enumeratur. Vnde relinquitur opinionem verſari circa verum vel falſum: quod tamen contingit aliter ſe habere: & hoc eſt aſſumptio immediatæ propoſitionis, & non neceſſariæ. Et id quidem & ijs, quę apparent eſt conſentaneam. Siquidem & opinio quiddam inſtabile, & non firmum ſua ex natura eſt. Sed & nemo putat opinari illud, quod exiſtimat impoſſibile aliter ſe habere; ſed illud ſe ſcire putat. Illud autem opinari cenſet, quod & ſic & aliter ſe habere poteſt; tanquã opinio de eiuſmodi incerto, & immutabili exiſtat; ſcientia autem de neceſſario. Sed iure dubitatur ex aduerſo, quomodo non eſt idẽ opinari & ſcire: & propter quid non eſt opinio ſciẽtia, ſi quis ſtatuerit, quòd omne quod ſciat illud etiam poſſit opinari: Etenim procedet ſciens pariter & opinãs per media, donec ad immediata peruenerit; adeo, vt ſi hoc modo ſcitur per immediata, etiam opinans per immediata ſciet. Quandoquidẽ ſicut opinari licet quia eſt: ita etiã licet opinari propter quid eſt: & hoc eſt mediũ ad probandum. Dicẽdum ad hoc, quòd ſi quis exiſtimabit, quæ non contingunt aliter ſe habere, vti ſunt definitiones ex quibus fiunt demonſtrationes; vtiq; aſſerendum,

quòd qui hunc in modum procedit, non opinans, sed sciens erit. si autem vera quidem esse existimabit, non autem huiusmodi, quòd secundum substantiam, & secundum formam sint talia: sic quidē opinabitur, & nō sciet vere & quia est, & propter quid est, si secundū immediata opinabitur. Aut, si nō per immediata processerit, ipsum quia tantum, non autem & propter quid opinabitur. Eiusdē aūt opinio, & scientia prorsus nō erit: sed quemadmodū opinio de eadē re & vera, & falsa esse potest, ita & opinio, & scientia de eodē esse possunt. Nam quòd de eodē sit & vera, & falsa opinio, absolute, vt dicunt nonnulli; ad hanc quidem positionem, præter alia multa absurda, hoc etiam consequitur, quòd absolute nō opinabitur, qui falso opinatur. Verum, cū idem pluribus modis dicatur, quemadmodum in lib. 5. Met. explicatum est: dicēdum quodammodo contingere, vt eiusdem dicatur opinio vera & falsa: alio vero modo non contingere. Nam dicere, quòd sit vere opinari opinando quòd diameter sit commēsurabilis costæ, id quidem est absurdum: quòd autem diameter sit idem, de quo est, & opinio vera, & opinio falsa, id quidem dici potest. Et hunc in modum concedēdum est, quòd eiusdem sit & vera & falsa opinio; nō tamē esse vtrique idē erit. Siquidem aliud est opinari de diametro ꝙ sit commensurabilis, quod est falsum, & aliud quòd sit incommensurabilis, quod est verū: similiter igitur se habent sciētia & opinio, vt possint esse eiusdem, & circa idem, non tamen eodem modo. Veluti scientia erit de homine, quòd sit animal, in quantnm secundum se est homo, vt non possit aliter se habere; opinio autem erit de homine, quòd sit animal non inquātum est homo secundum se, sed secundum quodpiam aliud, quod possit aliter se habere. Vnde etiā manifestum quòd non contingit idem simul scire, & opinari: ita. n. contingeret, vt idem simul existimationem haberet de eadem re, ꝙ etiam contingeret aliter se habere ob opinionem habitam de ipsa; & simul quod non contingeret aliter se habere ob scientiam de eadem re acceptam; quod asserere omnino est impossibile. Non autem tollitur quin in vno homine de eadem re possit esse opinio, ꝙ possit aliter se habere: & in alio homine sit scienria, ꝙ non possit eadem res aliter se habere. In eodem autem homine vtrumque simul esse non potest: ita enim contingeret, vt quis existimaret & hominem esse animal in quantum est homo (adeo vt nō possit aliter se habere) & etiam simul existimaret, quòd homo nō sit secundum se animal: sed possit etiam esse non animal. Et hæc quidem de scientia, & de opinione sint ita hoc loco determinata. De alijs autem animę intellectiuę habitibus, quomodo inuicem sint distinguendi circa discursum, intellectum, scientiam, artē, prudentiam, & sapientiam, partim quidem id munus ad naturalem, & partim multo magis ad moralem pertinet philosophiam.

li. 5. Met.

Adnotationes.

Scientia autem vniuersalis. Scientia est vniuersalis, hoc est de vniuersali subiecto, seu Theoremate: vt ostensum est in superioribus, *& per necessaria*, quia ex necessarijs astruuntur demonstrationes.

Sunt

Sunt autem nonnulla vera quidem, & entia. Quorſum additum ſit, *& entia* qñ verum & ens ſimul cõuertuntur, vt habetur in lib. 2. Met. dixit Alex. ideo additum eſſe, *& entia,* qñ & de non ente eſt veritas; vt de hircoceruo, quòd non ſit quid verum. Quæ Alex. interpretatio (vti refert Ioan. Gram.) non arridebat cuidam Philoſopho, obicijenti ꝙ ſcire, de eo quod non eſt, quod non ſit, id veritas eſt, & ſcientia. Sed Ioan. Gram. pro expoſitione Alex. ait, nonnulla eſſe contingentia, quæ cum non ſint, ſic exiſtimare qđ non ſint, ſic vera ſunt: non tñ entia, ſi non ſunt. Veluti Socratem non lauari, ſi nõ lauatur, vera erit de non ente: ſi autem lauatur, verum erit ens. Atqui poſſumus etiam dicere Ariſtot. ad dictionẽ *vera*, ideo & hãc aliã adieciſſe, *& entia,* propterea quòd multæ ſunt veritates in intellectu eorum, quæ extra mentem non exiſtunt; vt ſunt loci opinabiles, qui veri ſunt, non tñ cõtinent entia extra intellectum, & ideo vt haberet rationem eorum omnium, quæ cadunt ſub opinione, adiunxit, *& entia;* cum ſint aliqua huiuſmodi, circa quæ verſatur opinio: veluti de homine quòd ſit albus, quod eſt accidens non ſecũdum ſe, & ſemper inexiſtens hominibus: harũ enim entium eſt opinio, non autem ſcientia.

li. 2. Met. Alexan. Io. Grã.

Neque intellectus. Quid *per intellectum,* intelligat, aperit inquiens, ſe intelligere principium ſcientiæ: nempe intellectus eſt principium, quo terminos cognoſcimus, vt dictum eſt etiam ſupra in diſputatione contra negantes ſcientiam, & contra dicentes omnium eſſe ſcientiam demonſtratiuã: adeo quòd intellectus hoc loco accipitur ꝓ facultate animæ intellectiuæ. Illud vero *neque ſciẽtia indemonſtrabilis,* adiectum eſt, ad ſignificandum, quòd opinio neque eſt intellectus (vt explicatum eſt) neque eſt ſcientia indemonſtrabilis, quod explicatur ab Ariſt. quòd eſt exiſtimatio, ſeu aſſumptio Græce ὑπόληψις immediatæ propoſitionis, quæ non demõſtratur, nec eius proprie eſt ſciẽtia, vt declaratur in fine lib. ſequentis. Opinio igitur non eſt intellectus ille, qui terminos apprehendit; circa quod non exiſtit ꝓprie verũ, aut falſum: vt explicatur in fine lib. 6. & in fine lib. 9 Met. Ipſa enim opinio eſt comprehenſio, aut immediate propoſitionis eorum, quæ poſſunt aliter ſe habere: aut eſt cõcluſio ex huiuſmodi mutabilibus propoſitionibus deducta, & ideo nõ eſt ſimpliciter intellectus. Neq; etiam eſt ſcientia deducta per demonſtrationem: neque principium demonſtrationis, cum ſit exiſtimatio mutabilis, & non firma: requiritur autẽ in demonſtratione principium neceſſariũ, & non mutabile.

li. 6. & 9. Met.

Quomodo igitur non idem eſt opinari, & ſcire. Ita Græce legitur negatiue. Sunt autem qui legant affirmatiue: *Quomodo igitur idem opinari & ſcire* Verum magis quadrare videtur interrogatio negatiua: cũ dubitetur ex aduerſo, & ſolutio afferatur ad dubitationẽ.

Per quas demonſtrationes Nempe per definitiones, quas prius commemorari. & hinc apparet, demonſtrationes ſine definitionibus non poſſe conſtitui, quod & ſupra, & in lib. 7. Met. & alibi ſępius ab Ariſtotele conſtitutum eſt.

li. 7. Met.

Quoniam vero idem, quòd dictio *idem,* pluribus modis dicatur exponitur in lib. 5. Me tap. Hoc autem loco accipitur *idem,* pro eodem ſubiecto, quod differt ratione: vt hinc ſtatuatur, idem poſſe eſſe ſubiectum, de quo ſit & opinio vera, & opinio falſa: ſed ipſum eſſe, ſeu eſſentia veræ opinionis, erit aliud ab eſſe, & ab eſſentia falſæ opinionis, & ita ſecũdum rõnem inter ipſas erit diuerſitas. Vnde ſecundum hãc explicationem dici ẽt poteſt, quòd opinio & ſcientia ſint idẽ, quo ad ſubiectum circa quod verſentur.

li. 5. Met.

Reliqua vero Iure, in hac Methodo ſcientiæ demonſtratiuæ, allata eſt differentia inter ſcientiam, & ſcibile, & inter opinionẽ, & opinabile. Siquidem videntur eodem modo procedere ſciẽtia, & opinio in diſcurſu, & per immediata, & probare tum quia eſt, tum propter quid Non ita autem erat difficultas inter alios habitus intellectiuus, de quibus partim, ait pertinere ad naturalem explicare: vtputa qđ ſit intellectus, quid ſit diſcurſus, & quomodo fiat intelligere, quę ſit hæc potentia animæ, & quomodo, & ad ſpeculandum, & ad agendum idem intellectus deſeruiat: Et partim a multo magis, ait ad moralem Philoſophiam hoc munus pertinere, qui de virtutibus humanis tractat ex propoſito. Et ideo agit de omnibus habitibus intellectiuis, quibus continentur virtutes aïæ intellectiuæ: vt ſunt, intellectus, diſcurſus, ſcientia, & ars, & prudentia, & ſapientia: de qua deinde exactiſſime tractat Ariſtot. in proęmio Met. vbi etiam remittitur exacta tractatio habituum intellectiuorum ad Philoſophiam moralem. Obſeruandum autem apud Ioan. Gram. dictionẽ hanc *naturalis,* Græce φυσικὴ accipi nõ Philoſophiã; ſed ſpeculantẽ de rebus, vt entia ſunt; ſiue ſint naturalia, ſiue ſuper hæc: cum tamen ſpeculatio primæ Philoſophiæ non poſſit dici proprie naturalis: vt explicatur ab Ariſt. in lib. 6. Met.

li. 1. Met

li. 6. Met.

De Solertia.

ET ſolertia quoque quid nam ſit explicandum eſt tanquam pertinens ad hãc methodum demõſtratiuã Vnde ita deſcribitur, Solertia eſt quędam bona coniectatio medij in non ſpecto tempore, ideſt aſſecutio medij inter aliquod problema ſine temporis interuallo: ideſt, vbiq; meditatione interpoſita circa rem comprehenſam. Veluti conſpiciens aliquis Lunam a Sole ſplendorẽ accipere, cur id Lunę contingat, ſtatim aſſequitur, reputans id ex

eo prouenire, quoniam Lunã Sol illuminat. Similiter vidẽs aliquis pauperem alloquentem cum diuite, haberi inter ipsos sermonẽ, hinc coniectat quòd pauperi diues fæneretur; & quam ob rem aliqui facti inter se amici, cõijcit quispiã, quoniam cuiusdam alterius sint inimici, quippe de his omnibus medias causas inspiciẽs homo extrema simul cognoscet; vt puta cognoscens quòd Sol illuminat Lunam, iam etiam cognoscit, cur Luna existẽs propinqua Soli splendorem ab eo accipiat: & ita medio inspecto; simul cognoscit extrema cur Luna splendorem accipiat Soli facta propinqua.

Adnotationes.

S*olertia vero* Et hoc conueniens fuit explicare in hoc libro, q̃d sit solertia, Grçce ἀγχίνοια: cum & hæc versetur circa medij coniectationem, & medium pro demonstratione astruenda requiratur; licet, nõ solum circa media ad scientiã abstinentia versetur solertia, verum etiam circa media rerum contingentium. Non autem docet de ipsa intelligentia, Græce σύνεσις dicta, de qua in lib. 6. Moralium agitur, quĩ longius aberat ab hac præsenti consideratione. De genere autem solertiæ, quæ dicitur Gręce εὐστοχία actum est in lib. 6. Moralium, & definitur, quòd sit quædam cõiectatio, quæ in genere respicit inspectionem medij cuiusq; rei, quæ inquirenda proponatur: non autem in moralibus agitur de solertia, cum hoc loco fuerit explicata.

li. 6. Eth. c. 11

Omnes enim causas medias. Explicat, quomodo, circa exempla assignata in contextu, aliquis videns causas medias cognoscat etiam extrema, nempe terminum maiorem, & minorem, qui inuicem coniunguntur: vt, cur Luna propinqua Soli recipiat splendorem: & causa est, vt termini hi inuicem coniungantur, & cognoscantur: quoniam Sol illuminat Lunam. Vnde non apte interpretari videntur aliqui ita exponentes, q̃ cognoscens solis causas omnes medias, cognoscat & vltimas, in quas fit vltima resolutio, per quas cognoscitur propter quid. Non enim hunc sensum præseferre videntur verba Aristot.

Adnotandum autem librum hunc coronide hac esse conclusum, qua virtus intellectiua, solertia nuncupata explicaretur tãquam ad complementum syllogismi demõstratiui huiusmodi consideratio requireretur: hincque ad aliam contemplationem in libro sequẽti esset Aristoteles transiturus, instrumentum definitiuum præcipue explicaturus, vna cum alijs ad doctrinam vniuersalis scientiæ demonstratiuæ spectantibus.

Finis lib. I. Poster. Analyt.

DE SVBIECTO
Lib. II. Poster. Analyt.

DE quo potissimum agatur in hoc libro 2: Post. Analyt. statuere admodum est difficile, ob varias, diuersasq. grauissimorum hominum sententias. Nam aliqui (inter quos principem locum obtinent Alex. & Auerr.) dixerunt scopũ hic esse Arist. trader e de definitione, vtpote ea, de qua plurimus est sermo. Quod & ea ratione comprobare videntur, quoniam, cũ sit propositum Arist. in his libris docere modum sciendi, & duplex ipse sit; vnus qui habetur per demonstrationem, & alius qui per definitioné: ideo, cum in libro superiori actum sit de demonstratione, par erat, vt in hoc alio libro de definitione tractaretur. Alioquin nota grauissima Arist. imponeretur, qui profitens tradere modum omnem sciendi, præcipuum nempe definitiuum omisisset. Alij vero, ex quorum numero est Ioan. Gramaticus, qui & plurimos habet suæ sen tentię sectatores, censuit in hoc libro agi de medio demonstrationis: quod colligit prę cipue ex eo, ꝙ omnia quæsita, de quibus est sermo in initio huius libri, ad medij indagationem referuntur: ipsum si est, quid est, quia est, & propter quid: conueniens autem erat (subiungit idem auctor) vt de medio demonstrationis, in quo prę cipue viget virtus demonstrandi, specialis consideratio haberetur. Et cum medium demonstrationis sit definitio, ideo in gratiam medij demonstratiui ait tractari de definitione: non autem per se, & ex prę cipuo proposito. Addit ad hęc, ꝙ munus agendi de definitione incumbit proprie ipsum Metaphysico, seu dicamus primo philosopho, qui totum ens, vt est contemplatur, ac consequenter ipsum quid est, quod concernit definitionem.

Alex.
Auer.

Io. Gr.

Verum (pace tantorũ virorum dixerim) neq; priores, neq. posteriores vniuersum huius libri scopum, seu tractatum, adamussim assecuti mihi videntur. Siquidem inter alia, quæ in hoc libro tractantur, adsunt hę speculationes; Videlicet, quonam pacto problemata inuestigari debeant; Quæ sint vnius generis vniuoci problemata; & quæ generis analogici: Quomodo inuicem sese habeant causa, & causatũ: Num ad inuicem sint semper conuertibilia: ac deuiq. qua ratione principia scientiarum nobis innotescant: quæ quidem singulæ speculationes, si recta trutina perpendantur, neq. ad medij demonstratiui, neque ad definitionis tractatum proprie attinere videbuntur: sed omnia quidem includi in scientiæ demonstratiuæ perscrutatione: cuius

& si plurimæ sint partes, & inter has existat modus definiendi, attamē omnium pręcipua est illa speculatio, in qua demonstrationis ordo, & natura explicatur, & regulæ penes ipsum assignantur. Vnde factum est, vt cuncta scientia demonstratiua, de qua in his libris in genere agitur multisque ac varijs tractatibus continetur, a demonstratione sit denominata, ob eas etiam causas, quę infra recensentur.

In primis autem patefaciendum est, huic nostræ sententiæ Aristotelis verba cōsentire, dū ita habet in proęmio libr. 1. Prior. Analyt. ***Primum dicere circa quid, & cuius intentio est, quoniam circa demonstrationem, & demonstratiua scientia***: quod etiam propalauit prope finem huius libri. 2. dum inquit. ***De Sillogismo igitur ac demonstratione quid vtrunq; est, & quomodo fit manifestum: simul vero & de scientia demonstratiua.*** Et in superiori quidem libro (citra omne dubium) habitus est sermo de demonstratione, qualis syllogismus ipsa sit, & ex quibus & qualibus propositionibus constituatur, & quomodo distinguatur ab alijs syllogismis vna cum omnibus proprietatibus aduersis ad demonstrationem. Reliquū iam erat, vt in hoc libro 2 reliqua absoluerentur, quæ ad vniuersam scientiam demonstratiuam pertinent. Inter hęc vero in primis ponitur in disceptatione, num ipsum quodquid est, possit demonstrari, & si sit idē sciendi modus per definitionem qui & per demonstrationem habetur: quod in initio libri superioris innuerat Arist. se postea consideraturum: dum dixit: ***si igitur & alter est sciendi modus posterius dicemus***; insinuans ipsum definitiuum; pro vt in eius loci explicatione ostensum est. Et hæc quidem contemplatio, maxime conueniens erat vt absolueretur in hoc opere, cum sciendi modus in ipso tradatur; & scientiæ non solum modum sciendi demōstratiuum adhibeant, verum etiam definitiuum.

li. 1. Post. Analyt. cap. 1.

Ad hæc, cum in libro præcedenti id tantummodo transactum sit. ex quibusnam, & qualibus constet demonstratio, opere autem prætium sit, ei, qui scientiam aliquam sit perfecturus, vt modum præmanibus habeat, quo venari possit ea, ex quibus scientia constituitur: idcirco maxime consectaneum, atq. necessarium fuit, vt in hoc eodē opere methodus etiam traderetur venandi ea ex quibus scientiæ cōflatur: quod absoluitur in hoc 2. Libro. munusq; adeo præstans est, vt ex eius methodi traditione, tanquam præcipua in hac facultate, vniuersum hoc opus Analyticorum, seu resolutoriorum librorum sit inscriptum, a via resolutiua, qua pręclara hęc methodus perficitur. Siquidem hinc edocebimur, quonam pacto rerum omnium definitionem possimus venari, & omnium problematum causas inuestigare. Insuper & quot genera sint causarum explicabit Aristoteles, quorum omnium docebit per medium haberi posse demonstrationem, adeo vt pro medio singulę accipiantur causæ. Præterea patefaciet, quale medium de verbis existētibus, & quale de præteritis, & futuris sit assignandum, & quale de his quę semper sunt, aut sæpe fiunt. Et num maioris, aut minoris termini sit accipiēda definitio in demonstratio-

ne; vna cum alijs theorematibus, quæ explicari in hoc libro antea significauimus, cunctaq. dirigi diximus in eum scopum, vt scientiæ demonstratiuæ hinc generalis norma haberetur.

Quoniam autem Arist. in initio libri transferat omnia quęsita ad medij indagationem, non propterea statuendum (ut colligit Ioannes Grammaticus) quòd de medio demonstrationis omnimoda, solaque tractatio hic habeatur. siquidem posthæc patefit etiam, eandem scientiam, eiusdemq. causę assignationem pariter haberi posse per ipsum qđ quid est, seu per definitionẽ; prout habetur per ipsum propter quid, seu per demonstrationem. Quare, cum idem medium, & eadem cognitio ordine mutato haberi possit tam demonstratione quàm definitione vt patebit ex sequentibus; ideo non est maior ratio, vt dicendum sit agi in hoc libro potius de medio demonstrationis, quã de medio definitionis; cum præsertim (existente definitione instrumento quodam ad scientiam acquirendam deseruiẽte prout & ad hoc munus dirigitur demonstratio) maxime conueniens esset, vt in organo vterque modus sciendi traderetur.

Ad illud vero, quod ex aduerso adductum est, quòd in hoc libro non agatur per se de definitione, sed per accidens, quatenus concernit medium demonstrationis, eo quòd proprium munus tractandi de definitione pertineat ad primũ Philosophum, huic obiectioni respondentes, illud in primis animaduertimus, post lõgam disputationem habitam in hoc libro ab Arist. circa definitionem, tandem patefieri, quòd in illis definitionibus, in quibus altera definitio per alteram, veluti per formalem causa materialis ostenditur, idem est scire per definitionem, & per demonstrationem, adeo vt sola positione terminorum hi modi sciendi inuicem distinguantur. Nec dubiũ est, modum definitiuum distinctum positione quadã terminorum a demonstratiuo, in scientijs adhiberi: prout, inter alia loca, præcipue colligitur ex lib.2. de anima, in quo assignatur primo animæ definitio, quæ conclusio demonstrationis appellatur: Postea vero subiungitur altera definitio causam continens prioris de anima assignatæ definitionis. Accidit, quod cum existet, & definitio, quæ conclusionis, & non medij locum in demonstratione obtinet, doceaturque in hoc libro quomodo & huiusmodi definitio sit comparanda, hinc clare colligitur, nnn ita propriam & absolutam hic de medio demonstrationis esse considerationem, quin & ad definitionem stantem pro conclusione pręsens contemplatio possit reuocari. Denique regulæ, quę hic generales traduntur pro uenanda definitione, alibi non sunt explicatæ, & deseruiunt omnibus scientijs. Vnde concludendum est, eiusmodi speculationem proprie ad definitionem, vt est definitio, pertinere.

lib. 2. de Ani. c. 2.

Quòd verò obijcitur de Metaphysico, quòd eius proprium munus sit considerare de ipso quod quid est, seu de definitione: id quidem concedendum est cum hac tamen distinctione: vt dicamus, quòd solus Metaphysicus, vt solus considerat ens in quantum ens, prout declaratur lib.4 Metaph. ita quoq; solus contemplatur de ipso quod q d est,

li. 4 Met. c. 1.

est, vt nulla inferiarum scientiarum hoc sibi munus assumat: sicuti & de hoc docetur in libro. 6. eiusdem primę philosophiæ. Verum dicimus quod Metaphysicus alta indagine contéplatur ipsum quodquid est, dum speculatur, quā nam ratione ẽ entis obtineat singula quæq; pars sub definitione contenta, tum materialis, sub typo generis consistens, tum formalis ad rei differentiam pertinens; a qua potissimum cuiusq. rei dependat esse, & definitio; hanc quidem contemplationé in genere absoluens Metaphysicus circa cunctum genus entis: Qui etiam cosiderat, quare, & quomodo ipsius substantiæ primo & proprie sit definitio; non autem accidentium ita proprie, & principaliter: licet & horum aliqualis existat ratio definitionis. Ad hæc speculatur Metaphysicus quomodo coeant in vnam essentiá partes plures existentes in definitione; quę consideratio non est habita in lib. Periher neque in his libris Analyt. licet vtrobiq. fuerit insinuata; prætermissa sed iure tāquam non explicāda in Organo huius logicæ facultatis, eo quod ad haac quæstionem dissoluendam multa, ac maxime difficilia theoremata in medium essent renocanda, quæ tractantur in Prima philosophia, & non in Organo, vt pote longe methodū logicam excedentia. Quemadmodum in libro. 7. Met. vbi de hoc est sermo, latius a nobis explicatum est. Vnde, & si concedendum sit, non eadem ratione tractari in his lib. Analyt. de ipso quod quid est, qua tractatur in Metaphisica, attamen dicimus, non propterea tolli; quin & hic agatur de definitione per se, ut est definitio; sub hac tamé lege, atque perscriptione, quatenus ad modum sciédi pertinet: quòd decens erat pręstare in Organo, cum modi sciendi ad vsum scientiarum in ipso essent explicandi.

Li. 6. Met. c. 1. — Li. 7. Met. c. 13.

Quare concludimus, agi in hoc libro per se de definitione dum traditur, quotuplex est definitio, quid sit in genere, quomodo ad varias causas pertineat, & qua certa methodo illam venati debeamus: quæ quidem consideratio (non alibi habita) propria est horum librorum Analyticorum: & deseruit tāquam quoddam instrumentum omnibus scientijs inferioribns, quarum qui periti sunt extra doctrinam, & regulas hic traditas, venātur, & construunt proprias definitiones, sensu, & experientia, vel alio modo illas desumentes, atq; supponentes: non autem quasi ex proprio munere ipsum quid est absolute tractantes, & considerantes, vt facit primus philosophus, prout docet Arist. in lib. 6. Met. loco ante citato.

Li. 6. Met. c. 1.

Dubit. — Verum, cum constituerimus, agi in hoc libro de definitione per se, & in libro superiori de demonstratione itidem per se; hic magna oritur dubitatio, quo nam pacto horum duorum diuersorum subiectorū speculationes in vnum communem coeant tractatum vti suppositum est. Solut. — Cui difficultati occurrentes dicimus, vtrumq; perscrutationem sub vna communi ratione hoc pacto conuenire, quatenus in vtraq; modus sciendi, licet diuersus quodammodo sit, in eundem tamen finem terminatur; vt cum idem sit scire per integram definitionem. Quod etiam scitur per demonstrationem, sola permutata terminorū positione; quoniam exempli gratia in demonstratiuo sciendi modo

à de-

à definitione formali ad materialem proceditur: econtra vero in definitiuo, à materiali definitione ad formalem fit progressus.

Addamus, quod prędicta vtraq; tractatio reuocatur ad communem scientiæ demonstratiuę nuncupationem; cum in his libris tractetur in genere forma pertinens ad scientiam demonstratiuam, in qua non solum demonstratio & definitio, quæ sit & qualis esse debeat vtraq: perpenditur, regulęque de ipsis assignantur; verum etiam plurima alia theoremata explicantur; quemadmodum, inter alia, in calce huius libri docetur, quomodo principia indemonstrabilia scientiarum à nostro intellectu conciliantur. Et, in libro quoque superiori plurimæ habitę sunt speculationes: veluti, quod quæ sunt a fortuna, non cadunt sub demonstratione, neq. sub scientia: quòd sensus nó est scientia: quomodo opinabile, & opinio differant à scibili, & scientia, & quę sit prior, & quæ certior scientia; & huiusmodi alia plurima discutiuntur, quæ ad ordinem, & notitiam scientiæ demonstratiuæ optima ratione reuocantur, vt ita omnia in his libris tradita in vnum communem coeant tractatum scientiæ demonstratiuæ: de qua agere præcipuum esse scopum antea constituimus.

Cur autem vniuersus hic tractatus nomine scientiæ demonstratiuæ, & non definitiuę sit nuncupatus, cum tamen, tam definitioni, quàm demonstrationi, Modus sciendi competat: Id iure merito factum esse dicimus ob hanc potissimum rationem; propterea quòd modus sciendi per demonstrationem in his libris exactissime absoluitur, quo scientię omnes a prima Philosophia inferiores, vtuntur: quarum quidem munus absolutissimum est demonstrare, quę per se insunt subiectis. Supponuntur autem in ipsis definitiones, quas prodũt, vt non aggrediantur scientiæ inferiores agere absolute definitione; quod soli conuenit Metaphysico. Explicatio autem, seu demonstratio passionum in scientijs inferioribus soluta habetur; quod vi fil logistica perficitur. Accedunt ad hęc demonstrationes ducentes ad impossibile, quæ in scientijs adhibentur, aliud quid complectentes a modo sciendi definitiuo; Vnde iure merito in his libris dicitur agi de scientia demonstratiua, non autem de definitiua; licet & hęc ipsa sub vno communi tractatu comprehendatur eo modo, vti dictum est.

Quæsita numero æqualia esse scitis.

CVm sciendi modus generalis in his libris tradatur, ratio docẽdi postulat, vt omnia quę quoquo modo scire cõtingit, manifestentur. Vnde inprimis explicandum est, quot in genere sint scita, & quem acquiramus in modum omniũ scitorum scientiam. Ad hæc autem manifestáda, operæpretium est, ab ipsis quæsitis exordium sumere.

Hęc igitur ęqualia sunt numero, ijs, quæ sciuntur, adeo ut & quæsita (in genere sumpta) conueniant cum scitis, & hęc pariter

cum

cum quęsitis. Atqui quæsita ad hęc quattuor capita reducuntur; nempe ad ipsum quia est, propter quid est, si est, & quid est. Vt autē a quęsitis complectentibus tum quia est, tū propter quid, tanquā a notioribus (quorum etiam frequens extitit mentio in libro superiori) sumatur exordium; sciē dum, quòd cum quęrimus, vtrum hoc vel illud insit alicui, hunc in modum ponētes in numero quęstionem, quęrimus quia est; id est, num ita se res habeat; exempli gratia, num Luna Eclipsim patiatur. Et quidem quod hunc in mo dū quęratur ipsum quia est, indicium id esse debet, quòd cum inuenerimus quòd in Luna deficit lumē, tūc desistimus ab hac quęstione; quam etiam non inquireremus, si ab initio constitum nobis esset, ꝙ Luna patitur eclipsim. Quando autem nobis constitum sit, quòd in Luna deficit lumen; tum deinde inquirimus propter quid deficiat: Sicuti scientes, ꝙ terra mouetur, mox quęrimus ꝓpter quid moueatur; quod quidē est querere, quæ nam sit causa, vnde huiusmodi proueniat terræmotus. Et hæc quidem ita se habent penes quæsita, quæ (vt dictū est) in numero ponūt illud, quod quęritur. Sunt verò nōnulla, quæ alio modo a nobis quæruntur: vt puta, cum quærimus num est cētaurus, num est Deus: qua inquisitione, dum quęritur, si aliquid sit, aut nō sit, dicimus hunc in mo dum simpliciter, & absolute sine aliqua adiectione quæri, si aliqd est; non autem si sit quid aliud, quod ei insit: Quemadmodum, si quæratur num Socrates est albus, id non est simpliciter quærere, si Socrates est, sed secundum quid, & cum hac adiectione, nempe quatenus albedine affectus sit Socrates. Rursus verò scientes de aliquo simpliciter quòd est, mox quęrimus, quid ipsum est; vt quid est igitur Deus? quid est homo? ex his concluditur, qđ quæ quæruntur, & quæ inuenta sciuntur, sunt huiusmodi; & tot in genere, vti explicatum est.

Adnotationes.

Q*Va quæruntur sunt.* Maximè conueniēs erat, vt in his libris, in quibus de modo sciendi Methodus traditur vniuersalis, explicaretur quot sint in genere quæ sciantur, quiue typi sint omnium scitorum; vt cōsequenter aperiretur, quomodo, & qua via ad variam hanc scitorum scientiam deueniretur. Vnde in primis constituit Aristot. ꝙ æquaua sunt scita ipsis quæsitis: non ita quidem intelligendo ꝙ omnia, quæ sciūtur, etiam quærātur, qñ & aliqua sciuntur a nobis non prius quæsita: vt, inter alia, sunt dignitates. Sed ita intelligendum est, ꝙ quicquid scitur, & quidquid quæritur, in eosdē modos, seu typos reuocātur, nempe in hos; vt, aut quæratur quia est aliquid; aut ꝓpter quid est; aut si est; aut quid est: sicuti etiam, quod scitur, aut scitur quia est aliquid, aut ꝓꝑ quid est; aut si est; aut quid est: adeo ꝙ nullum scitum & nullum quæsitū extra hos quattuor prædictos typos cadit. Et hæc qdem suppositio, vti manifesta, patet ex inductione absq; aliqua probatione; adeò ꝙ non probatur, ꝙ scita sint tot, qm̄ & quęsita sint tot; aut è conuerso, ꝙ quæsita sint tot, quia & scita sint tot; Sed (vt aduertit etiam Eustrat.) de vtrisq. mutua est manifestatio; vt quæsita ꝑ scita innotescant, & e cōuerso scita per quæsita. Priori aūt loco ponūtur quæsita: qm̄ quæ sciuntur, prius non sciuntur; & cum non sciantur, vt prius quærantur necesse est.

Eustr.

Quærimus autem quattuor Quæsita in genere hæc enumerantur; nempe, quia est, ꝓꝑ quid est, si est, & quid est. Verum de horum numero occurrit dubitare qm̄ in lib. 1. Top. plura alia Problemata supponuntur; nēpe de genere, de proprio, de accidenti, & de definitione. Sed soluitur dubitatio hac responsione; qm̄ hæc omnia reducuntur ad q̄situm quia est, vt refert etiā Themistius dicens, ꝙ a Dialectico disputatur de definitione; licet nō propriè inquirat quid sit aliquid, vt fit in scientijs, neq; propter qd; sed logicè omnia pertractat. Quòd autem sint quattuor genera sciendi, & quærendi, patere debet ex inductione, percurrendo sic q̄sita, tum scita licet Simp hunc in modum etiam id manifestare sit aggressus, qm̄. s. oīs quæstio est aut essentiæ, aut causæ; si essentiæ, aut simplicis est, & sic quæstio de si est,

Dubit.

li. 1. Top. cap. 7.

Solut.

Them.

Simpl.

aut

aut compositæ, vnde emanat quæstio quia est: si autẽ de causa sit quęstio, aut erit simplicis, & hinc quæstio quid est locum habet; aut est compositæ, vnde exurgit quæstio ꝓpter quid, qua in re adnotandum, accipi a Simplicio essentiam pro existentia; cum tñ. essentia, etiam pro causa accipi possit: pertinet enim ad rei definitionem, vt ex Metaphysica perspicuum est.

Quando vtrum hoc. Exorditur Aristot. a quæstionibus compositis, tanquã magis notis. Addamus, qm̃, & de his frequens mentio extitit in libro superiori; vel etiam, qm̃ circa hęc composita quęsita, nempe circa qa est, & ꝑꝑ quid propriè versatur scientia demonstratiua: Paucæ aũt sunt res quæ q̃rantur simpliciter si sint. Ait autem Arist. poni quæstionem in numero, cum quęritur (exempli gratia) num Luna Eclipsim patiatur; idq. ꝓpterea ꝙ in hac ꝓpositione duo ponuntur in quæstione; tum illud, qđ quęritur num insit, tum illud de quo quęritur, an illi quidpiam insit. In simplici autem quęstione non ponitur in numero propositio: vt dum quęritur, num est centaurus: solum.n. quęritur num sit illud, quod hoc nomine centauri nuncupatur; & non si aliquid in ipso sit. Et iure dr̃ in quęstione cõposita poni in numero orationem, non aũt in simplici quęstione; qm̃ in simplici idem est homo, & ens homo, vt docetur in lib 4. Metap. Cum autem dicatur ab Arist. quęsitum qa est tunc terminari, cum inuẽtum fuerit qa est, quod quęritur: hinc innuitur, posse sciri quia est aliquid, absq. ꝙ sciatur ꝑꝑ quid sit. Vnde aduertendum, posse sciri aliquid, quia est a signo, & a posteriori, & postmodũ idẽ scire posse per se, & magis simpliciter, cũ sciatur ꝑꝑ quid sit, vt explicatum est in lib. pręcedenti, pręsertim in quæstione habita de speciebus demonstrationis.

li. 4. Met. t. 2.

Dubit. Cum autem ens sit subiectum in Metap. hinc videretur, nõ posse de ipso quęri, si est cum subiectũ supponatur.

Solut. Dicendum de ente, vt nomen est commune, non quęri si est, sed supponi; in particulari autem, si quid tale est ens, potest inquiri; prout Metaphysicus de prima substantia inquirit an sit.

Si autem est, aut non simpliciter dico. Hęc habet Arist. ꝙ in quęstione si est, quęritur simpliciter, & absolute solũ si est aliquid; adeo ꝙ in huiusmodi quęstione non ponitur ꝓblema in numero, seu in parte, tanquam illud, de quo quęratur, num sit quidpiã aliud. quod quidem est ponere in numero.

Dubit. Sed dicere aliquis, quomodo potest quæri, si est aliquid absolute, nisi supponatur aliquid, de quo quęratur, subiectumq. supponi soleat in omni scientia?

Sol. Dicendum supponi nomen, & confusam quandam cognitionem, quam secum affert nomen: distinctè autem quęri, si est, dum quęritur ob quam causam sit. Neque vero dubitandum est, quin aliquid in mente concipi possit in genere; sicuti etiam necesse est; vt per nomen aliqd intelligatur, saltem iuxta generica significata prędicamentorum. Quęritur aũt, nũ extra mentem ita inueniatur, adeo vt etiam manifestetur in re ita esse experientia, & alia probatione. Hic autem non est sermo de subiecto scientię alicuius, quod supponeretur: sed in genere tm̃ id manifestatur, ꝙ oportet certo quodam ordine, iam explicato procedere in quæstionibus, ad hoc vt ad scientiam quęsitorũ deueniatur.

Dubit. Sed restat dubitatio multo maioris ponderis, nũ quęstio si est pertineat ad rei essentia, necne. Nam si dicatur, quòd ad rei essentiam pertineat, ita fiet vt quæstio si est coincidat cum quęstione quid est: nec non, cum res sit idẽ cum sua essentia, hinc sequeretur, quòd inter prędicatum, & subiectum nullum esset mediũ.

Auerr. Sed & Auer. quęstionẽ si est, de gñe accidẽtis q̃stionẽ esse dixit.

Solut. Huic igitur dubit. occurrẽtes dicimus, rem ipsam ab essentia sua vtiq. non distingui, tanquam sit qđ aliud essentia ab ipsa re. Sed aduertendum, rem ipsam prius confusè concipi, postea verò distinctè, si eius essentia explicetur: cuius explicatio cõtinetur sub medio quodã, quo res prius confuse cognita, distinctius deinde dignoscitur. Cum aũt quęritur si res est, ita quęritur, num sit aliquid, vt hinc pateat quòd talis res sit: nempe, num talis essentia existat, vel existere possit. Nã si neq. existeret, neq; posset existere, vtiq. neque res ista esset inter entia reponenda. Quemadmodum constito quòd eius essentia sit actu, vel possit existere, idẽ etiam de re prius confuse accepta asserendum esset. Verum, & illud est aduertendum, quòd res sit actu, vel actu possit esse: idipsum nẽpe existere, ad essentiam relatum, quoddam accidens esse; vtpote, qm̃ in essentię explicatione non cadit, neq. ad eius internam formam, largiẽtem esse attinet: non.n. in hominis definitione ponitur, quod ipse sit. Neque tñ dicẽdum, ꝙ eiusmodi existentia absolute sit accidens: quoniam, si sit substãtia distincta ab accidentibus, de qua quęratur si est, & ipsa existat, erit quidem essentia accidentaliter existens cum non pertineat existentia ad definitionem essentiæ. Erit autem existentia substantialis, vt quæ pertineat ad substãtiam; sicuti erit propriè accidentalis existẽtia illa, quæ pertineat ad accidẽs, quatenus est prędicamentum distinctum a substãtia. Si autem referatur existentia ad rem singularem, vtputa ad Socratem, absolute erit accidens ipsa existentia, quatenus in tali subiecto singulari referitur: sicuti etiam dicẽdum est de essentia relata ad ens singulare: non.n. essentia rei consideranda est, vt in tali subiecto singulari reperitur, cum de singularibus, (vt singularia sunt) non sit scientia. In abstractis autem a materia, vt est Deus gloriosus, idem absolute est essentia, quod existentia. Sed de his egimus exactius in libris Met. pręsertim in lib. 4. & 7.

In omnibus quæstionibus quæri medium, seu causam, quæ in quid, aut propter quid terminatur.

CVm autẽ quærimus, aut quia aliquid est hoc vel hoc, aut

si

si simpliciter est, vtiq; quærimus, si est medium, vnde manifestetur aut aliquid simpliciter esse, vt puta terram esse; aut ei inesse quid aliud, veluti terram esse rotundã. Et cum constiterit nobis terram simpliciter esse, aut esse rotundã, exinde quęrentes propter quid terra sit rotunda, aut quid sit terra, nil aliud in ijs quęrimus, quàm quidnam sit medium quod inuentum est.

Ipsum autẽ, quia est, & ipsum si est, ita inuicem distinguuntur, vt cum quæritur quia est, tunc in parte quæri dicitur: veluti, num Luna deficiat; vel augeatur: huiusmodi enim quæstio non complectitur esse Lunę absolute, sed aliquid, quod est circa Lunam. Simpliciter autem tunc quæri intelligitur, si quęratur, num sit Luna, num sit nox, vt absolute de Luna quæratur si est, & non secundum partẽ si sit hoc aliquid: veluti quod Luna deficiat, aut augeatur. Hinc dicendum est, quòd in omnibus quæstionibus quęritur, vel si est mediũ, vel quid est medium. Quod patet inductione circa omnia quæsita; & ex hoc ẽt, quòd in omnibus quæstionibus quæritur causa, quæ proculdubio medium est ad horum quæsitorũ cognitionem hauriendam. Nam, dum quęritur num Luna deficiat, proculdubio quęritur, num huius effectus est aliqua causa. Et sciẽtes, quòd est aliqua causa, deinde quærimus quid sit hęc ipsa causa. Si quidem quod est causa, vel ꝙ quidpiam sit non hoc, vel illud, sed simpliciter substantia quædã; vel quòd sit aliquid non simpliciter, sed eorum aliquod, quod, vel secundum se vel secundum accidens inest alteri, istud ipsum medium est. Ex quo deducendum, vel quòd simpliciter quidpiã est, vel ꝙ non simpliciter est, sed secundum quid, quod ad esse simpliciter adiectum est. Intelligitur autem simpliciter esse ipsum subiectum, vti Luna, Terra, Sol, triãgulum. Aliquid vero esse intelligitur id, quod inexistit subiecto, vt eclipsis Soli, aut Lunæ inexistens; aut æqualitas, vel inæqualitas triangulo; & esse in medio ipsi terræ inexistens.

In his igitur omnibus patet, idẽ esse quid est & propter quid est. Veluti, si quæratur quid est Eclipsis, dicitur ꝙ est priuatio luminis in Luna ob interpositionẽ Terræ inter ipsam & Solem. Si vero quęratur propter quid est Eclipsis in Luna, dicetur pariter, quoniam in ipsa deficit lumen ob interpositionẽ terrę inter ipsam, & Solem. Item quid est consonantia? Proportio numerari in acuto, & graui? Propter quid consonat acutum cum graui? propter proportionem numerorum, quã habet acutum cum graui. Similiter, dum quæritur, num est consonare acutũ cũ graui, istud est quærere, num in numeris sit proportio grauis, & acuti. Et accipientes ꝙ in ipsis est proportio, mox quærimus, quęnam est igitur ista ꝓportio. Quòd autem (uti soppositum est) in his omnibus sit quæstio medij palam nobis ostendũt ea, quorum mediũ sensui est manifestum. Si quidem quęrimus quæ sensu non percipimus: veluti de Luna, num deficiat nec ne. Quòd si supra Lunam essemus, intuentes eius defectum vtiq. nõ quæreremus, neq; si fiat Eclipsis in Luna, neq. propter quid fiat: Sed simul vtrũq. nobis esset ma-

ni-

nifestum. Ex eo enim ꝙ sentiremus, oculisq; intueremur in Luna lumē deficiens, hinc nobis ad scientiam de Lunę Eclipsi vniuersalem habendam via propalaretur. Item in sensus facit nos cognoscere, quare nunc in tali instāti Luna patitur defectū luminis. Ex qua deinde perceptione occasio nobis subministratur ad cognitionē vniuersalem de hoc effectu depromendam. Itaq. (vt supositum est) idem est scire quid est, & propter quid, tū penes ipsum simpliciter esse rerum, tum penes ea, quæ inexistere alijs supponantur; sicuti in esse triangulo tres angulos ęquales duobus rectis, & alia huiusmodi; vt omnino sit cōcludendum, omnia quęsita in ipsum medij quęstionem terminari.

Adnotationes.

AN est medium ipsius Ait, cum quæritur, aut quia est Eclipsis, aut si est Luna, q̄ri semper, num est medium horum. Quod nō ita intelligendum est, ꝙ, dum quæritur medium si vllum est, ꝙ iam demonstretur: sed requiritur cognitio medij, ex quo postea astrui potest demonstratio,

Dico autem quod aut si est in parte, & simpliciter. Distinguit Aristot. quæstionem, in qua quæritur quia est, ab ea, in qua quæritur si est; vt hæc simpliciter dicatur quæstio, illa vero in parte: veluti, si quæritur, an sit Luna, ita quæritur simpliciter de esse Lunæ. Si autem quæritur si est Eclipsis Lunæ, sic q̄ritur in parte de esse Lunæ, quatenus quæritur si in ipsa sit Eclipsis, & non simpliciter si est Luna.

Aut si est medium, aut quid est medium. Reducit omnes quęstiones ad quęstionē medij, aut quærendo si est medium, dū quærit, vel si simpliciter, vel si in parte est aliquid; aut quærendo quid est medium, dum quæritur, vel quid est, vel ꝑꝑ quid est aliquid; & hæc habet Aristot. vt hinc deducat considerationem generalem habendam esse de ipso quod quid est, de definitione.

An ne est aliqua causa. Quòd quæratur in omnibus quæstionibus medium, præter q̄ quod id possit patere inductione, si singulæ quæstiones percurrantur, probat etiam ex hoc Aristot. qm̄ in omni quæstione quæritur causa, & causa est medium ad cognoscendum illud, quod quæritur; Siquidem scire tunc opinamur, cum causam cognoscimus eius, de quo quærimus. Aduertendum autem contingere, vt nobis cognitum sit aliq̄d esse, & tū ignoremus quid sit: aut ꝙ cognoscamus q̄a est aliquid, & ignoremus ꝑpter quid sit. Non autem e cōuerso possumus scire q̄d est aliquid simpliciter, aut in parte quia est, & ignorare ꝙ est, aut quia est. Themistius autem hoc loco habet, ꝙ quærētes nos propter quid est aliquid, supponimus ipsum quia est. Demonstrantes autem quia est, etiam in ipsum propter q̄d simul ducimur; qm̄ in ipso scire tum esse rem ostenditur, tum causa rei. In alijs autem duabus q̄stionibus, inquit, si quærimus quid est, bene præsupponimus si est; at inuenientes si est, non simul etiam apparet ipsum quid; sed sępe multa accidentia in medium cadunt, per quæ rei definitio non innotescit. Hoc dictū Them. quo ad hanc postremam] partē desumptum est ex Aristot. infra cap. 9. vbi habet, ꝙ inquātum habemus aliquid de re, q̄d pertineat ad esse rei, in tantum etiam habemus modum definiendi rem: si autem quid afferatur secundum accidens, id procul abesse a rei definitione, & exemplum datur de Lunæ Eclipsi. Vnde colligitur, ꝙ & in q̄stione quia est, possumus peruenire ad aliqua accidentia, quæ rei non continent definitionē; sicuti & in quæstione si est. Ex quo in dubium reuocatur, dictum huius Themistij, ꝙ demonstrantes nos quia est, etiam simul ducimur ad notitiam ipsius ꝑꝑ quid. Et ratio inducta a Them. supponit ꝙ demōstretur in demonstratione tum esse rei, tū causa rei, quod est verissimū. Sed hoc erit, si a priori sit progressus; in quo si causa rei afferatur propter quam res est, vtiq; simul ēt cognoscitur per se, & ꝙ res est, & propter quam causam est; quod nō contingit in demonstratione habita a posteriori. Non.n. repugnat, quin possimus circa ipsum quia est tradere aliqua accidentia, propter quæ tū non erit manifesta causa, propter quam res est: nisi forte dicatur, in demonstratione quia, supponi quod causa determinata per effectum demonstretur. Vtrum autem in quæstione simplici eius quid est, oporteat præcognoscere si est, aut hoc quæri possit, (nam in quæstione quia est, vtputa de Lunę Eclipsi, supponitur, & esse Eclipsim, & esse Lunam, nihil autem videtur præsupponi de eo quod nondum constat simpliciter si est) ad hoc dicendum, in simplici quęstione prę supponi nomen eius, de quo quæritur. Nomē autem (vt habetur in proœmio Physic.) confuse continet id, quam distincte per definitionem propalatur. Nominis autem notio, seu conceptus, & intelligentia, circa q̄dcunque de quo quęratur si est, ex communi vsu loquendi aliqualis desumitur; Exactius autem ex ipsorum prędicamentorum cognitione, quæ tradita est, vt hinc cōmunes omnibus vocibus significantibus notiores obtenerentur: qua cognitione hunc in modū confuse percepta, procedimus deinceps ad inquirēdum de quocunq; num sit in re, quale per nomē insinuatur, & existimatur. Et ita sub quadam præcedenti aliquali notitia: per quam etiam circa ea, quæ nō sunt

Themist.

li. 2. Post. cap. 9.

Quęstio.

Solut. li. 1. Phis. c. 1.

pro-

procedimus; nempe directi a notitia eorũ quę ſunt Veluti, dum quærimus num ſint gigantes, ſupponimus in mente noſtra ſtaturam quãdam hominis ingenti mole protractum. Et ſimiliter quærentes, num ſit hircoceruus, ex conceptu præexiſtenti hirci, & cerui, vnum animal ex vtroq. compoſitum concipimus, Siquidem innatum eſt nobis, vt per ea quæ ſunt manifeſta, cõſiderentur ea, de qbus dubij ſimus an ſint: Quemadmodum & per habitum priuatio cognoſcitur, & per affirmationem negatio. Et hunc q. dem in modum Ariſtot. proceſſit in lib. 4. Phyſic. in tractatu de vacuo, dum ſuppoſito in primis, qd nomẽ hoc *vacuum* importaret, & quid per ipſum intelligendum eſſet, totã deinde diſputationem de vacuo, circa locũ & circa ea quæ annexa ſunt loco, tradidit, & explicauit.

Dubit.

Io. Grã. Euſtr. Dubit:

Dubitant autem Ioan. Grã. & Euſtra. quomodo dici põt (vt ſupponit Ariſtot.) quod ſit medium in quæſtione ſimplici de ipſo ſi eſt, & quid eſt. Nam in alijs duabus quæſtionibus non eſt dubium, medium dari, dum quęritur in parte ſi aliquid eſt quid talę; idq;, qm̃ adſunt duo in huiuſmodi quæſtionibus: veluti in quæſtione, ſi eſt Eclipſis Lunæ, adeſt & ſubiectum, & p̃dicatum, inter quæ dari poteſt medium; quod non videtur cõtingere in quæſtione ſimplici, qm̃ res, & eſſe rei ſunt idem. Vnde inter hęc medium cadere non poſſe videtur.

Solut.

Reſpondet, ꝙ in abſtractis a materia id habet magnam difficultatem; qm̃ in ijs eſſe, & eſſentia ſit idem, quod de Deo glorioſo abſolute eſt veriſſimum: Vnde non erit medium inter eſſentiam, & exiſtentiã Dei. In rebus autem compoſitis (inquiunt) qm̃ contingit ſeparare eſſentiam a compoſito, (vt declaratur in lib. 7. & 8. Metaph) in his erit medium, non tale tñ medium, vt inter eſſentiam, & exiſtẽtiam ſit aliquid aliud medium; ſed ꝙ eſſentia eſt mediũ, quo explicari poteſt quid ſit illud, per quod ſupponitur res exiſtere: Hoc. n. ꝓprie ſignificare videntur dicta horum duorum inſignorum interpretum; ſi recte perpendantur: qui ẽt addunt hanc aliam reſponſionem. Quòd Ariſtot. ex propoſito diſputaturus de ipſo propter quid, vt completur in demonſtratione, ideo ad quæſtiones, ipſius q a eſt, adiunxit etiam illas de ſi eſt, ne tractatum de quęſtionibus imperfectum tradidiſſe videretur.

Impug.

Verum dicere quòd Ariſt. nõ tractet ex propoſito etiam de quæſtionibus ſi eſt, non videtur concedendum, cum generalis cõſideratio de quęſtionibus, hic eſſet habẽda, vt ita traderetur generalis animaduerſio circa modos, quibus ſciantur quęcunq; quæruntur; inter quæ ſunt etiã quæſtiones, quæ pertinet ad ipſum ſi eſt, & ad quid eſt. Non eſt autem inficiandum, hoc in primis, & precipue Ariſtot. habuiſſe in animo, vt ſpeculationem traderet compoſitarum q̃ſtionum, vt hinc manifeſtaretur, quomodo per demonſtrationẽ habeatur cognitio definitionis, & qd in ea probari poſſit de definitione. Ex quo conſequenter in hac perſcrutatione cadit aliqualis ſimpliciũ q̃ſtionum conſideratio, nempe ipſius quid eſt, & ſi eſt. Non aũt erat hic conſideranda abſolute quæſtio ipſius ſi eſt, aut ipſius quid eſt, cũ nulla ſcientia inferior aggrediatur de his demõſtrare, vt docetur in lib. 6. Met. ſed ſolus primus Philoſophus hanc abſoluit tractationem: non quòd ipſe demonſtrat per demonſtrationem ipſum quod quid eſt; ſed naturam in genere ipſius quod quid eſt cõtemplans, aperit ſecundum principia entis vniuerſi, quomodo ipſum quid eſt, & eius partes ſeſe habeant ad entis naturam.

li. 6. Met c. 1.

Non ab re aũt factum vr̃, vt quęſtionem ſimplicem non apponeretur typus ꝑꝑ quid; ſed ſolum quid: in quęſtione aũt compoſita apponatur, & quid, & ꝑꝑ quid: ita. n. quodammodo innuitur ordo demonſtrationis, in quo probatur ꝑꝑ quid ſit aliquid; quod ẽt eſt quidditas illius. In quæſtione aũt ſimplici, per ipſum quid, inquiritur ſolũ ſimplex eſſentia rei, in qua continetur cauſa, & principium, vnde res exiſtens conſtituitur. Non aũt dici põt, ꝙ per hoc principium eſſentia rei demonſtretur; quãdoquidem quidditas, ſeu definitio rei abſolute non demonſtratur, vt patebit ex ſequentibus. Vnde Pariſienſes non recte in hoc ſenſiſſe videntur, dum dixerunt, probari hominem eſſe per demonſtrationem hunc in modum; omne animal rõnale eſt, homo eſt animal rõnale, ergo homo eſt: Etenim hunc in modum nõ procedit vera probatio, cum ſupponatur in hmõdi ſyllogiſmo, id qđ probandum eſt.

Aduer. Pariſ.

Cauſa. n. eſſendi. Ait, quòd medium eſt cauſa eſſendi, tum in ijs quę ſimpliciter ſunt (quæ appellat, *ſimpliciter ſubſtantiam*, innuens ſubiectum quodcunq; in ſe conſideratum, adeo vt etiam triangulus accipitur pro ſubſtantia, nempe ſubſtantia cogitabilis cui poteſt ineſſe aliqua paſſio) tum in illis, quæ ſcđm quid ſunt, & non ſecundum ſubſtãtiam; Vnde inquit, *aut non ſimpliciter ſed aliquid eorum, quæ per ſe, aut ſecundum accidens.* Et hæc referuntur ad quęſtionem compoſitam; vbi ſupponitur ſubiectum, cui inſit aliquid, vel *per ſe*, vt ſunt accidentia in ſecundo modo dicẽdi per ſe; aut *ſecundum accidens*: quoniã ẽt de ijs quæritur, vt ſunt in plurimis; vt dicetur etiam in capite ſequenti. Nonnulli aũt intelligunt, *per ſe*, in primo modo dicendi per ſe predicata; *& ſecundum accidens*; prædicata ſecundi modi. Sed non conuenienter: qm̃ prędicata primi modi pertinent ad eſſentiam rei, quæ ſimpliciter, vt eſt ſubſtantia, conſideratur, & non ſecundum ꝙ aliquid inſit alteri non ſimpliciter; vt in verbis prædictis denotatur. Hinc colligitur, ꝙ ſi medium in quæſtione quid eſt, cauſa eſt, non põt igitur eſſe medium, quo quæratur de Deo qd eſt, tanquam per cauſam, cum nulla ſit eius cauſa, ſed ipſe ſit omnium cauſa. Non tollitur autem, quin a poſteriori, per nonnulla, quæ nobis ſint notiora, quibus inſinuatur aliqđ eſſe principium rerum, quæratur de Deo ſi eſt; & conſequenter per hæc notiora nobis quid eſt Deus inſinuetur, deducendo rõnes, ad impoſſibile: Cum tñ quid ſit Deus non poſſit proprie a nobis explicari; ſicuti neq; cognoſci poteſt in hac vita. Ex p̃dictis colligi põt, cum ad quæſtionem quid eſt, cauſa eſſendi afferatur, quicquid eſt cauſa eſſendi alicuius rei, id ad eius definitionẽ pertinet

iux-

iuxta primum modum dicendi per ſe; idem etiam ſub typum quarti modi cadit, vt ſit illud, per quod, ſeu quo exiſtit eſſentia rei, vt ita cauſa inſinuetur.

Diſputatione colligi, non idem eſſe ſcire per definitionẽ, & per demonſtrationẽ & nullius eſſe definitionẽ cuius ſit demõſtratio; neq; e conuerſo alicuius eſſe demonſtrationẽ cuius ſit definitio.

QVando autẽ quod quid eſt demonſtretur, & quiſnam modus ſit ipſum reducẽdi ad demõſtrationem, & quid ſit definitio, & quorum ſit, conſequenter ad dicta contemplandum eſt, ad hæc omnia congruis dubitationibus ante præmiſſis. Et exordium quidem ſermonum habendorum ſit illud, quòd conſequentibus ſermonibus erit accõmodatiſſimũ. Etenim aliquis dubitabit, nũ liceat idem, ſecũdum idem cognoſcere definitione, & demonſtratione, an omnino id eſt impoſsibile; ſicuti ex his colligi poſſe videtur, quę ſubiungẽtur. Nam definitio ad ipſum quid eſt pertinere videtur nec non & ipſum quod quid eſt in omnibus eſt vniuerſale, & affirmatiuum: at Syllogiſmi quibus concluditur demõſtratio, non ſunt omnes affirmatiui, & vniuerſales, cum in ſecunda figura omnes ſint negatiui, & in tertia omnes particulares: vnde ijs ſyllogiſmis non continget ſcire ipſum quod quid eſt, licet in ipſis demonſtrationes aſtruantur: hinc ſequitur, quòd non ſit poſſibile ſcire idem abſolute ſecundũ idẽ tum definitione, tum demonſtratione. Pręterea neq; eorum omnium, quæ Syllogiſmo vniuerſali, & affirmatiuo in prima figura aſtruuntur, erit definitio: veluti non huius problematis, quòd omnis triangulus habet tres angulos ęquales duobus rectis, de quo tantum extat demonſtratio. Ex huius quidem aſſertionis hęc poteſt inſtitui ratio vniuerſalis. Nam cũ ſcire id, quod eſt demonſtrabile, conſiſtat in habẽdo demonſtrationem, certe ſi de huiuſmodi eſt demonſtratio, nõ poterit de eiſdẽ eſſe definitio: alioquin ſequeretur, contra ſuppoſitionem, quòd aliquis ſciret id, quod eſt demonſtrabile, non habendo de eo demonſtrationem.

Si quidem nil prohibet, quin ſeorſum a demonſtratione definitio habeatur: quare non idẽ erit ſcire per definitionem, & per demonſtrationem. Sed & eandem hanc ſententiam ſingularium inductio manifeſtat, & probat. Siquidem nihil vmquam definitione cognoſcimus eorum, quæ alicui inſunt, aut ſecundũ ſe, vt ſunt propriæ paſſiones, aut vt accidentia. quod etiã & hac ratione colligitur. Nam ea, quæ inſunt, vel ſecundum ſe, vel vt accidentia, non ſunt ſubſtantię: Definitio autem eſt quædam de ſubſtantia cognitio: quare non erit definitio eorum quæ non ſunt ſubſtantiæ. Ex is igitur manifeſtum eſt, ꝙ nõ eſt definitio omniũ eorum, quorum eſt demonſtratio.

Sed quęri poteſt, num eius omnis cuius eſt definitio, ſit etiã demonſtratio, an non? Et quidem, quòd non ſit demonſtratio omnis eius, cuius poteſt eſſe definitio, ad id comprobandum pariter deſeruit ante adducta ratio. Nã vnius vna eſt ſcientia; vnde, ſi ſcire id quod eſt demonſtrabile, pendet ex hoc, vt habeatur de ipſo demõ

ſtratio vtiq; ſi idem etiam ſciretur per definitionem, continget hoc impoſſibile, vt ſine demonſtratione ſciatur id, quòd eſt ſciẽdum per demonſtrationem, dum illud idem ſcitur per definitionẽ. Ad hæc, principia demonſtrationũ ſunt definitiones, quas oportet ſupponere indemonſtrabiles; alioquin per alias definitiones eſſent demonſtrandę, & ita in infinitum; vnde oportet illas ſupponere indemonſtrabiles; Non igitur harum definitionum erit demonſtratio, quarum tamen erunt definitiones.

Verum, ſi non omnis eiuſdem poteſt eſſe & definitio & demonſtratio, numquid aſſerendum eſt, quòd eiuſdem alicuius ſaltẽ poſſit eſſe & definitio, & demõſtratio? an hoc etiam eſt impoſſibile? & videtur ex his ſuppoſitionibus. Nam demonſtratio nõ eſt aliquo pacto eius, cuius eſt definitio, ꝓpterea quòd definitio eſt ipſius quid eſt, & ſubſtantiæ; at demonſtrationes omnes vidẽtur ſupponere, & accipere ipſum ꝙ quid eſt; vt patet, apud Mathematicas ſciẽtias ſupponi, & accipi q̃d eſt vnitas, & quid impar: ab Arithmetica vero, & ab alijs ſcientijs alias definitiones. Preterea omnis demonſtratio demonſtrat aliquid de aliquo, quod ineſt, aut nõ ineſt; at in definitione nullum ex his, quæ in ea ſunt, de altero prędicatur; veluti in hac definitione, animal bipes, neq. animal de bipede, neq. bipes de animali dicitur: neq. in hac alia definitione figura plana, aut figura dicitur de plano, aut planum de figura prędicatur: ſiquidem neq; planũ eſt figura, neq; figura planum. Amplius aliud eſt demonſtrare quia aliquid eſt, & aliud demonſtrare quid eſt; Sed definitio oſtendit quid eſt, demonſtratio autẽ oſtẽdit quia aliquid eſt in hoc, aut nõ eſt in hoc; altera autem alterius rei eſt demõſtratio; niſi forte fuerit vt pars totius & vniuerſalis demonſtrationis. Quemadmodũ eſt dicere, quod ex demonſtratione habita de omni triangulo ꝙ habeat tres ęquales duobus rectis, ſimul etiam habeatur, quòd & æquilaterus, ſpecies quędam trianguli exiſtens, habet & ipſe tres æquales duobus rectis, vti pars ſub toto cõtenta. Verũ ipſum quia eſt, & quid eſt, non ita inuicem ſe habent, vt alterum ſi pars alterius. Manifeſtũ igitur ex dictis, ꝙ neque cuius eſt definitio, huius omnis eſt demõſtratio: neque abſolute alicuius omnino cõtingit eſſe definitionẽ, & demõſtrationem. Ex quo etiam perſpicuum eſt, quòd definitio, & demõſtratio neq. idẽ ſunt, neq; vna in altera eſt. Siquidem & ijs ſubiecta, circa quæ verſantur, ſimiliter inuicẽ ſeſe haberent, nẽpe ipſum quid eſt & quia eſt; ſed hæc non ſunt idem, neq; vnum eſt in altero; quare neque definitio, & demonſtratio erunt idem. Hæc igitur hactenus ſint ita dubitata.

Adnotationes.

P*Rincipium verò ſit futurorum quod eſt conuenientiſsimum habitis ſermonibus* Græce ἐξομένων, id eſt, *conſequentibus ſermonibus*: quæ verba Io. Gram. & Euſtrat. ita interpretantur, ꝙ principium ſumendum eſt cõueniens habitis ſermonibus, illis nempe, in q̃bus dictum eſt, ꝙ omnium, quæ ſcientifice quæruntur, eſt medij quæſtio, & idẽ eſt ſcire quid eſt, & propter quid. Et dicunt, quòd ſermo futurus de definitione, maxime cõuenit, vti propitius præacceptis. Poſſet.n. aliquis dubitare, vnam eandemq; eſſe ſcientiam, quæ per definitionem, & quæ per demonſtrationem habetur. At magis apta vr interpretatio, quam etiam ijdem interpre-

Io. Grã. Euſt.

tes

tes innũt, ꝙ initium ſermonũ futurorum (ques iam aggreſſurus eſt Ariſtot.) eſt accõmodatiſſimum conſequentibus illis ſermonibus, in quibus quæritur, num ſyllogiſmo poſſit demonſtrari, vel alia via ipſum quod quid eſt. Ad hanc. n. diſputationem poſtmodum futuram, confert hæc præſens, quæ prior eſt contemplatio: vel etiam ad abſolutum tractatum de definitione.

An non eſt idem, & ſecundum idem definitione ſcire & demonſtratione. Hæc ſuppoſitio ſtabit cum determinatione infra habenda, qm̃ ſtatuetur ꝙ non ſit idem, & ſcd̃m idem ſcire vtraq; via; qm̃ ſaltẽ ſitu, & poſitione terminorum patefiet differre demonſtratiuũ modum ſciendi a definitiuo; licet circa idẽ verſetur demonſtratio, & definitio.

Nihil n. vnquam definientes nouimus, neq; eorum quæ per ſe inſunt, neq. accidentium. Hoc patet, ꝙ ſi definiatur q̃d ſit triangulus, ex eius definitione, non erit nobis oſtenſum, neq; notũ, ꝙ ei inſit habere tres æquales duobus rectis. Vnde aduertendum per ea, quæ *per ſe* inſunt, intelligi accidẽtia in ſecundo modo dicendi per ſe; per *accidentia* aũt intelligi alia, quæ non ſecundum ſe inſunt: nam generalis eſt præſens contemplatio.

li.7. Met. cap.5.

Manifeſtum quòd non ſunt ſubſtantiæ. Supponitur quòd definitio eſt ſubſtantiæ, nempe propriè; vt docetur in lib. 7. Metaph. adeo quod definitio non eſt proprie accidentiũ, cum neq; ſint proprie, & ſimpliciter entia, vt quæ inhærent ſubſtantiæ, ſine qua eſſe non poſſunt.

li.6. Met. c.1.

Principia demonſtrationum ſunt definitiones. Hoc loco Ariſtot. id q̃d *etiam* docuit in lib. 6. Met. quod nulla ſcientia de ipſo q̃d quid eſt faciat demonſtrationes; ſed ipſum accipit & ſupponit: vt Arithmeticus q̃d ſit vnitas. Ex quo deducitur, ꝙ nullius abſolute ſit demonſtratio, cuius eſt definitio.

In definitione vero nihil alterum de altero prædicatur. In libro ſuperiori explicatum eſt, quomodo definitio ſit, & nõ ſit propoſitio. Quod verò hic habetur, iſtud eſt, ꝙ partes in definitione contentę nõ prędicantur inuicem vna de alia; vt animal non dr̃ de rõnali; neq; rationale de animali. i. neq; differentia de genere prædicatur, neq; genus de differentia. Nam ſi genus de differentia p̃dicaretur, contingeret vt bis de ſpecie diceretur: ſemel, vt genus; & iterum ratione differentiæ, de qua dici ſupponatur: vt deducitur in lib. 5. Top. & in lib. 5 Met.

li.5. Top. cap.2. li.5. Met. c.3.

Alterius vero altera demonſtratio. Dictũ eſt antea, quòd eſt aliud monſtrare quid eſt, & aliud monſtrare quod eſt: Vnde ſubiungit, quòd alterius eſt altera demonſtratio. Vnde infertur, quòd nõ ſit eiuſdem definitio, & demonſtratio; qm̃ erit demonſtratio ipſius quod eſt; at non hoc idem eſt cum demonſtratione habita de ipſo quod quid eſt. Et cum ſubiungitur, *niſi tanquam pars ſit aliqua totius,* hoc adiectũ eſt, qm̃ in aliqua demonſtratione dici põt; ꝙ aliud, & aliud demonſtretur: ſicuti in demonſtratione quòd triangulus habet tres, etiam dici põt demõſtrari, quod ęquilaterus habet tres. Verũ id erit, qm̃ æquilaterus, vti pars continetur ſub triangulo. Vnde ſub demõſtratione vniuerſali particularis comprehẽditur. At nõ ita contingit de ipſo quid eſt, & de eo quod eſt, vt vnum tanquam pars ſub alio, tanquã ſub toto contineatur.

Non poſſe ſyllogiſmo demonſtrari ipſum quod quid eſt.

Ipſis autem quid eſt, vtrum ſit Syllogiſmus, & demonſtratio, an non, vt in pręhabita diſputatione eſt ſuppoſitum, iam ex propoſito patefaciendum eſt: & ad hoc aſtruendum hęc ſunt ſupponenda. in primis, quod in omni ſyllogiſmo aliquid de aliquo demõſtratur per quoddam mediũ. Prętere a quod ipſum quid eſt, & prędicatur de eo, de quo p̃dicatur ſub hoc typo, nempe in eo q̃d quid eſt. Item oportet ut hęc inuicem conuertantur, nẽpe & medium cum maiori termino, & idẽ cum minori, vt ita omnes termini ad inuicem ſe habeant ad conuertentiam. Nam ſi A, eſt proprium ipſius C; oportet vt & ipſius B ſit proprium, quo B medio, A tanquam proprium ineſt ipſi C; Vnde omnia hęc inuicem conuertẽtur. Quare ſi A dicitur in eo quod quid eſt de omni B, & B vniuerſaliter dicitur in eo quod quid eſt de omni C, neceſſe eſt & A in eo quod quid eſt dici de C. Quòd ſi quis nõ ita ſumpſerit propoſitiones duplicatas, vt in vtraq; earũ, ipſum quod quid eſt cõtineatur, vt expoſitum eſt in his terminis A B. C; tunc non erit neceſſe, vt A de C in eo quod quid eſt prædicetur. Et ſi A de B in eo quod quid dicatur, non autem de quibuſcunque dicitur B, vt puta de C, non etiam A prędicabitur in eo quod quid eſt de C. Atqui ſi in vtraq. propoſitione ſit aſſumptum ipſum quod quid eſt, & q̃d

quid erat esse, iam in medio termino erit assumptum principium ipsum quod quid est, antequam demonstratum sit. Vnde erit petitio principij, si quis voluerit asserere quod ipsum quod quid est syllogismo demõstrari possit. Omnino autem (ut clarius id exemplo patefiat) si fit demonstratio, quid est homo; sit homo (ipsum vero quid est hominis animal bipes, vel quid aliud) sit A; si igitur oportet syllogismo colligere, quod homo est animal bipes, necesse est A de omni B prædicari; huius autẽ erit & alia media definitio inter B, & A: quare & hęc alia erit definitio, & quid est hominis; Ex quo deducitur, quòd q voluerit monstrare hominis definitionem, eã accipiet, & ita petet principium. Hoc autem non est syllogismo demonstrare, cum quod intenditur demõstrare, accipitur sine demonstratione. Oportet autem in duabus propositionibus, & primis, & immediatis hoc ipsum considerare: Ita .n. magis perspicuũ reddetur, quod dictum est. Hinc redarguuntur quicunq profitentur per conuertibilia ostẽdere quid est animal, vel quid est homo, aut q d aliud: quoniam hi manifeste petitionẽ principij committunt. Ita enim argumentantur. Quod est numerus seipsum mouens, est sibi ipsi causa vitæ; anima est numerus se ipsum mouẽs, ergo anima est sibi ipsi causa vitę. In hac enim ratiocinatione apparet peti in principio, quod anima est numerus se ipsum mouens, adeo vt hoc idem sit cum anima. Non enim si A sequitur ad B, & B ad C, sit propterea, ut A sit ipsum quod quid ipsius C sed solum verum erit dicere, quòd C est A. Neque etiam si aliquid, quod prædicetur de omni B (vt animal de homine) & si verum sit, quòd totum esse animalis competit esse homini, sicuti & omnis homo est animal, attamen non ita prędicatur animal de homine, vt homo sit idem cũ animali. Nisi igitur accipiantur termini conuertibiles, vt esse vnius sit idem cũ esse alterius, non cõcluditur syllogismo alicuius rei definitio. Si autem hunc in modum accipiantur termini conuertibiles, sequitur postea vt fiat petitio principij in syllogismo de ipso qđ quid est, quod supponitur demonstrari. Quare concluditur, ipsum quòd quid est nullo pacto syllogismo ostendi posse.

Adnotationes.

I*Psius vero quid est*. Inter alia, quæ superius proposita fuerant tractanda ab Aristotele, id fuit, quomodo ipsum qđ quid est demonstretur, cum antea pręmissa fuerint nonnulla sub dubio, veluti, num eiusdẽ sit definitio, & demõstratio; & deductũ est, ꝙ non sunt eiusdem (inter alia) propter hoc, qm̃ definitiones sunt principia indemonstrabilia: vnde dr̃ hoc loco, quod nõ potest demonstrari ipsum quod quid est, vt suppositum est in sermone præcedẽti; in quo tractata fuisse apparent ea, quæ conferunt his alijs consequentibus sermonibus, prout explicatum est supra. Et cum dicitur, *vtrum syllogismus sit & demonstratio*, per hæc idẽ innuitur. Aut per *syllogismum*, intelligitur q̃cunq; ratiocinatio etiam non facta iuxta normam demonstrationis. Per *demonstrationem* autem intelligẽda est ratiocinatio habita sub vera forma demõstrationis. S. Tho. explicat ita dictum esse, qm̃ rationem subsequentium quędam concludunt, ꝙ eius qđ quid est, non sit demonstratio, quædã vero quod eius omnino non sit syllogismus. S. Tho.

Et vniuersaliter B, de omni C. Ita loquitur, qm̃ termini supponuntur inuicem conuertibiles, secundum substantiam, & definitionem: vnde totum A debet dici de toto B & hoc totum de toto C. Nõ autem opinandum est, quod apponatur signum ipsum vniuersale nempe *omne* ad prędicatum; quod

non conuenit, vt explicatũ est in lib. Periherm. & in Prior. Analy.

Si vero non sic aliquis accipiet duplicans. In lib. 1. Prior. Analy. cap. de reduplicato constitutũ est, a parte sola maioris termini apponi debere reduplicationem. Verum hoc loco, cum sit ꝓpositum videre, num ipsum quod quid est possit syllogismo cõcludi, oportet ita supponere, & ordinare terminos vt & A prędicetur de medio termino in quid, & medius terminus in q̃d dicatur de minori; siue modo ita dicantur inuicem in quid, siue supponantur termini accepti ꝓferre ipsum quid est, ad hoc, vt concludatur ipsum quid est, de minori termino.

1. Prio Anal. Ser. 25. c. 28.

Si itaque ipsum quid est, & ipsum quid erat esse. Adiectum est, *& quod quid erat esse*, vt magis explicaretur quod termini sunt assumendi continentes definitionem. Nam ipsum, *quid* potest pertinere ad partẽ definitionis; puta ad genus, & non ad totum esse definiti. ipsum autem *quod quid erat esse*, apertius cõplectitur totam definitionem.

Necesse est A de B omni prædicari. Id deducitur, quòd si A continet definitionẽ ipsius C, & debet ꝓbari per B, vtique oportet quod B contineat definitionem ipsius C, ad hoc vt de C, definitio contenta sub A concludatur. At ita erit supposita definitio in maiori propositione, quę debet ostendi in conclusione.

Oportet autem in duabus propositionibus, & primis, & immediatis considerare. Ijs verbis vult Aristot. (ad hoc vt expeditior sit consideratio, num possit syllogismo demonstrari definitio) vt assumantur primæ, & immediatæ propositiones. Idque (vt aduertunt Io. Grã. & Eustr.) q̃m nonnulli vt lateret, quod petitionem principij committerent interponebant alias propositiones, propria assumentes, & non ipsum quod quid est.

Io. Grã. Eustr.

Verum enim omni homini esse, animali esse. Idest, id, quod est esse animali, & eius definitio tota conuenit ipsi esse & definitioni hominis: sicuti & omnis homo est animal: non tñ esse animalis est completiuum totius esse ipsius hominis: ad cuius essentiam quid preterea aliud requiritur, vt puta rationale, & disciplinæ capax.

Neq; via diuisiua probari ipsum quod quid est.

NEq. vero existimandum (ut in prioribus quoq: Anal. circa figuras Syllogismorum dictum est) quòd uia diuisiua syllogismo colligatur & probetur ipsũ quod quid est, cum nulla sit necessitas inferendi, quòd quibusdam existentibus sit hoc, vel illud: quemadmodum etiã neq. demonstrat qui facit inductionem. Nõ enim ad hoc ut demonstratiuus Syllogismus vim suam habeat, oportet conclusionem probãdam interrogare, aut probatam existimare ex eo quod ab aliquo sit cõcessa: sed eam concludi necesse est, existentibus nonnullis iuxta ordinem syllogisticũ, etiã quod non consentiat quid de ea fuerit interrogatus, neq; respõdeat. At qui hunc in modum via ipsa diuisiua instituitur: Veluti aliquis ita interrogabit, numquid homo est animal? an inanimatum? qua interrogatione pręmissa postea interrogans accipiet, ꝙ homo est animal, nulla ad hoc adducta syllogistica ratione, idem progrediẽs ulteriꝰ inquiet: omne animal aut est gressibile, aut aquaticum: accipiet autem quod homo sit gressibilis, & simul hoc totum, quod homo est animal gressibile nullo super ijs confecto syllogismo; aut super alijs, quę ad hęc adiũgat hunc eundem modum in omnibus insectans via diuisiua. Cuius quidem vsus ita longe abest à probando syllogistice rerum definitiones, vt vel inutilis reddatur ad syllogismum conficiendũ eorum etiam, quæ syllogismo possent probari: ab hoc .n. deficiunt, qui viam diuisiuam sectãtur. Sed, vt iuxta propositam disputationem circa rerum definitiones de hac via diuisiua differamus, quid prohibet quin dicamus, quòd omne quod ex diuisione sit acceptũ, verum quidẽ sit de homine, neq. tamen propterea manifestari id, quod ad ipsum q̃d quid erat esse hominis pertineat. Amplius quid prohibet ex diuisione apponi aliquid non apponendum ad substantiam rei? aut aliquid preter-

mitti nō pretermittendū de substantia? aut ordinē subuerti partium ad definitionem spectantiū, adeo vt nō recta tradatur rei definitio? Sed hæc missa fiant: possunt enim solui huiusmodi obiectiones, si accipiantur ea omnia, quę pertinēt ad quod quid est, & seruetur ordo congruus, & deinceps & consequenter, quę inuicē se consequuntur, proponantur: & petitio diuisionis a primo desumatur, & nihil omittatur. Quòd quidem necessario eueniet, si omne assumptum cadet in diuisione, & nihil fuerit omissum: quod sane vt ita fiat est necessarium, quū sic deuentum erit ad indiuiduam vltimamq; differentiam speciei constitutiuam.

Verum & si tollantur hæ omnes difficultates, no tollitur propterea illud firmum obstaculum, quòd syllogismo ipsum qđ quid est minime via diuisiua probetur: licet concedi possit idem alio modo, non tamen syllogisticè manifestari. Hęc enim inuicem nō aduersantur: quemadmodū etiam, qui facit inductionem, forte non demonstrat, licet aliquid manifestet: Ita enim & definitionem ex diuisione dicens non propterea dicit syllogismum. Nam quemadmodum in conclusionibus, quæ sint sine medijs, si quis dixerit ꝙ ijs, vel illis existentibus necesse est hoc vel illud esse, contingit & licet dubitare, propter quid ita sit: Ita quoque de definitionibus via diuisiua inductis (veluti quòd homo sit animal mortale habens pedes, bipes, siue pennis) est locus dubitādi & percunctandi eū, qui hęc tradiderit, propter quid homo sit, & alia habeat iuxta singulas quasque partes appositas. Et quamuis qui de hoc interrogetur, doceat vt ipse opinatur ex diuisione, quòd omne aut est mortale, aut immortale, & ita de alijs partibus definitionis, inducens simul quòd homo non est immortalis, sed mortalis: attamen vniuersa hęc oratio nō est definitio. Quare, si etiam demonstraretur definitio via diuisiua, attamē definitio non syllogismus fieret.

Adnotationes.

IN resolutione circa figuras. In lib. 1 Prior. Analyt. ante modum resoluendi syllogismos actum est de via diuisiua magis in vniuersali q̄ hoc loco, vt deseruit etiam dialectico. Hincque colligitur, libros illos ob præstantiam, quam secum affert resolutio, appellatos Analyticos; vt patet ex verbis habitis in hoc loco, dum dicit Aristoteles *in resolutione circa figuras.* Circa n. figuras absoluta est ibi Methodus illa resoluendi syllogismos: idque ad differentiam resolutionis circa demonstratiuam scientiam exercendæ, de qua in hoc libro agitur.

Pri. li. 1. Anal. ca. 2.

Aut addere aliquid. Nempe aliquid extrinsecum a substantia adderetur, si diuisio per accidentia introducatur.

Aut supergredi. Quū non seruetur ordo; veluti, q̄ ponantur in loco priori, quæ sunt posteriora; quod vitium notatum est etiam in lib. 7. Met. vbi de hac via diuisiua quoq; est sermo. Et ijs consentiunt etiam quæ subiūguntur: *Et consequenter diuisioni facere.* Vt innuatur cōsequentia ordinata penes partes definitionis: quemadmodū (vt aduertit Themistius) trāsgreditur diuisio animalis facta in bipes, & multipes; nam est prior illa, quæ fiat in gressibile, & volatile. Vndè hęc omnia pertinent ad errata, & ad transgressiones, quæ contingunt in vsu viæ diuisiuæ.

li. 7. Met. cap. 12.

Them.

Indiuiduum n iam oportet esse. Ideſt, cū peruentum sit ad differentiam indiuiduam speciei, tunc nihil erit omissum. Nihil aūt prohibet postea speciem, seu differentiam indiuiduam diuidi in singularia, quę sunt absolute indiuidua.

Neque enim inducens forte demonstrat. Inductio non est propria syllogismus, qui est ꝓgressus a toto ad partem, per medium probans maiorem terminum de minori. At inductio vt docetur in lib. 2. Prior. Analy. ꝓcedit a parte ad totum, probans maiorem terminum de medio: Vnde syllogismus insufficiens apparet. Non enim causam affert inductio, sed manifestat ea, quæ in eodem simul cōueniunt. Dixit autem, vt innueret; quòd proprie inductio non demonstrat, licet manifestētur ꝑ ipsam quæ inducuntur.

li. 2. Pr. Analyt. c. 23.

Talis autem oratio tota non est definitio. Ideſt, hæc oratio, omne aut est mortale, aut im-

mor-

S. Thom. Eustr. mortale, & sic procedendo circa alias partes, nō est syllogismus. S. Thomas interpretatur, ꝙ tota hæc oratio non per ratiocinationem ostenditur. Eustra. ait, æquipollere hæc verba, ac si dicatur, non est ostensum syllogistice ꝙ definitio sit.

Sed definitio non syllogismus fit Tandem interpretationem affert ad hęc S. Tho. Verū posset etiam esse interpretatio, ꝙ etsi demōstraretur per diuisionem de quocunq; accepto; attamen fieret definitio, & non syllogismus; hoc est, astrueretur definitio, non aūt demonstraretur per syllogismum.

Nullo etiam modo hypotetico potest demonstrari ipsum quid est.

NVmquid autem dicendū est, ꝙ ipsum quid est acceptum secundum substantiam formalem possit demōstrari ex suppositione, seorsum accipiendo quid, & quali sit ipsum quòd quid erat? nempe ꝙ sit illud, quod cōstat ex proprijs ad ipsum quid est attinētibus; & hinc subinducendo, ꝙ hæc & hęc, quę de homine, exēpli gratia, prædicantur, ipsum solum contineāt quod quid hominis; adeo vt ex ijs omnibus proprium hominis, & eius definitio constituatur. Atqui neque hunc in modū ostendi potest quod q d erat; sed ita fiet petitio eius, quod demonstrari intenditur, dum hęc & hæc accepta supponuntur ad hominis definitionem pertinere; cum tamen id esset demonstrandū. Preterea, sicuti in syllogismo de re aliqua conficiendo non accipitur definitio in syllogismi, id enim vanū est, & inutile: sed semper supponitur, quòd syllogismus cōstitui debet ex propositionib⁹, vel ex ambabus vniuersalibus, vel ex altera saltem vniuersali; ita quoq; in syllogismo conficiendo de definitione non debet accipi quid, & qualis debet esse definitio; id enim seorsum supponi debet tanquam cognitū; & per hāc suppositionē instare oportet aduersus eum qui in definiendo, ordinem & formam prescriptā definitioni non seruaret. Quemadmodum idem agendum est aduersus eum, qui syllogismo profiteretur demonstrare, non seruatis regulis, quę requiruntur in syllogismo construendo Neq; etiam admittendum, quòd demonstrari possit ipsum quid est ex suppositione, quatenus, ex contrariæ rei definitione, alterius contrarij definitio inducatur. Veluti, supposito, ꝙ boni definitio sit, esse indiuisibile, hinc presupponere (quādo contrarij est contraria definitio) ꝙ mali definitio sit esse diuisibile, quoniam malum bono sit contrarium, & esse diuisibile, pariter sit contrarium ipsi esse indiuisibile. Etenim in hac quoque argumentatione fit petitio principij: dum, accipiēdo quod quid erat esse, ostenditur qđ quid erat esse; nempe, per definitionē mali, definitio boni. Neque vero aufertur inconueniens dicendo, ꝙ illud, quo fit demōstratio (& est mali definitio) sit diuersū ab eo, quod demonstrari intēditur, ipsa scilicet boni definitio: quandoquidem & mali definitio concernit & ipsa quoq; quod quid est, vt ita definitio supponatur, & non ostendatur; vnde firma permanet petitio principij, quę a proba & recta forma demonstrationis longe abesse debet.

Non est autem par ratio de demonstrationibus, in quibus & si concluditur hoc de hoc, attamen non est idem illud, quod probatur, & illud, quo fit probatio: neq; ratio idem est cum conclusione; neq; conuertitur, vt idem sit con-

cluſio, q̄d ratio vnde ſit probata.

Ad hæc contra profitentes demonſtrare quod quid eſt, aut diuiſione, aut ſyllogiſmo hypotetico, ſtat hęc alia difficultas ab ipſis determinanda; propter quid homo erit animal bipes, vt vnum quid exiſtens, & non erit animal ſeorſum, & bipes ſeorſum? Quãdoquidem, ex nullo aſſumptorũ modorum vis, ſeu neceſſitas obtinetur manifeſtãdi, quare animal bipes ſit vnum prędicatum; quãdo dici poſſit, quod idem homo ſit & hircoceruus, & muſicus, & alia huiuſmodi plurima, ex quibus tamen vnũ conſtitui nequaquam dicendum eſt.

Adnotationes.

Demonſtrare ipſum quid eſt ſecundum ſubſtãtiam. Quæſtio proponitur, num demõſtrari poſſit ipſum quid eſt, *ſecundum ſubſtantiam:* quod ſonat, ac ſi dicatur, num definitio formalis, quæ propriè ſubſtantiã, ſeu eſſentiam rei cõcernit (vt explicatum eſt in lib. 7. Metaph.) poſſit demonſtrari: nã materialem per formalem poſſe oſtendi infra manifeſtabitur.

li. 7. Met. c. 6.

Aut rurſus accipit quod quid erat eſſe. Vtique petitio eſt principij, q̃n ponitur in ſyllogiſmo definitio alicuius rei, & ſupponitur ꝙ ſit definitio, q̃m ſit confecta ad normã ſpectantem ad ipſum quod quid eſt. Etenim oportet probare, quòd hęc definitio ſit talis rei definitio. Non autem eſt pẽſandum, quòd ſit petitio principij, q̃m ſupponatur, quòd forma definitionis ita ſe habere debeat: id. n. ſupponendum eſt: quemadmodũ etiam ſupponitur in demonſtrationibus, ꝙ ſyllogiſmus, ita, aut ita debet eſſe cõfectus.

lib. 2. Eth. c. 4

Malo eſt diuiſibile eſſe. Hoc etiam conſentit dictis in lib. 2. Eth. quòd ſunt plures partes, in quas diuiditur malum, & exceſſu, & defectu; cum bonum in vnitate, & in mediocritate quadam conſiſtat.

S. Thom

In demonſtrationibus namque quod eſt hoc, de hoc. S. Thom. ita explicat, quòd in demõſtrationibus accipitur definitio, & t̃n non eſt idem cum paſſione. Verum clarius dici poteſt, quòd propoſitiones continent potẽtia (vt ait Them.) idem, quod habet concluſio; neq; propterea ſequitur, quòd idem ſint cũ concluſione, neq; conuertitur, vt eadem ſit probatio a concluſione ad propoſitiones, qualis eſt a propoſitionibus ad cõcluſionẽ: illę. n. continent cauſam cõcluſionis ſimpliciter notam; at concluſio continet effectum

Them.

nobis notiorem. In definitionibus aũt contrariorum eſt par ratio, tam ſi ab vna, quàm ſi ab alia inſtituatur progreſſus. Vnde, cum t̃n ſit, & t̃n valeat per male definitionem demonſtrare boni definitionem, quantũ e conuerſo, per boni definitionẽ demonſtrare mali definitionem, ideo in ijs locum habet manifeſte petitio principii; adeo vt hũc in modum demonſtrare definitionem, idẽ ſit, ac ſi demonſtretur hoc eſſe hoc, quia eſt hoc; quod certe nõ eſt aliquid demõſtrare.

Eadem dubitatio Ait tam aduerſus ſupponentes, quòd per diuiſionem probatur definitio, quàm aduerſus aſſerentes, ꝙ eadem probari poſſit hypotetico ſyllogiſmo, inſtãtem hanc eſſe dubitationem, cui neutri horum ſatisfaciunt: videlicet quare animal bipes ſit vnum, vt vnam naturam hominis cõſtituat. Quam dubitationem hic inſolutam relinquens Ariſtot. diſſoluit, in libro 7. & 9. Met. ſimul cauſam afferens, cur ibi, & non in ijs libris reſolutorijs, hęc quæſtio fuerit diſſoluenda.

li. 7. Met. cap. 12 lib 9. c. 5

Ex præmiſſa diſputatione, et ex alijs quibuſdam ſubductis argumentis; concluditur, nõ poſſe demonſtrari ipſum quod quid eſt.

Qvis igitur relictus eſt modus, per quem definiens oſtendere poſſit ſubſtantiam, aut quod quid eſt? Quoniam ex ante deductis neque dici poteſt, ꝙ ita demonſtretur, ſicuti ex confeſſis quibuſdã neceſſe eſt aliq̃d aliud eſſe. Hæc enim via eſt demonſtrationis, & non definitionis. Neq. etiam poteſt dici, quòd inductione poſsit oſtendi definitio, cum inductio procedens per ſingularia, & de omnibus inducens ea, quę ſint manifeſta, oſtendat aliquid eſſe, aut non eſſe: non autẽ ipſum quodquideſt. Quæ igitur alia via relinquitur? Neq. enim dicendum, quòd ſenſu, aut digito rerum definitio demonſtretur. Amplius aliter vrgeri poteſt quicunq. contenderet, quòd ipſum quod quid eſt poſsit demõſtrari. Interrogabitur enim, quomodo oſtendet, (exempli gratia) quid eſt homo? neceſſe eſt enim vt qui

sciĕrit quid est homo, vel quid aliud, sciat itidem quia homo est. Quandoquidem, quod nō est, nemo vnquā sciet quid est; Sed non entis quidē quòd oratio, seu quid nomē significet, veluti nomē hoc, hircoceruus, exprimi potest; quid autem sit hircoceruus impossibile est scire: alioquin, quod nō est, esse supponeretur. At vero si quis demonstrauerit quid est, ipsum quia est quomodo eadem ratione monstrabitur? Nam vnum extendit definitio, vnum etiam demonstratio: quid autem est homo, & esse hominem, & non idem sunt, sed diuersa. Amplius dicimus ꝑ demonstrationē necesse est ostendere omne quia est, dummodo non sit substantia rei; at esse nulli rei est substantia, cum neq; ens genus sit: hinc sequitur, quòd demōstratio erit de ipso quia est, non autem definitio. Quod etiam cōprobat vsus, & institutum obseruatum nunc in scientijs. Nam Geometra (vt de eo dicamus) accipit quid significet triangulum, & ꝙ sit postea demonstrat. Quidnam igitur monstrabit, qui definiet q̄d est triangulum, vel quid aliud? Nam si demonstrat, ergo aliquis sciens per definitionem quid sit aliquid, illud an sit ignorabit, q̄d est impossibile. Manifestum autē quòd (secūdum modos definitionum nunc vsitatos a nonnullis) non ostendunt definitiones quòd sit illud, quod definiunt. Nam & si concedatur, ꝙ circulus sit figura, a cuius centro ad conferentiam lineæ ductæ sunt æquales: attamen nō ptopterea probatur propter quid sit definitio, & propter quid circulus sit talis, qualis est definitus; cum possit etiam attribui hæc eadem definitio aurichalco. Non enim definitio manifestat quod illud, quod in partibus definitionis pronuntiatum est, sit possibile; neq. quòd sit definitio eius, cui est assignata definitio. Quippe cōsueuerunt ita proponere definitiones, vt semper liceat de illis inquirere propter quid sint. Itaque si definiens ostendit aliquid, dicendum est, quòd vel ostendit quid est, vel significet nomen. Et cum nullatenus ostendat quid est, vt patet ex antedictis; relinquitur igitur vt definitio sit oratio maninefastans ipsum nomen; quod dicere absurdum est. Primo enim etiam nō substantiarum, & non entium erunt definitiones. Siquidē & non entia possunt nominibus connotari, & significari. Pręterea omnes orationes essent definitiones, cū liceat imponere cuiq; orationi nomen; ex quo sequeretnr, quòd nos omnes enunciaremus in nostro sermone definitiones, & ita Ilias Homeri esset definitio. Amplius nulla vmquam scientia ostenderet, quòd tale nomen talem rem significet: in vanū enim hoc opus susciperet: Igitur neq; definitiones hoc manifestant. Ex his itaq; quæ adducta sunt colligi videtur, neq; vnum & idem esse definitionem & syllogismum, neq. eiusdē esse definitionem, & syllogismū: Et pręter hęc, quòd definitio nihil demonstrat, aut aliquo modo seorsum a demonstratione ostēdit: Et ꝙ neq. definitione, neque demonstratione licet cognoscere quod quid est.

Adnotationes.

M*Onstrabit substantiam, aut ipsum quid est.* Eustrat. censet ijs verbis, *aut ipsum* Eust. quid

quid est, explicari dictionem illam *substantiã*, adeo vt intelligat Aristot. per *substantiam*, ipsum quid est. Verum posset etiam referri *substantia*, ad substantiam distinctam ab alijs prędicamentis; particula vero, *quid est*, ad alia prędicamenta, quorum etiam est aliqua definitio.

Non enim nullus nouit quod est. Ita nonnulli vertunt. Sed adnotandum in Gręco codice manifeste esse mendum, vt loco particulæ ὅτι, qua significatur (*quod dum* legẽdũ sit τί, idest *quid*: ita enim antiqua lectio, & Argiropylus legunt, & similiter Io Gram. interpretatur; & conuenit subsequentibus verbis, dum dicit Arist.) quòd nemo potest cognoscere de nõ ente quid sit, qm̃ per ipsum *quid* pręsupponitur aliquid esse, quod repugnat non enti: cum tñ quid nominis haberi possit de non ente, vt idem inquit.

Quid autem est homo, & esse hominem aliud. Id perspicuum est, & licet dictum sit in initio huius libri, quòd quærere si est, est quęrere si sit medium, quod medium postea ꝑtinet ad quid est: attamen prius in confuso potest cognosci aliquid esse, & postea explicari distincte quid ipsum sit.

Nisi substantia esset. Ait demonstratione probari omne quòd sit, nisi sit substãtia: qm̃ per antedicta non probatur rei substantia, & definitio: quod etiam explicatum est ab Arist. in lib. 3. Met. & in lib. 11. apud nos 13.

li. 3. Met. c. 2. & l. 13. c. 6

Non enim genus est ipsum ens. Hinc patet ens non esse genus sub aliqua propria notione. Vnde neque pertinet ad definitionẽ rei ipsum esse, neque tñ propterea sequitur, ꝙ q̃stio de ipso si est, sit q̃stio de accidente absolute: cum existentia substãtiæ non sit accidẽs, vt supra latius explicatum est. Voluit autem Arist. inferre, quòd ex probatione inducta quòd sit aliquid, non sequitur etiã probari eius substantiam, & definitionem: qm̃ ens non est genus. Et, quod attinet ad quid nominis, istud etiam affertur circa nõ entia, cum illorum tñ nominum vsurpatione, quibus significantur proprie quę sunt, vt ostensum est supra.

Dubit.

Solut.

Quod non mõstrant definitiones quod est. At dictum est prius, ꝙ Geometra prius supponit quid est; deinde monstrat quod est. Huic dubitationi respõdent communiter interpretes, quòd prius cognoscit confuse, & postea distincte demonstrat Geometra: sed forte taxat Aristot. definitiones quorundam, vt patet etiam ex libro 2. de Anim. qm̃ hi non manifestarent definitiones; vt ipse consueuit facere.

lib. 2. de Ani. c. 2. Eust.

Auricalchi. Eustrat. refert, aliquos dixisse de *Auricalcho*, quòd est quędam species materię, quę hoc tempore non inuenitur. Alij quod est ęs albũ, & de hac dictione, ait mẽtionem esse apud Pindarum in Aspide, dum inquit: *atque areas splendescente induit ex auricalcho.*

Primum quidem enim, & non substantiarũ esse. Tanquam absurdum hoc loco reputatur, ꝙ etiam esset definitio non substantiarum, si supponatur in nomine contineri definitionem: qm̃ in lib. 7. Met. docetur, substantiarũ proprie esse definitionem, non autem aliorum prędicamentorum, quę sunt accidẽtia, quorum tñ possunt esse nomina. Et cũ subiungitur, *& non entium*, innuitur, quod etiã non entium erit definitio ob prędictam rationem. Siquidem & nõ entibus nomina apponuntur, vt patet de vacuo, & de hircoceruo: Et denique omnes orationes essent definitiones: quod etiã in libro 7. Met. adductũ est tãquam inconueniens.

li. 7. Met. c. 7. / li 7. Met. cap. 4.

Nulla scientia. Ait ꝙ nulla scientia ostenderet, ꝙ hoc, vel illud nomen significent talem rẽ; id q̃dẽ, qm̃ nomina ad placitum sunt imposita, vt statutum est in libro Perhier: vnde vanus labor esset aggredi demonstrare, q̃d hoc nomen quid tale significet.

li 6. Perih c. 4.

Insinuatur ipsum quod quid est quodammodo demonstrari.

ITerum autem speculãdum est, quidnam in præcedenti disputatione recte, & quid nõ recte sit suppositum & conclusum: simul explicando quid sit definitio, & determinando num aliquo modo ipsius quod quid ẽst sit demõstratio, & definitio; aut nullo pacto sit. Quoniam igitur (vt dictũ est antea inter initia huius libri) idẽ est scire causam ipsius si est; & ratio huius assertionis est, quoniam causa est quid, seu quidditatem cõtinet; vnde scire causam ipsius si est, est scire quid sit illud, de quo quæritur. Ideo hac stãte suppositione, quęrendum est, num causa ipsius si est, quæ continet quid est, sit idem cum eo, de quo quæritur si est an quid aliud. Et si aliud, vel est demonstrabilis, vel indemonstrabilis. Et quidem si est idem cum re, iam non potest ostendi talis causa cõtinens quid est rei, nisi per aliam definitionẽ: vnde idem per idem demonstraretur, quod antea impugnatum est: quoniã ita fieret petitio principij. Si autem sit aliud, ita vt nõ contineat prorsus eandem totam rei essentiam, & est demonstrabilis causa, necesse mediũ esse causam, qua demonstretur alia causa, vt ita in prima figura, demon-

ſtratio vniuerſalis, & affirmatiua de eo quod quid eſt concludatur. Et quidem vnus hic erit modus nūc exquiſitus, & explicatus, quo ipſum quod quid eſt, per aliud qđ quid eſt, poſſit demonſtrari. Siquidem neceſſe eſt, ipſorū quod quid eſt, & mediū eſſe quod quid eſt, & propriorum proprium. Vnde hunc in modum partim monſtrabitur, & partim non monſtrabitur eorum, quę ad ipſum quod quid eſt rei pertinent. Et hic quidem modus, quòd non ſit demōſtratio ipſius quod quid eſt rei, dictum eſt antea; quoniam non ipſum totum quid demonſtretur. Sed eſt logicus ſyllogiſmus ipſius quod quid eſt, in quantum quod quid per aliud quod quid demonſtratum eſt.

Adnotationes.

I*Terum autem conſiderandum quid recte.* Hinc colligitur, ꝙ pręmiſſa diſputatio nō prorſus eſt admittenda in omnibus, quę deducta fuerunt, ſed aliqua ex parte. vt quodammodo in aliquibus veritatem habeat; & non in omnibus. Etenim hæc tanquam veriſſima admittenda ſunt, quòd non eſt idem demōſtratio, & definitio; ꝙ non omnis eius eſt definitio, cuius eſt demonſtratio; & ꝙ abſolute ipſum quid eſt, non poteſt neq; demonſtratione demonſtrari, neq; definitione oſtendi totum ſimul ſumptum, ac ſi ita ꝓbetur, cum tñ ſupponatur in ſcientijs. Concedendum eſt autem, vt patebit ex ſequentibus, ex demōſtratione elici poſſe, quod quid eſt, licet ex propoſitio non demonſtretur: nec non ꝙ elici poteſt ex demonſtratione, illud idem exponi poſſe per definitionem mutata terminorum poſitione.

Numquid quodammodo eſt demonſtratio, & definitio. Hac dictione, *quodammodo*, colligitur non excludi, quin poſſit aliqualiter aſtrui demonſtratio de ipſo quod quid eſt, nō quidem abſolute; ſed qm̄ aliud per aliud probetur: vtputa materialis definitio per formalem: non autem tota rei definitio. Cum vero ſubiungitur, *& definitio*; hinc innuitur quòd etiam oratio definitiua explicat ipſum quod quid eſt; & ꝙ datur talis oratio, de qua, quomodo ſe habeat, erit explicandum.

Idem ſcire quid eſt, & ſcire cauſam ipſius ſi eſt. Hoc aſſumptum fuit ſupra cap. 2 Tanquam ſemen huius pręſentis tractationis; nempe, quod ſcire quid eſt idem eſt, quod ſcire cauſam, ſi aliquid eſt. Et hoc qm̄ (vt dr̄ etiā hoc loco) cauſa eſt ipſum quid nempe continēs quid rei. Sed aduertendum Græce legi ἐστὶ τι αἴτιον. Vnde non recte ſic conuerſum videtur, *eſt aliqua cauſa*, cum verti debeat *eſt quid cauſa*: hoc eſt, cauſa continet ipſum quid; & ideo idem eſt ſcire cauſam ſi eſt aliquid, & ſcire quid eſt; vt hoc ſit ratio: qm̄. ſ. cauſa eſt ipſum quid, ſeu continet ipſum quid. Ex quo colligitur, omnem cauſam, ſiue internam, ſiue externam continere aliquo pacto ipſum quod quid eſt.

Aut eadem. Nihil moratur Ariſt. in hac parte, ſi ſit idem cauſa cum re, de qua agitur. Nam ſi idem ſit cum re, & ſit demonſtrabilis cauſa, oporteret adeſſe aliam cauſam, idē totum eſſe rei complectentem; & ita idem per idem oſtenderetur; quod eſt manifeſta petitio principij

Aut indemonſtrabilis. De hoc etiam mēbro nihil habet vltra Ariſt. qm̄ non deſeruit ꝓpoſitio, cum quæratur, num poſſit qđ quid eſt demonſtrari, de quo non eſſet quærendum, ſi ſupponeretur quòd ſit indemonſtrabilis cauſa.

Neceſſe eſt medium eſſe cauſam. Iſtud habet, quod ſi cauſa continens eſſe rei non totale, eſt demonſtranda, oporteret accipere cauſam aliam mediam, vnde conſtruetur ſyllogiſmus vniuerſalis affirmatiuus in prima figura, demonſtrans partem ipſius eſſe rei ꝑ cauſam cōtinentem aliam partē ipſius eſſe rei; quemadmodum de ira hunc in modum fieret demonſtratio. Propter appetitū vindictę fit accenſio ſanguinis circa cor; ira eſt appetitus vindictæ, ideo eſt accenſio ſanguinis circa cor; vt ita pars definitionis, quæ eſt accenſio ſanguinis circa cor, demonſtretur per aliam, quæ eſt appetitus vindictæ. Sed hunc modum (ait Ariſtot.) nō eſſet demonſtrationem ipſius quid eſt, vt dictū eſt antea; qm̄ non demonſtratur abſolutè totū qđ eſt; *Sed eſt logicus ſyllogiſmus ipſius quid eſt.* Quod ita explicant Io. Gram. & Euſt. quonam fiat petitio principij. Sed aduertendū in ſuperioribus dictum eſſe, ꝙ ſi cauſa accipiatur continens totum eſſe rei, & per ipſam dicatur oſtendi ipſum quid rei, hanc eſſe veram petitionem principij: Quod nō vr̄ cadere in hac alia demonſtratione, vbi ſupponitur, partem definitionis per aliam partem demonſtrari; niſi dicatur, ꝙ aſſumatur pars definitionis non probata; & ideo committi petitionem principij, eo quod totum ipſum quid non demonſtretur. Verum non erit petitio principij circa partem probatā, quæ per cauſam demonſtratur, & eſt concluſio demonſtrationis. S. Thomas interpretatur, eſſe ſyllogiſmum logicum, qm̄ ſufficiēter non probetur ipſum quod quid eſt; ſed ſolum ꝙ inſit. At dicēdum videtur, ꝙ immo probatur quid eſt, ſed per aliud quid eſt, qđ non eſt probatum: ac propterea logicus dicendus eſt Syllogiſmus, tanquam ad petitionem principij accedens; cum in huiuſmodi demonſtratione opponi poſſit, quod ipſum quid eſt totum, & abſolute non ſit oſtenſum.

Io. Grā. Euſt.

Impug.

S. Thom.

Quo-

Quomodo per demonstrationẽ contingat manifestari ipsum quid est.

QVo autem modo contingat manifestari, quod quid est, iam aperiendum est, sumpto iterum eo principio, de quo & antea fuit mentio; ꝙ, quemadmodum quærimus propter quid, prius obtinentes quia est id, de quo quærimus propter quid, & interdum vtrumque simul nobis innotescit, nunq̃ autem pót esse, vt ante quia est, cognoscamus propter quid: ita quoque manifestum esse debet, ꝙ non potest nobis esse notũ quid sit aliquid, nisi prius innotuerit quòd est. Siquidem impossibile est nos cognoscere quid est aliquid, ignoremus an illud sit. Sed aduertendum, quòd interdum de aliquo secundum accidens habemus quòd sit, interdum vero habemus quid sit, obtinentes aliquid de eius quidditate: veluti de tonitru, quòd sit sonitus nebularũ: & de eclipsi, quòd sit priuatio luminis: & de homine, quòd sit quoddam animal: & de anima, ꝙ sit seipsam mouens: Hinc inferendum, quòd de his, de quibus per accidens aliquid cognoscimus quia sunt, necesse est dicere, nihil haberi ꝙ pertineat ad quod quid est ipsorum: quãdo neq; si sint hæc, neq. prorsus scimus, cum ignoremus quomodo sint: adeo quod quærere de rebus quid sint, si ignoretur quòd sint, est nihil quęrere. De quibus autem habemus aliquid de eorum quidditate, de ijs facile est venari, & cognoscere quid sint: vt sit concludendum, tanquã regula vniuersali, quòd eo modo, quo nos habemus ad ipsum quia est, eodem etiam modo nos habemus, ad ipsum quid est. Adeo quòd, qualis est de aliquo notitia quòd sit, talis quoq; est de eodẽ notitia quid sit.

Et vt doctrina hæc exemplis illustrior reddatur, auspicãdo ab ijs, de quibus habemus aliquid de eorum quidditate: sit Eclipsis A, Luna sit C, obiectio terræ B, Vnde dicimus, quòd quærere, nũ deficiat Luna nec ne, est quærere ipsum B, num sit an non, nempe nũ sit obiecta terra ipsi Lunæ, nec ne: quod quidem non est diuersum, sed idem cum ipso, ac si quęratur si est ratio, seu definitio huiusmodi defectus. Et si fuerit obiectio terræ, dicimus etiã quòd est ecclipsis in Luna. Et hoc idẽ dicendũ de quacunq; parte, si quæstio sub vtraque parte contradictionis fiat. Veluti hunc in modũ; si quæratur, num habet triangulus angulos rectos, aut non habet linea aliam lineam intersecans? sic enim est quærere vtrius partis ratio sit, & definitio. Et quando hanc rationem venati erimus, simul etiam sciemus quid est, & ꝓpter quid sit, si fuerit hoc per medias causas cognitum. Quòd si nó per medias causas fuerit cognitũ, sciemus quia est; non autem ꝓpter quid. Veluti in hoc exemplo: Sit Luna C, defectus A, in plenilunio vmbram non posse facere nullo inter nos existẽte manifesto sit B. si igitur ipsi C, nẽpe Luna inest B, quod est non posse vmbram facere nullo inter nos existente, & huic B, insit A, quod est deficere: ita quidem planum est, quòd Luna deficit; at propter q̃d uondum est manifestum; & quod defectus est nouimus, quid vero sit non cognoscimus. Existente au-

autem manifesto ꝙ A, ipse defe-ctus inest ipsi C, ipsi Lunæ, mox propter quid inest quærere, est quærere quid est B. Vtrum sit obstructio, an Lunæ conuersio, aut extinctio luminis; & hoc est definitio alterius extremi, nẽpe maioris termini ipsius A, in hoc exẽplo: Siquidem Eclipsis est obiectio terræ. Similiter si quæramus quid est tonitrus, dicetur ꝙ est ignis extinctio in nubes: propter quid tonat: quoniam extinguitur ignis in nubibus sit nubes C, tonitrus A, extinctio ignis B; Ipsi igitur C, ipsi nubi, inest B, nempe extrinctio ignis, huic autẽ sonus, & est B definitio ipsius A maioris extremi in hac demonstratione. Et si rursus huius medij aliud fuerit medium, ex reliquis rationibus erit manifestandum. Quomodo igitur accipitur quid est, & nobis fit notum, dictũ est; vt concludamus, ꝙ neq; sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius fit altera causa, neque ipsius est demonstratio; quemadmodum in dubitationibus dictum est antea.

Adnotationes.

N*Onnunquam vero & simul manifesta fiunt.* Ait interdũ, dum quærimus quia est, contingere vt, nobis innotescat simul cum quia est, etiam propter quid est; nempe, qm̃ tota ratio appareat, vnde aliquid ita est; nõ tñ semper ita erit. Sed interdum paulatim ad exactam notitiam ipsius ꝑꝑ quid deuenimus. Procedit autem Arist. a quæstionibus, quia est, & propter quid ad alias, si est, & quid est, tanquam a notioribus; & id merito cum sit sermo de scientia demonstratiua, & sit intentio palam facere, quomodo ꝑ demonstrationem, & consequenter per definitionẽ ipsum quod qd est manifestetur.

Necessarium est nullo modo se habere ad ipsum quid est. Hoc ait, ꝙ habendo aliquid de re, quod ei insit vt accidens, necessario hinc nihil habebitur, quod ad eius quod quid est pertineat. Et id est perspicuum; qm̃ accidẽs non est de essentia rei; ipsum autem quid pertinet ad rei essentiam.

Neque enim quod est scimus. Ait, per accidentis cognitionem nõ cognosci ꝙ aliquid sit: Consequenter neq; quid sit cognoscetur; cũ in vtroq; quæsito eadem via ad notitiam habendam incedatur, vt dictum est.

Hoc autem nihil differt quærere quàm si est ratio ipsius. Vtputa, quærendo circa Lunã nũ deficiat, est quærere, nũ sit ratio huius defectus; nempe, num sit obiectio terræ; qđ quidẽ est ratio, cur insit Lunæ defectus. Et hinc ex ijs præhabitis suppositionibus aperitur definitio, seu quid est Eclipsis in demonstratione: probatur. n. quòd est Eclipsis ꝑꝑ obiectionem terræ, & hæc est definitio Eclipsis. Si autem est obiectio terræ, est ẽt Eclipsis, cum ab hac causa dependeat, & sit. Vnde colligitur, in demonstratione habita per causam propriam, demonstrari semper esse ẽctum simpliciter esse ob suam causam; vt simul & quia, & propter quid a priori habeatur.

Aut vtrius contradictionis est ratio. Hoc vult, quæri posse secundum vtramq; partem cõtradictionis; Veluti si quæratur, num habet triangulus angulus rectos, aut nõ habet, id quippe est quærere, si est ratio, cur habeat, aut non habeat angulos rectos.

Simul ipsum quod, & ipsum propter quid nouimus. Ait, quòd inuenta ratione ꝑꝑ quid est aliquid, simul nouimus & quòd est, & propter quid est: qm̃ ex ipso ꝑꝑ quid vere scimus, & secundũ se ꝙ sit aliquid, scientes per eius causam: quod est scire simpliciter. Et vult quòd sit hęc notitia habita per mediũ .i. per causas immediatas, & proprias.

Si autem non ipsum quod. Si autem (inquit) non accipiatur medium, & causa immediata; aut accipiatur accidens, nempè (vt habet Them.) ipse effectus, licet possit patere, vtputa Lunam deficere, qm̃ in Plenilunio vmbrã nõ possit facere, nullo manifesto inter nos & ipsam existente: attamen sic, qm̃ non accipitur causa immediata, non est cognitum propter quid sit defectus Lunæ; licet cognosci possit ꝙ sit defectus, sed neq; (vt dictum est in superioribus) dici potest ita cognosci propriè quia est, cum non cognoscatur causa, propter quam est. Ex quo colligitur, iure merito a nobis supra impugnatum esse dictum illud Themistij, quo volebat ex cognitione acquisita de ipso quia est, simul etiam duci nos semper in acquisitionẽ causæ: Cui sententiæ manifeste aduersantur, quæ dicũtur hoc loco ab Arist.

Themist.

Hoc autem est ratio alterius extremi Et declarat, se intelligere ipsum A, maiorem terminum, qui in exemplo assignato est defectus luminis. Vnde aperte colligitur ex Aristot. sententia, quam etiam confirmat paulopost in exemplo de tonitro, dicens, *vtique ratio ipsius A primi extremi,* quòd medium in demõstratione simpliciter est definitio passionis, quæ demonstratur inesse subiecto

Si vero huius aliud medium sit ex reliquis erit rationibus. S. Thom. per alias rationes, intelligit definitionem subiecti, quæ est præcipuũ medium. At Io. Gram. & Eustratius intelligunt alias causas earundem passionum. Et vñ interpretatio admodum consona verbis Aristot. cum dicat, si fuerit huius aliud medium

S Thom. Io. Grã. & Eust.

dium

dium,& est sermo de maiori extremo. Vnde definitiones alias huius extremi innuere videtur; quandoquidem,& aliqua forma potest per aliam explicari; veluti (vt notat Eustr.) si quæratur, cur homo est animal, dicetur, quõ est substantia animata sensibilis; & rursus propter quid animal est substantia; dicemus, quoniam est susceptiuum contrariorum.

Eust.

Quare syllogismus quidem ipsius quid est non sit, neq; demonstratio. Eustratius animaduertit, dictum illud de syllogismo esse explicatum per vocem *demonstratio*: quoniam possit fieri syllogismus ex contingentibus, per quæ ipsum quod quid non ostenditur. Aut ita explicandum, quoniam neq; syllogismo logico probatur quid est, neq; per demonstrationem, vt requirit propria ratio demonstrationis, licet innotescere possit ipsum quod quid est ex demonstratione. Adnotandũ autem, quod accidens illud, de quo dicit Aristot. quòd si quidpiam noscamus secundũ accidens quòd sit, hinc nihil haberi de re quid sit, quin neq. sciri quòd sit: non est accidens propriũ a quo licet peruenire ad notitiam ipsius quid est, vt insinuauit Aristot. in proœmio de Anima, dum dixit, quòd accidentia propria magnam partẽ conferunt ad cognoscendum quod quid est. Vnde perperam recens interpres supponit quòd accidentia, etiam quod non sint propria, conferant ad inuestigãdam notitiam ipsius q̃d est. Cui palam refragantur verba Aristot. afferẽtis, vt dictum est, per ea quæ sunt per accidens, neq; sciri quod aliquid sit: ne dum ipsum quid sciatur. Cum tñ ex propriis accidentibus vtrumq; haberi possit', & q̃ res est & q̃d est. Adnotandum ẽt ex posteriori modo, quem Arist. induxit ad manifestandũ quid est, non absolute ipsum demonstrari: sed, assumpto quia est per modum complectentem essentiam', hinc ex causa ipsius q̃a est, docuit Aristot. probari, seu demonstrari propter quid sit illud quod est: in qua demõstratione cum contineatur, tum rei demonstrandę quia est definitio, tum definitio causæ, dicens propter quid, hinc cuncta rei definitio ex demonstratione elucescere, & manifestari dicitur.

lib. 1. de An. cap. 1

De medio demonstrationis expediia disputatio.

EX nuper explicatis sese occasio offert speculandi, quid nam in demõstratione propter quid nũcupata, quæ simpliciter facit scire, statuendum sit medium: num definitio maioris extremi, ipsius scilicet passionis, an definitio minoris termini, cuius locum obtinet subiectum passionis susceptiuum. Et quidem, si attendãtur penes hãc quæstionem, quæ enunciata sunt ab Arist. nullatenus dubitandum videtur, quin statuẽdum sit quòd medium in huiusmodi demõstratione sit definitio maioris extremi, ipsiusq; passionis. Etenim in primis ex explicatis in cap. 7. huius libri contextu 41. id manifestissime significatum est ab ipso in illis verbis. *Cum autem manifestum fuerit q̃ A ipsi C inest: at propter quid inest est quærere ipsum B, quod nam sit, an obstructio, an Lunæ conuersio an extinctio luminis; hoc autem est ipsa ratio alterius extremi vt in ijs ipsius* A. Prætcrea infra cap. 14. contextu 95. Quęrens Aristot. num contingat non eandem esse causam in omnibus; sed aliam & aliam, concludit, q̃ si per se demonstratum est, & non per signum vel per accidens, non potest pluribus, propria causa accommodari; cuius dicti subiungit hanc rationem: *quoniam ratio extremi medium est.* Adhuc eadem cap. contextu 97 Sermonem habens, quomodo mutuo se consequantur causa, & id cuius est causa, & id cui est causa, de medio, cui competit vt sit causa, hæc infert. *Est autem medium ratio primi extremi: quo circa omnes scientiæ per definitionem fiunt.* Ex his omnibus itaq; constat in demõstratione largiente propter quid, ex sententia Arist. pro medio assumi debere definitionem maioris termini. Et iure quidẽ ita statuendum videtur: quandoquidem in demonstratione prędicta probatur maiorem terminum inesse minori: vnde & causa, ob quam insit maior terminus, videlicet passio minori termino ipsi subiecto, semper est assignanda. Quamquam autem expressa hæc Arist. sententia appareat, nihilominus tñ doctores grauissimi in oppositam sentẽtiã ierunt, asserẽtes in demonstratione assumi etiam definitionem subiecti, & hoc in potissima demõstratione, in qua supponunt definitionem secundum causam formalem assignari: ijdem tñ concedentes in genere demonstrationis non potissimæ, qualis est (vt ipsi sentiunt) ea, in qua per causam externã proceditur, cadere ꝓ medio definitionem passionis: quę deinde, si sit probanda ad definitionem subiecti, inquiunt, accedendum esse. Ex horum numero inter alios extitit S. Thomas. & Scotus; qui ad hanc probandã opinionem hæc induxit argumenta. Primo (inquit) cũ omnia propria accidentia fluant a forma subiecti, tanquam a propria causa, ideo per hanc debent etiam demonstrari: sed forma, seu causa subiecti est ipsamet d̃finitio subiecti, igitur per definitionem subiecti, tanquam per proprium mediũ passiones erunt demonstrandæ. Pręterea hunc in modum Scotus argumentatur illa non est potissima demonstratio, cuius principia tũ secundum esse, tum secũdum cognitionem ex alijs pendent prioribus principijs: idq; supponit manifestũ ex eo, quod docuit Aristoteles in lib. 1. Poster. Nempe demonstrationem potissimam constare debere ex primis principijs, quibus alia non sint priora: sed definitio passionis habet aliam causam anteriorem, a qua dependet, nempe formã & definitionem subiecti (cum subiectũ sit causa passionis & definitionis eiusdem) igitur demonstratio per definitionem passionis tradita, cum habeat aliam priorem causam, per quam demonstratur, non erit potissima demonstratio, & consequenter erit accedendum ad demonstrationem, in qua definitio subiecti assignetur'. Addunt nonnulli, & hoc aliud argumẽtum, tanquam ad inconueniens pertingens: quoniã (inquiũt) si esset assignanda pro medio demonstratio

S. Thom. Scotus.

Primũ argumen. Scoti.

Secundũ.

Tertium.

nis

nis definitio passionis petitio fieret principij: quoniam passio demonstretur per suam definitionem, quæ idem est cum definitio; & ita idem per idem. Ad hęc subiungit S. Tho hanc eandē fuisse sententiam Arist. quòd definitio passionis resoluatur in definitionem subiecti: idque colligit ex nonnullis verbis habitis ab Arist. in libro superiori, in qua quęstione, quam tractat, circa demōstrationem vniuersalem & particularē: Ibi enim intulit Arist. quòd causa vniuersalis esset ratio, cur triangulus æquilaterus habeat tres angulos externos ęquales quatuor rectis, quoniam. s. est figura: vnde colligit S. Thomas, in hoc exemplo primā demōstrationem resolui in aliam causam, quę pertinet ad subiectum & ad eius definitionē.

Quartū. 1. Post. Analyt. t. 10.

Quintū. 4. Phis. lib. 1. de Ani.

Adhuc etiam possunt in hanc sententiam, quæ habentur ab Arist. in libro 4. Phys. cōtextu 31. & in lib. 1. de Ani. in contextu 11. dum inquit in loco Phys. quòd omnis bona definitio hęc tria præstat munera: Primo tradit essentiam rei definiēdæ: secundo resoluit omnis contingentes difficultates: ac demum accidentium omnium, quæ rei insunt, causam largitur. In libro vero de Anima ait, vanam & dialecticam esse eam definitionem, quæ rei definitæ accidentia, eorumque causas non declarat. Vnde pro affectionū demonstratione, ex sententia Arist. tandem videretur ad definitionem subiecti esse deueniendum.

Sextum.

Solut. 1

Verum ad hęc obiecta, quod attinet ad primum argumētum Scoti, in primis negari potest eius suppositum, quòd omnia accidentia, quæ sunt propria rerū, fluant ex natura & forma subiecti. Nam de augmēto seu decremento luminis cōtingente in Luna, manifestum est quòd hęc passio ab eius figura, & non a forma aut propria natura Lunæ prouenit. Sed & quæ affectiones proprie proueniunt a natura & a forma subiecti, dicimus quòd ex eadem natura obtinēt definitionem dicentem causam vti propriā harum affectionum, eo modo vt paulo post explicabimus.

Solut. 2

Ad aliud vero argumētum Scoti, dicimus nullibi ab Aristotele explicatum esse illud, quod ipse supponit; quòd aliqua demonstratio sit potissima, & alia non sit potissima ex his demonstrationibus, in quibus singulis propter quid tradatur, quòd est scire simpliciter & per causam: licet non sit infitiandū, demonstrationem quæ ex prioribus & notioribus principijs procedit, præstantiorem esse ea, quę ijs primis fulcita principijs per alia quoque inferiora principia, alia problemata posteriora demonstrat, vt patet apud Mathematicos: apud quos aliquæ sunt priores demonstrationes, quæ assumuntur vna cum alijs adminiculis ad demonstrāda alia problemata posteriora. Quod si forte deductio fieret, qua perueniretur ad demonstrationem complectētem aliquid, quod ad definitionem subiecti pertinent: attamen & id, quod assumeretur in huiusmodi demonstratione, erit causa, & consequenter definitio passionis inhęrentis subiecto, vti dilucidabimus.

Solut. 3

Ad tertium vero argumentum inductum a nonnullis alijs, quòd si definitio passionis esset medium in demōstratione sequeretur hoc inconueniens, quòd idem per idem demonstraretur, eo quòd definitio & definitū sint vnum & idem: respondetur, non accipi medium in demonstratione, quod cunctam definitionem passionis complectatur, sed illam tantum partem, quę causam continet, per quam effectus, seu pars definitionis dicta materialis demonstratur: veluti penes iram definitio effectum explicans est accensio sanguinis circa cor, quę per hanc aliam partem tanquam causam ipsius (& est appetitus vindictæ) demonstratur: quod docuit Aristot. in pręcedentibus, tradens quomodo definitio, quę cadit in conclusione, possit per definitionem complectētem principiū & causam demonstrari: Cum deinde ex vtraq; constituatur integra rei definitio, sola positione terminorum differens a demōstratione simpliciter nuncupata.

Solut. 4

Ad quartum vero argumētum quod adducit S. Thomas ex verbis Aristot. in libro præcedenti, dum diceret, quòd insit triangulo æqlatero habere angulos æquales quattuor externis angulis, id nō prouenire, quā sit triāgulus æquilaterus, neq; absolute quā sit triāgulus; Sed quia est figura recti lineæ; ex quibus verbis deduxit S. Doctor, ad definitionem subiecti demōstrationes esse reuocandas; dicimus eo loco id astruere Aristotelem, vt doceat, demonstrationem vniuersalem præstare particulari ex hoc etiā capite; quā in vniuersali tum subiectum cōprehenditur; cui primo inest passio; tū causa, a qua dependet inhęrentia passionis; prout perspicuum est in exēplo assignato. Nā (vt habetur loco citato) neq; triangulus æquilaterus, neq; simpliciter triangulus, quatenus triangulus, obtinet hanc passionem, vt habeat angulos æquales quattuor angulis externis; Sed ipsi id conuenit ratione figuræ recti lineæ; circa quam vti primū subiectum prædictæ passionis demōstratio est exercēda. Et id quidem animaduersum est loco prædicto ab Arist. iuxta præcepta ab ipso ante tradita obseruanda penes vniuersale; quod sane exigitur in omni demōstratione simpliciter confecta. Nulla autē erit per se demonstratio de triangulo, quatenus triāgulus, habeat angulos æquales quatuor angulis externis: non. n. hunc in modū haberetur demonstratio vniuersalis. Vnde, cum quę competunt figuræ recti lineæ, nō possint assignari vt propria ipsius triāguli, consequenter locum nō habet deductio facta a S. Thoma, quod ex hoc loco colligatur demonstrationem passionum reuocandā esse ad definitionem subiecti; Cum neq; proprietas figuræ rectilineæ, quæ est habere angulos æquales quattuor externis angulis, neq; huius passionis causa per se triangulo, quatenus est triangulus, possit assignari.

Solut. 5

Quod vero attinet ad loca adducta ex lib. 4. Phys. & ex libris de Anima, illud in primis animaduertimus; dictum illud Aristot. in lib. 4. Phys. non ex necessitate intelligendum esse de definitione subiectorum; quin possit etiam applicari ad definitionem passionis.

sionum: nempe & de his recte tradi definitionem si essentiã rei explicet, & tollat omnes contingentes difficultates, & simul causas afferat accidentium. Siquidẽ & passionum propriæ sunt definitiones: consequenter & causæ, quę si recte assignẽtur omnes auferent in his contingentes difficultates. Sed quoniam in libro primo de Anima, vbi dr, quod vana & dialectica sit illa definitio, quæ rei definitæ accidentia eorundemque causas nõ declarat, manifeste complecti videtur sermonẽ de subiecti definitione, ex qua, accidentia subiecti, & eorum causę debeant esse perspecta (vnde subiungitur, ex definitiõe lineę, & ipsius recti vel curui innotescere posse, quot nam sint anguli in triãgulo æquales duobus rectis) idcirco supponentes nos loci illius propriũ hunc fuisse conceptum Arist. dicimus, subiectum, & subiecti proprias passiones adinuicem eũ obtinere respectũ, vt ex cognitione & definitione subiecti, emanet cognitio & causa passionum; & e conuerso, ex cognitione & definitione passionum emanet quoq. & illucescat notitia naturæ subiectorum: Vnde Aristot. in libris de Anima, ex operationibus sensitiuis manifestauit naturam facultatum sensitiuarum, & ex facultatum definitione, ordine priori secundum naturam manifestantur quoque præclariori modo eędẽ operationes a pręd ictis facultatibus emanantes.

Iam vero reliquũ est patefacere, quomodo passiones fluentes a natura subiecti obtineant propriam causam & definitionem, ob quam demonstrantur: adeo vt medium in his quoq demõstrationibus sit passionis definitio. Etenim ex aduerso adducitur potissimum demonstratio de hominis risibilitate quæ hunc in modũ constitui solet: Animal rationale est risibile: homo est animal rationale, ergo homo est risibilis, qua in demonstratione perspicuum est, mediũ assumptum, esse definitionem ipsius subiecti hominis: Neque videtur dici posse, ꝙ eadem sit definitio risibilitatis: non. n. congrue diceretur, ꝙ risibilitas sit animal rationale. Ad hoc, sicuti passio fluit a natura subiecti, ita etiam ab eodem, vt ab eius natura, & ita a definitione subiecti necesse est vt passio ꝓueniat. Vnde ad definitionẽ subiectij, quæ non est definitio passionis, pro demonstranda huiusmodi passione, erit recurrendum.

Dubit.

Huic cõclusioni nos manus dantes, dicimus nihilominus ex natura subiecti causam esse sumendam, per quam constituatur in subiecto passio, & qđ huiusmodi causa erit definitio dicens rationem, propter quam passio in subiecto insit: adeo ꝙ mediũ erit in demonstratione definitio passionis, nempe causa effectiua ipsius: quamuis, quod assignabitur pro causa passionis, possit etiam concernere aliquatenus (& id rõnabiliter) naturam ipsius subiecti, modo tñ diuerso: Tum qm̃ nõ assignabitur pro medio demõstrationis constructæ de passione eadẽ omnino definitio, quę assignatur de subiecto: tum etiam, qm̃ sub alio modo tradenda est definitio passionis, & alio modo vt est definitio explicatiua subiecti: Etenim, animal rationale, est definitio hominis continens eius essentiam, vt sit idem homo, quod aĩal rationale: non autem hęc eadem assignabitur definitio de risibilitate hoĩs: Sed alia & alio modo diuerso: adeo ꝙ definitio hoĩs, vt erit explicatiua eius essentiæ, ꝓprie continetur in primo modo dicendi per se, sub Typo dicto Gręce καθ' ἀυτὸ, at definitio effectiua passionis, siue fluat ab interna natura subiecti, siue a causa externa, vt cõtingit de tonitro, & de Eclipsi & alijs huiusmodi, continetur sub quarto modo dicẽdi per se sub Typo Gręce dicto δι' ἀυτὸ, vt hinc ꝓprie denotetur causa effectiua passionis quę etiam eius definitio nuncupatur: quẽadmodum patet de interpositione terrę respectu lunacei defectus, & de extinctione ignis in nubibus respectu tonitri. Vnde reuertẽtes ad proprietatem hominis, quę est ipsa risibilitas, dicimus ipsius definitionem dicentem effectũ risibilitatis, esse eiusmodi: quod risibilitas siue risus est spirituum quędã hilaritas in ore & in facie hominis apparens: quę definitio in secũdo modo dicendi per se continetur: quoniam subiectũ ipse homo cũ eius spiritibus in eius definitione accipitur. Definitio vero vt effectiua huius effectus in quarto modo dicendi per se continebitur: quæ assignari potest, quòd est de rebus visis admiratio: vt hunc in modum de risu hominis ponit proprie assignari demonstratio. Propter admirationem de rebus visis fit spirituum hilaritas in ore & in facie hominis apparens; risus est admiratio de rebus visis, ergo risus est spirituum hilaritas in ore & in facie hoĩs apparens. Sed & huius demonstrationis, in qua assumpta est pro causa, ipsa admiratio de rebus visis, vti effectiua risus; potest alia assignari causa superior, ob quam demonstretur, ꝙ risus seu hilaritas spirituũ in ore & facie hominis apparẽs fit admiratio de rebus visis; & erit medium & causa ipsa operatio rõnis adhibitę ab homine. Hunc enim in modum astruetur demonstratio: propter operationem rationis adhibitę ab homine fit admiratio de rebus visis; risus seu hilarias spirituum in ore & in facie hominis apparens, est operatio rationis adhibitę ab homine: ergo risus seu hilaritas spirituum in ore & in facie hominis apparens, est admiratio de rebus visis. Ex ijs itaque apparet, ꝙ operatio rationis adhibitę ab hoĩe est q̃dam emanans a natura humana, quatenus est particeps rõnis: id tñ non assignabitur vti propria & perfecta definitio hoĩs: Sed erit ipsius risus definitio dicens causam ipsius effectiuam sub Typo quarti modi dicẽdi per se contentam. Quod & de oĩbus alijs passionibus fluentibus ab interna natura subiectorum est asserendum, quod comperiet quicunq. eas iuxta modum nunc a nobis assignatum speculabitur. Vnde concludendum in demonstratione potissima medium semper esse causam & definitionẽ passionis demonstrandę. Quod & in oĩbus demonstrationibus quarũ maximus numerus excerpi põt ex Phylosophia Arist. ac pręsertim ex libris qui Parua Naturalia nuncupantur, ita factitatum inueniet, qui illas di

Solut.

li-

ligenter ſcrutatus fuerit. Vera autem eſſe quę attigimus de riſu, ꝙ excitetur ex admiratione percepta rerum quę nobis offeruntur, & ꝙ huius admirationis cauſa immediata ſit operatio rationis adhibita ab homine quiſque diligenter animaduertẽs in ſe ipſe, poterit experiri. Sed ſi quis de hac exactionem etiam doctrinã haurire cuperet, adeat, & perlegat tractatum, quem in explicationibus de Poetica Vincentius Madius Brixianus Philoſophus eruditisſimus conſcripſit de ridiculis: quanquam ipſe in ea ſpeculatione perpenderit turpitudinem quandã in rebus inueniri, ex quibus riſus concitetur: ne aũt in vniuerſum demonſtrationem ex admiratione rerum perceptarũ conſtruximus circa causã & effectũ ipſius riſus.

Quæ definitiones demonſtrari poſſint, & quæ non poſſint, & quomodo demõſtratio ſola ter minorum poſitione differat a definitione.

SVnt autem nonnullæ res, quarum eſt alia cauſa, præter eam, quam habent in ſe ipſis: aliquæ vero ſunt, quarũ nõ eſt alia cauſa, a qua dependeant vt ſint. Ex quo patet, quòd & eorum, quæ important quod quid eſt, quædam ſunt immediata, & principia, quæ oportet ſupponere & quòd ſint, & quid ſint: vt facit Arithmeticus ſupponens de vnitate & quòd ſit, & quid ſit: vel alio modo oportet hæc patefacere, ſicuti ſenſu & alijs adminiculis. Naturalis ſuas aſtruit definitiones.

Earum autem rerum, quæ medium ſui eſſe habent, & ſubſtantia earum eſt aliqua alia cauſa, has quidem licet manifeſtare demõſtratione, vt dictum eſt antea: non autem quòd ipſum quid eſt abſolute demõſtretur. Et cum definitio dicatur oratio ipſius quod quid eſt, manifeſtum etiam, quòd alia erit definitio, ſeu oratio explicans quid ſignificet nomen, oratio dicta nominalis, veluti illa, quæ explicat quid ſit triangulus ſecundum nomen trianguli; de quo habentes quod ſit quærimus deinde propter quid ſit. Difficile eſt autem ſic accipere propter quid de his, qua neſcimus ꝙ ſint. Et cauſa huius difficultatis explicata eſt antea; quoniã, neq; ſi ſint, vere ſcimus hunc in modũ, niſi ſecundum accidens.

Oratio autem vna duobus dicitur modis, tũ coniunctione vna, vt Homeri Ilias; tum vna, quoniam vnum de vno ſignificet non ſecundum accidens. Definitionis itaq. definitio vna eſt prædicta, quæ vnum de vno non ſecundum accidens ſignificat: alia vero eſt definitio definitionis, nẽpe oratio manifeſtás ipſum propter q̃d; Vnde prima quidẽ ſignificat ipsũ q̃d; nõ autẽ illud demõſtrat. Veluti definitio Eclipſis, quòd eſt priuatio luminis, ſignificat quid ſit Eclipſis, non autem demõſtrat ꝑp q̃d ſit. Alia vero definitio oſtẽdés ꝑp quid ſit Eclipſis, vt cum dicitur, ꝙ Eclipſis eſt priuatio luminis in Luna ob terrę interpoſitionem, hæc manifeſtum eſt, ꝙ eſt tanquam demonſtratio ipſius quòd quid eſt, poſitione tantum orationis differens a demonſtratione. Quemadmodum diuerſum eſt dicere, propter quid tonat; & dicere quid eſt tonitrus in genere quæſiti. Item dicere hunc in modum prout facit demonſtrans: propter extinctionẽ ignis fit ſonitus in nubibus, tonitrus fit ob extinctionem ignis, ergo eſt ſonitus in nubibus, id ipſum eſt aliud & diuerſum, ac ſi dicatur; tonitrus eſt ſonitus in nubibus ob extinctionẽ ignis, vt ita fiat ſermo ſecundum formã definitionis; adeo quòd eiuſdem rei manifeſtatio his duobus modis fiat, quorũ alter eſt demonſtratio continuata, alter vero definitio.

Amplius vero ſciendum quòd definitio tonitri in demonſtratione eſt concluſio complectens ipſum quid eſt: Definitio autem immediatorum principiorum eſt poſitio de ipſo quid eſt indemonſtrabilis. Vnde dicendum, quòd eſt vna definitio ipſius quod quid eſt indemonſtrabilis; Alia vero eſt vt ſyllogiſmus ipſius qđ quid eſt, ſolo caſu, ſeu ſerie verborum differens à demonſtratione: & Tertia eſt definitio ipſius quid exiſtens concluſio in demonſtratione. Manifeſtum igitur ex dictis, & quomodo ipſius quid eſt, ſit demonſtratio, & quomodo nō ſit; & quorum ſit, & quorum nō ſit, exiſtens eorum, quorum eſt altera cauſa. Amplius etiam ex dictis perſpicuum eſt, quot modis definitio dicitur, & quomodo oſtendit, aut non oſtendit ipſum quid eſt; & quorum ſit, & quorū non ſit definitio. Adhuc, quomodo ſe habeat ad demonſtrationē, & quomodo cōtingit, & non cōtingit eiuſdē eſſe definitionem, & demonſtrationem.

Adnotationes.

E*St autem horum quidem altera quædam cauſa.* Quoniam antea dixerat Ariſt. ꝙ cuius eſt altera cauſa, eſt cognoſcere quid eſt per demōſtrationem; ideo hoc loco aſſerit, quomodo ſunt nonnulla, quorū eſt alia cauſa; veluti de Eclipſi Lunæ licet dicere, quòd eius cauſa materialis ad eſſentiam quoquo modo eius pertinēs, eſt priuatio luminis in Luna; & præter hanc cauſam, eſt & alia, obiectio. ſ. terræ continens propter quid ſit priuatio luminis in Luna. Vnde per hanc cauſam alia materialis demonſtrari poteſt.

Alia quidem immediata, & principia ſunt. Hoc habet, ꝙ vbi non eſt alia cauſa, ſed in ipſis ſolis conſiſtit eſſe rerū, hæc ſunt principia immediata, & definitiones immediatæ, quæ non demonſtrantur.

Quæ & eſſe, & quid eſt ſupponi oportet. Vt facit Mathematicus, ſupponens ſuas definitiones, & ꝙ ſunt, & ꝙ ita ſe habeant, *vel alio modo*: ſicuti naturalis, qui experientia, & inductione manifeſtat ſuas definitiones; & interdum etiam probabilibus rōnibus circa eas progreditur; cum & de principijs ſententiarum Topicæ poſſit tractari, vt docetur in lib. 1. Top. Sed & in lib. 6 eorundem. Top. loca plurima afferuntur ad probandas definitiones. Et Adnotandum, in lib. 6. Met. Ariſtotelem docere, quomodo differenter ſe gerant Mathematici, & Naturalis Philoſophus circa definitiones ſupponendas in proprijs ſcientijs.

l. 1. Top. cap. 2. li. 6. Met. c. 1

Quorum eſt aliqua altera cauſa ſubſtantiæ. Sermo eſt de quidditate: vnde cum dicat, *quorū eſt altera cauſa*, oportet intelligere quòd hæc ſit ſpectans ad quidditatē, adeo vt altera cauſa, veluti materialis, per alteram, veluti per formalem demonſtretur: quod quidem non ſolum requiritur in ſubſtantia, vt diſtinguitur ab alijs prædicamentis, verum etiam in aliorum prædicamentorū eſſentia; Et quāquam liceat alteram cauſam per aliam demonſtrare, attamen non abſolute dicendū eſt, ꝙ demonſtratur quod quid eſt; qm̄ ſi definitio materialis demōſtratur per formalem ipſa materialis non continet totum eſſe rei. Elicitur autem ex huiuſmodi demonſtratione vniuerſa rei definitio, cum ex cauſa probante, & ex ea quæ probatur, cuncta rei quidditas conſtituatur.

Aut oratio altera nominalis. Videtur his verbis Ariſtoteles nomen imponere orationi, quæ explicat, quid nomen ſignificet, & appellat ipſam *nominalem*, qua exponitur, q̄d intelligatur per hoc, vel illud nomen.

Et quidem coniunctione, vt Ilias. Hæc etiam acta ſunt in lib. Perihet. & in lib. 7. Metap. etenim etiam Ilias Homeri erit nexu, ſeu coniunctione vna oratio. Hæc aūt verba, *illa vero vnum de vno ſignificans non ſecundum accidens*, huc ſpectant, vt dicta ſint, tum ad differentiam orationis, quæ aſſignetur ſecū dum accidens; tum ad euitandam æquiuocationem; tum ad excludendam compoſiti definitionem, veluti eſt homo albus; quę q̄dem non eſt vna definitio, ſed plures continet, nempe & eam, quæ pertinet ad ſubſtantiam hominis, & eam, quæ concernat ipſius accidentis albi definitionem.

lib. Perih Sect. 1. li. 7. Met. c. 4.

Vna quidem definitio eſt definitionis. Ideſt dicere, ꝙ eſt vna explicatio, ſeu definitio vna definitionis, inquantum explicatur q̄d ſit res in ſua propria eſſentia; cum deinde ſit & alia definitio, quę prædictæ definitionis dicit, ꝓpter quid; vt ita prior definitio ſignificet quid eſt, poſterior vero ſit tanquā demonſtratio ipſius quid eſt, continens ꝓpter quid, differens poſitione a demonſtratione; cum alia ſerie, & alio ordine terminorum procedatur in definitione, & in demonſtratione aſſignanda; prout antea explicatum eſt. Adnotandum autem in lib. 8. Met. haberi, quòd ſine definitione dicēte ꝓpter quid, non ſcitur proprie rei natura: idque quoniam cauſa dicens propter quid, proprie rei naturam explicat.

li. 8. Met. c. 4.

Sic quidem demonſtratio continua. S. Thom. explicat, ꝙ non eſt demonſtratio cōtinua, qn̄ non eſt diſtincta per propoſitiones, licet tres termini aſſumantur. Vel *continua* dictū eſt, ſecundum Euſtratium, quia colligitur in prima figura affirmatiua, vbi termini non

S. Tho.

Euſt.

di-

diſtinguũtur inuicem, ſed in medio eſt medius terminus nõ diuiſus, vt in alijs figuris.

Una vero syllogiſmus ipsius quid eſt. Ait, definitionem continentem propter quid, eſſe tanquam ſyllogiſmum ſolo caſu, & probatione differentem a demonſtratione.

Quorum eſt, & quorum non eſt. Non eſt demonſtratio eorum, quorum non eſt alia cauſa. Aut ſecundum Ioannem Grammaticu, & Euſtratium, non eſt definitio ſimplicium. Adiungamus ꝙ etiam non entium non eſt definitio: alioquin ſi eſſet non entium definitio, quæ non ſunt, ſupponerentur eſſe.

Ia Gram.
Euſtr.

Quattuor genera cauſarum aſſumi pro medio in ſyllogiſmo demonſtratiuo.

QVoniam autem, ſicuti in initio libri ſuperiorrs acceptũ eſt, ſcire opinamur, cum cauſam cognoſcimus propter quã res eſt, & cauſæ genere ſunt quattuor; quarum vna continet quod quid erat eſſe, quæ etiam formalis dicitur; Altera eſt materialis, quæ hũc in modum explicatur, quòd quibuſdam exiſtentibus neceſſe eſt hoc eſſe; Tertia primum mouens, ſeu efficiens dicitur; Quarta aũt ad ipſum cuius cauſa pertinet, finalis quoque nuncupatur: Iam ſtatuendum eſt, has omnes cauſas per medium demonſtrari. id eſt dicere, quòd ſingulæ pro medio in demonſtratione aſſumãtur ad aliquid demonſtrandum. Etenim exordiendo a cauſa materiali, quòd pro medio hęc aſſumatur in demonſtratione, patet in primis ex definitione ſyllogiſmi, qui ita explicatur: ꝙ hoc exiſtente neceſſe eſt hoc eſſe; id eſt, exiſtentibus nõ vna, ſed duabus propoſitionibus, neceſſe eſt ſequi concluſionem. Atqui propoſitiones in ſyllogiſmo habent rationem materiæ: vnde iure, ex ipſis, tanquam ex materia, educitur concluſio tanquã forma quædam: quod fit, cum vnum acceptum ſit medium, quo inuicẽ cõnectantur propoſitiones, & ex illis neceſſario concluſio deducatur Sed & aliter idem manifeſtari poteſt ex Theoremate illo Mathematico, quo inquiritur, cur in ſemicirculo angulus poſitus ſit rectus, ideſt, quonam exiſtente ſit, vt in ſemicirculo angulus ſit rectus; erit enim hunc in modum cõſtruenda demonſtratio per cauſam materialem. Sit A, angulus rectus, dimidium duorum rectorum, B; in ſemicirculo C: qđ igitur A angulus rectus inſit in ſemicirculo C, cauſa eſt B, nempe dimidium duorum rectorũ, adeo quòd exiſtente B, quod eſt ęquale ipſi A, & C, ęquali exiſtẽte ipſi B, quoniã eſt dimidium duorum rectorum, deducitur, quòd C, ſit A. ideſt, quòd angulus in ſemicirculo rectus eſt. Et hoc quidem eſt idem cum ipſo quod quid erat eſſe: quoniam oratio, ſeu definitio ipſius C, eſſe illud ſignificat: nempe in ſemicirculo angulum eſſe rectum. Verum & huius quod q d erat eſſe medium aſſumptum eſt nempe eius cauſa, cum per B, ſit oſtenſum C, eſſe A, & ita per cauſãm quod quid erat eſſe complectentem.

Quòd autem attinet ad cauſam efficientem, & ipſam cadere, & accipi pro medio, in demõſtratione erit manifeſtum, Si examinetur cauſa, propter quam Medĩ bellum intulerũt Athenienſibus; nempe, quoniam Athenienſes vna cum Eritriẽſibus prius in Sardos irruerant. Sit igitur A bellum gerere; priores irruiſſe B; Athenienſes vero C; vt ita fiat demonſtratio per cauſam efficientem: Athenienſes prius vexarunt Sardos amicos Medorum; propter vexationem autẽ factam Sardibus,

bus, Medi bellum gerunt, ergo Atheniensibus Medi bellum gerunt.

Quorum autē causa est ipsum cuius gratia finem concernens, hunc in modum manifestatur, & ipsam assumi pro medio in demōstratione. vt in hoc exēplo cuius causa extructa est domus? dicemus, ob tutelam supellectilis, vt ita Syllogismus erigi possit. Ob tutelam supellectilis opus est tegumento; domus construitur ob tegumentum, ergo domus est ob tutelam supellectilis: vbi apparet pro medio assumptum esse tegumentum ipsam causam finalē cōplectens. Similiter si quęratur, propter quid deambulare post cęnam est sanū, assignabitur pro medio causa finalis; quoniam scilicet nō supernatent cibaria ad os ventriculi. Non est autem discrimen dicere propter quid post cęnam fiat deambulatio, & dicere cuius causa oportet post cænam deambulare: Siquidem, Typus ipse propter quid, omnibus aptatur generibus causarum, sit igitur deambulatio post cænam C; non supernatare cibaria ad os ventriculi B, sanum esse A; Inerit igitur ipsi C, nempe ipsi deambulationi factę post cęnam ipsum B, videlicet non supernatare cibaria ad os ventriculi; ipsi vero B, inerit A, nempe sanum esse. Siquidem cēsetur ad deambulationem factā post cęnam sequi, vt cibi non supernatent ad os ventriculi, & hoc sanum esse. Vnde hunc in modum erigitur demonstratio. Non supernatare cibos ad os ventriculi sanum est; deambulatio post cęnam efficit ne supernatēt cibi ad os ventriculi; quare deambulatio post cęnam sana est. In hoc igitur syllogismo, quod A sanum esse insit ipsi C, nempe deambulationi post cæna, causa vt cuius gratia est, ipsum B, videlicet nō supernatare cibum ad os ventriculi; & id ipsum est tanquam ratio, seu definitio ipsius A, quod est sanum esse: Ita enim definietur; sanum est nō supernatare cibū ad os ventriculi. Propter quid postea B, insit ipsi C; hoc est, propter quid deambulationi post cęnam insit, seu sequatur, non supernatare cibum ad os ventriculi, causa est, quoniam ita se habere sanum est. Oportet autem permutare orationes, seu syllogismos, & ita omnia erūt manifesta.

Aduertendum est autem quòd generationes conuerso modo se haberent in causis finem cōcernentibus, & in his, quę motū important. Nam in causis mouentibus oportet vt medium, ipsa nempe causa mouens, primo fiat, & mox sequatur effectus. In causæ autem finalis inquisitione, oportet vt, quòd habet locum minoris termini, primo fiat, veluti deambulare post cænam, & ꝙ postea efficiatur id, cuius causa fit deambulatio; nempe ipsa sanitas, aut ipsum nō supernatare cibaria ad os ventriculi, cuius causa potest etiam fieri deambulatio, vt dictum est antea.

Adnotationes.

CAusæ vero quattuor Quòd sint tantum quattuor genera causarum, nēpe materialis formalis, finalis, & efficiens, docetur ab Aristotele longo sermone in lib. 2. Phys. & in lib. 1. Met. sicuti ibidem in lib. 2. manifestatur, ꝙ in causis non est processus ad infinitum. Quòd aūt per hęc quattuor genera causarum astruatur demonstratio, docetur in hoc libro, in quo modi sciendi explicantur. Ita autem intelliguntur demō-

lib. 1. Phi. cap. 3. *li. 1. Met. c. 3.* *li. 2. Met. c. 3.*

stra-

strari omnes causæ per medium, qm̃ pro medio vnaquæq; causarum in demonstratione assumi potest.

Vna quidem quod quid erat esse. His verbis denotatur causa formalis de qua tñ seorsũ ab alijs causis nulla habetur hic consideratio, neq; exemplis manifestatur; vtpote ea, de qua perspicuum est, ꝙ accipitur in demõstratione pro medio, in ipsaq; concerni ur omnem id quod ad esse rei pertinet, a quacunque causa dependeat; cum typus quod quid erat esse, singulis causis accommodetur, vt explicatum est cumulate in quæstione de medio demonstrationis.

Quibus existentibus necesse est hoc esse. His explicatur causa materialis, sicuti etiã in lib. 2. Phys. & in lib. 5. Met. in tractatu de causa hunc in modum explicata est; nempe ꝙ sit ea, in qua quibusdam existentibus, necesse est aliquid esse. Etenim, qm̃ ad suppositionẽ materiæ determinatæ, necessario sequitur huius, vel illius rei compositio; veluti dẽtes fieri molares ob talem materiam concurrẽ tem ad eorum compositionem; hinc pro cã constitutiua rei assumitur materia; de qua in primis affertur exemplum sumptum ex propositionibus, quæ concurrunt in syllogismo pro materia ad construendam cõclusionem: quod fit per vnum medium terminum, quo duo alij extremi termini coniunguntur, & ita materialis quædam constructio designatur: vnde postea, ex propositionibus inuicem ita coniunctis, necesse est sequi conclusionem, vti quandam formam ex determinata materia deductam. Verũ aduertendum, ꝙ propositiones, si considerentur quo ad constructionem syllogisticã, cõcernunt materiam, ex qua constituitur cõclusio, vti dictum est: eędem vero, vt causantes scientiam conclusionis, ob notitiam, & claritatem, quæ in ipsis est, efficientis causę rationem subeunt, inquantum conclusionẽ notam, & scitam efficiunt. Rursus considerată quatenus ex illis ꝓbatur passio inhęrens subiecto, ita causæ dicentis ꝓpter quid (sit quodcunq; genus causæ) rõnẽ in demonstratione subibunt. Affert etiam Arist. de causa materiali aliud exemplum ex Mathematicis desumptum, de angulo recto existẽte in semicirculo, cuius causa materialis ſal tem intelligibilis affertur in demõstratione, nempe dimidium duorum rectorum, de quo etiam est mentio in lib. 7. Met. vbi est sermo de portionibus semicirculi materiã concernentibus: si quidem ex his duobus rectis, seu ex dimidio duorum rectorum deducitur, & demonstratur per causam materialẽ, quòd angulus in semicirculo sit rectus.

li. 2. Phys. c. 3.
li. 5. Met.
li. 7. Met cap. 11.

Hoc vero idem est ipsi quid erat esse, eo quòd hoc significat oratio. Hoc habet, ꝙ ipsius recti anguli in semicirculo existentis, est qđ qd erat esse ipsum dimidium duorum rectorũ: quod patet; qm̃ huiusmodi oratio, seu definitio pertinet ad essentiam anguli recti in semicirculo existẽtis; adeo vt dicatur, ꝙ sit angulus rectus in semicirculo ob dimidiũ duorum rectorum angulorum.

Verum enimuero & ipsius quid erat esse causa monstrata est media S. Tho. supponit hęc referri ad superiora; vbi explicatum est, ꝙ formalis definitio accipitur in demonstratione definitionis materialis. Verum fortasse præstat intelligere, ꝙ ex eo quod ostensum est dimidium duorum rectorum pertinere ad cõstitutionem, & essentiam anguli recti existẽtis in semicirculo; hinc inferat Arist. cõsequenter patere, ꝙ pro medio assumptũ est ipsum qđ quid erat esse, denotando hũc in modum causam dantem esse, quod proprie ad ipsam formam attinet. Et id quidẽ qm̃ typus iste, *quod quid erat esse* (vti prædixi nus, & ostendimus in pręcedentibus) accõmodatur omnibus definitionibus causarũ, prout ab omnibus causis rerum cõstitutio, & essentia dependet. Vnde etiam supra, vbi est sermo de extinctione ignis, suppositum est, id pertinere ad quod quid erat esse toni trui, & tamen dubium non est, quin extinctio ignis præcedat ante sonitum, tanquam aliquid necessarium materiam concernẽs; & ita vt causa, ex qua gignitur tonitrus. Sed aduertendum, ꝙ causa formalis (vt etiã superius adnotauimus) quatenus distinguit ab alijs causis, proprie concernit actum, qui infertur per formam rei existentis in potẽtia; cum qua causa formali in rebus naturalibus, quæ fiunt alicuius gratia, coincidit causa finalis; quemadmodũ & in arte factis; adeo ꝙ in ipsa forma includitur finis; & in fine pariter ipsa forma. De quo etiam est sermo in lib. 1. de Gener. Anim. in initio: vbi habet Aristot. hęc verba, *Primum cuius gratia, vt finem secundum substantia rationem, quasi vnum quoddam fere existimanda sunt.* Et paulo post inquit. *Ratio enim & id cuius gratia vt finis idem est.* Et prædicto modo accepta causa formalis distinguitur a materia, q̃ potentiam significat: & a causa efficiente; vti ea, per quam ab ipso mouente res in actum producuntur. Cum autem omnes causæ ad rerum constitutionem pertineant, & ita ad esse rei iure omnibus competit; vt ꝑ ipsas explicetur quod quid erat esse rei; vt ita, quod proprijssime conuenit ipsi formæ actum significanti, per quem res ponitur in esse, prius existens potentia, omnibus causis hic typus quod quid erat esse accommodetur. Ex ijs autẽ ita explicatis colligitur, erroneam fuisse eorum sententiam, qui ex eo ꝙ dixerit hoc loco Aristot. ipsius quod quid erat esse, causam esse monstratã mediam, deduxerunt, hinc innuisse demonstrationem potissimam, quæ constituatur per medium causa formalis, sed apparet, ex dictis, hanc non fuisse Arist. sententiam.

li. 2. Post Analyt. c. 9.
lib. 1. de Gener. Anim.
S. Thom.

Hoc autem est veluti illius ratio. Gręce λόγος habetur: quod ꝓ definitione accipi potest; & est dicere, ꝙ causa accepta ꝓ medio, est vti eius ratio: nempe ipsius sanum esse, erit hæc ratio & definitio; non supernatare cibaria ad os ventriculi. Quæ quidem definitio non est vniuersalis ad sanitatem, quę dicitur esse proportio humorum; sed eius sanitatis, est definitio quæ contingit ex nutrimento; adeo vt sanum reddatur animal, dum sub ventre deprimitur nutrimentum: ita. n. exactius digeruntur cibi; sicuti, si ore ventris tarde insideant indigesti corrumpũtur: vnde & putredines fiunt in stomachis, & euentationes acutę, & fętidę, vt hinc cõ

tingant ægritudines. Et cum dicat Aristot. ꝙ assignabitur definitio ipsius A, & hoc elementum in exemplo assignato habeat locũ maioris termini, & in terminis notis est ipsum sanum esse, huius autem definitio est non supernatare cibaria ad os ventriculi, hinc etiam manifeste colligitur ex sententia Aristot. definitionem maioris termini esse medium in demonstratione.

Propter quid autem B, *ipsi* C. Propter quid autem ad deambulare post cęnam insit, seu sequatur non supernatare cibaria, hãc ait esse assignãdam causam: qm̃. s. id sanum est; hinc innuens posse erigi etiam demonstrationem, cur deambulationi factæ post cęnã insit, seu sequatur, vt non supermaneant cibi ad os ventriculi, medio assumpto *sanum esse*: sed aduertit oportere permutare orationes seu syllogismos; adeo vt, quod est a parte subiecti in vno syllogismo, fiat prædicatum in alio, vt ita euadat medium in demonstratione, *ipsum sanum esse*, hunc in modum conficiendo syllogismum: sanũ est non supernatare cibaria ad os ventriculi, deambulare post cęnam est ob sanitatem, ergo deambulare post cęnam est ne cibaria superemineant ad os ventriculi.

Io. Grã. Eust.

Aduertendum hoc loco Io. Gram. & Eustratium, supponere ꝙ prima ratio non sit syllogismus, sed postea fieri syllogismũ. At verba Aristot. horum interpretationi refragantur, cum dicat, alium terminum qui locũ medij tenebat in primo syllogismo posse probari per maiotem terminum ad locũ medij transpositum, eo modo vti explicauimus.

Toletus

Toletus censet per causam efficientẽ probari finalem, & e contra: quod tñ nõ apparet ex verbis Arist. si recte perpendatur. Nam in primo Syllogismo ostẽditur, quòd deambulare post cęnam sit sanum: in alio vero Syllogismo demonstratur, ꝙ deambulare post cęnam fit, ne supernatent cibaria ad os ventriculi; & medium assumitur ipsũ *sanum esse*, quod supponitur ꝓ termino maiori, qui continetur in his verbis, *deambulare post cęnam*, & prædicatur de minori termino ijs verbis expresso, *ne supernatent cibi ad os ventriculi*, & semper supponitur, assignari propter quid iuxta modum causæ finalis, tũ in Syllogismo priori, in quo probatur, sanũ esse deambulare post cęnam, assumpto medio *non supernatare cibum ad os ventriculi*; tum in posteriori quo probaretur, ꝙ deambulationi post cęnam sequatur, vt non supernatent cibi ad os ventriculi, sumpto medio *sanum esse*, in vtroque autem syllogismo causa finalis media demonstratur. Nam in priori syllogismo, ob non supernatare cibos ad os ventriculi, huius gratia ostenditur, deambulare post cęnam sanum esse: in posteriori vero, ob sanitatem ostenditur deambulationi post cęnam consequi vt non supernatent cibi ad os ventriculi.

S. Thom.

At S. Tho. ait, idem repeti, quare A, in C, nempe, quare deambulare sit sanari. Verum Aristot. assignat rõnem quare B sit in C: idest, quare ad deambulare, sequatur non supernatare cibaria, & per mediũ A, idest, per ipsum, *sanari*, id probari statuit. Neque vero id inconuenit, cum sint cõuertibilia, sanum esse, & non supernatare cibaria ad os ventriculi. Quòd si obiiciatur ita committi circulũ, respondet Io. Gram. id non incõuenire, qm̃ etiam priuatio luminis in Luna probatur per interpositionem terrę, & hęc per priuationem luminis.

Io. Grã.

Verum aduertendũ, in hoc exemplo de Eclipsi Lunæ, in vna demõstratione esse processum ab effectu ad causam, in alia vero a causa ad effectum: quod non cõtingit in exemplo, de quo pręsens est sermo. Nam primo supponitur effectus in ijs terminis, quod deambulare post cęnam sit sanum; & demonstratur per medium, tanquam per causam prędicti effectus, per medium scilicet, quod est *non supernatare cibaria ad os ventriculi*. Et rursus in alio syllogismo per medium, quod est: *sanum esse*, ostenditur, quod deambulare post Cęnam facit ne supernatẽt cibaria: vt ita, modo pro causa, modo pro effectu idẽ accipiatur, in vtroq. syllogismo, vt sit circularis demonstratio, prout fieri circa rerum circularem generationem ostendit infra Aristot.

Aliqua fieri, tum propter finẽ, tum ex necessitate, et in ijs quæ ab humana ratione & electione pendent, aliqua & casu & non casu fieri, nonnulla vero numquam casu.

Contingit autem idem fieri & ob finem, & ex necessitate. Veluti quòd ꝑ laternã lumen penetret (si causa necessitatis attendatur) est, quoniam qđ ex minoribus partibus constat, per maiores poros pertransit. Si autem quęratur, cuius causa laterna sit constructa, erit ob hunc finem, ne offendamur deambulando, adiuti lumine e laterna prodeunte. Et quod dictum est quo ad esse rerum, idem etiam asserendum quo ad fieri: vt contingat aliquid fieri tum ex necessitate, sicuti extincto igne in nubibus, oportet stridere, & strepere; tum alicuius gratia, veluti (vt dicunt Pythagorici) minarum gratia fit tonitrus; nempe ad hunc finem, vt terreantur qui sunt in tartaro. Et plurima quidem sunt huiusmodi in ijs, quæ secundum naturã cõ-

sci-

ſtituuntur, atq; cōſiſtunt. Si quidē quędam eſt natura alicuius cauſa facti, ipſa forma; eſt vero & alia, nempe materia ad neceſſitatem pertinens. Neceſſitas quoque duplex eſt, alia ſecundum naturam & impetum naturalem, alia vero violenta: quemadmodum lapis deorſum fertur impetu, & neceſſitate naturali: idem etiam ſurſū pellitur a violenta neceſſitate

In ijs autem, quæ pendet ab humana ratione & conſilio, ſunt nōnulla, quę numquam caſu fiunt, aut ex neceſſitate; ſed ſemper gratia alicuius, vt domus, & ſtatua: aliqua vero etiam a fortuna procedunt, vt ſanitas in corpore humano, & incolumitas è naufragio. Maxime autem in ijs, in quibus cōtingit aliter, & aliter quidpiam fieri, habet locum finis, & cauſa dicta cuius gratia, quotieſcunq; a fortuna non fuerit generatio, Ex ijs deducitur, quòd bonus finis alicuius cauſa fit, ſiue a natura, ſiue ab arte ſit intentus; a fortuna autem nihil fit alicuius cauſa.

Adnotationes.

HAEc *quidem enim alicuius gratia facit ipſa natura.* Duplicem tangit naturam, tū ipſam formam, tum materiā: illa cauſa eſt, vt ꝓꝓ finem res naturales conſtituantur: hæc vero eſt cauſa neceſſitatem importās; & de ijs latisſime traditur in lib. 2. Phyſ. (li. 2. Phy. c. 8. & 9.)

Cum extinguitur ignis, neceſſe eſt ſtridere. Patet in hoc exemplo de extinctione ignis, manifeſtari cauſam neceſſitatis, atq; materiæ; cum tñ ſuperius fuerit ſuppoſitum, extinctionem ignis ad quod quid erat eſſe ipſius tonitri pertinere. Ex quo fit perſpicuū verum eſſe, quod dictum eſt antea, etiā cauſæ materialis explicationem pertinere ad ipſum quod quid erat eſſe,

Nonnulla quidem nunquam a caſu fiunt. In lib. 7. Met. docet Ariſt. quare nonnulla nūquam caſu fiant, quædam vero & caſu, & non caſu: veluti ſanitas & ab arte, & a fortuna prouenire poteſt: domus autem nō recte diceretur caſu eſſe conſtructa; & aſſignat ibi huius diuerſitatis rationem loco citato perpendendam, ne extra genus pręſens ſpeculatio abſq. neceſſitate extēdatur. (li. 7. Met. c. 9.)

Quare finis quod eſt bonum. Ait finem, quem ſupponit eſſe bonum gratia alicuius fieri: id aſſerens, qm̄ etiam poſſit eſſe finis non bonus, vt eſt finis vitæ, potius dicendus terminus vitæ, cum finis proprie non poſſit eſſe niſi rei bonæ. Vnde in lib. 2. Phyſ. Ariſtot. reprehendit poetam, qui mortem cuiuſdā enarrans, dixerit eum obtinuiſſe finem, quē debebat habere; cum tamen mors non ſit ex ſe bona, & ita non proprie finis. (li. 2. Phy. c. 2.)

De Varietate mediorum circa rerum generationem, tam eorum quæ ſimul ſunt, quàm eorum quæ non ſunt ſimul.

EAdem autem cauſa conuenit & his quę fiunt, & factis & futuris, quę in ijs quæ ſunt inuenitur. Nam medium idem in ijs omnibus eſt cauſa, niſi qđ rerū exiſtentiū cauſa eſt exiſtens; eorū vero quæ fiunt, cauſa eſt quæ fit; factorum facta, & futurorum futura veluti ſi quis interrogetur, propter quid factus eſt Eclipſis in Luna, reſpondebit quoniā facta eſt terra media inter Solem & Lunam: fit autē Eclipſis, quoniam fit terra in medio: erit vero quoniam erit & terra in medio; eſt autem nunc Eclipſis, quoniam & nunc eſt in medio terra. Idem etiam de Cryſtallo dici poteſt. Nam Cryſtallus eſt aqua congelata prouenīēs ex defectu totius caliditatis, vt ita poſſit fieri demonſtratio. Aquæ ineſt defectus totius caliditatis; vbi eſt defectus totius caliditatis, ibi congelatio; igitur aqua eſt congelata: & ita fit, & eſt, & facta fuit, & fiet ſemper hunc in modum eadem cauſa media in ijs omnibus modis concurrente, ipſo ſcilicet defectu totius caliditatis.

Et quoniam dictum eſt, quòd medium eſt ſemper idem, & acci-

pitur in omni tempore simile rei effectæ; ideo considerandũ, quomodo se res habeat in his, quæ non sunt simul, num in tempore quodam cõtinuato licet assignare aliquid quod sit causa aliorum quorundam; veluti, eius quod sit factum, alterum factum, & futuri futurum, & ipsius fieri aliquid, quod prius fiebat, nempe fiens fientis; & quidem videtur ita supponi debere. Veruntamen aduertendum, quòd in ijs ratiocinationibus Syllogismus deducendus est ab eo, quòd posterius factum est; adeo quòd principia demonstrationis in ijs sunt res factæ; & posterius factę sunt assumẽdæ ad demonstranda priora. Vnde & in ijs quę fiunt eadem ratio est statuenda, vt a posteriori quod fit, ducatur argumentatio ad ostendenda, quę prius fiebant. Non autem ab eo quod prius fit, aut est factum, est sumẽdum argumẽtum ad probandum illud, quod posterius fiat; aut factum sit. Similiter etiam circa futura nõ arguendum, quod si quid prius futurum supponatur, & aliud inde consequens sit futurum. Siquidẽ vel finito, vel infinito supposito tẽpore ad aliquid consequente, & si verum sit dicere, tale quid factũ esse, attamen non erit verum, ꝙ aliquid posterius sit futurum. Nã in medio tempore falsum erit dicere, hoc aliquid factum esse, iam alio priore existente facto: quod similiter quo ad futurum asserendum est. Non enim quoniam hoc factum sit, hoc aliud erit. Siquidem oportet vt medium sit congenitum ad hoc, vt probationi sit locus: nempe quòd factorum sit factum medium; futurorum futurũ; eorum quæ fiunt id, quod fit, & existentium illud quod existit. Verum ipsius facti, & eius quod futurum est, non contingit mediũ esse congenitum. Amplius non contingit aut finitum, aut infinitũ tempus dari, in quo nõ sit falsum in illo medio tempore in quo nõ est factum, asserere, quod futurũ est esse, existente tamen alio priori facto.

Considerandũ autem pro certiori huius rei cõsideratione, quid sit contiguum; vt cognoscamus, an post factum esse aliquid, consequenter conueniat rebus alijs vt fiant. An manifestum quòd nõ est contiguum quod fit, ipsi facto neq; enim facto contiguum est, vt requiritur in continuo, in quo partium in ipso contentarum cõtiguitas supponitur, vt ad vnum communem terminum copulentur. Atqui factum facto non est contiguum; sed sunt inuicem factorum termini distincti, & indiuidui. Vnde, sicut puncta non sunt inuicem contigua, ita neque quæ facta sunt: vtraq; enim tum puncta, tum facta sunt indiuisibilia: vnde a contiguitate, mutuaque continuatione separantur. Quare ob eandem causam, neque quod fit, ipsi facto erit contiguum. Siquidem illud quod fit, est diuisibile: quod autem est factum, est indiuisibile. Vnde, sicut linea ad punctum se habet, ita quoq; qđ fit ad illud quod factum est: Inexistunt enim infinita facta in eo quod fit: sicuti & in linea sunt infinita puncta. Verum exactius in sermonibus vniuersalibus, qui sũt de motu de his differere oportet. Interim autem ex dictis id acceptum est, quomodo in his quæ successiue fiunt, consequente generatione generationi, medium

se

ſe ſe habere debeat: oportet.n. etiam in ijs medium, & primum inuicem eſſe immediata. Veluti, arguendo factum eſſe A, quoniã factum eſt C, ſuppoſito quòd C poſterius factũ ſit; A uero prius: Et principiũ ſumitur ab ipſo C, vt quod propinquius ſit ipſi nũc, quod eſt principium temporis.

Siquidem, quòd poſterius factum eſt, tẽpori præſenti eſt propinquius, a quo longius abeſt illud, quod prius factum eſt, vnde arguere ab eo quod poſterius factum eſt, cum ſit id quod eſt poſterius, valet inferre ex neceſſitate illud quoq; eſſe, quod eſt ante ipſum: ſiquidem & prius tempus poſteriori tempori præceſſit; & ſi illud non præceſſiſſet, non ẽt eſſet poſterius, vt ita ratiocinatio ducatur. Si D factum eſt, oportet C factum eſſe, ergo ſi D, factũ eſt, oportet & A factũ eſſe; & ita mediũ, ſeu cauſa huius probationis erit C. Ita autem accipiendo, tandem in aliquod immediatum ſtatus erit: aut ſemper intercidet medium propter infinitum. Siquidem (vt dictum eſt) non eſt cõtiguum factum facto: verum initium ſumere oportet ab ipſo medio, & a primo nunc: quod ſimiliter dicendum eſt circa futurum. Nam ſi verum erit dicere, quòd erit D, vtique & C prius erit: & ſi C erit, etiã prius A erit, ſimiliter enim in quibus ſit ſectio in partes temporis etiam futurorum eſſet infinita, cum neq; futura ſint inuicem contigua. Verum & in his principium immediatum eſt accipiendum: & ita in operibus erit proceſſus, & oſtẽſio. Si eſt domus, oportet lapides prius inciſos, & factos eſſe: & quare hoc? quoniã oportet & fundamẽta facta eſſe, ſi domus eſt facta. ſed fundamenta facta ſunt, ergo prius lapides inciſi & facti ſunt: & medium in hac oſtenſione eſt ſtructio fundamentorum. Rurſus in futuris, ſi erit domus, prius erunt lapides, quod oſtenditur, quoniam prius erunt fundamenta, quæ non poſſunt eſſe, niſi ſint lapides, & ita fundamẽta erunt mediũ ad probandum quòd lapides erunt ante domus conſtitutionem.

Adnotationes.

A*N nc eſt in continuo tempore.* Quæ non ſunt ſimul poſſunt cõſiderari ſub quadam relatione temporis cõtinuati, quomodo ad inuicem ſeſe habeant, vt vnum ad aliud ſequatur. Statuit autem Ariſt. a poſteriori facto ſumi debere demonſtrationem, ad manifeſtandum quod priora ſint. Et videtur is progreſſus eſſe, quo a poſteriori inueniuntur principia: quemadmodum hoc via oſtenditur dari primũ mouens in Philoſophia Naturali facto progreſſu a poſteriori per viam motus: licet etiam hęc ſpeculatio circa ordinem factorum ſimpliciter conſideretur; vt hinc, quæ priora ſint facta, aut futura ſint, manifeſtetur. Videtur autẽ in omnibus factis illud, quod prius eſt, habere aliquo modo rationem cauſæ ad poſterius; prę ſertim in genere cauſæ materialis, iuxta conſtitutionem rerum ſubſequentiũ poſt partem ad aliam partem. De efficiente vero, ſi conſideretur, vt cauſa operans, non poteſt eſſe operans, quin ſit & illud quod operatur: ſeorſum vero ab actu operandi, vt efficiens eſt tale ens, ſicuti ædificator eſt hic vel ille homo, poteſt efficiens exiſtere ſine opere; quemadmodum & opus, veluti domus facta poteſt adeſſe ſine ſuo efficiẽte ipſo ædificatore interrempto, de qua re eſt etiam ſermo in lib. 2. & 5. Phyſ. & in lib. 5. Met. in tractatu de cauſa.

li. 2. Phyſ c. 3. li. 5. Met

Medium.n congenitũ oportet. Græce ὁμόγονον qua voce ſignificatur, ꝙ medium debet eſſe congenitum cum alijs: veluti factum factorum, futurum futurorum, & ita de alijs.

Fines namq;. & indiuidua. Gręce πέρατα γὰρ καὶ ἄτομα, & ſermo de factis, de quibus dr, ꝙ ſunt termini, ſeu fines, & indiuidua. fines quidem qm̃ quod factum eſt, finitum eſt, & ita finem habet. Idem etiam dr̃ indiuiduum, quatenus factum habet rõnem vltimi termini, in quo abſoluitur, cũ actio extrema conſiſtat in termino indiuiſibili, quo ad generationem: & de hoc ꝓlixus eſt ſermo in lib. 6. Phyſ.

li. 6 Phyſ. S. Tho.

Inſunt.n infinita facta in eo quod fit. S. Tho. videtur exponere de pluribus factis, cum tñ ſermo ſit de eo quod fit: de quo dici poteſt illud idẽ, quod dr̃ de linea, quod in ea

ſunt

ſunt infinita puncta per diuiſionem ipſius; ſic & in eo quod fit: Nā ſemper ſupponitur in tēpore generari id, quod fit: vnde in eius generatione ad quodq; momentum dici potest, ꝙ præcesſit generatio; qm̄ quod fit, eſt diuiſibile: Vnde in ipſo ſunt infinita facta ſecundum diuiſionem in infinitum tendentem. Et ideo, ꝙ fit, non poteſt eſſe contiguū cum facto, quod eſt indiuiſibile: vnde oportet vt adſit continuatio. Aduertit autem Ariſtot. quòd de ijs oportet exactius tractare in ſermonibus vniuerſalibus de motu; quod ipſe præſtitit in lib. 6. Phyſ. vbi in genere tractat de motu.

Neceſſe eſt n. & in ijs medium, & primum immediata eſſe. Hoc habet, ꝙ illud, quod primo factum eſt, debet immediate ſe habere ad illud, quod ſibi eſt contiguū, & id erit principium, & cauſa aſſumenda ad oſtendendū ꝙ ſit id, quod prius factum eſt. Et licet poſſit ſectio temporis fieri in partes infinitas ratione continui; attamen ſtandū in aliquo determinato, quod erit immediatū ad ſibi ſubſequens: niſi velimus dicere ꝗ ſit ſemꝑ abire in infinitum; quod tñ non eſt admittēdum, prout improbatur in lib 2. Met. Ordo autem probationis in prædictis erit huiuſmodi: vt ſupponatur aliquid poſterius factum, ante quod ſit aliud prius, & ante hoc aliud: Veluti hunc in modum. Sit vltimum factum D, & ante ipſum, C, & ante C, A. Quemadmodum dicemus, quòd vltimo loco facta eſt domus; ante vero facta ſunt fundamenta; & adhuc ante lapides inciſi fuerūt. Igitur per C, quod eſt mediū inter D, & A, probatur, A factum eſſe; adeo vt C ſit contiguum immediatum, vt ita probetur factos eſſe lapides; qm̄ ſi domus eſt conſtructa, oportet eſſe factos lapides: & quare hoc? qm̄ oportet facta eſſe fundamenta; Vnde, per fundamenta facta probatur lapides inciſos fuiſſe.

Li. 2. Met. c. 2.

Quomodo in aliquibus rebus contingat circularem eſſe demonſtrationem ex mutua ipſorum generatione, & in quibus medium vniuerſale, & in quibus non vniuerſale accipi debeat.

QVoniam autē in quibuſdā rebus quæ fiunt, inſpicimus circularem quandam ineſſe generationem, ideo non ignorandū id contingere, quoniam inuicem ſe conſequantur, tum medium, tū termini extremi; vnde in ijs erit mutua conuerſio. Nam (vt oſtēſum eſt in lib. 2. Prior. Analy.) in huiuſmodi rebus cōcluſiones cōuertuntur cum propoſitionibus aſſumptis in ſyllogiſmo, quòd eſt circulo demonſtrare; dum ſcilicet propoſitiones euadunt cōcluſiones, & e contra concluſiones in propoſitionibus aſſumuntur. Id autem & in ipſis rerum operationibus poteſt eſſe perſpicuum: veluti in hoc exemplo. Nam madefacta terra, neceſſe eſt vaporem generari: & ad genitum vaporem ſubſequi nubem; & poſt nubem aquam; ex qua deinde fit ablutio terræ, quod & in principio aſſumptum erat; vt ita circulo quodā redeat, & generetur poſtremo loco illud, quod erat primum. Vnde cum, exiſtente horum quocunq; alterū ſequatur, & ex alio aliud, & ex hoc primum; ideo vere in ijs mutua per circulum erit demonſtratio.

Ad hæc vero illud etiam eſt animaduertēdū, ex ijs quę fiunt, aliqua vniuerſali modo ſe habere, vti ea, quæ ſemper & in omnibus eodem modo ſe habent, & fiunt; veluti circulo ſemper cęlū mouetur: aliqua vero alia non ſemper ſed in plurimis eueniunt; quemadmodum vir barbam emittit, quod non ſemper, ſed vt in plurimis euenit: Idcirco ſciendū, quòd eorū, quę in plurimis fiunt, & non ſemper, oportet etiam medium eſſe nō ſemper, ſed in plurimis. Alioquin ſequeretur, quòd illud, quod ſupponitur eſſe in plurimis, non eſſet in plurimis; ſed ſemper, vt patebit in his terminis. Nam ſi A vniuerſaliter prædicatur de B, & B de C quoque vniuerſaliter dicatur, neceſſe eſt etiam quòd A de C vniuerſaliter prædicetur: huiuſmodi enim eſt vniuerſale, vt de omni: & ſemper dicatur; vt patet ex ijs, quæ circa

vniuersale in libro superiori sunt explicata. Atqui supponebatur, quòd ipsi C non semper, sed in plurimis inesset A, Quare statuendum est, eorum, quæ in plurimis sunt, aut fiunt, medium quoq; vt in plurimis, & non semper, neq. vniuersaliter inesse.

Adnotationes.

CIrculo generationem quãdam esse. Deducit Aristot. ex circulari rerum generatione in eisdem quoq; haberi posse circularem demonstrationem: & quare hoc cõtingit: nempe, qm̃ medium & extrema inuicẽ conuertuntur; adeo q̀ cõclusio euadit principium, & e contra principium fit cõclusio.

li. 2. Prior Anal. c. 5. 6. 7. S. Thom.

Monstraeum vero est hoc inprimis. Quippe lib 2. Prior. Analyt. actum est de circulari demonstratione, quomodo cõtingat ipsam fieri in Syllogismo. Quod vero attinet ad exemplum allatum in contextu de ablutione terræ, ex qua generatur nubes ex hac aqua, & ex aqua ablutio terræ. S. Thom. nõ vult hunc ordinem, & circuitum esse in causis secundum se, in quibus oportet deuenire ad vnum primũ in quolibet genere causarum vt ostẽditur in lib. 2. Met. sed esse circuitum secundum accidens, qm̃ non fit ex ente actu, sed ex ente potentia. Et subiungit, causam agentem ablutionis terræ esse calorem aeris, qui causatur ex sole, & non econuerso: causam vero materialem esse aquam, cuius materia non est vapor, sed materia communis elementorum. Verum dicendum est, in lib. 2. Met. loco citato, ostẽdi in causis esse statum, procedendo a compositis ad simplicia etiam in causa materiali, quod non fit hoc loco; vbi accipiuntur opera per circuitum se se consequentia. Et q. dem, q̀ ablutionis terræ, aqua sit causa materialis, manifestum est. Aliud aũt est quærere, vnde pluuia generetur, cuius causa efficiens erit eleuatio vaporũ; pro materiali aũt causa erit nubes; idq; nõ scd̃m accidẽs, sed secundum se. Habet aũt rõnem materię illud, ex quo fit aliqd, si referatur ad illud, quod fit; cũ ad ipsum se habeat vt potẽtia, vt nubes ad aquam; & ideo in hac vicissitudine generationis, vt causa, se habet illud. ex quo fit aliud.

li. 1. prior Analyt. Sect. 2.

Talium itaq; necesse est & medium. In his, q̃ vt in plurimis fiunt, oportet, & mediũ esse in plurimis, & non vniuersale: alioquin etiã effectus semper esset; quod est cõtra suppositionẽ. Et licet de ijs, quæ in plurimis fiũt, non sit demonstratio potissima, quæ est de necessarijs; attamen (vt habet Arist. in lib. 1. Prior. Analyt.) de ijs fere plurima est inquisitio: & quatenus semper eueniunt eadem modo, ita de illis certa est demonstratio. Veluti q̀ viri, in quibus fit emissio barbæ, cum ipsam emittunt, semper emittũt ob talem quandam causam, licet non oẽs barbã emittant. Adnotandum aũt & hanc considerationem habitam a posteriori, rõnabiliter traditam esse ab Aristot. cum de demõstratione sermo generalis hic esset institutus; & huiusmodi a posteriori demonstratio interdum in scientijs adhibentur.

De Regressu demonstrationis breuissima, & dilucidissima explicatio.

QVæstio, quæ plurimos ex Philosophãtibus solicitos habuit, & habet de regressu demonstrationis, num sit nec ne cõcedendus, paucis a nobis absoluetur, vt qui studiosorum iuuenum vtilitati potius consulere studeamus q̃ inanis gloriæ factũ ex plurimarum paginarũ farragine apud ignaros nobis comparare. Duo aũt occurrũt penes hanc quęstionem perpendenda: quorũ alterum pertinet ad regressus, & circularis demonstrationis nomenclaturam; alterũ vero ad propositæ quæstionis dissolutione; q̃ ex prioris partis explicatione elucescat. Itaq; sunt qui regressum a circulari demonstratione ita disterminãt, vt circularem demonstrationem eam nuncupent, in qua ex conuersione tum propositionum, tum conclusionum assumptarum in syllogismo inuicem oẽs & propositiones, & conclusiones demõstrantur eum in modum, quem Arist. docuit in lib. 2. Prior. Analyt. in proprio tractatu de circulari demonstratione. Ijdemq; huiusmodi progressum ideo circularẽ dici asserunt, propterea q̀, quemadmodum in circulari figura ab vno puncto, ad eundem punctum fit giratio; ita quoq; aiunt, in prædicta circulari demonstratione, dum oĩa inuicem demonstrantur, fieri progressum ab eadem termino in eundem terminum probationis At regressum nuncupant illum, in quo non vtraq; syllogismi habiti ꝓpositio, sed minor tm̃ per conuersionẽ demonstratur. Quem præterea in hoc etiam distingui a circulari demonstratione supponunt, q̀ in circulari demonstratione oĩ ex parte in oĩbus syllogismis medium eiusdem naturæ accipiatur. At in Regressu in vna demonstratione ab effectu proceditur ad causam; in altera vero a causa ad effectum, & hunc in modum Regressum a circulari demonstratione distinxerunt. Aduersus quos illud occurrit dicendum, apud Aristot. nullibi inueniri huiusmodi discrimen inter regressum, & circularem demõstrationem. Nam si spectentur, quæ præcipua ab ipso tradita sunt de circulari demonstratione, perspicuũ est in lib. 2. Prior. Analy. docuisse qũo iuxta ordinem Syllogisticum possit simpliciter exerceri circularis demonstratio, nulla ibi habita consideatione; num causa, an effectus in vna, vel in altera complicatione syllogistica assumeretur. In libro vero superiori, in disputatione suscepta aduersus eos, qui oĩum esse demonstrationem asserebant, hac facta suppositione, q̀ oĩa inuicem circulo demonstrari possent, hęc duo pręstitit Arist. vt pri

mo dixerit circularem demonstrationẽ nõ nisi in ijs exerceri posse, quæ ad conuertentiam dicuntur, quæ quidem nõ sunt multa. Deinde vero absolute inficiatus est, ꝙ circulo possit fieri demonstratio eiusmodi, vt ex vtraq; parte assumãtur principia simpliciter priora, & notiora, ex quibus simpliciter dicta scientia causam, & ꝓpter quid continẽs educatur; concessit aũt in vna demõstratione prædictum processum ex prioribus simpliciter, & notioribus haberi posse; in alia vero ex notiorib⁹, & prioribus quo ad nos erigi demonstrationem, ab effectu ad cãm procedendo; vt ita non scientia simpliciter obtineatur dicens ꝓpter quid; sed ea tm̃ quæ quia est aliquid demonstret. Idem in hoc libro (prout expositũ est) ex generatione rerum quodam circulo sese consequentiũ, docuit iuxta hũc ordinem generationis rerũ, in ijs[ipsis consequenter demonstrationem circularem exerceri posse: ita quidẽ, vt semper, quod concluditur, habeat locũ effectus, pro causa autem stet illud, quod assumitur pro medio ad demonstrandum. Ex ijs itaq; perspici põt, apud Aristot. non inueniri inter Regressum, & circularem demõstrationem discrimen illud, quod ab istis recẽtioribus Philosophis inductum est; sed id solũ colligi ex eius doctrina, ꝙ (& vt verissimum supponendum est) vbi termini sint conuertibiles, in ijs inuicem fieri posse demonstrationem, siue Regressus, siue circularis demõstratio nuncupetur. Nęq; etiam vndequaq; consonum vr̄ adductum exemplum de figura circulari, ꝙ sicuti in huiusmodi figura a puncto ad eundem punctum fit giratio, ita quoque in demonstratione circulari ex mutua propositionum, & conclusionum cõuersione ab eodem in idem fiat progressus, & ostensio, ac ꝓpterea circularem demõstrationem ex huiusmodi progressu nuncupatam isti afferunt, & in hoc differre ab ipso regressu, quasi in regressu ad idem non fiat ostensio. Etenim vndequaque non concurrit similitudo, propterea ꝙ in circuli figura ab eodem puncto in eundem punctum fit giratio: in circulari aũt demonstratione, cũ non sint idem propositiones assumptæ cum conclusione inducta, neque binæ assumptæ propositiones sint eædem inter se, sed oẽs & propositiones, & conclusiones sint diuersæ, hinc non vr̄ ꝙ mutuus in his progressus demonstrandi proprie tendat ab eodem in idem. Aut si id ex quadam similitudine est concedendum penes demonstrationes illas in quibus, omnes propositiones, & conclusiones inuicem demonstrentur, idem etiam non est auocandum a Regressu: in quo, modo ab effectu ad causam fit demõstratio, & modo ab eadem causa ad eundem effectum fit ostensio. Quod autem discrimen penes circularem demonstrationem Aristot. attulit in libro præcedenti: tum in disputatione habita aduersus statuentes, ꝙ oĩa possint circulo demonstrari, tum in expositione discriminis assignati inter demonstrationem dictam simpliciter, ꝓpter quid largientem, & aliam ab effectu quia est demonstrantẽ: istud ipsum est, quod in demonstratione simpliciter nuncupata obtinetur scientia iuxta definitionem ipsius scire traditam, adeo vt in ea ex ꝓcessu habito per simpliciter notiora, & priora scitur causa ꝓpter quã res est: in alia vero, in processu videlicet ab effectu ad causam, ex prioribus, & notioribus quoad nos procedendo, non simpliciter sciẽtia, sed scd̃m accidẽs ꝙ fit aliquid, per posteriora obtinetur. Ex his igitur perspicuũ esse potest, qualiter haberi põt circularis demonstratio, seu Regressus demonstrandi, & quomodo varietas in vno, & in alio progressu inueniatur. (Dubit.) Verum vrget hoc loco difficultas nullo pacto dissimulanda, quomodo contingat vt per effectum causa demõstretur. Nam causa aut est nota, aut ignota: & si ignota non vr̄ ꝙ per effectum possit ostendi, qm̃ non apparebit quõo ex tali effectu talis causa demonstretur, cum id nulla ex necessitate sequatur. Et si dicatur, ꝙ causa sit nota, sequetur igitur ꝙ procedendo ab effectu ad causam, simul & quia est & ꝓpter quid obtineatur, qm̃ simul & effectus, & causæ notitia hunc in modũ habeatur. (Sol.) Huic difficultati respondentes, dicimus ex effectu duci nos posse in cognitionem causę nobis ignotæ, quam inuestigare via ab effectu possumus: hũc autem in modum cognita a nobis causa, non sequitur quod simul obtineatur cognitio causæ, & effectus. Nam postquam per effectum fuerit cognita causa, mox ex ipsa causa cognoscitur effectus ꝑ se, & simpliciter, cum prius seorsum a causa per accidens nobis esset cognitus; & ita in progressu a causa simpliciter cognoscitur effectum esse, dum cognoscitur ꝓpter quid est. Neq; vero sequitur, qm̃ per effectum causa inuestigetur, atque cognoscatur quod propterea hunc in modũ cognita causa non magis sit nota, secundum simplicem, & propriã scientiam, q̃ effectus, licet per ipsum in causę cognitionem perueniatur. Nam dicimus quod causa in sui natura est magis cognita, & scita q̃ effectus ab ipso dependens: vt ideo cognita a nobis causa, per ipsam effectus magis cognitus q̃ antea, & simpliciter cognitus reddatur; ex lumine enim a causa ꝓcedente fit, vt cognoscatur non posse aliter se habere illud, quod a ꝓpria tali causa dependet, & per eam demonstratur.

Qua via inquiri debeant prædicata spectãtia ad ipsum quod quid est.

Quomodo igitur quod quid est in definitiones assignetur, & quomodo eius sit demonstratio, aut definitio, vel non sit, dictum est antea. Nunc speculandum est, qua Methodo oporteat nos venari ea, quæ in quid prędicantur, vt cõgruo ordine desumantur. Sciendum igitur, quòd ex ijs, quæ rebus insunt,

non-

nonnulla in plus ſe habent quam id de quo prædicantur, non tamé extra eius genus exiſtentia. Ea autem in plus ſe habere intelliguntur, quæ non ſolum determinato cuidam ſubiecto inſunt vniuerſaliter; verũ etiam alio cuidam. Veluti aliquid ineſt omni trinitati, quæ eſt ſpecies numeri; ineſt eidem aliud, quod inerit non ſolum trinitati, & numero, verum etiam alijs plurimis: quemadmodum ens eccedês numerum ineſt trinitati, & non trinitati; vt puta & ſeptenario numero, & etiam non numero, cum ens inſit etiam lineæ & animali, & alijs, quæ genere diſtinguũtur a trinitate, cuius genus eſt numerus. Sed & trinitati ineſt quidpiam vniuerſaliter in plus ſe habens quam trinitas, nempe numerus, genus exiſtens trinitatis & quaternitatis. Adhuc impar ineſt omni trinitati ad plura ſe extendens quam trinitas, cum etiã quinario inſit impar, non tamen extra genus numeri progrediés. Hæc igitur prędicata oportet præaccipere vnũ poſt aliud: donec ordine ſeruato tot ſint accepta, vt horum quidẽ ſingulum in plus ſe habeat quam res definienda, non autem omnia ſimul accepta, quę ſoli rei definiẽdæ inerunt. Hinc oporter dicere, hãc eſſe rei ſubſtatiã ex huiuſmodi prædicatis conſtitutum: Veluti trinitati ineſt numerus, & impar, & primum vtroq. modo; tum primum, quatenus non menſuratur aliquo termino; tum etiam primum, quatenus non componitur ex numeris. Etenim trinitas non cõponitur ex numeris ſed ex vnitatibus, neq, numero mẽſuratur, cum in trinitate nullius numeri menſura cadat; ſicuti habet locũ in quaternitate, quæ ex binario componitur, & eodem menſuratur, cum bis duo numerent, & mẽſurent quaternarium. Idcirco hęc erit trinitatis eſſentia, & definitio: Trinitas eſt numerus impar, primus, & eo modo primus, vti dictum eſt. Quę igitur in hac definitione continentur, horũ quædam inſunt omnibus imparibus numeris; veluti quinario, & ſeptenario, qui & ipſi ſunt numeri impares. Quòd autem poſtremo loco poſitum eſt in definitione trinitatis, nẽpe hęc dictio PRIMVM competit etiam dualitati, quæ eſt primus numerus par, ſicuti & trinitas eſt primus numerus impar: omnia autem ſimul collecta nullo alio numero conueniunt niſi trinitati: vnde eius eſſentiam neceſſario continebunt. Etenim ex ante deductis & oſtenſis in lib. præcedenti, quæ prædicantur in quid, ſunt neceſſaria; eo ꝙ vniuerſalia, cum cõtineant eſſentialia prædicata, ſunt neceſſaria: idcirco & quę de trinitate prędicto modo in quid prædicata accepta ſunt, ex neceſſitate ea inerunt; & conſequenter eius propriam eſſentiam ſoli trinitati competentẽ continebunt. Alioquin, ſi dicatur quòd proprium & ſoli trinitati cõpetenté definitionem non cõtineant, eueniet ex neceſſitate, (cum prædicata in quid accepta ſupponantur) vt hæc concernant genus aliquod, aut nominatum, aut innominatum; quod proculdubio ad plura ſe extendet quam trinitas: id enim ſupponatur, genus eius eſſe naturæ, vt in plus ſe habeat ſecundum potentiam q̃ ſpecies. Atqui ſi prædicata aſſignata ſimul collecta nulli alio competant, niſi indiuiduis trini-

tatibus, igitur concludendum, ꝙ hęc ſolius trinitatis eſſentiam ſeu quod quid erat eſſe trinitatis cõtinebunt. Id enim etiam ſupponatur, vltimam prædicationẽ indiuiduis alicuius ſpeciei prædicto modo ita exiſtentem, vt nulli alij rei conueniat, cuiuſq; ſpeciei proprium eſſe quod quid erat eſſe. Eadem vero regula quæ circa trinitatis prędicata in quid tradita eſt, in omnibus etiam alijs definitionibus venandis, & ordinandis, eſt obſeruanda.

Adnotationes.

Q*Uomodo igitur ipſum quid eſt in definitiones aſſignatur.* Græce legitur εἰς τοὺς ὅρους & communis eſt interpretatio, ijs verbis ſignificari, quomodo ipſum quid eſt inter terminos ſyllogiſticos aſſignetur, & in demonſtratione aſſumatur definitio. At nõ proprie videtur dici, ꝙ aſſignetur definitio inter terminos ſyllogiſticos, quaſi ita eius natura explicetur. Quare præſtat hoc loco accipere, & interpretari dictionẽ hanc *terminos* Græce τοὺς ὅρους proprie pro definitionibus; vt ijs verbis denotet Ariſt. id, qđ ſuperius explicauit, dum docuit ipſum qđ quid eſt, partim accipi in definitione explicante quid ſignificet nomen, ſimul importans ꝙ ſit res; & partim vt dicit propter qđ quo loco & definitionem definitionis eſſe inſinuauit, nempe iis verbis: εἷς μὲν δὴ ὅρος ἐστὶν ὅρου. hoc eſt vnus quidem igitur terminus, ſeu definitio eſt ipſius termini, ſeu definitionis.

li. 2 Poſt. Anal. c. 10.

Quemadmodum ens ineſt trinitati. At ſi ens nõ eſt genus, vt dictum eſt antea, quomodo inerit trinitati, cum præter decem genera prædicamentorum, ſeorſum ab iis ipſis ens acceptum non ſit aliquid commune, niſi ſolum nomen, vt docuit Ariſt. in lib. 7. & 10. Met. Dici poteſt, exempli gratia, ens hoc loco nominatum eſſe genus, prout & genus eſſe aliqui ſupponebant, cũ præſertim non ſit hic locus de hac re diſputandi.

Dubit. li. 2. Poſt. Anal. c. 7. li. 7. Met. cap. 16. & lib. 10. c. 3. Solut.

Quoſq; tot accepta fuerint primũ. Hæc dictio *primum* appoſita videtur ad inſinuandum, quòd ordo ſeruãdus eſt in accipiendo prędicata, primo, quæ prima ſunt, & alia deinceps.

Horum enim vnumquodq; alia quidem imparibus omnibus. Non ait quod ſingula prædicata hic adducta omnibus inſint numeris imparibus: ſed ꝙ nullum ex enumeratis prædicatis conuenit trinitati, quod non conueniat alicui alteri numero: ſicuti & dualitati conuenit eſſe primum numerum; non aũt ſeptenario; cui tamen competit eſſe imparem, ſicuti & trinitati. Dubitat autem hoc loco S. Thomas, quoniam vltima differẽtia debeat ineſſe ſoli rei definiendæ, prout habet Ariſtot. in lib. 7. Met. dicens, ꝙ, cum peruentum ſit ad vltimas differentias, hæ eiũt conuertibiles cum ſpeciebus: nec nõ in lib. 8. Met. habetur, ꝙ ratio quę eſt ex differentijs, videtur eſſe tanquam actus ſpeciei, id eſt forma, cui reſpondet differentia; cuiuslibet vero ſpeciei eſt propria forma. Huic dubitationi reſpondet S. Thomas, ꝙ ſi accipi poſſet differentia notificans formam ſubſtantialem ſpeciei, vtiq; non in plus ſe haberet q̃ ſpecies: ſed cum nobis non ſit nota vltima differentia, ideo oportet accipere accidentia, quæ ſunt communia; non propria, quæ demonſtranda ſunt, vt ex illis communibus quodam modo inſinuentur propriæ formæ ſubſtantiales per illa ſigna accidentalia. Poſſet etiam dici ꝙ vltima differentia vna cum alijs præcedentibus, cum ſit vltima, largitur actum ſpeciei coniuncta tñ cũ alijs. Neque refert ꝙ vltima differentia alicuius ſpeciei competat etiã nonnullis alijs ſpeciebus, qñ in alijs non terminat vltimũ actum ſicut in propria ſpecie.

Dubit. S. Thom. li. 7. Met. cap. 12 li. 8. Met. c. 5. Solut. alia Sol.

Quoniam vero declaratum eſt. Accipit, quod declaratum eſt in libro ſuperiori; nempe ꝙ prædicata in quid ſunt neceſſaria. Cuius dicti ſubiungit rõnem: qm̃ ſunt vniuerſalia; hæc aũt ſunt neceſſaria, vt in libro ſuperiori conſtitutum eſt. Adnotat aũt Euſtrat. in hoc loco, particulam δὲ, ideſt *vero* aliter legi debere, nempe γὰρ ideſt *enim*: Vbi habet Ariſtot. τὰ καθόλου δὲ ἀναγκαῖα, alioquin ex ijs nullus conſonans ſenſus perciperetur, vt poteſt eſſe perſpicuum cuique ſenſum contextus perpendenti.

lib. Poſt. Anal. c. 6. Euſtr.

Supponatur enim tale eſſe genus. In libro 10. Met. explicata eſt natura generis, ꝙ ſit tanquam materia exiſtens in potẽtia relatum ad ſpeciem; vnde de pluribus genus prædicatur q̃ ſpecies licet ſpecies actu plura contineat q̃ genus prout explicatum eſt quoq; apud Porphyrium in cap. de differentia. Et cum ſubiungitur: *ſupponatur enim & hoc, ſubſtantiam vnicuiuſq; eſſe poſtremã huiuſmodi prædicationem indiuiduis inexiſtentem*: hinc innuitur, prædicata ſimul collecta eſſe debere, quorum vltimo actus ſpeciei concludatur, vt dictum eſt pauloante: adeo vt partes alię præcedentes rõnem habeant potentiæ; vltima vero differentia actum rei cõcludat. Et ideo Ariſtot. in lib. 7. Met. ſupponit indiuiduas differentias (quod etiam hoc loco ſupponit) accipi debere pro eſſentia determinata explicanda cuiuſq; rei; quod non obtinetur ab alijs præcedentibus differentijs, & multo minus a communi genere.

li. 10 Met. c. 10. li. 7. Met. c. 12.

Quomodo tractandum, & diſtribuendum ſit totũ aliquod ſubiectum in ſcientijs.

OPortet autem, vt qui totum aliquod aggreditur tractare, diuidat, genus in ſpecies indiui-

uiduas primas. Veluti si de nume ro sit agendum, necesse est diuide re numerum in dualitatem & tri- nitatem, quę sunt numeri primæ species. Deinde iuxta Methodũ antea præscriptam, tentare spe- cierum definitiones accipere: vt puta de linea recta, de circulo, & de angulo recto. Post hoc, cum ac ceptum fuerit genus, sub quo cō- tinentur species, sit vel quantum, vel qualitas, vel aliud prædica- mentum; tunc deinceps oportet ꝓprias passiones speculari, exor- diendo ab his, quæ communes sunt, & primæ. Siquidem acciden tia, quæ contingunt his, quæ ex indiuiduis prædictis speciebus sunt composita, nempe magis co- positis speciebus, erunt manife- sta ex definitionibus: propterea quòd omnium principiũ est defi- nitio, ipsum simplex; & acciden- tia secundum se solis simplicibus insunt, & per hęc alijs.

Adnotationes.

O*Portet autem, quando totum aliquid negocie tur.* Circa hanc partem contextus est cōmunis interpretatio, Themistij, Io. Grā. Eustrat. Auer. & latinorũ, vt doceat hoc lo- co Aristot. quomodo oporteat venari ali- cuius generis definitionem: qđ dicunt ꝑfi ci, si species generis per diuisionem in me- dium afferantur, & earum definitiones tra- dantur: in quibus quod erit commune om nibus speciebus, id (inquiunt) erit generis definitio. Veluti, cũ recta linea definiatur, ꝙ sit longitudo sine latitudine, cuius me- dium non erit ab extremis, circularis autē ꝙ sit longitudo sine latitudine, cuius medio inest punctum, a quo lineæ omnes ductæ ad circulum sunt æquales, cũq; his duabus speciebus linearum insit hoc commune, lon gitudo sine latitudine, hinc, iuxta horũ in- terpretum sententiam, erit desumenda ge- nerica definitio lineæ, quòd sit longitudo sine latitudine. Quę quidem verissima sunt: sed quomodo verbis Aristot. sint consenta- nea, difficile est ostendere; nisi præter ordi nem, & consuetum modum loquendi huius Philosophi, verba torqueãtur, vt apparebit ex dicendis. Sed & ab huiusmodi documē- to, quod supponũt hic tradi penes generis definitionem inquirendam, paucis poterat Aristot. se expedire: veluti, si dixisset, pro venanda generis definitione est diuidendũ genus in suas species, & quod in illis est cō- mune, id ipsum statuēdum pro generis defi nitione; & non tam multa, eaque obscure simul connectere, vti fecit. Accedit, quòd cũ in Methodo venandi definitionē antea assi gnata præscriptum sit, vt prius communia prædicata acciperētur, hinc patere potuit, genericam sic inquiri etiam definitionem, quæ ex prædicatis communibus constitue- retur. Nobis itaq; (vti etiam in Paraphrasi innuimus) vĩ Aristot. in hoc contextu doce re, qua via, & quo ordine vniuersum cuius- uis scientiæ subiectum sit distribuēdum, & tractandum: veluti est consideratio de natu ra generatim a Philosopho naturali expo- nenda. Cui quidem scopo mirifice cōuenit hoc enunciatum: *oportet, cum quis aliquid totũ negocietur*, & cetera quæ sequuntur. Ad ne- gociandum igitur, & tractandum cunctum alicuius scientiæ subiectum, hanc Metho- dum proponit obseruandam. In primis, vt diuidatur genus in suas primas species, nē- pe in simpliciores, quales sunt (quas & enu- merat) in genere numerorũ dualitas, & tri- nitas. Deinde vero de ijs iuxta Methodum ante præscriptam tradãtur definitiones, si- mulq; sumatur generalissimum prædicamē tum, sub quo genus dictarum specierum cō tinetur. Mox ordinãs huius subiecti doctri nam cōsiderabit proprias passiones specie- rum, vt earum demonstrationes afferantur; hunc ordinem tractãdi obseruando, vt ex- ordiatur ab illis passionibus, quæ & in sim- plicibus speciebus, & in compositis ex illis inueniuntur; & inde procedat ad magis cō- positarum specierum passiones speculatio- nem præmissis circa species magis compo- sitas proprijs definitionibus. Siquidem defi nitio, cum sit omnium principium, modum subministrabit passiones cognoscendi, atq; demonstrandi. Simplex aũt natura simpli- cibus speciebus conuenit, tanquam primis, quibus etiam accidentia secundum se solis insunt: adeo quòd ex notitia simpliciũ pri- marum, specierũ, & ex demonstratione ha- bita penes earum passiones, illucescet easdē passiones per simplices species inesse quoq; magis compositis speciebus: veluti, quæ in- sunt speciebus simplicium corporum natu- ralium, aut mixtorum imperfectorum pas- siones inerunt quoq; perfectis mixtis, & in- animatis, & animatis ex præhabita simpli- cium cognitione apparebunt.

Diuidere genus in indiuidua specie prima. In- telliguntur species specialissimæ. Dictionē autem illam, *prima*, solus Eustrat. ex inter- pretibus ponderans, ait, quòd est explicati- ua specierum indiuiduarũ: & per *prima* in- telligi species simpliciores: veluti sunt mix- ta simplicia inanimata, si referantur ad cō- posita animata. Quæ Eustrat. consideratio mirifice consentit explicationi, quam nos induximus. Et sane Aristot. id obseruat in exemplo, quod affert de numero, quem di- cit diuidendum esse in trinitatem; & duali- tatem, vti species quæ sunt simpliciores, & primæ numeri, vna paris, & alia imparis. Dicit autem, *indiuidua specie*, vt excluderet

Eust.

sim-

ſingularia indiuidua, que cadunt ſub ſenſu.

Poſtea ſic illorum definitiones tentare accipere. Nēpe eo modo, & ordine, qui antea eſt explicatus.

Vt recte lineæ, & circuli, & recti anguli. Mirum quòd Ariſtot. traduxerit ſermonem ad hæc alia, & non præſtiterit in exemplo allato de numero. Verum per hæc innuere voluit, aliud quoddam totum, nempe ſubiectū Geometriæ: Quemadmodum per alia adducta de numero inſinuauit ſubiectum Arithmeticæ.

Poſt hæc autem accipientes quid eſt genus. Veluti, ſi de numero ſit agendum, accipiendū erit quidnam ſit eius genus: id eſt, in quo genere prędicamentorum contineatur. Vnde etiam in proœmio de Anima habet Ariſt. quòd primo eſt accipiendum, in quo genere ſit illud, de quo agitur: quā & obſeruauit in lib. 2. de Anima eius definitionem traditurus. Et cum ſupponat prædicamēta, hinc colligitur aduerſus Antonium Mirandulanum, tractatum prędicamentorum huic operi de ſcientia demonſtratiua debere prę cedere; atq; ideo pro initio, & prima parte Organi eſſe adnumerandum.

li. 1. de an. cap. 1. li. 2. de an. cap. 1.

Cōt. Ant. Mirand.

Proprias paſsiones ſpeculari per cōmunia prima. Sic codices gręci habent, & antiqua lectio, & ita pariter legitur apud Euſtrathium; cū tñ apud aliques ita legatur, *per communia prima accidentia*: ſed vocula *accidentia* ſeorſum ab ijs alijs vocibus, *per communia prima eſt ponenda.* Argiropylus ita habet: *proprios effectus per communes primos ſpeculari.* Hanc vero partem cōtextus hunc in modum explicat Euſtrat. quod, quæ conueniunt definitionibus ſpecierum in communi hęc communia complectantur definitionē generis: cui conſentit quoq; interpretatio Ioā. Gram. tanq̃ velint, quòd ſint accipiendæ propriæ paſſiones; pro eo quod eſt dicere, quòd quę primo conueniunt ſpeciebus, conueniunt etiā generibus pro eorum definitione. Vnde illud *per communia prima*, interpretantur, quæ primo communiter competunt ſpeciebus. S. Thomas, inquit, ad inueſtigandas dfīas oportet conſiderare proprias paſſiones, quæ ſunt ſigna manifeſtantia, formas proprias ſpecierum, & hoc per aliqua cōmunia. i. per accidentia ex generibus communibus collecta: ſubiungens, quòd ex definitionibus eorum erunt manifeſte quæ quęruntur. Atqui paſſiones propriæ non ſunt differentiæ rerum. Sed quòd paſſiones in proprio ſignificato intelligat Ariſtoteles, manifeſte innuit ſubiungens, *accidentia ijs, quæ componuntur ex indiuiduis, ex definitionibus erunt plana.* Idcirco (vti conſtituimus) interpretandum vī, quòd ſermo ſit de modo obſeruando, cū alicuius totius ſubiecti tractatus ſit explicādus, ſeu diſtribuendus in quauis ſcientia; adeo quòd hic tradatur hoc documētum, quòd præter diuiſionem generis in ſuas ſpecies, & poſt ſumptionem generis ſupremi, & poſt definitiones ſpecierum, oportet deinde ſpeculari proprias paſſiones, demonſtrando, quomodo ex ijs, vel illis principijs proueniant, & inſint ſubiectis. Vnde, ſi eſsēt generis paſſiones, iam non propriæ, ſed communes eſſent omnibus ſpeciebus; quemadmodum & genus eſt quid eiſdem commune. Vult autē Ariſtoteles per *communia prima* procedi. i. prius conſiderari debere paſſiones communes, q̃ intelliguntur, & nominantur *propria*, ad differentiam accidentium, quæ propria nō ſunt. Ita autem ordo docendi poſtulat, vt a ſimplicioribus & communibus ſecundum ordinem naturæ initium ſumatur: ſiquidem huiuſmodi communia, quæ inſunt ſimplicibus ſubiectis, inſunt etiam ſpeciebus magis compoſitis. Et cum ſubiungat, quòd *erunt manifeſta accidentia, quæ inſunt ijs quæ componuntur ex indiuiduis* paſſim intelligunt interpretes genera ipſa, quorū definitiones componātur ex indiuiduis ſpeciebus, & ex earum definitionibus. Vnde dicunt genus componi ex ſpeciebus; qm̄ totum componitur ex partibus, & genus eſt quoddam totū relatum ad ſpecies, vt habet etiam Porphyrius in tractatu de ſpecie. At iuxta noſtrā explicationē, per ea, *quæ componuntur ex indiuiduis*, intelliguntur ſpecies magis compoſitæ: quemadmodum ſunt corpora mixta animata, ſi referantur ad ſimplicia corpora; vt ſunt elementa; quæ intelliguntur eſſe *indiuidua*, non vt ſingularia, quæ cadūt ſub ſenſu; ſed qm̄ eorum natura, cum ſit ſimplex, non eſt diuiſibilis in plures naturas, vti ſunt cōpoſitæ ex illis ſpecies rerum; vt dictum eſt de mixtis animatis. Ait autem Ariſtoteles, quòd huiuſmodi compoſitis ſpeciebus, quæ inſunt accidentia propria, manifeſtabuntur ex earum definitionibus: ſicuti & quæ propriæ paſſiones inſunt ſimplicibus ſpecieb., manifeſtātur ex earundem definitionibus; vt ita omnes paſſiones ex definitionibus, quoad propter quid demōſtrentur. Ex quo colligitur, ſemper definitiones paſſionum aſſumendas pro medio in demonſtratione. Quòd ſi in proœmio de Anima dictum eſt, quod accidentia multum conferunt ad ſubſtantiæ cognitionem, id quoque eſt veriſſimum: qm̄ accidentia, vti ea, quæ nobis ſunt maxime nota, anſam & occaſionem prębēt ſpeculandi de ſubſtantia: ſed propria debēt eſſe, & nō ſecundum accidens. Vndè etiam dictum eſt ſuperius in hoc libro, quod accidentia nonnulla, (& ſupponuntur propria) tradi poſſunt ſignificantia aliquid eſſe, ita vt inde rei eſſentia deſumi poſſit a recte ſpeculante. Veruntamen poſtea ex ſubſtantiæ cognitione pendet diſtincta cognitio accidentium, vt docet Ariſtoteles in lib. 7. Met. Quòd autem hoc loco dicat Auerroes, viam propoſitam eſſe compoſitiuam, & nō reſolutiuam, de qua hic agatur; ſi intelligit proceſſum Ariſtot. eſſe (vt eſt communis interpretatio) pro venanda generis definitione, cum hæc deſumenda ſit ex ſpērum definitionibus ſintq; ſpecies poſteriores genere, hac quidem ratione eſſet proceſſus reſolutiuus, & non compoſitiuus: quemadmodū eſt ille, de quo infra eſt ſermo, vt ex inſpectione ſingularium definitiones ſpecierum inueniantur. At iuxta noſtram interpretationem, dici poteſt quod documenta, quæ tradit Ariſtoteles circa negocium totius ſubiecti in quauis ſcientia exequendum, concernunt viam compoſitiuam, cum doceat eſſe procedendum à ſimplicibus ſpeciebus

Euſtr.

Io. Grā.

S. Thom.

Impug.

Porphyr.

li. 1. de an. cap. 1.

li. 2. Poſt. Anal. c.

li. 7. Met. cap. 5.

Auer.

bus (quæ ſunt natura priores) ad magis cōpoſitas, & ita poſteriores; ſimulq; tradit, a communioribus paſsionibus eſſe exordiēdam ſpeculationem. Non autē Ariſtoteles hoc loco vtitur via aut compoſitiua, aut reſolutiua in iis quæ diximus, explicandis, ſed & hæc documenta poſſunt exerceri, & ordinari extra ſcientiam, vt compendio quodā comprehendantur, & diſponantur, quæ in traditione ſcientiæ ſunt diſſerenda: quēadmodum quid ſimile eſſe faciendum, docuit Ariſtoteles in lib. 1. Prior. Analy. circa inuētionem propoſitionum.

li. 1. Prio. Analyt. ſect. 2.

Eo quod principium eſt omnium definitio, ipſum ſimplex. Græce aliter legitur: διὰ τὸ ἀρχὴν εἶναι πάντων τὸν ὁρισμὸν, καὶ τὸ ἁπλοῦν, idest, *omnium eſt principium definitio & ſimplex.* Et ita etiam apud Euſtrat. qui per ſimplicē definitionē, intelligit definitionem ſpērum, quæ ſunt ſimplices, & non compoſitæ, vt genus. Idem interpretatur, quòd ſpecies ſint principia generis. Nec non Themiſtius ait hoc loco, quòd quæ inſunt generi inſunt per ſpecies. Quæ dicta omnino incongrua videntur, cum oppoſitū ſit veriſsimum, quod genus accipitur in definitione ſpecierum; & quæ inſunt generi, oſtēduntur ineſſe ſpeciebus, vt ita ſeruetur primum vniuerſale, iuxta tradita in libro ſuperiori penes ipſum vniuerſale. Et (quod recens ſcriptor vidēs hāc maximam difficultatem mirum in modum oppugnatem prædictā cōmunem interpretationem) inquit, quòd ſpecies ſunt cauſa exiſtentiæ, non eſſentiæ ipſi generi, nō euadit difficultatem; cum manifeſte dicat Ariſtot. quòd per ſimplicia, quæ ipſis inſunt paſsiones, oſtenduntur de aliis: vt ſignificet palā demōſtrationem habendam eſſe de paſsionibus.

Euſt.

Them.

Zabarella.

Nos autem dicimus, quod definitio eſt principium omnium in omnibus, prout etiam habetur in lib. 1. de Ani. & in 7. Met. Dictio autē illa, *& ſimplex*, pōt duplicē habere interpretationem. Aut intelligendo, quòd illud quod eſt ſimplex, eſt principium omnium, cum ex illo reliqua dependeant, & conſtituantur. Etenim & in libro ſuperiori explicatum eſt ab Ariſtotele, quòd principium in omnibus eſt ſimplex; vt in pondere vncia, in cantu dieſis, & ait ibi quòd in ſyllogiſmo vnum eſt, immediata propoſitio, in demōſtratione, & ſcientia eſt intellectus. Aut poteſt dictio prædicta referri ad ſequentia; quod ipſum ſimplex ineſt ſolis ſimplicibus, ſicuti & propria accidentia illis ſolis primo inſunt; deinde per hæc & aliis: quemadmodum quæ proprietates conueniunt quattuor ſimplicibus elementis, eadem, per eadem elementa inſunt, & inueniuntur in mixtis corporibus, cōpoſitis ex elementis. Vnde hunc in modum ex definitionibus ſemper manifeſtabuntur, & demonſtrabuntur oīa propria accidentia, quæ inueniuntur vel in ſimplicibus, vel in compoſitis ſpeciebus: adeo vt ex his omnibus perſpicuum eſſe poſſit, tradi hoc loco normam obſeruandam pro componenda, & diſtribuenda quacunque ſcientia.

lib. 1. de Ani. c. 1. li. 7. Met. cap. 9

li. 1. Poſt Analyt. c. 19

Vtilitas aperitur percipienda ex diuiſionibus pro venanda definitione, nil ex aduerſo refragante Pſeuſippi argumentatione.

Diuiſiones autem factæ per differentias, vtiles ſunt ad progrediendum, circa prædicata ſpectātia ad rerum definitionem, vt pote, quæ ſubminiſtrent ea, ex quibus ratiocinatio colligi poſſit de ipſo quod quid eſt; non autē idipſum demonſtrant. Siquidem illud tantum ſuppeditat diuiſio; quod etiam ſtatim a principio accipi poſſet abſq; diuiſione: vnde non eſt vtilis ad ratiocinandū; ſed bene ad colligēda ſimul prædicata, quæ pertinent ad ipſum quod quid eſt. Ac primo quidem iſtud commodi prēbet diuiſio, vt ordo cōgruus ſeruetur in prædicatis; vt primo loco diſponantur quæ prima ſunt, deinceps poſteriora, quæ ſequūtur. Quippe multum diſcriminis erit, ſi quis ita dixerit: *animal manſuetum bipes* & ſi dixerit, *bipes animal manſuetum*: ita enim præpoſterus ordo in prædicatis haberetur. Ex quo fieret, vt cum vnumquodq; ex duobus conſtet, ex genere ſcilicet, & differentia, & vnum quid ſit animal manſuetum, rurſusque cum ex hoc, & ex alia differentia cōſtituatur homo, vel quid aliud ita ex ordine præpoſtero prædicatorum, ſequeretur, vt qui hunc in modum diuideret, rurſus peteret illud, quod iam acceptum eſſet, ponendo rurſus *bipes* poſt *animal manſuetum*, cui conſequitur, bipede autem iam ante comprehenſo. Ad hoc igitur inconueniens euitandum mirifice deſeruit ipſa diuiſio. Amplius

præstat & hanc aliam vtilitatem ipsa sola diuisio, vt reddat nos cautos, ne quid ꝑtermittatur eorum, quæ pertinent ad quod quid est. Nam, cum primum genus acceptum fuerit, ac postea de inferioribus differẽtijs aliqua sumatur, omissa superiori, ita quæ sunt sub genere, omnia non essent cõprehensa: sed aliqua extra genus dimitterentur: in quod vitiũ incideret, qui diuideret cunctum animal, tum in illud, quod sit cũ pennis scissis. Siquidem non omne animal aut integris, aut scissis pennis est prædictum: sed solum cunctum animal pennatum sub dictam diuisionem caderet, extra quam nulla species pennatorum animalium esset. Quod similiter de alio singulo genere dicendum est: quandoquidem diuisio fieri potest eiusmodi, vt omittantur species extra genus; & etiam huiusmodi, vt omnes sub genere comprehendantur. Vnde patet, hac via sola diuisiua manifestari, num aliquid omissum sit de eo genere, quod susceptum sit tractandum in aliqua scientia.

Neq. vero facessat nobis negocium Pseusippi argumẽtatio, qua contendebat, non licere alicuius rei differentias assignare. Dicebat enim non est cognoscere alicuius rei differentias, nisi etiam oppositæ differentiæ cognoscantur: & cũ quodq; differat ab vnoquoq. cum quo non est idem (alioquin si in aliquo non differret, idem simul esset cum eo) neque possimus omnium differentias cognoscere, quãdo sic oporteret res omnes nobis cognitas esse, quod est impossibile: igitur etiam impossibile (concludebat Pseusippus) percipere alicuius rei differẽtias. Aduersus quem id primo apponendum est, falsum esse, quòd omnis differentia faciat specie diuersum, cum rebus eiusdem speciei existentibus multę insint differentiæ; quę res ipsas non reddunt diuersas, cum substantiam non cõcernant, neque secundum se existant. Præterea, cum quis acceperit ex oppositis differentijs eam, quę suo ꝓposito deseruiat, sumpseritq; pariter quod omne cadit in hanc, vel in illam differentiã; nec non simul intulerit, ex altera hac, vel illa parte oppositarũ differentiarum stare illud, qđ quęrit; sic, cum venatus fuerit, & perceperit prædictas differentias, nil intererit quod sciat, aut non sciat illas alias res, de quibus opposita differẽtia prædicetur. Manifestũ enim quòd si ita procedens peruenerit ad eas differentias, vltra quas non sit alia, orationem definitiuam substantiæ obtinebit. Accipere autem, quòd omne cadat in diuisione, si ea fuerint opposita quorum non sit medium, non est petere aliquid, quod non sit cognitum, & manifestum. Siquidem quod quæritur, necesse est esse in altero membrorum diuisionis, dummodo ad ipsum pertineat assignata differentia: ita .n. postulat ratio oppositorum, quorum alterum, vel alterum omni necesse est inesse.

Adnotationes.

D*iuisiones autem quæ secundum differentias.* Patefacit hoc loco Aristot. vtilitatẽ, quam præstant diuisiones illæ, quæ sunt secũdum differentias; qm̃ sunt etiam diuisione totius in partes, & generis in species. Et repetit iam se dixisse, quomodo diuisiones demõstrant, quod præstitit supra cap. 5. circa illam vero particulam, *ad syllogizandum ipsum quid est*. Eustratius dictionem hanc *syllogizandum*, pro eo, qđ est colligere, inter- Eustr.

pre-

pretatus est: qua in significatione vsus est ē Aristot. initio lib. 8. Met. dum dixit ἐκ δὴ τῶν εἰρημένων συλλογίσαι δεῖ καὶ συναγωγόντας τὸ κεφάλαιον τέλος ἐπιθεῖναι. i. *ex dictis igitur colligere oportet, ac congregando summatim finem imponere.* Posset etiam fieri interpretatio, quod sine diuisione possunt accipi principia: inter quæ est definitio, vt inde fiat demonstratio, continens totam definitionem.

li. 8. Met. c. 1

li. 7. Met. c. 1. & 8. c. 5.

Si enim omne ex duobus est Vnaqueque spēs constat ex genere, & vltima differentia, & ita ex duobus, quod etiā in lib. 7. & 8. Met. constitutum est. Aduertit aūt Arist. seruari debere ordinem in diuisione differētiarū; vt priora desumantur, & deinceps quæ sequuntur. Alioquin, si ordo peruertatur, cōtinget vt quædā fiat petitio principij, veluti, si ponat primo loco *bipes*, & huic postea addātur, *animal mansuetum*: cum deberet poni priori loco *animal*, & postmodum *bipes*. Nam cum ex animali & mansueto fiat vnū, conuenit vt addito ipsis, bipede, fiat quid aliud; vt puta homo: vnde iterum bipes apponeretur in diuisione; cū tn̄ prius esset positum; sed perperam in principio.

Nihil autem oportet. Soluit difficultatem Pseusippi asserentis, non posse definientem, seu diuidentem accipere alicuius rei differentias: qm̄ ita incumberet illi onus omnia cognoscendi; quasi ꝙ necesse sit, vt sciatur quodcunque, a quo aliquid differat; &, cum quodcunq; differat ab omni, quod nō est illud ipsum, ideo sequi videtur, quod sciri oīa oporteat ab eo, qui rem aliquā definire studet, quod tn̄ est impossibile. Respondet ex aduerso Arist. in primis, ꝙ multæ differētiæ insunt indiuiduis eiusdem speciei, quæ cum non pertineant ad rei substantiam, dici ēt nequit, ꝙ huiusmodi indiuidua differentijs essentialiter distinguantur. Addit sufficere scire, ꝙ diuisio sit habēda per oppositas differentias, adeo vt necessitas quidem hęc cōsequatur, ꝙ vnumquodq; aut hoc modo, aut opposito se habere debeat ex ijs, quæ sunt sub eodem genere: non autem absolute necesse est de omnibus id accipere. Si quidem lapis (exempli gratia) neque rōnalis, neque irrationalis ꝓprie dr̄, vt ideo sub diuisione harum differentiarum non sit comprehendendus. Propterea non oportet attendere ad ea, quæ cadūt extra diuisionem. Sed neque opus est scire ea, quibus insit altera differentia, quæ est opposita differentiæ speciei definiendæ ad hoc, vt res definienda comprehendatur, cuius propriæ differētiæ notæ nobis existentes sufficiunt ad expletam habendam de eius natura notitiam.

Tria assequi oportere pro expleta definitione per diuisiones construenda.

AD construendam vero definitionem adiumento diuisionum, tria hæc oportet coniectare & assequi. In primis vt accipiantur prædicata in quid. Deinde vt hæc recto ordine, vti cuiq; conuenit, disponantur, primum prædicatum in primo loco; secūdum in secundo; & ita deinceps. Postremo vt adsint omnia, quæ ꝓ rei completa definitione requirunt. Et primum quidem absoluitur per ea loca, quæ ad syllogismos de genere construendos in Topicis sunt tradita in lib. 6. quemadmodum & in secundo actum est de locis ad construendum de accidente, quod insit rebus. Secundum vero, rectus nempe ordo seruandus in assumendis prædicatis, obtinebitur, si primū, quod ad rei quidditatem attinet, sumatur, semper priora ordine ante posteriora accipiēdo: quod pręstabitur, si illud semper accipiatur, quod vt in plus se habens consequitur ad omnia; illi vero alia non consequūtur. Veluti viuēs ad omnia animalia, & ad plure se extendit: quoniam etiā ad plantas: nō autem omnia animalia ad ipsum viuens consequuntur. Oportet igitur ex ijs, quæ ad rei definitionem pertinēt, vnum aliquod primū, & omnibus magis vniuersale accipere: ac deinceps ad alia, quę posteriora & infra sunt, eodem ordine accedere. Fiet enim hunc in modum, vt secundum euadat primum, relatū ad alia posteriora; & tertium similiter comparatum ad alia magis postrema, primum fiet. Siquidem omisso superiori, quod illi proximum est, & cōsequens, erit primum cæterorum: vt ita semper sit primum id, quod est supra alia, comparatum vel ad omnia, vel ad quęcunq; sint ipsi inferiora. Num vero tertia ex propositis conditionibus sit obtenta; nempe

quòd omnia sint accepta prædicata, quę rei totam compleant essentiam, hinc erit manifestum, si acceptum fuerit per diuisionem id, quod est primo positum sub genere hunc in modum progrediendo. Quoniam omne aut est hoc, aut hoc: inest autem hoc, vt (exēplis gratia) omne viuens aut est sensibile, aut insensibile: sed in homine est sensibile, vnde homo sensibilis erit. Rursus huius totius, nempe viuentis sensibilis accipienda erit differentia quòd omne viuēs aut est rationale, aut irrationale: ideo homo erit rationalis. Vnde, cum peruētum fuerit ad vltimam differentiam indiuisibilem, vltra non erit procedendũ; sed in hac & in alijs prioribus acceptis differentijs erit tota hominis definitio comprehēsa. Aut si sit differētia, quæ adhuc possit diuidi, & consistat in definitione animalis, vtiq; huiusmodi vltima differentia cum partibus præcedentibus non erit specie differens ab ipso toto; nempe ab animali, quod idem erit cum ipso viuente sensibili. Quare iuxta huius vię progressum patet, quòd nec quicquam additum erit non pertinens ad rei essentiam, cum omnia in quid prædicata sint accepta; neq; horũ aliquid deerit. Hoc enim aut esset genus aut differentia. At suppositum est sumptum esse primum genus vna cũ differentijs ipsum diuidentibus; nec non & omnes differētias cōsequentes pariter esse acceptas, vt nulla sit relicta posterior differētia. Alioquin sequeretur, quòd vltimum acceptum differret specie ab ipsa re. At qui non differre suppositum est; Quare quòd omnia spectātia ad rei definitionem comprehendantur, Si hac via insistatur, & fiat progressus, ex dictis debet esse perspicuum.

Adnotationes.

AD *confirmandam vero definitionem per diuisiones.* Superius Arist. in primis patefecit, quomodo sint inuenienda prædicata in quid, ad hoc vt q̃ seorsum in plus se habent ordine accipiantur, & mox alia, simul autē sumpta oīa rem definiendam non excedāt. Postea vero docuit, quomodo totum aliqđ conueniat tractare pro disponēda eius sciētia, hanc præscribens regulam, vt accipiantur, & præmittantur definitiones specierũ, & passionum, & accepto genere supremo, sub quo continenti subiectum tractādum, hinc deinceps accedere ad causas speculandas, & ad demonstrationes construēdas passionum speciebus subiecti inexistentium. Post hæc vero subintulit considerationē diuisionis, quomodo conferat ad hæc colligēda, & viam diuisiuā simul tutatus est ab obiectione Pseusippi. Hic modo magis in particulari, quasi Epilogans prædicta, tradit q̃ oportet assequi, & coniectare pro astruēda per diuisionem rerum definitione. Hoc primum tradens; vt accipiantur prædicata in quid. Secundo, vt ordine hæc proponantur. Tertio vt omnia accipiantur, quæ ad rem definitionem pertinent.

Est autem horum vnum primum. Ad hoc vt coniectemus, & assequamur prædicata, aduertit, opus esse procedere per loca, quibus astruitur, q; genus sit acceptum, quod pręstatur in lib. 6. Top. vbi simul cum genere dfīę comprehenduntur, vt non sit mirum, si hoc loco differentiæ reticentur, quæ generi sint aggregatæ, adeo vt cōmunis sit ratio generi, & differentijs probādi, q; hęc, vel illa sint in quid prædicata; vel vt genus, vel vt dfīa. Quod autem additum est, *quemadmodum ad accidens syllogizare*, S. Thomas intelligit, q; etiā Methodus tradita in lib. 2. Top. penes accidens ad astruendũ q; insit subiecto deseruit ad definitionem astruēdam: quod tñ est contra communem Græcorum expositionem. Et sane patet, q; aliud est probare, q; aliquid absolute insit; & aliud probare, q; insit vt genus, vti requiritur pro astruenda definitione. Non est tñ inficiandum, & loca de accidente conferre ad astruēdum de genere, q; insit alicui, simpliciter accipiendo q; insit; non aũt q; insit, tanquam genus. Vnde etiam loca de accidente potius deseruiunt ad destruendum, q; genus de re aliqua assignatum nō sit genus, dum probatur, q; illud ipsum rei definiendæ nullo pacto insit, q̃ quòd per loca de accidenti probetur q; aliquid sit genus alicuius; cũ nō sit satis quòd insit, cum etiam oporteat ostendere quòd insit vt genus.

li. 1. Top.

S. Thom.

Cum acceptum fuerit quod ex omnibus sequitur. Id autem aut erit genus, aut differentia superior, quæ alijs sequitur existens magis

vniuerſalis; cum alia inferiora ijs ipſis non ſequantur.

Ex eo quod accepit. Nempe genus, quod eſt primum omnium inuentum vna cum differentijs; in quibus ſi ad vltimam ſit peruentum, vt non ſit altera inferior, iam tota rei eſſentia erit comprehenſa.

S. Thom. *Aut & ſtatim cum vltima differentia a toto non differre ſpecie.* S. Thomas explicat, referens hoc ad dictum de vltima differẽtia, ad quam ſit peruentum. Verũ de hac prius dixit Ariſtoteles. Idcirco videtur hac referri debere ad vnam quandam differẽtiam, quæ ſit vltima reſpectu non indiuiduæ ſpeciei, ſed generis ſubalternis, vt exponunt Ioan. Gram. & Euſtrat. vt cum hac vltima differẽtia dicat Ariſtot. ſtatim confici definitionẽ alicuius compoſiti, quod appellat σύνολον quaſi totum ſimul cõiunctum in materia, & forma. Et ita huiuſmodi compoſitum non erit differẽs ab ijs quæ accipiuntur in eius definitione. (Io Gram. Euſt.)

Dubit. Dubitaret autem aliquis non immerito, quomodo conueniat, vt de prędicatis in quid, quæ neceſſaria ſupponuntur, coniectura certa ſum: debeat ex locis probabilibus, quòd ſint accepta qualia conueniant definitioni; cum loca probabilia non neceſſitatem afferant: ſed quandam ex probabilitate ſumptam perſuaſionem, quæ hominum inhęret opinionem. Solut. Huic difficultati occurrimus, quòd ſicuti ſcientia, de qua agitur eſt humana ſcientia, ita quoq; ad captum hominis eſt accomodãda, vt iudex, & arbiter fiat ingenium humanum circa ea, quę ſciri, aut neſciri ſupponi debeant. Vnde & in libro ſuperiori, quid eſſet ſcientia expoſitum eſt ex communi hominum ſententia. Quare conuenit etiam, vt ex locis probabilibus poſſit colligi, quæ conueniat accipere ad definitionem aſtruendam, ſpectando ex communi ſententia, quæ requirantur ad manifeſtationem generis, & differentiarum; & quæ repugnent, vt inde reprobari valeant, quæ in alicuius definitione accepta ad definitionem non pertineant.

Methodus pro venanda quaque, quæ ſit pura, ſine æquiuocatione, & dilucida.

PRo venanda autem definitione, oportet inſpicere in ſimilia, & inuicem indifferentia: primum ſpectando, quidnam commune ſit omnibus ſub vna ſpecie contentis; deinde rurſus in alia ſpecie, quæ in eodem ſit genere, pariter inſpicere, quid commune habeant ea, quæ ſub hac alia ſpecie diuerſa continentur. Nam qñ & in ijs aliquid idem penitus acceptum fuerit, & in alijs ſimiliter aliquid idem, erit deinceps conſiderandum ſi in ijs omnibus ſit idem, quod excerptũ eſt ex ipſis; id peragendo donec ad vnã deuẽtum ſit orationem: hæc enim erit rei definitio. Quòd ſi non in vnam orationem, ſeu definitionẽ perueniatur, ſed in duas, aut plures; hinc debebit eſſe manifeſtũ, quòd non ſit vnum, quòd quęſitũ eſt: ſed in plura diuiſum. Veluti ſi eſt quęrẽdum, quid ſit magnanimitas intendendum erit circa illos homines, quos magnanimos fuiſſe nouerimus, quidnam commune inuicem habuerint. Vt ſi Alcibiades, & Achilles, & Aiax magnanimi nominantur, erit cõſiderandum quid cõmune in ipſis fuerit: vt puta, quòd iniuria affecti eas minime tolerarunt: dum Alcibiades bellum geſſit, ita iniuriam propulſans; Achilles iniuriã vlciſcens ſuccenſuit, & Græcis laborantibus haud in prima acie pugnauit. Aiax vero iniurias minime ferens, ſe ipſum interemit. Rurſus vero & in alij ſingulis hominibus ſpeculando conſiderare oportet, quid commune inuicem habuerint: Sicuti de Lyſandro, & de Socrate, qui etiã magnanimi ſunt reputati, id præclarũ recenſetur, quòd indifferẽtes, ſibiq. mirifice conſtantes eſſent tam in proſpera, quàm in aduerſa fortuna, vtramque ęquanimiter ſuſtinentes. Vnde ſi accipiatur tum id quod eſt commune poſtremo loco nominatis, nempe impaſſibilitas circa fortunas, tum quod illis alijs pariter eſt cõmune, ipſa ſcilicet non tolerantia iniuriarũ, cum hęc duo in vnam communẽ rationem minime conueniant; hinc erit manifeſtum, ꝙ magnanimitatis non vna, ſed duæ erunt di-

diuersæ species; altera qua iniuriæ non tolerantur; & altera, qua æquo pariq. animo vtraq. fortuna fertur.

Debet auté semper omnis definitio esse vniuersalis; quemadmodum & Medicus nõ profert ꝙ alicui oculo sit sanum; sed quod omni oculo; aut saltem alicui determinatæ speciei oculorum sit sanum.

Est etiam obseruandum, facilius definiri singulare, nempe species singulas quàm vniuersale; vnde a singularibus ad vniuersalia oportet ascendere. Nam æquiuocationes magis latent in vniuersalibus, quàm ijs rebus, quæ sunt inuicem indifferentes.

Adhuc, sicuti in demonstrationibus oportet adesse syllogismum, quo appareat demonstratũ illud, quod demonstrandum est; ita quoq; conuenit vt definitiones claræ, ac manifestę reddantur: qđ præstabitur, si quæ de singularibus dicũtur, seorsum in vnoquoque genere definiantur. Veluti, si sit definiendum simile, non omne simile, sed seorsum simile in coloribus, & seorsum simile in figuris erit definiendum: quod & circa acutum, & circa reliqua erit obseruandum: & ita progredi ad manifestationem illius, quod sit commune omnibus, cauẽdo semper ne intercidat ęquiuocatio.

Si autem non decet disputare cum metaphoris & translationibus, manifestum est etiam, quòd non cõuenit explicare definitiones metaphoris, neque definire quæ sub metaphoris proponũtur: alioquin oporteret metaphoris disputare, & sermonem inuicem habere: quod minime conuenit.

Adnotationes.

Q*Uærere vero oportet respicienté in similia, & indifferentia.* Themistius, & Ioan. Gram. aiunt hic tradi modum separandi æquiuocationem a genere S. Thomas, inquit, tradi aliam Methodum definiendi speciem cum prius assignauerit alium modum congrue seruandum per diuisionem generis, Aegidius, & Albertus, aiunt tradi Methodũ definiendi passiones specierum. At nobis vr̃ hoc loco doceri illud, quod antea non est explicatum: nempe, quomodo inquiramus rerum definitiones. Nam in præcedentibus Arist. in primis docuit, quomodo sint accipienda prædicata ad quidditatem spectantia, vt ex illis simul collectis constituat̃ definitio; dum explicauit, quomodo sit procedẽdum a communioribus & prioribus ad posteriora; adeo vt inde Methodus sit tradita construendi, seu ordinandi definitionẽ. Postea vero (iuxta nostram interpretationẽ) Methodum assignauit obseruãdam in toto aliquo negotio, seu subiecto tractando in quauis scientia. Ad hæc subiunxit tractatũ de vsu diuisionis, quomodo sit adhibẽda diuisio circa rerũ genera, vt differentię cuiq; rei accommodatę certa quadã via desumãtur; quod quidem ad Methodum construendi definitiones confert, & deseruit. In hac autem parte traditur regula nondum explicata ad venãdas rerum definitiones, nobis ignotas; dũ docet spectanda esse, quæ in ijs rebus inueniũtur hoc ordine seruato: vt in primis inspiciantur singularia alicuius speciei, quæ inuicem conueniunt: deinde & alterius speciei, vel plurium specierũ sub eadem genere contentarum, in singulis aduertendo quid commune insit in earum indiuiduis. Quod si conuenire omnes hæ species in eadem natura deprehendantur, vna definitio ijs omnibus communis erit adinuẽta; aut plures, si non idem commune omnibus, sed diuersa in singulis inueniantur. Qui quidem procedendi ordo Methodum quandã resolutiuam concernit: dum ab ipsis cõpositis indiuiduis fit progressus, & ascensus ad superiora, ex ipsisq; simplicia ꝑdicata desumuntur, ex quibus deinde specierum definitio cõstituitur. Quam docendi rationem passim in sua Philosophia sequutus est Aristoteles, vt perspici potest inter alia ex ijs, quę in lib. 2. de Ani. pro venãda animæ definitione assumũtur, & explcãtur. Vinde ex hac Methodo vna cũ alijs regulis ante explicatis, quæ omnes ad venandam, & recto ordine construendam definitionem pertinent, & deseruiunt, & ex ijs etiam, quę paulo post traduntur circa problemata, & causas problematum, iure merito hi posteriores libri, Analytici, seu Resolutorij inscripti sunt, a digniori, & prętantiori huius doctrinæ parte, quæ est de scientia demonstratiua. Quandoquidem perspicuum est, neminem probe exequi posse, quæ hic percepta traduntur pro venandis prædicatis ad qdditatem rerum spectantibus, qui prius exacte non tenuerit, quæ tradita sunt in libro

su-

Themist.
Io. Grã.
S. Thom.
Aegidius
Alb.

uperiori de propositionibus existẽtibus ꝑ se,& vniuersalibus,& necessarijs, & reliqs, quæ ad demonstrationem construendã req runtur. Etenim absque inuentione eorum, quæ ad quidditatem,seu rerum definitionẽ pertinent,nulla scientia demonstratiua cõstituiretur.

S.Tho. *In similia,& indifferentia.* Antiqua lectio seiunxit particulam *in* a particula *differentia*, dum ita habet, & *in differentia*, cui lectioni adhęsit etiam S. Thomas: qui ait, oportere attendere ad similia rei definiẽdæ, & etiam ad ea, quæ sunt differentia ab illa re. Sed Græca lectio, quæ habet, ἀδιάφορα palam huic expositioni aduersatur, cum significet manifeste vox ἀδιάφορα *indifferẽtia*. Addi ẽt potest, quod nonnulla poterunt esse similia inuicem, & etiam differre in aliqua parte. Et ideo adiectum est, *& indifferentia*, vt ita magis explicarentur, quæ conueniunt inuicem, vt sunt singularia vnius speciei inuicẽ similia,& quod essentiam indifferentia.

li.7. Met. cap.11 *Semper autem est omnis definitio vniuersalis.* Id quoq; constitutum est in lib.7. Met. vbi docet Aristoteles, quòd singularia proprie non possunt definiri. Vnde non recte vidẽtur Eustratius,& Io.Gram. supponere, quòd ex definitione singulariũ inuestigetur definitio specierum specialissimarum. Verũ id proponitur, quòd sunt inspicienda, quę inueniuntur in compositis indiuiduis communia illis ipsis, vt inde ad venandam definitionem specierum deducamur.

Eust. Io.Grã. *Faciliusq; singulare definire quàm vniuersale.* Nempe speciem specialissimam facilius est definire, q̃ superiora genera: idque qm̃ facilius est inspicere in paucis si adsit æquiuocatio, quæ in magis vniuersalibus magis latet, qm̃ ad plura se extendunt: prout etiam magis põt cadere æquiuocatio in genere q̃ in specie: cum vox generis pluribus sit cõmunis.

li.1.Phy. Cum vero subiungitur; *qua propter oportet a singularibus ad vniuersalia ascendere*: nõ censendum hoc enunciatum aduersari illi altero in proęmio Physicorũ, ꝙ ab vniuersalibus ad singularia oportet procedere. Nã ibi explicatur processus obseruandus a cognitione confusa ad distinctam cuiusq; rei cognitionem. Hic autem dum traditur via quærendi definitionem supponitur quòd in singularibus, que sunt obiecta sensus (a quo sensu omnis dependet nostra cognitio) primo inspiciatur, si quid habent commune, vt inde definitio vniuersalis constituatur. Vnde processus adnotatus in proęmio Physicorum, continet ordinem procedendi a superiori ad inferius; nempe a cognitione cõfusa descendendo ad distinctam, quæ est posterior de rebus habita cognitio, ꝙ & vox illa Græca ibi adhibita προϊέναι manifestat. Hic autem denotatur hac dictione Gręca, ἀναβαίνειν ascensus ab inferiori ad superius: nempe a singularibus ad vniuersale.

Quemadmodum autem in demonstrationibus. Non est hic alia ratio probandi, vt censuit Toletus, ꝙ sit procedendum a singularibus ad vniuersalia, qm̃ sit clarior res singularis: sed aliud traditur præceptum circa definitionem; nempe quòd debet esse dilucida, & manifesta, vt explicant Eustrat.& Io.Grã.

Si vero neque disputare. Traditur & hoc aliud documẽtum, quòd non debent assignari definitiones per Metaphoras, seu translationes: qm̃ hinc obscurę redderenrur, fieretque vt colloquendum inuicem esset per transiationes;& per has disputãdum, quod certe inconuenit. Et de hoc Arist. taxauit Platonem in lib.1. Met. quod vteretur Metaphoris in sua Philosophia, quas poetæ inserunt ad ornatum sermonis. Ibi enim hęc habetur. *Dicere vero exemplaria* (sermo est de ideis) *eas esse. & cętera eis participare, vaniloquia & Metaphoras poeticas est dicere.* Et quãquam translationes, seu Metaphorę quandam perspicuitatem afferãt sermoni ex similitudine, quam important cum re de qua est sermo, vt habetur in lib. Reth. in tractatu elocutionis; attamen non afferendæ sunt in disputationibus, & multo minus in rerũ definitionibus: vbi oportet quod sint certa, & manifesta ea, quæ traduntur ad euitandas sophisticas importunitates. Et quamuis aptas trãslationes inuenire optimi est munus ingenij, vt in eodem libro Reth. dicit Aristoteles, attamen dicendũ est, quòd non idoneus est quisque ex translationibus manifestam haurire de rebus notitiã. Et ideo ab ipsis est abstinendum in definitionibus assignãdis. Hinc in lib.6. Topicorum diuersa loca traduntur ad oppugnandam definitionem, eo quòd ex claris, & notis non sit tradita.

De Methodo ad problematum causas inueniendas, & quæ sint eadem problemata.

VT autem problematum causas inueniamus, hæc erit instituenda via. Excerpendæ enim & eligendę sunt anatomię, rerum scilicet decisiones, & diuisiones, supposito in primis genere communi omnibus, de quibus sit disserendum. Veluti si de animalibus est futura speculatio, inquirẽda erunt, quæ cuiq. animali consequantur: quibus desumptis erit deinde procedẽdum ad alia, quæ post illud communissimum sunt prima. Vt si sit auis, inspicere, quę nam sequantur ad auem: & hoc ordine ad alia posteriora progredi, semper tamen prius ad propinquissima respiciendo. Hac quippe via facultatem nanciscemur, vt possimus dicere, propter quid quæ sequuntur animali, insint ijs,

quę sub hoc vel illo genere communi continentur. Veluti propter quid hoc, vel illud inest homini, aut equo; sit enim animal A, quę consequuntur animali B, particularia vero animalia, quibus inest B, sint D, C, hinc manifestum erit propter quid B inest ipsi D; aut ipsi C; nempe propter ipsum A: vt puta, quòd somnus & vigilia insunt homini propter ipsum animal, cui somnus & vigilia consequuntur: Quod similiter dicendum est de alijs speciebus animalium: & hæc eadem ratio circa quęcunque alia problemata erit obseruanda pro causarum inuentione, & assignatione. Verū quæ adducta sunt, pertinent ad ea cómunia, quibus nomen vnum sit impositum, quale est animal, cómune genus animalium. At hoc idem etiam asserendum, & obseruandum est penes ea, quibus aliquid conuenit commune, cui nō est positum nomé vnum; sed pluribus vocibus exponitur. Etenim & de ijs seligenda, quæ ipsis sequantur; nec non & ea quibus illa consequantur. Veluti est hoc cómune complectés plures species animalium habere scilicet cornua, cui consequitur habere erinaceum, & non vtrinque esse dentata animalia. Propterea hęc sunt seligenda: Nec non & ea, quibus consequitur habere cornua. Ex ijs enim ita excerptis fiet manifestum, propter quid illis, quibus consequitur habere cornua, insit etiam habere erinaceū; népe plures ventres, & nō vtrinq. esse dentata: sicuti hunc in modū se habet bos: vt quoniam cornua habet, idcirco non sit dentatus in mandibula superiori, sed obtinet erinaceum, plures scilicet ventres ad facilitatem digerendi.

Sed & alia quoq; sunt entium genera, circa quæ simpliciter oportet (vt dictum est) seligere & consequentia, & antecedentia; licet in nullo eodem communi conueniant, quo simul intelligantur, nisi quadam analogia, seu proportione. Quemadmodum non est accipere vnum aliquod idem, quo oporteat nominare sepium, spinam, & os; quibus tamen consequuntur nonnulla, ac si vnius & eiusdem esset naturę. Vnde & in hoc genere entium penes problemata erit eadem instituenda ratio, quę prædicta est.

Eadem autem problemata intelliguntur, partim ea, quæ idem medium habeant; vt quòd omnia sint antiparistasis, & pendeat ab ea causa, quæ dicitur contra resistentia, sicuti ob id & fontes subterranei hyeme sunt calidi, æstate vero frigidi; & hyeme pariter melius digerimus, & in somno dẽsius spiramus quàm æstate; & grandines itidem fiunt in autumno ob eandem causam. Partim etiam intelliguntur eadem problemata, quę genus idem medium habent, sed aliud, & aliter se habens in vna specie, & in alia. Quemadmodum propter refractionem, fit & echo sonus scilicet resonans; & fit iris; & apparet in speculo imago: cum tamen alia, & aliter se habens sit refractio in ijs omnibus: Etenim Echo fit ex soni refractione: iris auté ex refractione radiorum Solarium ad nubem roridam: species vero faciei apparet in speculo ob faciei speciem refractam. Aliqua vero sunt problemata, quæ differunt, quoniam medium sub alio medio continetur. Nam si quæratur

pro-

ptopter quid decreſcente menſe Nilus magis fluit, dicetur, quoniã menſis deſcreſcẽs eſt hybernior; Et rurſus, ſi quæratur ꝓpter quid menſis hybernior eſt decreſcens, dicetur quoniam Luna deficit; vt ita vnius problematis medium ab alterius problematis medio dependeat.

Adnotationes.

Euſt.

AD hoc autem quòd habeamus problemata. Euſtrathius inqᵗ, hæc in naturalibus, inquiri, non ita in Mathematicis, qm̃ non multi earum diſciplinarum ſint gnari, & in aliquibus etiam mixtis cum rebus naturalibus, ait fieri inquiſitiones. Aduertendum autem in libro ſuperiori dictu eſſe ab Ariſtotele, ꝙ ponuntur in problematibus, quæ non apparent: idq; qm̃ non cadat ſub ſensũ cauſa, propter quam hęc, vel illa fiant: vnde ad horum inquiſitionem oportet ex coniecturis, & ſcrutatione quadam ꝓgredi. Extant autem Ariſt. opera de problematibus quæ quomodo ſumere debeamus, & problematum ſimul cauſas venari, hoc loco docet Methodum quandam proponens: ne circa ſcientiam demonſtratiuam, de qua in ijs libris Analyticis agitur, aliquid deſiderare tur. Et Methodus quidẽ penes hæc aſſignata ab Ariſtotele ex reſolutione quadã procedit: cum oporteat habere delectas diuiſiones eorum, de quibus agitur, ſpectando ſingularia: ſicuti traduntur hunc in modum diuiſiones animalium in libris Animalibus apud Ariſtotelem: nec non oportet habere Anatomias, ſeu deciſiones earum, quæ latẽt interius. His autem ita ſuppoſitis, inſpiciendum eſt in genus eorum, quæ perquirũtur, ſpectãdo quid generi ſequatur, & quibus ipſam conſequitur. Nam quæ generi ſequuntur, etiam illis rebus ſequentur quibus genus conſequitur: vt ſi ſomnus, & vigilia cõſequuntur ad cunctum animal, quod conſequatur homini, & boui, ideo inerit etiã ꝓꝑ animal ſomnus, & vigilia, tum homini, tum boui. Inſpiciendum autem ſemper ad ſingularia, & in ijs inquirenda erunt, quæ magis ſunt communia: & deinceps ad alia minus communia erit progrediendum. Adnotandum autem in terminis litterarũ, in quibus circa hæc exercet Ariſtoteles oſtenſionem, pro medio termino ſumptum eſſe A, & B, pro maiori, C autem & D pro minori; vt ex his probetur, ꝙ omni C, & omni D, inſit B, nempe ſomnus, & vigilia homini, & boui ꝓpter animal. Quod autem hoc loco ſit mentio de conſequentibus, & antecedẽtibus ad partes problematis, de quibus etiam actum eſt in lib. Prior. Analy. aduertendum in eo libro traditam eſſe Methodũ pro conſtruẽdis ſimpliciter ſyllogiſmis in quaq; figura. Hic vero hæc eadem tractari eo ſcopo, vt inueniantur, quæ cuiq; rei ſub problemate poſita conueniunt; vt huc quæſitorum cauſæ circa ſingula obtineantur.

li. 1. Poſt. Anal. c. 24

li. 1. prio. Analyt. Sect. 2.

Oportet autem non ſolum in ijs Antea de cõmunibus vno nomine appellatis, veluti eſt Animal, fuit ſermo: nunc de illis, quæ non vno nomine, ſed pluribus exponuntur; veluti eſt habere cornua, quod pluribus eſt cõmune animalibus, licet non vno nomine vocentur: penes quæ aduertit Ariſtoteles eundem etiam ordinem obſeruandum, quem antea de alijs quoq; præſcripſit.

Amplius autem alius modus ſecundum proportionem Sunt & alia communia, quæ in quadam Analogia, id eſt, proportione cõueniũt pluribus; in quibus non eſt accipere vnum, idem, quo vocentur, ſed eſt innominatum: ſicuti proportionale in numeris, lineis, motibus, & temporibus: de quo communi ita innominato habita eſt etiam mentio libro ſuperiori in tractatu de vniuerſali.

li. 1. Poſt. Anal. c. 5.

Euſt.

Et quod aliorum, aut aliter eſſe. Euſtrathius ponderat hoc loco quod duæ dictiones, nẽpe *aliorum*, & *aliter* ſint poſitæ, cum tñ vnicũ exemplum ſit allatum, quatenus res plures aliæ & diuerſæ ſub vno ſint communi innominato. Vnde inquit, *aut aliter*, appoſitũ eſſe pro eadem cũ alia particula *aliorum*. S. Thomas aduertit, eſſe nonnulla eadem non ſimpliciter, ſed genere, quæ quibuſdam differẽtijs diuerſificãtur; & ſumuntur, vel ex diuerſitate ſubſtantiarum, vel ex diuerſitate modi fiendi. Et ſane Ariſtoteles attulit prius exemplum rerũ diuerſarum; ſicuti alia eſt refractio ſoni, & alia nubium. Addit autem vel *aliter*, vt ſi non ſint dicenda alia, & diuerſa, qm̃ conueniant in eadem cõmuni, aliter ſaltem inuicem ſe habent. Et adnotandum Ariſtotelem in cuncta ſua Philoſophia obſeruare (iuxta regulã in libro ſuperiori traditam de vniuerſali) vt circa innominata, in quibus plura conueniunt, ſimul ſpeculationes & demõſtrationes de omnibus aſtruat: quod pręcipue licet obſeruare in libris de Animalibus.

S. Thom.

De Ordine exiſtente inter cauſam, & cauſatum.

RESTAT etiam conſiderandum pro exacta ſcientiæ demonſtratiuæ traditione, de cauſa, & de eo cuius ſit cauſa, nũquid exiſtente cauſato, adſit etiam cauſa. Veluti; ſi tum folia fluunt ex arboribus, aut Luna deficit, adſint ẽt ea, quæ horum ſunt cauſæ; ſicuti, ꝙ cadant folia ex arboribus, cauſa eſt, quoniã lata ſint in ipſis folia; & ꝙ Luna deficiat, cauſa eſt terra poſita media inter Solem & Lunam. Nam ſi dicatur ꝙ non ſit

sit simul causa cũ eo cuius est causa, alia igitur erit causati causa; cũ id, q́d causam habet, nõ possit esse sine causa. Et si dixerimus, quod causa simul est cũ causato, ita fiet vt vicissim alterum per alterum demonstretur, tanquã sibi inuicem causæ; sicuti in hoc exẽplo. Sit A, folia dimittere, B latifolia, C. vitis; ex his concluditur, quòd vitis folia dimittit propter hanc causam, quoniam habeat lata folia. Rursus vero, quòd vitis habeat lata folia, hunc in modũ demonstrabitur. Omne quod dimittit folia, est latifolium; vitis dimittit folia, ergo est latifoliũ: quod probatum erit per medium, quod est dimittere folia; vt ita in uicem probetur, tum vitem dimittere folia per latifolium, tum vitẽ etiam esse latifolium per hoc, ꝙ dimittit folia. Verum, si non contingit, neq; possibile est, vt duo absolute sint sibi inuicem causa, quoniam quod est causa prius est eo cuius est causa: Idcirco dicendum, quòd quando habetur ratiocinatio per illud, quod vere est causa, hæc demonstratio, tanquã ea, per quam simpliciter scitur, erit ipsius propter quid demonstratio: alia vero erit demonstratio ipsius quia procedẽs a signo, & a posteriori: vnde neq; simul inuicem erunt causæ, neq, ex alterutro erit vicissim simpliciter demonstratio. Quòd autem in ijs, quæ adducta sunt, vnum habeat rationem causæ, & aliud causati; nempe, quòd defectus lunaœi sit causa terrę interpositio, & non e contra defectus sit causa interpositionis terræ, hinc debet esse perspicuum; quoniam definitio Eclipsis, est terræ interpositio, vnde & per hanc causam perspicuũ est cognosci, & sciri simpliciter Eclipsim; nõ autem per Eclipsim scitur simpliciter terræ interpositio. Etenim definitio, cum sit ratio maioris extremi, cui largitur esse, est & ea, per quam scientia habetur de maiori extremo. Aut dicẽdum, contingere, vt plures sint eiusdem causę; quemadmodum si sit aliquid, quod de pluribus prædicetur, veluti A animal, inest primo ipsi B, vt puta rationali, idem etiam inest primo ipsi C, videlicet irrationali; hæc autem, nempe rationale inest homini, irrationale vero equo. Quibus ita se habẽtibus, demõstrabitur & aial inesse homini per rationale; & animal itidem inesse equo per irrationale. Vnde apparet, ꝙ, existente causa, erit causatum, nempe homo erit animal, si sit irrationale. At e conuerso, si sit causatũ ipsum animal nõ est necesse, quòd adsit omne, quod sit causa huius causati: sed aderit quidem causa, sed non cuncta causa, vt puta, irrationale erit causa quòd animal insit equo; at non erit alia causa per quam animal insit homini. Vnde apparet eiusdẽ plures causas esse posse.

An vero dicendum; quòd si semper problema est vniuersali, & sumatur tanquam quiddã totũ, id quod est causa; sitq. etiam vniuersale illud, cuius est causa, (vt si folia dimittere, alicui toto determinato inest, quamuis huius sint plures species, quibus etiam insit vniuersale, vel plantis, vel talibus plantis) vtique his ita suppositis necesse est & medium æqualiter se habere cum ijs; & similiter causatum, & conuerti inuicem medium, & causatum, & subiectum cui inest aliquid. Vt si quæratur,

propter quid arbores dimittunt folia, ſi id prouenit propter humidi congelationem, vtiq; ſi dimittit arbor folia, neceſſe eſt & cõgelationem humidi in ipſa fieri: & ſi congelatio ineſt cuiq; qđ ſit arbor; neceſſe quoq; quòd & id omne dimittat folia: & ita arbores omnes ſimul ſumptæ, quibus contingit folia dimittere, cõuertuntur cum hoc ipſo, vt patiãtur humidi congelationem; & congelatio itidem humidi cõuertitur cum arboribus, quę folia dimittunt; adeo vt congelatio ſit, vbi ſunt latifolia.

Adnotationes.

DE cauſa vero, & cuius eſt cauſa. In præcedentibus explicatum eſt, num qñ cauſa vel eſt, vel fuit, vel erit, cauſatum quoque ſit, & fuit, & erit, & id in ijs quæ nõ ſunt ſimul, & oſtenſum eſt, quomodo a facto poſteriori licet inducere prius factum. Hic quęritur abſolute, num exiſtente cauſato, ſit ẽt cauſa; & medium nominatur cauſa: illud vero cuius eſt cauſa, ſupponitur maius extremum, de quo quæritur num inſit huic, vel illi ſubiecto. In primis autem dubitatur, qm̃, ſi non eſt cauſa, exiſtente cauſato, erit igitur alia cauſati cauſa; qñ non põt eſſe effectus ſine cauſa. Si vero ponatur, ꝙ exiſtẽte cauſa, ſimul etiam ſit cauſatum, ſic inuicem poterunt demonſtrari, alterum per alterũ. At abſurdum eſt, ꝙ duo ſint ſibi inuicẽ cauſæ, cum cauſa ſit prior eo, cuiius eſt cauſa. Vnde ſi terræ interpoſitio eſt cauſa defectus lunacei, non poteſt igitur ipſe defectus eſſe itidẽ cauſa interpoſitionis terræ: alioquin idem eſſet ſimul tum prius, dum aſſumitur ad probandum aliud tum poſterius, dum per idem probaretur: at hoc eſt impoſſibile. Ideo concluditur, per cauſam ſciri ꝓpter quid & ſimpliciter; per cauſatum vero a poſteriori, ſciri ſolum quia eſt cauſa.

Quod autem difficile. In exẽplo de Eclipſi, ꝙ interpoſitio terræ ſit cauſa Eclipſis, & nõ Eclipſis ſit cenſenda cauſa interpoſitionis terrę, affert Ariſtoteles hanc rationem: qm̃ in definitione Eclipſis ponitur terrę interpoſitio; definitio autem concernit cauſam; ideo non eodẽ modo ſcietur, ſi procedatur a priori per cauſam, & a poſteriori per ſignum: neque erunt ſibi inuicem cauſæ.

Aut contingit vnius plures eſſe cauſa. Hoc loco affertur quædam dubitatio aduerſus ea, quę dicta ſunt, quòd nõ ſequatur, quòd exiſtente cauſato ex neceſſitate ſit cauſa. Nam ſi aliquid duobus primo inſit, veluti animal ineſt primo tum rationali, tum irrationali; hinc probabitur animal ineſſe homini ꝑ rationale, & rurſus idem ineſſe ęquo ꝑ irrationale: Vnde ſequitur, ꝙ exiſtente aiali; vtputa in homine per rationale, nõ eſt neceſſe omnem hic aſſumptam eſſe cauſam, ꝑ quam animal ineſt, quibus ineſt; non. n. ea cauſa, quę ſpectat ad irrationale, per quam animal ineſt etiam equo, erit accepta. Vnde poteſt dici, non poſſe quidem eſſe cauſatu ſine cauſa; ſed cum poſſit vna, & alia eſſe cã cauſati, & non cuncta aſſumi poſſit cauſa relata ad cauſatum; propterea videretur ꝙ plures eſſe cauſę poſſent eiuſdem cauſati; atq; ideo non conuerti cauſatum cũ cauſa.

Aut ſi ſemper vniuerſale. Magis aperit re, & ſoluit allatam dubitationem, inquiẽs, quòd ſi problema ſit ſemper vniuerſale, in quo cõtinetur, & maior terminus, & minor complectens ipſum ſubiectum, & cauſa ſit quid totum, & non in parte acceptum, ſitque pariter vniuerſale illud, cuius eſt cauſa; ideſt & maior terminus inhęrẽs ſubiecto ſit vniuerſalis, veluti, folia fluere toto alicui determinato ineſt, vt oĩno vniuerſale problema ſupponatur: ſequitur (inquit Ariſtoteles) in ijs totalibus ſubiectis æqualia eſſe, & medium, & cuius cauſa, vt inuicem cõuertãtur. Veluti, ſi folia fluere ineſt propter congelationem humidi; vtique ſi ſit arbor folia fluens, oportet etiam eidem congelationem ineſſe: & e conuerſo, ſi adeſt congelatio, aderit etiam folia fluere.

De cauſa, & cauſato ſecundum mutuam in ijs conſequentiam, iuxta medium vel vnum, vel plura, ſiue ſit abſolute primum vniuerſale, ſiue non vniuerſale; & num eiuſdem ſint plures cauſæ.

VTrum autem contingat nõ eandem eſſe omnibus cauſam eiuſdem effectus, ſed diuerſam in ijs, quæ conueniunt ſub vno genere, ſi quis percontetur, dicendum, quòd ſi cauſa aſſignetur ſecundum ſe, & non ſecundũ ſignum, aut ſecundum accidens, non eſt poſſibile, vt eiuſdem effectus ſit alia, & alia per ſe cauſa. Et huius aſſertionis hęc eſt ratio; quoniam definitio maioris termini habet locum medij in demonſtratione; vnde & vna debet eſſe cauſa eiuſdem cauſati. Quòd ſi huiuſmodi per ſe cauſa non ſuma

tur,

tur, poterit secundum accidens, & vna, & alia causa pro medio assignari: quandoquidem potest cōsiderari secundum accidens tum id, cuius est causa, nẽpe causatũ; tum id, cui causatum inest, ipsum nempe subiectũ; Verũ huiusmodi non videtur problemata, qua sint perquirenda tanquam ad demonstrationem spectantia.

Si autem non sint problemata secundum accidens, sed secundũ se, statuendum est, quòd & mediũ similiter se habebit ad problemata: vt puta, si problema sit æquiuocum, erit etiam medium equiuocum: si problema sit vt in genere, & mediũ quoq. erit vt in genere. Veluti, si quæratur cur permutatim se habet proportionale, erit alia causa in lineis, & alia in numeris. & tamen idẽ proportionale, quatenus lineæ sunt quibus inest, & quatenus sunt numeri, est aliud, & aliud in ipsis. In quantũ autem habet tale augmentum, sic idem est proportionale in omnibus, quibus conuenit. In hac autem alia consideratione, vt puta quòd similis sit color colori, & figura figuræ, alia causa, & aliud medium pro vno horum erit, & pro altero aliud. Siquidem in coloribus, & figuris ipsum simile equiuoce se habet. Forte enim circa simile figurarũ erit medium, habere proportionabiliter latera, & angulos aquales: circa vero colores, simile erit ꝙ ipsorum vnus sit sensus, vel quid aliud huiusmodi quod erit causa & medium. Quę vero secundum proportionem sunt eadem, vt spina, & os, hæc idem medium secũdum proportionem obtinebunt. Et hæc quidem ita se habent: ꝓpterea quòd inuicem sese consequuntur, causa, id cuius est causa, & illud cui est causa Quòd si singulum subiectorum seorsum accipiatur, vtiq; illud, cuius est causa, in plus se habet quam (exempli gratia) triangulum aut quadrangulum: cum omnibus autẽ simul acceptis ęqualiter se habebit. Nã quæcunq. quattuor rectis æquales habent extrinsecos angulos, in ijs omnibus mediũ quoque similiter se habebit. Est autem medium definitio primi extremi: & idcirco omnes scientiæ fiunt per definitionem. Veluti, folia fluere simul cõsequitur viti, & superexcedit: & fico, cui etiam superexcedit: sed non omnibus simul superexcedit, sed est ęquale. Quòd si accipiatur primum medium id erit definitio, & ratio, cur folia fluant. Erit quippe & primum in altero medium: quoniam omnia talia sint, vt puta, cur tales arbores folia dimittant: & erit mediũ, quoniam sint latifolia: deinde vero huius erit aliud medium, nempe huius, cur latifolia fluãt: eritq. istud medium primum, & supremum: veluti, quoniam succus cõgeletur in semine, vel quid aliud tale: adeo vt si quæratur, quid sit folia fluere, assignabitur definitio, quòd est congelari succum in contactu seminis.

In figuris autẽ syllogisticis assignabitur consequutio inuicem causę, & causati hunc in modum. Sit A inexistens omni B, & B insit cuiq eorum quę D, ita tamen vt in plus se habeat B, q̃ D. Ipsum igitur B inerit vniuersaliter his, quæ sunt sub D. Et intelligitur vniuersale hoc, quod non conuertitur. Primum autem vniuersale intelligitur id, ad quod singulũ quidem ex speciebus indiuiduis

non conuertitur, omnes autem simul acceptæ species cũ ipso conuertuntur, & nõ excedunt Quod igitur A insit ijs quæ D, causa est B. oportet igitur A in plus se habere quam B. Quòd si non cur magis hoc erit causa illius, quam aliud huius, cum simul conuertãtur? Vnde si A excedit B, & inest omnibus quæ sunt E, erunt hęc omnia simul sumpta, vnum quid aliud ab ipso B. Alioquin, quomodo erit dicere, quòd, cui inest E, illi omni inest A, cui vero inest A, non illi omni inest E? propter quid igitur non erit aliqua causa, propter quam A inest omnibus contentis sub E? sed nunquid & quę sub E, erunt quid vnũ? oportet enim & hoc considerare. Sit autem hoc ipsum C: Hinc igitur deducitur, eiusdẽ plures esse posse causas, nõ pro subiectis eiusdẽ speciei, sed pro diuersis specie subiectis. Veluti, quòd longę sint vitæ quadrupedes, hæc est causa, quoniam bilem non habent, ꝙ autem volucres diu viuant, alia est causa, vt puta quòd siccæ sint naturę, vel propter quid aliud: si autem non statim ad indiuiduum peruenitur, & non vnum solum est medium, sed sunt plura media, in his etiã plures causæ erũt. Vtrum autem vbi sint plura media indiuiduarum specierum, sit in ijs causa illud, quod est primũ vniuersale, an illud, quod est ꝓpinquum speciei indiuiduę? Et quidem manifestũ est, quòd quę sunt propinquissima cuiq. media, eandem sunt eis causæ. Nam hęc est causa quòd primum insit sub vniuersali: veluti C, est causa ipsi D, vt sit sub A: Vnde C est causa quòd A insit ipsi B: ipsi autẽ C, quòd insit A, causa est B: huic vero ipsũ A inest. De syllogismo igitur & de demonstratione actũ est: simul autem & de sciẽtia demonstratiua, idem enim est.

Adnotationes.

V*Trum autem contingit.* Simpliciter quęrit hoc loco Aristoteles, non supponẽdo problema vniuersale, sed indifferẽter ipsum considerando, num eiusdẽ effectus contingat esse eandẽ causam. Nam de hoc erit dubitatio, cum in aliquibus idem effectus habeat vnam certã causam, & in aliquibus alijs aliam. Quemadmodum, quòd longã vitã ducant quadrupes, causa est, qm̃ sunt sine bile: quòd autem volucres, erit hæc alia causa, quia sint siccæ naturæ. Respondet igitur huic quæsito Aristoteles, quòd si quod demonstratũ erit, sit secundum se demonstratum, & nõ per signum, aut per accidens, nõ potest esse huius effectus altera, & altera causa. Et huius dicti hanc assignat rõnem: qm̃ medium in demõstratione est definitio extremi: maioris. s. termini, qui demonstratur. Et cum definitio nõ possit esse nisi vna explicans essentiam rei, ideo oportet vt & causa per se demonstrans, sit vna tm̃. Illa vero particula, *per signum*, denotatur processus ab effectu, & a posteriori. per hanc vero aliam, *secundum accidens*, innuitur, qñ aliquid accipitur pro rei cognitione, quod non ꝑtineat ad essentiam rei, sed est quoddam accidens. Vnde in ijs possunt afferri varia, & diuersa media tanquam causę: sed non quę simpliciter sint causæ.

Vt in genere. Exẽplũ assignatur de medio accepto vt in genere, qđ tñ nõ est ꝓprie genus: veluti est proportionale ꝑmutatim; de quo in lib. quoq; superiori actum est in tractatu de vniuersali, & ibi appellabatur genus innominatum: hic autem dicitur *vt in genere.* ad hunc sensum: qm̃ est commune oĩbus, & lineis, & numeris, & alijs, in quibus aliter, & aliter se habet huiusmodi proportionale, ratione diuersorum subiectorum, quibus inest: vtputa, quia aliud sit proportionale consideratum in numeris, & aliud in lineis: conueniunt autem inuicẽ in modo augmenti: quod est huiusmodi: vt si dicatur: sicuti se habent duodecim 12, ad [illegible] sex 6, & ita octo 8 ad quatuor 4. & est duplum augmentum: vnde sequitur, quòd sicuti se habẽt duodecim 12 ad octo 8 in sequialtero, sic octo 8 habent augmentũ ad sex 6 in sequialtera. Quippe huiusmodi augmẽtum idem etiam erit in lineis, in motibus, & temporibus, acceptum si sit & considera tum seorsum a subiectis: at in subiectis cõsideratum erit diuersum in singulis: vnde & commune in ipsis innominatum dicitur.

Quæ vero secundum analogiam. Huiusmodi sunt, spina, os, quę similiter se habent in quadam proportione, & similitudine: & est aliud exemplum a præcedenti, secundum

quod-

quoddam cõmune secundum proportionẽ, cuius medium erit similiter secundum proportionem.

Se habet autem sic consequi causa sibi inuicem, & cuius causa, & cui causa. Verba priora huius contextus Grece ita leguntur, ἔχει τὸ δι' οὕτω διὰ τὸ παρακολουθεῖν, & cõuerti possent latine hunc in modum. *Ita autem se habet propter consequi inuicẽ*, vt ita reddatur cã prius dicti: nempe, propter quid similiter se habeat, medium cũ eo cuius est causa: nec non cum eo, cui est causa: vtiq; ꝓpter hoc, propter cõsequi ad se inuicem hæc omnia. Et per illud, *cui causa*, denotatur subiectum; cui demõstratur aliquid inesse: quemadmodum per illud, *cuius causa*, denotatur prędicatum, quod demonstratur inesse.

Est autem medium ratio primi extremi. Ideft maioris termini, & est locus insignis ad ꝓbandum, quòd definitio maioris termini sit mediũ in demonstratione ex sententia Aristotelis. Vnde subiungit, oẽs scientias fieri per definitionem, quod respondet definitioni traditę in libro superiori de ipso scire, qđ est agnoscere causam, ꝓpter quam res est, & ita per medium definitionis.

Si igitur acceperis primum medium. Hoc loco distinguit Aristoteles vnum medium supremum ab alio, quod supponit non supremũ, dum inquit: *erit enim primum quidem in altera medium.* Hic antiqua lectio habet vocem in fęminino, ideſt *altera*, cum Grece sit pro masculino ἐπὶ θατέρου, ideſt *in altero*. Et supponunt interpretes hoc medium spectare ad definitionem subiecti: veluti, quòd folia dimittant arbores, qm̃ sint latifolia: dicique *primum*, hoc mediũ; qm̃ omnibus competat arboribus lata folia habentibus. Forte intelligit Aristoteles, quod erit istud aliud medium *primum* in altero: *primum* quidem inquiens, sed non supremum in hoc problemate, quare arbores hę & illę folia dimittant; & dicetur hæc causa qm̃ sint latifolia: cum deinde per aliud supremum medium assignabitur causa, quare latifolia, in genere, folia dimittant, assignando, circa contactum cõgelationem effectam in ipso succo seminis, a quo folia nutriuntur: & ita alterius quæsiti erit alia causa reducenda sub supremo medio magis communi: quæ põt pluribus accommodari; cum congelatio humidi possit fieri nõ solum in arboribus, verum etiam in alijs multis rebus. Et huic interpretationi consentiunt dicta superiori in demõstratione tonitri, cuius pro medio, & ꝓ causa, assignata est extinctio ignis in nubibus; & subiungebatur postea, ꝙ si erit alia causa superior, quòd & hæc erat afferẽda; vt puta, cur ignis extinguatur in nubibus. Hoc vero loco prius supponitur primũ medium magis vniuersale; & postea fit sermo de alio medio minus communi. Siquidẽ vniuersale medium supremum, per qđ redditur causa, cur latifolia omnia dimittant folia, & ipsa congelatio facta in succo seminis. In alia vero demonstratione supponũtur arboros dimittẽtes folia. Et quare hoc contingat, assignatur hoc causa, qm̃ sint latifolia: vt ita fluxui foliorum tanquam definitio assignetur pro medio latifolium: In vtraq; autem demonstratione mediũ assumptum pertinebit ad causam, & consequẽter ad definitionem maioris termini.

In figuris vero. In lib. 1. Prior. Analyt. Aristoteles ordinem syllogisticũ nomine figurarum nuncupauit; vbi etiã terminis ignotis sub elementis litterarum cunctam pene illam doctrinam tradidit, ad hoc, vt rõ vniuersalis regularum cõstitueretur penes syllogismos: quod & hoc loco prestat, vt magis manifestet ordinem consequẽtiæ inter causam, & causatum.

Hoc enim dico vniuersale. Distinguit hoc loco Aristoteles, iuxta ea quæ prædicta sunt, vniuersale primum, ab vniuersali non primo: quæ distinctio non est habita in libro superiori; vbi accipiebatur pro vniuersali omne illud, qđ esset de omni, & per se quatenus primum; etiam ꝙ non conuerteretur absolute cum subiectis. At hoc loco intelligit vniuersale primum, illud, quod conuertitur in subiectis omnibus illis, quæ possint accipi in eodem communi conuenientia. Etenim vitam longam agere, conuenit & quadrupedibus, & auibus, at non vtrisq; ob eandem causam: sed in quadrupedibus assignabitur causa, ꝙ sint sine bile, in auibus autem ꝙ sint siccæ naturæ. Et ideo in ijs seorsum nõ est vniuersale primum, vt accipitur hoc loco, quod sit cõuertibile cum eo, cuius est causa. Verum si in limitatis subiectis totum simul accipiatur, vt quod quadrupedes vitam ducant longam ob carentiam bilis, id limitando ad quadrupedes, hunc in modum vita longa conuertetur cum sua causa, ꝙ vita longa quadrupedum erit ob carentiã bilis: quemadmodum etiam ira cum tota sua definition conuertitur, quod sit accensio sanguinis circa cor ob appetitum vindictæ: non autem conuertitur, ꝙ vbi sit accensio sanguinis circa cor ibi semper sit ira; cum possit etiam seorsum ab ira adesse accensio prædicta sanguinis circa cor, vt in febri. Similiter condensatio humidi in arboribus ad hoc limitata, vt folia fluant, conuertitur cum latifolijs: non autem absolute omnis condensatio humidi cum ijs cõuertitur: qm̃ erũt aliqua seorsum a natura arborea, quorum etiam erit condensatio humidi: adeo ꝙ in ijs omnibus determinate relatis ad suas causas modo prędicto, erit conuersio totius definitionis, seu causæ ad effectum: Quòd si non limitentur, non erit in ipsis mutua cõuersio. Vnde erit regula, ꝙ si omnia problematis subiecta in vnum conueniant cõmunem effectum, erit etiam vnum commune medium, quod conuertitur cum ipsis subiectis limitatis, vti dictum est. Si aũt non conueniunt in medio, sed diuersæ sint causæ, vt dictum est de vita longa in quadrupedibus, & in auibus; in ijs mediũ non conuertetur; qm̃ diuersa erunt media. Et hinc colligitur, paucas esse demonstrationes, quę astruãtur ex terminis conuertibilibus; quod animaduertit Aristoteles in lib. superiori: vbi etiã insinuauit considerationem habendam posterius de hac consequentia, seu conuersione terminorum in demonstratione sumptorum, quam hoc loco absoluit.

lib. Post. c.3

Si vero ad indiuiduum, Supponit plura esse

pos-

posse media, priusq̃ ad indiuiduum perueniatur. Et circa hoc animaduertit, q́ quæ sunt proxima singularibus, ea sunt cuique eorum causa, vt sit hic ordo seruandus. Velut, si indiuiduarum specierum sit assignanda causa, hæc etiam debet esse magis indiuidua: sicuti magis communis erit assignanda causa de speciebus non indiuiduis, sed magis communibus existentibus.

De Syllogismo igitur ac demõstratione Ex hoc epilogo colligitur, quinã fuerit scopus Aristotelis in ijs Prioribus, & Posterioribus Analyt. nẽpe agere de syllogismo, & de demonstratione, cuius gratia actum est de syllogismo; cum cuncta postea perscrutatio dirigatur ad scientiam demõstratiuam: quod dicit idem esse cum tractatu syllogismi, & demõstrationis. Cuius dicti, vt explicat Io. Io. Grã. Gram hæc est ratio: qm̃ demonstratio sit actus, scientia vero demonstratiua est habitus. Verum scientia demonstratiua complectitur omnem tractatum habitum in ijs libris posterioribus, in quo continẽtur plurima extra actum demonstrationis, vt latius explicauimus in initio huius libri. Intelligitur autem idem esse agere de syllogismo ac demonstratione, & de scientia demonstratiua, qm̃ ex ordine demõstrationis omnia diriguntur ad notitiam tradendam de scientia demonstratiua. Vnde non admittẽda est consequentia Eustratij, qui hoc loco ait, colligi ex prædictis, q́ non sit scopus in hoc libro agere de definitione. Eustr. Siquidem ostendimus inter initia, quomodo tractatus de definitione ꝑ se includitur in tractatu sciẽtiæ demonstratiuæ vniuersaliter accepto; prout in præcedentibus ostendimus inter initia vtriusq; libri, tum primi, tum secũdi; ad quæ lectorem remittimus: Ad hęc adiungentes, Epilogum prædictum conuenire cũ propositione habita in initio Prior. Analy. ijsdem verbis, quibus est Epilogus, hoc loco, explicata. Colligitur ex dictis in hoc capite, q́ medium demonstrationis ex sententia Aristotelis, semper statuitur definitio maioris extremi. Quod patet ex omnibus exemplis adductis in hoc libro, de folio fluere in latifolijs, & de vita longa in aĩalibus, & de Eclipsi Lunæ, & de Tonitro, & de alijs omnibus. Quod etiam debet esse manifestum ex hac rõne. Nam cum causa assignãda in demõstratione facta a priori debeat contineri in medio, & causa sit ipsius maioris termini causa, ideo sequitur vt eiusdem extremi maioris termini esse debeat definitio causam ipsius continens. Dubit. Quòd si quis obijciat, quòd dictum sit antea in Methodo venandæ definitionis, quòd in absoluendo aliquo toto alicuius scientiæ subiecto, oportet habere paratas definitiones specierum, tanquam ex illis pendeant demõstrationes passionum, & ita ex definitione subiecti, cuius locum species obtinent; Solut. Dicendum ad hoc, in loco prædicto suppositum quoq; esse, definitiões passionum præmitti debere: vnde & earum causæ possunt innotescere. Ad hæc dicimus, q́ definitiones specierum sunt habendæ, ad hoc, vt cognoscatur quidnam sit quæque species, cuius etiã pars definitionis materiam cõcernens; demonstrari per causam formalẽ potest, quæ pariter ad definitionem maioris termini pertinebit. Addamus illud (quod in propria quæstione de medio demonstrationis latius explicauimus) non inficiandum esse, quin etiam definitiones minoris termini, ipsius nẽpe subiecti, possint esse definitiones passionum intrinsicarum subiectis inhęrentiũ; quatenus vt existant passiones in subiecto, concurrit pro causa illud idem, quod est causa constitutiua subiecti, eius definitio existẽs. Quẽadmodum dicemus, q́ animal rõnale est hominis definitio, quod autem risibilitas insit homini, dicimus aĩal rationale esse causam, vt hoc idem sit definitio ꝑꝑ quid complectens ipsius risibilitatis: cuius etiam potest esse alia definitio, quid nominis explicans: veluti quid sit spirituum quædam læta relaxatio in ore hominis apparens: quæ (vt diximus) causatur a rationalitate humanę naturæ cõstitutiua; sicuti etiam dicimus, q́ ira est accensio sanguinis circa cor secundum definitionem quid nominis explicantem: cũ deinde sit & alia iræ definitio, concernens propter quid, ipse nempe appetitus vindictæ. Nec non tonitrum dicimus esse sonitũ in nubibus iuxta nominis definitionem; & huius causam esse extinctionem ignis, factã in nubibus, quæ pertinet ad definitionem ꝑꝑ quid de tonitro complectentem. Sed de ijs exactius consideratum est antea in prædicta quæstione de medio demõstrationis.

Ex habitis etiam circa scientiam demonstratiuam, colligitur optime ab Aristotele in lib. 4. Phys. in tractatu de loco enunciatũ esse, quòd sermo demonstratiuus ex definitione rei dependens tollit omnes difficultates. li. 4. Phy. c. 4. Id quippe, qm̃ definitio, per quam omnis scientia constituitur (vt dictum est superius) aperit essentiam rei, & quæ cuiq; cõsequantur; vt hinc facile videri, & dissolui possint, quæ circa vnamquamq; rẽ contingunt difficultates.

Cum autem munus susceptum ab Aristotele in his libris sit penes scientiam demõstratiuam, eo modo, vti cõstitutum est: ideo conueniens admodum fuit, vt consideraret (quod & pręstitit) omne genus demonstrationum, tum earum, quæ ex prioribus & notioribus, secundum naturam, tum earũ quę ex prioribus, & notioribus quoad nos astruuntur, & tam circa res necessarias, q̃ circa eas, quæ vt in plurimis eueniũt; vt ita haberetur ratio omnium artium, & scientiarum, & facultatum; quarum alię mollius, aliæ vero certius, & magis ex necessitate demonstrant; omnes tñ vtentes ratiocinio, & medium aliquod inferrentes in probandis problematibus illis, quę tractant; quam distinctionem scientiarum, & facultatum expresse denotauit Aristoteles in initio lib. 6. Metaph. li. 6. Met. c. 1

Non sunt aũt audiendi (qui aiunt demonstrationem exactam) quę in ijs lib. Analyt. est descripta, non reperiri apud Aristotelẽ in eius Philosophia, sicuti apud Mathematicos inuenitur. Nam, si considerentur principia, & definitiones traditę ab Aristotele circa res naturales, cum huiusmodi principia, & definitiones pręclare manifestentur

non

non per demonstrationem (cum hęc sint indemonstrabilia) sed eo modo, vti conuenit, per experientiam e sensibus desumptam, & per additamentum quoq; locorum probabiliũ, qui deseruiunt ad principia scientiarũ confirmanda, vt docetur in lib. 1. Top. cumque ex principijs huiusmodi, & ex definitionibus propalatis demõstrentur proprietates inexistentes subiectis, sequitur, vt in Philosophia naturali innumerę demõstrationes simpliciter dictæ habeantur: & forte exactiores, quã quæ in Mathematicis disciplinis inueniãtur: quatenus in ijs definitiones supponuntur non ita certa approbatione apparentes, vt fit in Philosophia naturali: non obseruantes Mathematici modum exactũ definiendi, qualis requiritur in scientia; prout de hac re actum est a nobis supra in adnotationibus huius libri. Non inficiandum est autem, in Philosophia naturali ob accidentia circa res naturales cõtingẽtia, quorum omnium est habenda ratio; prout & explodendæ sunt a doctrina demõstratiua opiniones aliorum falsæ, & erroneę, quẽad modum in lib. 1. Phys. Aristoteles placita Parmenidis, & Melissi circa rerũ principia confutauit; hinc reddi difficilem doctrinã in hac Philosophia adhoc vt principia, & definitiones rerum certę, & clarę constituãtur. Veruntamen ijs probe constitutis, & confirmatis, eo modo, vt prædictũ est, locus demonstrationi potissimę relinquitur manifestus circa vnumquodq; genus passionum naturalium diuersis subiectis inexistentiũ. Vnde, qui secernere studeret cõpendio principia, & definitiones in Philosophia Arist. longo tramite discussas, is facile demõstrationes innumeras detegeret, atq; constitueret, in hoc breui obseruato ordine iuxta morem Mathematicorum.

L. 1. Top. cap. 2.

in Adno. c. 7. li. 2. Post.

Cum autem sint genera quattuor causarũ; non ignorandum, quamuis per omnes possit haberi demonstratio, vt constitutum est antea; potissimam tñ demonstrationem, futuram illam, quæ sit tradita per causam finalem, quæ etiam concurrit cum causa formali. Id quippe Aristoteles confirmauit in lib. 1. de part. Ani. in initio, dum inquit sermonem habens de causis: *Principatum sane illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo cuius gratia significamus; hæc enim ratio est, ratio autẽ principium est: pariter in rebus tam arte, quàm natura constituendũ.* Idem quoq; insinuauit initio lib. 1. de Generat. Ani. dum dixit: *ponimus enim causarum genera quattuor numero, primum cuius gratia vt finem, secundum substantiæ rationem, quæ quasi vnum quoddam fere existimanda sunt.* Et paulo post subiungit: *ratio enim & id cuius gratia, vt finis idem est.* Et ob hanc quidem causam tribuitur ab Arist. in proęmio Metaphysices primus locus inter scientias, ipsi sapientiæ, vt quæ finẽ omnium considerat. Vnde idem Philosophus Deum Opt. Max. cõstituit omnium esse causam sub ratione causæ finalis; prout de hoc latissime cõsideratum est a nobis in lib. 12. Met. apud nos 14. postremo illius diuinæ Philosophiæ.

lib. 1. de par. Ani. c. 1.

lib. 1. de Generat. Ani. c. 1.

Est etiam non ignorandum, modum sciẽdi in ijs libris vniuersalem esse traditum, adeo vt instructio, a Græcis dicta παιδεία sit excerpenda; cũ tñ & particularis instructio in hac, vel illa scientia possit obseruari, & adhiberi ab artifice cuiusq; scientiæ; et non debuerint hoc loco tradi partiales sciẽtiarum instructiones. Vnde in proęmio Phys. traditur regula illa obseruanda; vt a confusa rerũ cognitione procedatur ad distinctam cognitionem. Nec non multa animaduertuntur in proęmio de Anima circa eius doctrinam, & alia in libris de Animalibus proponuntur obseruanda: quemadmodum pręcipue apparet ex lib. 1. de partibus Animalium: vbi etiam in initio libri fit mẽtio de duplici hac instructione, tum generali, quæ in Organo traditur, tum particulari in quaq; scientia obseruanda. Et de his ẽt aliqd insinuauit Arist. in lib. 1. Eth. dũ inqt. *vnusquisq; autem iudicat recte quæ cognoscit, & horum rectus est iudex, secundum quodq; ergo qui instructus, simpliciter autem qui circa omne est instructus.*

li. 1. Phys. c. 1.

lib. 1. de Ani. c. 1.

lib. 1. de par. Ani. c. 1.

li. 1. Eth. c. 3.

De notitia principiorum quomodo intellectui ingeneretur.

Quomodo autẽ principia demonstrationis nobis innotescant, & quinam sit habitus illa dignoscens, vt præclarius intelligatur, hæc prius sunt addubitanda. Nam cum constet ex ijs, quę determinata sũt in libro precedenti, quòd impossibile est habere scientiam per demõstrationem, nisi præcedat cognitio primorum principiorum immediatorum, idcirco quærendum & discutiendum est, nũ cognitio principiorum immediatorũ sit eadẽ, quæ habetur per demõstrationẽ, aut nõ est scientia, principiorum vero est aliud genus cognitionis.

Ad hęc inquirendum est, num habitus principiorum, cum prius non inexistant animæ, in ipsa generetur; aut inexistunt, sed nos latent. Ad hanc autem postremã quæstionẽ primo occurrẽdo, sane pro maximo absurdo ducendum est, supponere quòd cognitiones, quæ demonstratione sint certiores, existẽtes in nobis lateãt nos,

vt

vt ſupponitur; & non lateat nos inferior notitia habita per demõſtrationẽ. Quòd ſi dixerimus, hęc principia acquiri a nobis cũ prius eorum notitiã non haberemus, obſtat ex aduerſo hæc alia difficultas, quæ omnino eſt diſſoluenda: quomodo hęc principia cognoſcamus, & addiſcamus abſq; aliqua notitia pręexiſtente, cum id ſit impoſſibile: quemadmodũ & de demonſtratione idem etiã cõſtitutum eſt in libro ſuperiori, quòd ſine præexiſtenti quadam notitia haberi non poſſit. Vnde inferendum, quòd neq; in nobis huiuſmodi habitus cognitionis nos latentes poſſunt ineſſe; neq; etiam dicendũ, quòd nobis ignorantibus principia ſciẽdi, & nullum alium habitum cognitionis obtinentibus, eãdem principi innaſcantur. Et ideo neceſſe eſt ſtatuere nobis aliquam ineſſe vim, qua (licet in certitudine cognoſcendi nõ ſit honoratior, quin immo alijs, inferior) attamen hac mediante habitus nobilior atq; pręſtantior principiorum in anima noſtra ingeneretur. Et hæc eſt facultas animę, quę omnibus eſt ingenita animalibus, virtus illa iudicatrix, quæ ſenſus nuncupatur. Verum, cum vniuerſo generi animalium hęc inſit facultas ſentiendi, haud ignorandum eſt, in aliquibus animalibus formę ſenſibilis perceptæ fieri manſionem, in aliquibus autem non fieri. In quibus igitur animalibus non ſit huiuſmodi manſio rei ſenſibilis perceptæ, nulla alia in ipſis ſubſiſtit cognitio, præter eam, quam obtinent in ipſo actu ſciendi. In quibus autem animalibus ineſt cognitio pręter actum ſentiendi, tanquam ſentientibus aliquid ſe habere in anima impreſſum quod perſentiant, hinc, cum multę huiuſmodi factę fuerint impreſſiones ſenſibilium formarum in anima, iam alia exoritur differentia in animalibus; vt ideo ſint nõnulla, quibus fit, ſeu gignitur ratio ex memoria imaginum impreſſarum; in aliquibus autem non fit hæc ratio. Ex ſenſu igitur fit memoria eo modo, vt dictum eſt. Ex memoria autem eiuſdem imaginis ſępius repetita oritur experiẽtia. Siquidem multæ numero memorię ſunt vna experientia. Experientia vero vel ex cuncto vniuerſaliter quieſcente in anima, ſiue vno pręter multa, quod eſt illud idem quod in multis, exurgit in anima principium tum artis, tum ſcientię: artis quidem circa generationem eorum, quæ arte conſtãt; ſcientię vero, ſi circa eſſe rerum ſit principium. Vnde dicendum, quòd neq; inſunt determinati habitus in anima; neque etiam (cum in nobis ingenerentur) ab aliquibus habitibus, qui cognitione illis pręſtent, ſed ab ipſo ſenſu quandam occaſionem ſubminiſtrante proueniunt. Eo propemodum modo, ſicuti in pugna, fugato exercitu, cõtingit interdum vt verſione facta, ſtante vno militum in pręlio, alter ſtet, deinde alter, donec ad principiũ totius exercitus ſit peruentum. Talis autẽ ineſt nobis anima, quæ hoc pati poteſt, vt in ipſa & ſenſibilium firma fiat impreſſio, & ex ſenſibilibus vniuerſalia principia conſtituantur.

Quod autem modo dictũ eſt, ſed non plane apertũ, clarius eſt explicandum. Iſtud eſt, quòd ſtãte vno indifferentium, ipſorum nempe ſingularium illis ipſis cõmu-

muni, id primũ fit in anima vniuerſale. Neq; mirũ,quãdo etiam (licet quod ſentitur actu,ſit ſingulare)attamen ſenſus eſt ipſius vniuerſalis, veluti hominis, non Socratis hominis:vnde & vniuerſale ſeiunctũ a ſingularibus poteſt gigni in intellectu. Rurſus in his ſtatur,donec ſteterint tũ impartibilia,ipſa ſingularia , tũ ipſa vniuerſalia; adeo vt ſtãte de animali ſenſatione , de animali ſiſtat impreſſio vniuerſalis : & ſic de hoc in aliud magis vniuerſale, donec ad vniuerſale primum in quouis prædicamento perueniatur.Hinc perſpicuũ eſt , oportere vt inductione fiãt nobis nota prima principia , quando & ſenſus huncin modum ingenerat in nobis vniuerſale .

Quoniam autem ex habitibus ad dianoeam pertinentibus,quibus verum enunciatur, nonnulli ſunt ſemper veri, vt ſciẽtiæ & intellectus, & aliqui falſitatem etiã admittunt,videlicet opinio & ratiocinatio;& nullum aliud genus eſt habituum,qđ ſit certius ſcientia niſi intellectus , ſintq. principia notiora demonſtratione, & ſcientia omnis exiſtat cum ratiocinatione : idcirco concludendũ, quòd principiorum non eſt ſcientia. Adhæc cum nil verius poſſit eſſe ſcientia,niſi intellectus: ideo etiam concludendum,quòd intellectus eſt principiorũ cognitor. Quod patet,tum ex ijs,quæ nunc dicta ſunt,tum ex hoc ipſo, quòd demonſtrationis principium non eſt demonſtratio : quare neque ſcientia erit ſcientiæ. Atque ideo cum prꝑter ſcientiam nullũ aliud genus exiſtat cognoſcendi, quod ſit ſemper verum,niſi intellectus; ſtatuendum eſt,quòd intellectus eſt principium ſcientiæ : & quòd eſt principij principium , ipſe intellectus cognitor principiorum demonſtrationis ; quemadmodũ etiam ſcientia ad omne ſcibile ſimiliter ſe habet , vt horum omnium ſit ſcientia .

Adnotationes.

DE *principijs vero*. Quomodo principia nobis innoteſcant, erat neceſſarium manifeſtare, quod & ſe facturum innuerat Ariſtot.in libro præcedenti. Nam non cognitis principijs,rueret cuncta ſcientia demonſtratiua ; quæ ſupponitur conſtare ex principijs notioribus,quãm ſint concluſiones demonſtrandæ .

li. 1. Poſt. Ana.

Si itaq; habemus . Hoc abſurdum eiaculatur Ariſtoteles aduerſus opinionem Platonis conſtituentis, ꝙ in nobis ſint principia ſcientiarum, & ꝙ ſcire noſtrum fiat per reminiſcentiam: cui obſtat hoc maximũ abſurdum cõſequens ad huiuſmodi placitum. Nam ſequeretur, ꝙ huiuſmodi cognitio nobis inſita, quæ cenſetur demonſtratione ꝓſtantior, nos lateret, cum tñ non lateat nos ex demonſtratione percepta notitia. Quod abſurdum recenſuit quoq; Ariſtot. in calce lib. 1. Met. ita habens . *At ſi innata nobis eſt, mirum eſt , quomodo nos fugit optimam ſcientiarum habentes.*

li. 1. Met. c. 8.

Neceſſe igitur habere. Hoc ſtatuit,oportere ſupponere aliquam potentiam, qua perueniatur ad notitiam principiorum , licet in certitudine hæc nõ ſit honoratior;quinimmo longe inferior habitu principiorum,ob certitudinẽ,quam obtinet illa facultas animæ,cui nata debent eſſe principia: adeo ꝙ ſenſus , qui ſupponitur tanquam medium ſubminiſtrans nobis occaſionem conſtituẽdi habitus intellectiuus, longe cedit cognitioni principiorum;eo quòd ſenſus(quod ẽt explicatum eſt in lib. 1. Met.) nullã habeat cauſæ cognitionem, a qua optima depẽdet notitia .

li. 1. Met. c. 1.

Habent enim congenitam potentiam indicatiuã. Siquidẽ medio ſenſu omne animal iudicat id , quod ſentit , vt ita ſentiat ſe ſentire qđ ſentit. Et adnotandum, ꝙ ſenſus,vbi primo a natura recte ſe habens effectus eſt, ſtatim in eo habitu conſiſtit , vt obiecta ſenſibilia ſibi appoſita percipiat : idq; ad differentiã intellectus , qui primo in quadam potentia verſatur,a qua indiget, vt ad actum reducatur ab intellectu agẽte,vt poſſit deinde ſuo officio fungi intelligendi, & hinc ad habitũ deduci;vt docet Ariſtot.in lib. 3.de Anima.

lib. 3. de Ani. c. 4.

Aut omnino. Ait qđ in aliquibus animalibus nulla fit mãſio ſenſati, vt in vermibus. & muſchis; adeo ꝙ poſt ſenſationem, vltra non ſentiant. *Aut circa quæ non fit*:his innuitur;ꝙ in aliquibus animalibus nõ fiunt omnium ſenſibilium impreſſiones: vnde dubi-

tat

lib. 9. de Hiſt. An. c. 40.

Ʒib. 9. de tat Ariſtoteles in lib. 9. de Hiſt. Anim. vtrũ Apes ſonum percipiant nec ne.

Io. Gram. Euſtr. li. 1. Met. c. 1.

Vt in his quidem fiat ratio. Io. Gram. & Euſtrat. videntur per *rationem* intelligere qđ vniuerſale fiat in aliquibus animalibus, ipſa ſcilicet collectio vniuerſalis; & hanc cenſent appellari rationem. Verum Ariſtot. in proęmio Met. aperit, hominem viuere arte, & ratiocinatione, quæ ex memorijs, & ex experientia conſurgit. Vnde diſtinctio locum habet inter illa animalia, quæ vtuntur ratione, & inter illa alia, quæ ſunt expertia rõnis, vt ſunt bruta. Hæc autem ratio, aut intelligitur collectio illa, quæ fit, dum fit inductio ex ſingularibus, veluti, quòd oẽ reubarbarum purgat coleram; aut pertinet ad omnem ratiocinationem, & ad definitionẽ.

Experientia autem. Aperit hoc loco, gigni principia, tum artis, tum ſcientiæ ab experientia: quod ait contingere, *aut ex oĩ quieſcẽte vniuerſali in anima,* vt hinc ſignificetur, quod debet eſſe completa, & firma experiẽtia ad hoc, vt habeat locum vniuerſale: & ideo dicitur, *ex omni quieſcente;* vt intelligat tota ſingularium ſimiliũ collectio, circa quę eſt Ipolipſis, vt dr̃ etiam in proęmio Met. & deſignatur comprehẽſio facta circa ſimilia: oportet. n. ſupponere idem ſimile in oĩbus ſingularibus eiuſdem ſpeciei; & qđ ſit quieſcens forma ſenſationis in anima, adeo vt nulla adſit perturbatio; ſed ſtet firma comprehenſio in imaginatiua. Et qm̃ vniuerſale videtur aliquid non conueniens ſenſui, ideo ſubiunxit, *aut ex vno præter multa.* vt denotaret collectionem vnius ſingularis confirmati in imaginatiua, præter multa ſingularia, cum quibus conuenit. Et ne exiſtimaretur ſupponi vnum ſecũdum Ideas Platonis, adiunxit hæc, *quod vtiq; in omnibus vnum ſit illis idem:* nempe aliquid idem eſt in oĩbus indiuiduis, cum q̃bus conuenit vniuerſale collectum. Ita igitur ex vno huiuſmodi exiſtente, & q̃eſcente in aĩa, generatur principium, tum artis circa factibilia, tum ſcientiæ circa ens, & naturam rerum.

Neque ita inſunt ſegregati habitus. Tanquam latentes nos, vt hinc opinio Platonis excludatur.

Neque ab alijs habitibus fiunt notioribus, ſed a ſenſu. Et quomodo a ſenſu fiant, aperit ſub exemplum pugnæ, in qua, fugato exercitu, vnus de militum numero ſtet, & hoc ſtante alius ſtet, donec ad principium totius exercitus perueniatur; qui cunctus ſtet, vt hinc reuertantur ad pugnam omnes milites. Aliquid enim ſimile ſupponit Ariſt. contingere in anima medio ſenſu: ſtare. ſ. modo vnã impreſſionem ſenſationis modo aliã in ſenſu communi, ſeu in imaginatiua, donec perueniatur ad principium, ad ipſum. ſ. vniuerſale ſupremum, quod cõſiſtat in intellectu, forma ſ. phantaſmatis a particularibus conditionibus materialibus ſeiuncta. Comparatur autem hic progreſſus in aĩa ipſi pugnæ; cum etiam in ſenſibus excitetur quædã turbatio ex tot ſenſibilibus cõcurrẽtibus; nec nõ & ex alijs partibus animæ, tum nutritiuæ, tum motiuæ, vt propterea ſtatim non fiat in anima impreſſio, vt adnotauit elegãtiſſime

Euſt.

Euſtrat. Et cum ſubiungitur, *anima vero eſt talis, vt poſſit pati hoc;* Refert S. Tho. ad animam ſuſceptiuam cognitionis vniuerſalis, nempe ad intellectum poſſibilem.

S. Thom.

Them.

Themiſtius autẽ, & alij Græci referunt ad ſenſitiuam, quæ poteſt prædicta recipere in imaginatiua. Forte de vtraq; & ſenſitiua, & intellectiua facultate potuit intelligere Ariſtoteles: qui non explicat hoc loco abſolute, quomodo fiat vniuerſale in anima intellectiua, qua ope intellectus agentis, & quo modo oportet, vt anima intellectiua facta ſit ſingula, antequam poſſit ex ſeipſa fungi officio intelligendi; quæ docentur in lib. 3. de Ani.

lib. 3. de Ani. c. 4.

Verum ex dictis hoc loco id ſolum licet colligere, ꝙ principia fiunt in intellectu auxilio ſenſus, in quo fiant impreſſiões ſenſatorum ſæpius repetitornm, donec cõſiſtat vnum ex ſenſatis perceptis, ita vt ope intellectus agentis, eius lumine colluſtrãte, ſenſatum firmum in imaginatiua reddatur abſtractum a ſingularibus conditionibus, adeo vt intellectus euadat.

Quod autem dictum quidem fuit. Illud, ꝙ ex omni quieſcente vniuerſali in anima, vno præter multa, fiat principium artis, & ſcientiæ, clarius explicat dicens: *cum n. ſteterit indifferentium vnum.* Et ſecundum Euſtrat. intelligitur ſpecies ſpecialiſſima, illud vnum quod eſt in multis.

Euſtr.

Sed cum dicat Ariſtot. *cum ſteterit indifferentium vnum,* ita ſupponit his verbis vnum ſingulare, quod cum ſteterit firmum, in anima, ſic vniuerſale euadit. Oportet enim cogitare, ꝙ perceptio pluriũ ſingularium fiat quadam temporis interuallo; & ꝙ, cum concurrant multorum ſingularium ſenſationes, ex ijs tandem vna ita conſiſtat ſenſatio (iuxta exemplũ de pugna antea adductum,) vt vnum euadat vniuerſale, effectum abſtractum a ſingularibus, ope intellectus agentis: in quo vno ita vniuerſali effecto, per abſtractionem conſiſtunt oẽs aliæ ſingulares ſenſationes, vti ſimiles illi, in quo ſit facta conſiſtentia: Quemadmodũ & in prælio ex ſtatione vnius militis, cũcti milites conſiſtunt reuertentes ad pugnam. Et cum ſubiungitur, *ſentitur etenim ſingulare.* His verbis tollitur obiectio occurrens, quõ ex ſingularium collectione fiat, ſeu poſſit fieri vniuerſale: Et ait Ariſtoteles, veluti reſpondens obiectioni prædictæ, ꝙ ſentire in actu ad ſingulare quidẽ pertinet; ſed ſenſus eſt vniuerſalis: quod etiam explicauit in libro ſuperiori, vbi docet, ꝙ per ſenſum nõ ſciatur.

li. 1. Poſt. Ana. c. 24

Ita autẽ intelligitur ſenſus vniuerſalis, qm̃ in ſingularibus perſentitur illud, quod eſt vniuerſale, ſeu idem in oĩbus: percipitur. n. ſenſu viſus color in genere, qm̃ non limitatur ad vnum tm̃ colorem, hunc, vel illum percipiendum; ſed in vniuerſum colorem viſiua facultas ferri poteſt licet actu ſemper ſingulare ꝑſentiat ſenſus. Ideo nõ mirum ꝙ ex ijs ſingularibus collectis ex vno communi, cum ſenſus circa hæc omnia verſetur, poſſit aſtrui vniuerſale in intellectu: & ita fiat principium vel artis, vel ſcientiæ: licet alio modo in ſenſu fiat collectio; & alio modo in intellectu. Siquidem in ſenſu adſunt collectæ impreſſiones ſingulariũ cũ conditionibus materialibus: at in intellectu fit collectio vnius naturæ ſegregatæ a con-

ditionibus materialibus, quæ & firma magis, & magis est permanens.

Rursus in his statur. Patefacit hoc loco ordinem procedendi, quo fiat vnum vniuersale circa indiuidua vnius speciei; & postea alterius magis communis donec perueniatur ad supremum vniuersalissimum. Verba vero subiuncta, *quousq; ad impartibilia steterint, & vniuersalia* ita Græce habentur, ἕως ἂν ἵστᾳ τὰ ἀμερῆ στῇ καὶ τὰ καθόλου, sic interpretatur Eustratius, donec, inquit, perueniatur vsq; ad suprema genera generalissima; quæ, quomodo dici possint *impartibilia*, non apparet cum in inferiora genera, & in spês specialissimas, & in indiuidua diuidantur. Idcirco referenda videtur dictio, *impartibilia*, ad indiuidua, quæ supponuntur stare, & quiescere debere ad hoc, vt vniuersale consistat in intellectu. Illa vero alia dictio, *& vniuersalia*, referenda est ad progressum circa vniuersalia; quæ magis, & magis possunt esse communia, quorum omnium fit intellectus, donec perueniatur ad supremũ genus, vel substantiæ, vel quanti, vel aliorũ prædicamentorum. Ex dictis autem hoc loco, videretur primum cognitum consistere circa speciem specialissimam; vtpote, quæ supponitur, primo fieri impressionem circa singularia minus communia, & postea circa magis communia. Vnde videtur, quod prius cognosci debeant species specialissimæ, quam alia superiora. Verum dicendum est, ita esse, quia, sicuti singularia, quanto magis fuerint singularia, magis etiam sunt nota sensui, vt dictum etiam in libro superiori; ita horũ collectio vniuersalis fit primo in anima intellectiua, deinde aliorum, quę minus sunt singularia, sed magis communem continent naturam. Etenim id conuenit in effectione intellectus, dum fit singula, vt prius fiat in formas minus communes, sicuti sunt etiam priores in notitia sensitiua. Sed & in hac effectione intellectus, non tollitur, quin prius imprimatur magis cõfusa, deinde magis distincta cuiusq; formæ intelligẽtia; sicuti & hoc euenit de sensu, vt prius confuso modo obiectum concipiat, seu sentiat, vt explicauit Arist. in proœmio Physicorum. Sed & in cuiusq; rei intelligentia, qua iungatur intellectus postquam est factus singula primo cõcipitur forma quæq; sub notione maxime vniuersali, & communi, veluti entis, aut alterius supremi generis: quemadmodum latius explicatum est a nobis in lib. 1 Met. in propria de primo cognito quæstione. Adnotandum autem, quod, etsi opus sit sensus auxilio ad hoc, vt formẽtur habitus intellectui; attamen non hinc deducendum est, quod præstatior sit cognitio sensitiua, vt ea, per quã fiat intellectiua. Nam dicimus, quod intellectiua lõge est præstantior, cum contineat formas abstractas rerum semper easdem existentes, & immutabiles: quod non contingit circa obiecta sensibilia, quæ sunt varia, & fluxa ob cõditiones materiales quibus adnectuntur. Addamus, quod singularia plurima consistentia sub vno communi, eo modo vt dictum est antea, tandem ita illustrantur ab intellectu agente, vt phantasmata separentur a conditionibus singularibus, & hinc cõ stituatur species in intellectu; huius facti causa existente, non sensu, sed intellectu agente; concurrentibus autem phantasmatibus tanquam materia, circa quam fit collustratio. Et inde sequitur constitutio spẽs, seu ipsius vniuersalis; quod est, aut artis, aut scientiæ principium, cum in ea habitus præstantissimi intellectui constituantur.

Eustr.

li. 1. Post. Anal. c. 2.

Lib. 1. Phy.

li. 1. Met.

Quoniam vero habituum, qui circa intelligẽtiã Gręce postrema verba ita leguntur: τῶν περὶ τὴν διάνοιαν ἕξεων. Et hanc vocem *dianœã*. antiqua lectio reddit *intelligentiam* alij *mentem*, & alij *discursum*. Et cum subiungat Aristoteles, quod habitus circa dianœam alij sint semper veri, quales sunt intellectus, & sciẽtia; & alij recipiunt interdum falsitatẽ, sicuti opinio, & ratiocinatio Græce λογισμὸς nuncupata, hinc colligitur, connotari comprehensionem quandã factam in mente plurium formarum, & nõ vnius tantum formæ: vt ideo dictio *dianœa* innuat non simplicis formæ comprehẽsionem, sed plurium complicationem, ex qua aut verum, aut falsum sequi possit. Opinio ante correspondet intellectui circa dianoeã, vt significetur per *opinionem* existimatio facta sine ratiocinatione mutabilis existens & falsitatis subiecta, cuius oppositum est intellectus; sicuti sciẽtia, quæ supponit discursum, opponitur rationationi dictę λογισμὸς, quæ falsitatẽ recipere pòtest; quod non conuenit scientiæ, existente tamen vtraque cũ discursu.

Principiorum quidem scientia vtiq; nõ fuerit. Hinc colligitur, quod intellectus principiorum, proprie non est dicendus scientia. Ex quo apparet, quod modus sciẽdi, de quo in libro superiori dictum est, quod erat alius a modo sciẽdi per demonstrationem, nequaquã ad principiorum intellectionem accommodandus est; sed ad modum definitiuum, qui sola terminorum positione differt a demõstratiuo sciendi modo; sicuti ostensum est superius.

li. 1. Post Analyt. c. 2.

Et principium quidem principij. Nempe facultas intellectiua, ipse intellectus est principium, quo cognoscuntur principia scientiarum, prout dictum est quoq; in libro superiori.

lib. 1. Post c. 3.

Illa autem omnis. Gręca lectio ita habet, ὁμοίως ἔχοι πρὸς τὸ ἅπαν πρᾶγμα. Et verti possunt, quod *scientia similiter se habet ad omnem rem*; adeo vt scientia sit referẽda ad omne scibile: quemadmodum est intellectus est principium principiorum.

Quæstio de vniuersali, vtrum sit in rerum natura.

CVm quæritur, cum vniuersale sit in rerum natura, quęstio distinguenda videtur penes vocem *Vniuersale*, num intelligatur quod sit aliquid per se subsistens, an vt significans quidpiam pluribus commune. Et quidem de huiusmodi vniuersali inquirentes, citra dubium, statuẽdum videtur quod nihil sit in rerũ natura. Quippe in proœmio lib. 1. de Anima de hoc vniuersali edisserẽs Aristoteles ita scriptum reliquit. *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius. Similiter aũt et si quid cõmune aliud prædicetur.*

Ex

Ex quibus manifestè colligitur ex sentētia Aristotelis, ꝙ vniuersale acceptum sub ratione communis prædicati non existit; cū de ipso protulerit ꝙ aut nihil est, aut posterius; hinc significans ꝙ si est aliquid, & solummodo in mente humana notio quædā, sub ratione communis prædicati comprehensa. Quòd si quis ex aduerso instet, ꝙ qm̄ omnis notio intellectiua aliquid cōcernit, quod ipsis in rebus inest, quemadmodum notio de animali facultatē sentiendi significat existētem in homine, in equo, & in omnibus alijs animalibus; ideo fit asserendū, ꝙ vniuersale, quatenus concernit communis prædicati notionem, in rebus extra intellectum inueniatur. Huic oppositioni ita occurrimus, verum esse, ꝙ quęcunque notio vniuersalis concepta a nostro intellectu aliquid concernit ex parte rerum, quibus cōuenit commune prædicatum. Attamen negandum est, ꝙ in rebus extra intellectum inueniatur huiusmodi natura cōmunis notionis sub ratione communis prędicati cōprehensa. Alioquin si in Socrate, & in Platone, & in alijs indiuiduis tum humanæ speciei, tum equinæ, & ita de omnibus speciebus animalium, inesset animal iuxta rationem notionis communis & vniuersalis, vt est vniuersalis, sequeretur quòd res singularis esset vniuersalis; quod manifestam implicat contradictionem.

Sed rursus quispiam alius obijciet, hunc in modum arguendo. Nam cum ab intellectu nostro rerum omnium natura semper sub ratione vniuersali cōprehendatur (non enim singulare, vt singulare cadit sub cognitione intellectiua) & nihil sit in intellectu, iuxta vulgatum enūciatum, quod prius non fuerit in sensu, hinc iure inferri posse videtur, quòd rerum natura, quatenus est comprehensa ab intellectu, ita quoq; existat in sensu sub eadem ratione vniuersali: ac consequenter, quoniam quidquid recipitur in sensu, & species rei sensibiles, asserendum, ꝙ extra sensum quoque res sensibilis per se subsistat pariter sub ratione vniuersali. Huic itaque argumentationi respondendo dicimus, verum esse, quod quidquid concipit intellectus, id agit sensus adminiculo, dum notiones suas ex phantasmatibus desumit, sine quibus intellectus nihil apprehendit; quemadmodum sępius Aristoteles in libros præsertim de Anima demonstrauit. Atqui aduertendum, quòd sensus alio modo species suscipit sēsibiles, & alio modo intellectus cōcipit species intelligibiles, Etenim sensus quamquam (vt explicatum est in lib. 1 Post. Analyt.) versetur circa obiectum vniuersale, inquantum non est obstrictus, exempli gratia, oculus ad contuendum tantummodo hunc vel illū colorem in pariete contentum. Sed indifferenter quascunque species coloris percipere aptus natus est; Attamen, quotiescūque sensus coloris speciem recipit, eam semper recipit, vt quidam singularis est color: non eam tamen recipiens cum omnimoda determinata ea qualitate materiæ, qua color extra sensum in re sensili inexistit; Sed cum materia quodam modo minus corporea, & magis spirituali modo se habente. Siquidem oculus non suscipit speciem albedinis, prout fixa in niue inuenitur: Sed eā impressam in aere a lumine collustratam sibique delatam, & hunc in modum aliquatenus a crassitie materiæ liberam suscipit: quemadmodum in libris de Anima, & in illo de sensiterijs & sensibilibus Aristoteles explicauit. At vero intellectus species receptas in sensu eatenus ipse suscipit intelligibiles, quatenus eas ab omnibus particularibus conditionibus materiæ abstrictas cōcipit & intelligit, ope agentis intellectus diuino quodā lumine phantasmata collustrātis: prout præclare docuit Aristoteles in lib. 3. de Anima. Ex quo fit vt species intelligibilis comprehēsa ab intellectu dicatur vniuersalis, quatenus non est singularis, nempe non est illis affecta conditionibus materiæ adnexis, quibus a sensu comprehenditur; & multo minus illis est conditionibus abstricta, quæ in rebus extra sensum inueniuntur. Et in hoc dissentit Aristoteles a Platone, qui rerum sensibilium ideas extra res sensibiles per se subsistentes constituebat, & per has scientiam de sensilibus habendam asserebat. Quam quidem opinionē mordicus Aristoteles impugnauit passim in cūcta sua Philosophia; Sed pręcipue, & magis ex proposito in libris, qui vulgo Metaphysica inscribuntur; simul statuens, non ex ideis, quæ nobis sunt ignotæ, scientiam rerum sensibilium esse depromendam. Sed ex notionibus a rerum sensibilium natura sensus adminiculo desumptis iuxta phantasmata abstracta, a mente humana apprehensa eo modo vt explicatum est Quapropter vt propositæ quæstioni finem imponamus, cum de vniuersali quæritur, num sit in rerum natura, dicimus nullum vniuersale sub rōne vniuersali in rebus inueniri: Non illud vniuersale, quod existit in intellectu secundum speciem a cōditionibus materiæ seiunctam; cum res cunctæ sensibiles non nisi in materia consistant singularibus conditionibus obsignatæ. Neque etiam illud vniuersale, quod concernit alicuius naturæ quandam communicationē pluribus rebus inexistentis, quatenus est prędicatum pluribus commune: quando de hoc ipso vniuersali loco citato ex proęmio lib. 1. de Anima manifeste pronunciauerit Aristoteles, ꝙ huiusmodi vniuersale aut nihil est, aut posterius. Vnde si nihil est, non erit igitur in vllo rerum genere. Aut si est posterius, hinc etiam deducitur, ꝙ non est in ipsis rebus in propria ipsorum natura; sed tantum subsistit in intellectu sub ea notione comprehēsum, quatenus significatum denotatur alicuius naturæ, quæ pluribus sit communis. Ita autem intelligendum est, prędictum vniuersale esse quid posterius. Nam, cum intellectus fit singula, i. formis imbuitur abstractis, eo modo vt docetur in lib. 3 de Anima, in ipso prius imprimitur forma, seu species cuiusque rei abstracta, (vt dictum est) a conditionibus materiæ. Mox vero ope phantasiæ continentis idola plurima eiusdem naturæ, veluti ipsius animalis, quod in homine, equo, boue, & in alijs speciebus viuentiū in-

inuenitur, inductione quadam facta circa hæc varia idola, collectio huius naturæ animalis, vt est cõmunis pluribus, comprehenditur ab intellectu, eo modo vt supra ab Aristotele in calce huius libri ostensum est. Vnde huiusmodi vniuersale adueniens intellectui, post formam primo ei impressam, iure, si quid est, quid posterius esse intelligendum est. Verum & idipsum maximopere est aduertendum, rerum formas primo intuitu intellectui confuso quodam modo apparere; ac paulatim easdem deinceps magis distinctas atque explicatas ei illucescat; eo propemodum modo, vt cõtingit pueris, qui primo omnes homines patris nomine nuncupent iuxta rudiorem humanę formę imaginem ab ipsis conceptam; postmodum vero procedente ætate, magis dearticulata fit in ipsorũ phantasia impressa imago propriorum parẽtum, eos a cęteris hominibus secernentes, nominant patris nomine, & non vltra alios homines; quemadmodum docuit Aristot. in lib. 1. Phys. Ex qua quidẽ consideratione exquisitissima, hic Philosophus instituit Methodum, quam in vniuersa Philosophia obseruauit, nimium pius cõtemplandi res naturales in vniuersale, nempe in confusa: ac postmodum distincte easdem explicandi; ab vniuersalibus, id est a confusis, ad singularia id est ad distincta hunc in modum procedendo. Vnde in primis libris Physicæ Auscultationis notitiã tradidit de materia & de forma, & priuatione sub quadam notione cõmuni, vt sunt principia communia rebus omnibus naturalibus: ac deinceps in consequentibus libris hæc eadem communia principia distinctius pertractauit: dum circa species distinctas rerum, nempe circa cęlum, & elementa, & circa mixta tum inanimata, tum animata speculationem suscepit: seorsum de vnaquaque specie & propriam materiam, & propriam formam, & propriam priuationẽ explicando; vt ita & vniuersalis, & distincta doctrina ad cumulatam & expletam notitiam quæ menti humanæ de rebus possit inesse, traderetur; quemadmodum etiam (vt prędictum est) intellectui nostro rerum species primo confusa quadam ratione imprimuntur; ac deinceps distinctius eędem concipiuntur.

Finis lib. 2. Poster. Analyt.

IN

IN LIBROS TOPICORVM Præfationes.

De subiecto propositove scopo librorum qui Topici inscribuntur.

DE qua re propositum fuerit Aristoteli agere in his libris,qui Topici inscribũtur,ipsemet in frontispicio operis detexit inquiens, susceptum a se negotium, eo spectare, vt methodus inueniatur, qua valeamus de quocunq; problemate probabiliter ratiocinari,& sustinentes ipsi sermonem,& disputationem cum altero nobiscum altercante,non inducamur ad enunciandum aliquid,quod nostris positionibus aduersetur. Ad hanc autem facultatem consequendam,quæ propria est dialectici,idest hominis disputantis & sermocinantis, tres punctiones constituit esse necessarias. Harum vna est,accipere,seu colligere,circa quot, & qualia problemata sermones dialectici versentur. Secunda,nosse ex quibusnam fiant ratiocinationes. Tertia, non ignorare quomodo ijs ipsis abundabimus.

Ad comparanda autem ea ex quibus ratiocinemur,quattuor subiunxit instrumenta. Quorum vnum est eligere circa quamcunque rem probabiles propositiones. Alterum, methodum callere distinguendi,quæ multipliciter dicuntur. Tertium, rerum differentias inuenire. Quartum & postremum,similium considerationem promptã habere. His quippe instrumentis via comparabitur venandi loca, quibus de quacunq. re proposita disputare probabiliter valeamus; siue existat problema de genere, sub quo reducitur differentia; siue de definitione; siue de proprio; siue de accidente;ad quę singula omnes quęstiones,seu contentiones dialecticę reuocantur; adeo vt penes hæc singula, siue sint construenda, siue destruenda, in locorum, ad hæc munera deseruiẽtium tractatu totum ferme opus de Topicis absoluatur;cum tamen etiam in 8.lib.qui horum est postremus,nonnulla tradantur circa apparatum,seu ordinem obseruandum in munere disputandi,atq; tentandi consermocinantem.

Ex ijs itaq. enarratis facile colligi potest, quodnam sit subiectum, de quo agitur in ijs libris Topicorum.Id nempe venari,& explicare loca vtilia tam ad construendum,quàm ad destruendum quodq; ꝓblema dialecticum: simul q. tradere methodum, qua instruatur sermocinans, vt probe apparatus munus disputandi aggredi valeat; sit ipse vel interrogans, vel respondens. Tractatio autem hæc in eum scopum dirigitur,vt facultas comparetur, qua possimus de quacunque re proposita,probabiliter ratiocinari,& in altercatione sermonẽ nostrum sustinere ab omni contrarietate se motum: vt ita aliud sit subiectum, quod tractatur, & aliud scopus in quem huiuscemodi tractatio dirigitur: quemadmodum & de artibus omnibus factiuis, & de Moralibus,& de Politicis perscrutationibus (non autem ita de sciẽtijs speculatiuis)euenire alibi,& pręsertim in expositione proę-

mij Prio. Analyt. cumulatissime a nobis explicatum est. Qui autem asserunt, subiectum horum librorum esse syllogismum probabilem, & si veritatem attingant, attamen non ijs vocibus explicari dicimus distincte, & exacte subiecti materiam, vti nos supposuimus; cum præsertim ab Aristotele ea non tradatur definitio syllogismi dialectici, ex qua totum eius negotium contexatur: prout de demonstratione factum est, ex cuius definitione totum ferme opus Post. Analyt. deductum est. Quippe huiuscemodi doctrinę capax non erat facultas dialectica, cum pene vniuersa ex locorum inuentione dependeat: quæ singula seorsum ab Aristot. proponuntur, & quomodo verisimilitudinem præseferant, tam ad construendum, quàm ad destruendum examinantur & expenduntur.

Quomodo facultas Dialectica, a Sophistica distinguatur, & ab ea parte logices, in qua de modo sciendi traditur.

NOn ignorandum autem, facultatem dialecticam distingui a sophistica, pro vt docet Arist. in lib. 4. Met. & in lib. 1. Rethor. vbi ait, Sophisticam proprie dici ab electione vitę quam sequitur, vt pote cuius studium in lucro faciendo sit positum; atq. ideo ex falsis ratiocinans, licet apparentibus, hunc in modum sapiens videri contédit. At Dialecticus facultatem illã profitetur, qua de omnibus probabiliter disserere possit ad diuersa munia præstanda; de quibus infra erit sermo. Differt etiam Dialectica ab illa parte logicę, in qua modus sciendi traditur, quod præcipue præstatur in Post. Analyt. adeo vt horum tractationi nomen, dialecticæ non conueniat: quemadmodum in lib. 1. & 2. Met. deduximus ex verbis Aristotelis. Et id quidem debet esse perspicuum, cum dialectica facultas in vtramque partem de omnibus disputare aggrediatur; Demonstratiua vero sciétia alteram tantum partem contradictionis, quam veram iudicat, sectetur, & doceat. Non excluditur autem Dialectica ab Organo, quin eius & ipsa sit pars. Siquidem, dum edocetur in lib. Top. quomodo dialecticam facultatem venari possimus, ita infra functioné Organi seu instruméti includitur dialectica: quemadmodum eodem & Logica dici potest a sermone, circa quem versatur; pro vt & alia pars Organi modum sciendi tradens, Logica ob eandem rationem nũcupatur, nunquam autem Dialectica appellanda. Accedit quòd Dialectica confert scientijs, & consequenter modo sciédi, de quo in Analyt. vt ex sequétibus apparebit; vnde ob id etiam ad Organi communicationem est reuocanda tractatio dialectica in his libris Topicis absoluta.

li. 4. Met. cap. 2.

li. 1. Ret.

li. 1. Met c. 6. lib. 1 c. 3

De inscriptione librorum Topicorum.

OPus autem ijs libris contentum hac nuncupatione inscriptum est nempe libri Topicorum, a voce gręca τόπος, quæ latine locus interpretatur; idque admodum concinne factum apparet. Nam sicu-

li. 4, Phys. c. 4.

ſicuti locus (vt docet Ariſt. lib. 4. Phyſ.) illius eſt naturæ, vt in eo corpora collocentur, in eodemq; loco modo hæc, modo illa corpora iacent: ita quoq. cum fons, ex quo a dialectica deducitur ratio argumentãdi probabiliter, ſi ita communis, vt rebus prope omnibus poſſit applicari (veluti eſt illud enunciatum, ſi de quo minus videtur ineſſe & ineſt, ergo & de quo magis): idcirco ſedes hæc argumentãdi, locus eſt nuncupata: vnde & hi libri a præſtantiori ipſorum parte Topici ſunt inſcripti.

Hinc nonnulli libros hos inuentiuos nuncuparunt, alios vero, nẽpe Analyticos, iudiciales. Quam diſtinctionem attulit etiam Cicero in ſuis Topicis. inquiens. *Cum omnis ratio diligens diſſerendo duas habet partes, vnam inueniẽdi, alteram iudicandi; vtriuſq; princeps, vt mihi videtur Ariſtot. fuit. Stoici autem in altera celebrauerunt. Iudicandi .n. viam diligenter perſecuti ſunt ea ſcientia, quam Dialecticam appellant: inueniendi vero artem quæ Topica dicitur*, & quę ſequuntur. Vbi adnotandum, Ciceronẽ nomine dialecticæ, cunctam aliam Logicę partem intellexiſſe, cõtra ea, quæ a nobis paulo ante ex ſententia Ariſtotelis conſtituta ſunt, cum dialectica proprie ad libros Topicos pertineat. Vnde poſtea diſſenſiones non paruæ inter Ariſtotelis expoſitores exortę ſunt; dum inuicem altercantur, diſputantes, quomodo libri Topici ad inuentionem pertineant, Analytici vero ad iudicium: Nos vero illud in primis adnotandum duximus, in ſcriptis Ariſtotelis nullam vſpiam de huiuſmodi diſcrimine librorum inuentiuorum, & iudicantium (vt ita loquamur) mentionem extare. Ad hæc id etiam verum exiſtimamus, libros omnes, in quibus alicuius doctrinæ cognitio traditur, ſuo iure iudiciales poſſe nuncupari, cum omnis cognitio iudicio quodam cognoſcentis abſoluatur; adeo vt & ſenſus, dum ſentit obiectum, dicitur iudicare, dum illud percipit. Prout explicatum eſt in lib. de anima pluribus in locis, & in calce quoq. lib. 2. Poſt. Analyt. quod & expreſſe docet Ariſtoteles in libro. 2. Top. loco 9. dum ait *Iudicare genus eſſe ipſius ſentire namq; qui ſentit iudicat aliquo modo*. Sed & illud perſpicuum eſt, in lib. 1. Prio. Analyt. agi de inuentione mediorum ex quibus ſyllogiſmi conſtrui poſsunt; nec non in lib. 2. Poſt. Analyt. tractari methodum venandæ definitionis; vnde & hi libri inuentiui dici poſſunt; quemadmodum & Topici, iudiciales, a cognitione in ipſis tradita; quæ nec edoceri, nec percipi poſſet abſq. certo docentis, & addiſcentis iudicio. Veruntamen ne a tanto viro, qualis fuit Cicero, (quem & plerique grauiſſimi doctores ſequuti ſunt) diſtinctio librorum inuentiuorum, & iudicantium incaſſum tradita cenſeatur, remotis omnibus inanibus quæſtionibus, ita breuiter eam verificari poſſe diceremus: vt libri Analytici iudiciales ex eo ſint appellandi, quòd vel in particulis dignoſcẽdis, quibus conſtet demonſtratio, vel in venanda rerũ definitione, acri opus ſit iudicio; dum hęc ſunt præſtanda iuxta normã traditã in Analyt. quæ hominis recto iudicio eſt exequenda: Cum autem in lib. Top.

loci

Cic. in Top.

lib. 3. de ani. c. 2. li. 2. Poſt. cap. 18.

loci extent, adinuenti, quibus vtitur dialecticus in eius facultate exercenda, qua in re non iudicium, sed locorum opportuna adhibitio requiritur, propterea hi libri inuentiui, vti explicantes locos inuentos, iure nuncupari potuerunt. Vnde Aristoteles lib. 1. Prio. Analyt. dum ibi de medij Syllogistici inuentione egisset, subiunxit, exactius dein de in Top. differendum esse de selectione, & inuentione propositionum.

li. 1. Prio. Analyt. c. 2.

Verumtamen non ita inuentionem locorum factam esse ab Aristotele in Top. asserendum est, quasi ab ipso fuerint excogitata, tanquam prius non extarent; provt de nefario inuento Bombardarum, & alijs huiusmodi dici potest, Etenim loca, quæ in Top. traduntur, ex opinione hominum, vsuq; communi ratiocinandi, & disputandi sunt desumpta; his ipsis autem ab Arist. proprie nominationes sunt appositæ. Veluti est locus dictus a maiori & minus; & ille a simili; & alia eiusmodi; quibus passim, homines etiam rudiores, & rustici, suis in sermocinationibus vtuntur: Nec non ab eodem auctore in seriem quandam sunt redacta, quę ad quodq. problema vel constituẽdum, vel destruendum sint accommodata; additis ad hæc diuersis cautelis, quæ in disputationibus sunt obseruandæ. Sed & id ipsum nó ignorandum est, horum locorum inuentionem, tum ad dialecticum, tum vel maxime ad Philosophum attinere, vt docet Aristoteles in initio libri 8. Top. vt qui sua ex speculatione dignoscere, valeat cuiusq. loci vim; sicuti & philosophi munus est totius logicę perscrutatione habere; quemadmodum alibi inter initia Organi animaluertimus. Cum vero in aliqua scientia loca adhibentur, quæ in Topicis sunt explicata, ita fit, vt propria eius scientię euadant; quemadmodum & de dignitatibus adhibitis in sciẽtijs ita euenire docuit Arist. in lib. 1. Post. Analyt. Dialecticus autem ex sua facultate, loca prædicta inuenire procurat, & inuẽtis vtitur vt artifex generalis, qui secundum vtranque partem contradictionis, de quocunq. problemate differere, atq; disputare profitetur.

li. 8. Top. c. 2.

li. 1. Post. Anal. c. 8.

De operis diuisione.

TOtum autem hoc opus in octo libros diuisum est. Quorum primus proęmium continet, ac plurima alia tanquam præfationes quasdam pro eruditione ad totius operis structuram spectantes. Cũ vero ꝓblemata, circa quæ versatur facultas dialectica, generatim ad hæc capita reducantur; nẽpe ad quæstiones de accidente, quibus ẽt adnexæ sunt quæstiones de ijs, quæ magis, & minus sint talia; ad eas de genere, sub quo reducitur differẽtia: & ad eas de ꝓprio: & ad eas de definitione, quibus adiunguntur q̃stiones de eodẽ & diuerso. Hinc postea in lib. 2. traduntur, loca de quæstionibus accidẽtis: In 3. de annexis accidenti. In 4. loca afferuntur de genere. In 5. illa de proprio. In 6. loca de deffinitione. In 7. tractantur quæ sunt annexa ad definitionem. In postremo deinde octauo lib. methodus explicatur obseruanda in disputationibus tam ex parte interrogantis, q̃ respõdentis, in quo tractatu vniuersum clauditur hoc opus Topicorum.

De

De diuisione eorum, quæ continentur in lib. 1. Topicorum.

PRimus autẽ liber apte in quattuor sectiones partiri potest. Harũ prima summatim hæc cõtinet; procemium, in quo scopus presẽtis tractationis aperitur huc tendens, vt apta methodus inueniatur ad facultatem dialecticam exercendam, quæ præcipue Syllogismo perficitur. Vnde Syllogismi definitio breuiter traditur, & eius species assignãtur; vt alius sit demonstratiuus, alius dialecticus, alius sophisticus, seu contentiosus, & alius falsographus, cõtingens circa scientias, cum quis falso assumit, quę in aliqua scientia suut explicata & demõstrata. Ad hæc in hoc eodem procemio vtilitas detegitur, scaturiens ex prædicta dialectices facultate, ad hæc tria munera pertinens; nempe ad exercitationem, probe de quocunque problemate probabiliter disputandi; ad cõgressus inuicem disputantium; & ad principia scientiarum, de quibus probabiliter disseri potest, non autẽ demonstratiue; & omnino ad sciẽtiam de Philosophia.

Adnotationes in Proœmium lib. 1. Top.

P*Ropositum quidem negotij est.* Proęmiũ hoc loco habetur ad opus vniuersum Topicorum, in quo tria illa, quę perfectũ Proęmium concernunt iuxta tradita in libro 3. [li. 3. Met.] Reth. absoluuntur. In primis. n. paucis intẽtio aperitur, complectens id, de quo sit agẽdum, vnde attentus redditur lector: mox ordo detegitur, qui in negocio tractando sit obseruãdus, vnde docilis; postremo loco vtilitas aperitur ex huiusmodi tractatu percipienda, vnde beneuolentia cõciliatur, & legentis, animus ad hoc opus amplexandum excitatur. Quod vero attinet ad intentionẽ Auctoris huc spectat vt doceat, venari Methodum, qua possimus de quocunq; problemate probabiliter differere, & disputationem sustinere absq; vlla sermonum nostrorum contradictione; Et qm̃ hoc munus pręstat dialecticus sermone in primis syllogistico; hinc compẽdio quodam agitur de syllogismo; dum generica eius definitio aperitur, & species varię afferuntur, simulq; statuitur qualis sit syllogismus dialecticus differens a demonstratiuo, a contentioso, & a falsographo.

Sunt autem vera, & prima. Attribuit syllogismo demonstratiuo, ꝙ constet ex veris, & primis: Vnde dubitari põt, qm̃ etiam dialecticus tum ex veris rõcinatur (vt docet idẽ [Dubit.] Arist. in lib. 1. Post. Analyt.) tum ex primis procedit, quum loca, ex quibus suas prodit [li. 1. Post. c. 6.] argumentationes, sint quędã enunciata seu principia non demonstranda; vt ideo redarguendus videatur Aristot. qui conditionem illam prætermiserit propriam demonstrationis, qua præcipue distinguitur demõstratio a syllogismo dialectico quatenus dr̃ cõstare ex necessarijs. Dicendum ad hanc [Solut.] difficultatem, ꝙ vera, quæ accipiuntur in demonstratione, ita opponuntur veris probabilibus (ex quibus astruitur syllogismus dialecticus) vt sint determinate, & ex necessitate vera, & nõ ex opinione hominum pẽdentia; prout probabilia, quæ eatenus veritatem pręseferunt, quatenus hominibus apparent; non aũt sunt ex necessitate vera: vnde distinctio inter demonstrationem, & syllogismũ dialecticum satis est manifesta, ex hoc ipso, ꝙ demonstratio constat ex veris: Syllogismus autem dialecticus ex probabilibus. Vera autem, ex quibus constituitur demonstratio, subiũgit Arist. etiam esse prima, hoc est, principia talia, vt ex seipsis fidẽ faciant, adeo vt non sit de huiusmodi principijs inquirenda causa, propter quam sint vera: *Sunt enim* (inquit) *secundum se fidei.* Hoc est sunt talia, vt credãtur ob eam veritatẽ, quã præseferunt, vt illico horum veritas illucescat intelligenti. Siquidem perceptis, & intellectis terminis principiorum, simul (vt [li. 1. Post. c. 3.] docetur in lib. 1. Post. Analyt.) etiam principia intelligũtur, adeo vt illis acquiescat intellectus: Quomodo aũt principia ingenerẽtur in intellectu, ex proposito docet Aristot. in calce lib. 2. Post. Analyt. [li. 2. Post. cap. 19.]

Non enim omne quod probabile videtur, etiam probabile est. Cum dixisset, syllogismum dialecticum constare ex probabilibus, quæ videntur aut oĩbus, aut plurimis, aut sapientibus; hinc (quasi volens distinguere syllogismum dialecticum a Sophistico) subiunxit, ꝙ [Dubit.] non omne, quod vr̃ probabile, est ꝓbabile; innuens ex hoc, ꝙ aliqua sint probabilia apparentia, sed non vere probabilia. At dicet aliquis addubitans, si probabilia sunt, quæ videntur aut oĩbus, aut plurimis, aut sapientibus, ergo oĩa probabilia erunt apparẽtia, vt inter ipsa, nullum cadat discrimen, nec inter assumptiones Sophisticas & Dialecticas. Dicendum, aliud esse dicere, ꝙ probabi- [Solut.] lia sint, quæ videntur oĩbus, aut plurimis; & aliud dicere, ꝙ aliqua videantur esse hmõi probabilia, quum tñ non sint de ijs, quæ videantur, & approbẽtur ab hominibus: adeo ꝙ dicẽdum est, esse nonnulla probabilia: (vt subiũgit Arist.) quæ superficietenus proba

bi-

bilitatis speciem præseferunt, intimius aũt si perscrutentur, ipsorum falsitas quàm primum, &, vt in plurimis ab vnoquoq; etiam mediocriter apto ad discernendum conspicitur, atq; detegitur: & sunt ea, quæ in syllogismo litigioso adhibentur a sophistis: non autem sunt huiusmodi ea probabilia, quæ a dialectico assumuntur.

Vniuersaliter autem dicere. Modũ perscrutandi, quem in his libris sit secuturus Arist. aperit, dicens, in vniuersali de oĩbus se tractaturum, ob hanc quidem causam, qm̃ propositum huius operis studiũ sit nulla de re exacte tractare; sed Methodum in genere constituere, a rerum consideratione remotam, qua possimus probabiliter, de quocunque problemate disputare, & in vtrãq; partem ratiocinari. Vnde & typo quodam, & expedito sermõe species oẽs syllogismi explicantur: quod similiter in sequentibus p̃stabitur circa quęcuuq; tractanda Verum tamen non ignorandum, exactius ijs in libris de locorum inuentione tractari, q̃ actum sit in Prior. Analyt. vt ibidem, & id se facturum receperat Arist. in calce sectionis secundæ eorum librorum.

In Sect. 2 l. 1. Prio.

Consequens autem est. Postrema hæc pars proęmij continet vtilitatem ex Methodo dialectica prouẽturam, quæ quidem ad hęc tria capita reducitur. *Ad exercitationem*, nempe ad comparandam facultatẽ, qua possimus de quocũq; problemate probabiliter differere, quod in Gymnasijs ad pallestram quandam, & ad gloriam pręstabatur antiquitus a dialecticæ professoribus.

Ad congressus. Quoddã innuitur certamen, quod vnus cum alio instituerat, continens aut disputationes inuicem altercantium, aut tentantium illam facultatem, qua Socrates & Plato profitebantur experimentum capere de peritia, & doctrina cuiuscũque circa scientias, & artes; vt colligi põt, ex Dialogis Platonis. Vnde ait Arist. ꝙ, dũ adducuntur opiniones multorum (quas cõparare seu colligere ad dialecticam facultatem attinet) & siquid non bene dictũ videatur, istud permutantes, sic non ex alienis, sed ex proprijs, quibus assentiant nobiscum sermocinantes, iuxta nostram opinionem ratiocinabimur, ita vt vincamus.

Ad secundum Philosophiam scientias. Vtilis etiam est intenta in ijs libris Methodus ad eas scientias, in quibus veritas enucleatur; ꝙ præstatur in Philosophia, quasi possint esse aliquæ scientiæ nõ huiusmodi, vt sunt artes, quę possunt sine speculatione obtineri, vt ita sciẽtiæ nomen, de huiusmodi artibus lato vocabulo dicatur. Vnde nonnulli etiã, sensum scientiam nuncuparunt, vt habetur in lib. 3 de Anima. Ita aũt vtilis intelligitur Methodus Dialectica ad veritatem Philosophiæ: qm̃ dubitando in vtramq; partem (qđ fit ope dialecticæ) hinc circa quodq; problema verum, & falsum põt elucescere. Quod luculentius etiam explicatum est ab Arist. in initio lib. 3. Met. dum inter alia dixit, ꝙ si apte dubitetur, hinc põt modus difficultatis cõspici, & cõsequẽter veritas apparere.

li. 3. de aĩa cap. 3.

li. 3. Met. c. 3

Amplius & ad prima circa quamq; scientiam principia. Confert pariter Methodus Dialectica ad magis illustrãdam veritatem, principiorum, quæ in quaq; scientia adhibẽtur. Nam, cum non possint demonstrari, saltem probabiliter de illis differere licet, & ita ipsorum veritatem magis confirmare. Et de hoc latius considerauit Arist. in Met. lib. 3. & in 11. apud nos 13.

li. 3. Met. c. 3 & lib. 13. c. 4.

Hoc autem proprium, vel maxime proprium dialectica. Ita dictum est, qm̃ etiam in prima Philosophia, agitur de communibus principijs scientiarum, dum ibi Philosophus, quodammodo suscipiens personam dialectici, exacte sub rõne entis oĩa considerat, nõ tñ sermonibus ꝓbabilibus, prout incedit dialecticus; qui non solum de communissimis principijs edisserit, verum etiam de alijs magis particularibus cuiq; scientiæ attinentibus; vnde maxime proprium erit dialecticæ de principijs scientiarum disputare, & ratiocinari.

Habebimus autem perfecte Methodũ. Limites huiusmodi præscribit dialecticæ facultati, ꝙ sat est, si a Dialectico ea oĩa videantur, q̃bus munia ab ipso intenta perfici; adeo vt nihil omittat eorum, quibus possit assequi id, quod conatur. Vnde non exigitur ab hac facultate, vt vincat semper dialecticus, aut pręstet, quod intendit; quemadmodum neq; orator ex suo munere ita obstringitur ad persuadendum; vt id semper perficiat; neq; Medicus ita suam exercet artem, vt ex necessitate, quatenus Medicus, salutem operetur, quam intẽdit; siquidem sępe numero multa possunt obsistere, quominus Medicus sanitatem efficiat in ęgroto; aut orator persuadeat: quod etiam contingit apud dialecticum, præsertim cum eius certamen sit habendum cum altero secum altercãte, qui multis modis põt tergiuersari, ne succumbat. Quomodo autem Dialectica facultas differat ab oratoria in lib. Reth. est discutiendum.

Quæ tractantur in 2. sect. lib. 1. Top.

IN secunda vero parte libri cõpendio explicatur, ex quibusnam constet methodus proposita ad facultatẽ dialecticam obtinendam. Quæ huc spectat, vt sciatur, tum circa quæ, & quot versetur hęc facultas, tum ex quibus eius ratiocinationes conficiantur, ac deinde via comparetur ad venandum ea, quibus opus sit ratiocinãdũ, vt copia suppetat argumentorum. Hinc prius fit notum, eadem numero esse problemata, circa quę versatur dialecticus, & ꝓpositiones, ex quibus de ijs ratioci-

ciatur: vt inter hęc hoc ſolum ſit diſcrimen, quòd propoſitio eſt interrogatio alterius tãtum partis ex contradictione aſſumendæ ab interrogante, veluti num anima eſt immortalis: Problema autem vtriuſque partis continet cõtradictionem, vt num anima eſt mortalis, an immortalis?

Poſtea patefit, omnia problemata reuocari vel ad quæſtiones de accidenti, vt num voluptas omnis eſt bona? Vel ad adnexa accidenti, vt num eligibilius eſt amare, quàm amari? Vel ad quęſtiones de genere, vt num liberalitatis genus eſt habitus? Vel ad eas de proprio, vt num homini, proprium eſt canos edere? Vel ad eas de definitione, vt num anima eſt numerus ſeipſum mouens? Vel ad adnexa definitioni, vt num idẽ eſt voluptas, & letari? Simulque explicatur quid ſit genus, quid propriũ, quid accidens, quidue definitio.

Ad hæc exponitur quid ſit, ſeu quot modis dicatur idem; nempe & genere idem, & ſpecie, & numero: Quod deinde vel nomine idem eſſe poteſt, vel definitione, vel proprietate, vel accidenti: Et iure præpoſita fuit hæc explicatio non aſſignata antea in logica, quoniam huius termini *idem* frequens ſit vſus apud dialecticum; de quo in lib. 5. Metaph. in proprio tractatu cumulate actum eſt. [li.5.Met.] Quòd autem problemata omnia ad prædictas quæſtiones reducantur, tum via inductiua, tum ſyllogiſmo oſtendit Ariſtoteles: Et cum problemata omnia neceſſario in aliquod ex decem generibus Prædicamentorũ cadant, idcirco ſimul etiam compẽdio hæc ſuprema genera explicantur.

Adnotationes in 2. Sect. lib. 1. Top.

P*Rimo autem.* Expleto proęmio, accedit Ariſt. ad ſuſceptum negocium. Vnde in primis breuiter exponit quæ ſint ea, ex quibus propoſita Methodus conſtituitur, & ſunt tria. Vnum vt habeatur ad quot, & ad qualia propoſita Methodus dirigatur. Secũdum, vt ſumantur ea, ex quibus fiunt ſermocinationes dialecticæ. Tertium, vt abundemus iis, ex quibus fiũt. Hinc exponitnr, tot & eadem in genere eſſe ea, circa quę verſantur ſermones dialectici, & pariter, ea ex quibus fiant. Quæ oĩa reuocantur ad quæſtiones, aut de genere, aut de ꝓprio, aut de accidente, aut de definitione. Quod palam facit Ariſt. ex inductione, & ſyllogiſmo, quo omnes propoſitiones, & prædicationes oſtẽduntur neceſſario contineri, ſub aliqua dictarum quęſtionum. Et rurſus hæc eadem oſtendit reduci ad decem ſuprema genera prædicamẽtorum. Vnde innoteſcit duplex Methodi propoſitæ pars, tum ea, quæ concernit materiam, circa quam verſatur facultas dialectica, tum ea, per quam munus ſuũ eadem præſtat, & exequitur; dum ſtatuitur, ꝙ de dictis problematibus accipiendæ ſunt propoſitiones in genere; & explicatur quales ſint propoſitiones dialecticæ; & qualia problemata dialectica ſint deſumenda pro præſenti Methodo. Verum, cũ dicat Ariſt. [Dubit.] æqualia eſſe ea, ex quibus ſermones (Græce λόγος) & ea, de quibus ſunt ſyllogiſmi, & ſtatuat ſermones fieri ex propoſitionibus, ſyllogiſmos aũt dicat eſſe de ꝓblematibus; hinc quendam iniecit ſcrupulum, & difficultatem, quaſi annuens, ꝙ propoſitiones re ipſa a problematibus diſtinguantur; quum tñ in hoc opere ſępius repetat, eadem eſſe ea, ex quibus ſunt ſermones dialectici, & ea, de quibus ſunt. Dicendum ad hanc difficul- [Solut.] tatem, ꝙ ex quibus fiunt rõcinationes, hæc dicuntur propoſitiones dialecticæ; non aũt problemata; Sed hęc eſſe ea, circa q̃ fiunt. Vnde ad hanc innuendam diſtinctionem dictum eſt, ꝙ propoſitiones ſunt illę, ex q̃bus fiunt ſermones dialectici: Problemata aũt ea, de quibus fiunt ſyllogiſmi: vt ſermones dialectici & ſyllogiſmi ſtent pro eodem; ꝓpoſitiones autem accipiantur, vt ea ex quibus fiunt; problemata vero circa q̃ fiunt.

Adijciantur autem accidenti. Ait, ad problemata de accidenti apponenda eſſe ea, quæ ſecundum comparationem dicũtur. Veluti, dum quæritur de re aliqua, num ſit altera melior & eligibilior: huiuſmodi n. perſcrutationes ſolis accidentibus conueniunt, in quibus locum habet magis & minus: nõ ãt generi, aut definitioni, quæ, quibus inſunt, ſimpliciter, non autem ſecundum magis, & minus inſunt; neq; etiam proprio, quod æque ineſt omnibus, quibus competit.

Non lateat autem nos. Quoniam ad problema de definitione addidit & hæc, num ſit idem ſenſus, & ſcientia; & potuit ad problema definitionis trahi quæſtiones de genere, de proprio, & de accidenti. (Siquidem ſi

non

nõ ſit propria definitio, non erit definitio; neq; ſi non adſit genus ſumptum de definito, neq; ſi non inſint definito, quę accipiuntur in definitione, & eſt prædicatio ſimpliciter inhęrendi, quę proprie competit accidenti :) ideo quæſtiones huiuſmodi reijcit Ariſt. a problemate definitiuo: tum, qñ nõ eſſet facile hoc perficere; tum etiam, qñ & ſi modus id perficiendi inueniretur, attamẽ obſcurus, & admodum difficilis euaderet. Quare ſeorſum a definitione, de ꝓblemate generis & accidentis erit pertractandum.

Primo autem omnium distinguendum quot modis idem dicatur. Iure in hoc libro, in quo diximus multa pręponi vtilia ad ſuſceptũ negocium de facultate dialectica, premiſit Ariſt. quot modis idem dicatur: quandoquidem problemata multa de eodem, & de diuerſo contingunt: vnde & penes hęc Methodus erat tradenda.

Alia fides ex ſyllogiſmo. Quòd propoſitiones & problemata, circa quæ, & ex quibus fiunt ſermocinationes dialecticæ, reducantur ad quęſtiones de accidẽti, de genere, & de proprio, & de definitione, præter fidem, quæ ex inductione ſumi poteſt, & hoc idẽ probari licet huiuſcemodi ſyllogiſmo. Nam oportet, vt omne quod prędicatur de alio, de eo dicatur, aut ad conuertentiã, aut non ad conuertentiam; contradictionis n. oportet ſemper alteram partẽ eſſe veram. Atqui ſi prędicetur ad conuertentiã, aut erit definitio, aut proprium; definitio quidem ſi ſignificet, quod quid erat eſſe; proprium aut, ſi non ſignificet quod quid erat eſſe; ita n. vtrumq; explicatum eſt. Si autem quod ꝓdicatur, non ad conuertentiam dr̃, id vel erit prędicatum, continens aliquid de ijs, quę pertinent ad definitionem; aut non erit ꝑtinens ad definitionem. Quòd ſi ad definitionem pertineat, aut erit genus, aut dr̃ia, cum ex ijs definitio conſtituatur; aut ſi nõ pertineat ad definitionem erit accidẽs, qđ conſtitutum eſt eſſe eiuſmodi, vt nõ ſit definitio, non genus, non proprium, ineſt autẽ, vt quid aliud ipſis rebus. Quare ſi oĩa prædicata vel ad genus, vel ad ꝓprium, vel ad accidens, vel ad definitionem reuocantur, cõcludendum eſt ex hac ſyllogiſtica rõcinatione, oĩa ꝓblemata, circa quæ verſatur facultas dialectica, nec non & propoſitiones, ex quibus ratiocinatur dialecticus, ad prędicta, nempe ad genus, proprium, accidẽs, & definitionem pertinere.

Poſt hac igitur oportet determinare. Cum mẽtio de prędicatis extitiſſet, conſequenter Ariſt. aperit ſuprema genera prędicamentorum; in quibus ſupponit cadere, & cõprehendi oĩa prædicta problemata: ſtatuitque decem numero eſſe hęc ipſa genera, quę & enumerat, conſtituens ipſum *quid* & ad ſubſtantiam aptari (vt diſtinguitur ab alijs prędicamentis) & etiam ad alia prædicamẽta; Veluti, ſi poſito albo colore, explicetur ꝙ album eſt color: ita n. ipſum quid circa quale aſſignabitur: ſicuti circa quantum, ſi poſita magnitudine cubitali, dicatur ꝙ cubitale eſt magnitudo. Verum ipſum quid maxime, & primo accommodari ſubſtantiæ, alijs aũt prędicamentis non ita proprię, cumulate docet Ariſt. in Met. ꝓſertim in lib. 7. & 8. li. 7. Met.

Ex dictis hoc loco colligitur, notitiã prædicamentorum ad Organum pertinere, cũ paucis hic ſint expoſita, tanquam ante cumulate explicata in lib. proprio Prędicamẽtorũ; qui & huic parti Logicæ, ſicuti & alijs deſeruiat. Quòd eſt adnotandũ contra opinionem Mirãdulani, de qua actum eſt a nobis cumulate in calce lib. Prędicamentorũ. adu. Ant. Mirand.

Quæ tractantur in 3. ſectione lib. 1. Top.

IN tertia deinde parte huius primi lib. in primis exponitur, quo modo ſint ſumendæ propoſitiones quę ſint veræ, & proprie dialecticæ; hac propoſita regula, ꝙ propoſitio dialectica debet eſſe probabilis interrogatio, apparẽs omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus ipſis, vel omnibus vel plurimis, vel maxime famoſis, & non paradoxa; ſiquidem & quæ ſapiẽtibus videtur, ponet dialecticus, niſi horum placita aduerſentur communi hominum opinioni.

Erit etiã propoſitio dialectica ea, quæ ſit ſimilis opinabili, nec non & id, quod eſt oppoſitũ opinabili ſecundum contradictionẽ: vt in hoc exemplo, ſi bonum eſt bene facere amicis, bonum etiam erit non benefacere inimicis.

Adhuc propoſitiones receptæ, in artibus iam inuẽtis, erunt dialecticæ.

Poſtmodum exponitur problema dialecticũ, quod eſt eiuſmodi, vt pertineat vel ad electionem, & fugam rerum appetendarum, aut fugiendarum; vel ad veritatem, & cognitionem; vel ad horum alterum conferat, vt ſunt problemata Logica.

Animaduertendum etiam, qđ non omne problema eſt dialecticum. Veluti non illud, quod omnibus apparet aut quod nulli videatur: vnde huiuſmodi nõ ſunt pro-

proponendę quęſtiones in diſputatione; huiuſmodi enim non cadunt in exercitatione dialectica: Sed ea ponēda ſunt in quęſtione, de quibus quærat aliquis, rationē horum deſiderans, non pæna dignus, nec ſenſu carens: ſiquidem ſupplicio coercēdi ſunt, qui quęrant ſint ne Dij colendi: & ſenſu carere cenſendi ſunt, qui quærerent, num alba ſit nix.

Poſitio autem eſt alicuius viri famoſi paradoxa, opinatio, cui adhiberi mens poteſt; dummodo ſit alicuius celebris Philoſophi; non autem ſi ſit indiſcriminatim cuiuſcunq;. Item illud, de quo, licet ſit contrarium opinionibus, habetur tamen ſyllogiſmus.

Species deinde ratiocinationū dialecticarum hæ duę afferuntur. Altera eſt ſyllogiſmus, ratio valētior, & ad contradicendum efficacior. Altera eſt inductio, per quam a ſingularibus ad vniuerſalia fit acceſſio, veriſimilior, & planior exiſtens, & ſecundum ſenſum notior, & pluribus communior quàm ſyllogiſmus.

Adnotationes in 3. Sect. lib. 1. Top.

Q*Vomodo autem ſumendum, & per quæ copioſi erimus.* Duo quæ extant conſideranda, hic proponuntur. Vnū, quomodo ſint ſumenda ea, de quibus ſunt ſermones, & ex quibus fiunt. Alterū (quod in poſtrema parte libri tractatur) huc ſpectat, quomodo abūdabimus propoſitionibus ad ratiocinandū. Et primo quidem conuenit explicare, quō non oīs propoſitio eſt dialectica, neq; omne problema, dialecticum cenſendum eſt: idcirco ſtatuendum, cuiuſmodi eſſe, & accipi debeāt & propoſitiones, & problemata.

Eſt autem propoſitio dialectica interrogatio probabilis. Vt dictum eſt in pręcedentibus, propoſitio alteram tm̄ partem contradictionis continet; & iure merito, cum propoſitio ad ſyllogizandum accipiatur, & id ſub determinata parte contradictionis, quę & ab ipſo condiſputante eſt ſupponenda. Problema autem verſatur circa vtramq; partem contradictionis, quod & non ita notum eſt, vt propoſitio aſſumenda in ſyllogiſmo; ſed habet problema dubitationē, vti illud, de quo ſit controuerſia, & diſputatio, vt in vnam, & in alteram partem oppoſitam poſſit accipi. Neq; vero propterea fit, quin (vt antea cōſtitutum eſt) ſint & eadem, & æqualia ꝓblemata, de quibus eſt diſputandum, & propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmi conſtituantꝰ, cum vtraq; ad pręd icta capita generis, ꝓprij, accidentis, & definitionis reducantur.

Ponet enim aliquis quod videtur ſapientibus. Ait accipi in propoſitione illud, quod videtur ſapientibus, niſi fuerit placitum cōtrarium multorū opinioni: alioquin ex aduerſo diſputans non admitteret propoſitiōes.

Vtrum autem ſecundum veritatem ſe habeat. Quod velit Ariſt. in ijs verbis, iſtud eſt: ꝓponit, num vere opponantur inuicē hęc, amicis bene facere, & amicis non benefacere; an potius hęc, amicis benefacere, & amicis malefacere; quod infra in lib. 2. explicabitur in tractatu de contrarijs. li. 2. Top. c. 3.

Problema autem dialecticum In ijs aperitur, ꝙ omne problema, aut eſt de rebus, quę ſint aut fugiendæ, aut eliciendę; aut de ijs quæ ad veritatem habendam pertinent; aut de ijs, quę ſint adminicula ad pręd icta; aut de illis, quę neutro modo ſe habent, qm̄ nō magis ex vna parte q̄ ex alia habeamus, qd ſit de ipſis ſentiēdum; aut deniq; de ijs, penes quę inter vulgus, & viros ſapiētes varia extat opinio. Illa autem quę per ſe non quęruntur, ſed ꝓpter alia, proprie ad quæſtiones Logicas pertinent. Et hinc Alex. infert Logicam eſſe inſtrumentum, quę propter aliud exiſtat, & conſideretur. Alexan.

Non omne problema eſt poſitio. Ait ꝙ oīs poſitio eſt problema, non autem e contra, omne problema eſt poſitio. Nā id, de quo neutro modo opinamur, erit problema; poſitio autem omnis alicui videtur, licet ſit paradoxa: Vnde & non omnia problemata ſunt habenda in conſideratione.

Eſt autem inductio. Species dialecticarum rōcinationum duę ſunt: nempe ſyllogiſmus & inductio: quę aptior eſt ad perſuadēdū, & facilior, & ſecundū ſenſum notior: at ſyllogiſmus eſt valentior, & ad contradicendum efficacior: Hanc eandem ſententiam protulit Ariſt. in lib. 2. Prior. Analy. tractās de inductione.

Quæ tractantur in 4. & poſtrema Sect. lib. 1. Top.

IN quarta autē & poſtrema ſectione huius primi lib. Top. enumerātur, & ſimul explicantur inſtrumenta, quibus propoſitiones poteſt ſibi dialecticus comparare ad ratiocinandum, & ſunt quattuor. Vnum in aſſumendis propoſitionibus verſatur. Alterum pertinet ad rationem diſtinguē-

di

di ea, quæ multis modis dicũtur. Tertium ad inuentionem differẽtiarum. Quartum ad similium cõsiderationem, ita tamen vt tria posteriora possint etiam reduci in numerum propositionum. Sicuti penes multipliciter dicta euadet propositio, si dicatur, quòd eligẽdum est aut honestum, aut delectabile, aut vtile: necnon penes differentias dicendo, quòd sensus differt à disciplina, & pariter penes similia proueniet propositio, vt si dicatur, quòd oculus est similis intellectui.

Quod autem attinet ad propositiones, illæ sunt deligendę, quæ sint opinabiles apud omnes, aut apud plurimos, aut apud sapientes, vel apud oẽs, vel apud plures: necnon & aliæ his similes ꝓpositiones, vel eisdem conuenientes secundum contradictionem, vt dictum est antea.

Assumendæ etiam propositiones quasi in oĩbus, vel in plurimis ita se habentes vt prædictæ, & hoc in initio disputationis, quĩ id confert ad probe disputandũ.

Propositiones autem deligere oportet ex scriptis sermonibus, seu dialogis hunc ordinem obseruando: seorsum facere descriptiones in quoque genere, vt de omni bono, exordiẽdo ab ipso quidquid est.

Notandæ item sunt omnium sententiæ; & alicuius prę̀clari viri pronuntiatum etiã afferendũ.

Conuenit aũt reducere propositiones, & problemata ad hæc tria: vel ad moralia, vel ad naturalia, vel ad Logica. Quæ horum autem, & qualia sint singula, definitione complecti non est facile: sed inductione circa hæc cõuenit assuescere ingenia nostra, vt ita ab vnius, vel plurium exemplo pernoscantur alia similia, quæ sunt desumenda.

Aduertendum etiam, vt propositiones maxime vniuersales desumantur, quoniam in ijs & particulares comprehenduntur

De ijs quæ pertinent ad instrumentum distinguendi multiplicia.

QVod vero attinet ad instrumentum distinguendi ea, quæ multipliciter dicuntur, hæc quidem non solum oportet aperire quot modis dicantur; verumetiã explicare qualia sint singula. Veluti quòd bonum iustitiæ cõcernit quandã qualitatẽ. Multipliciter autem dicta his omnibus modis sunt detegenda.

1 Si differant specie, aut etiam nomine. Veluti obtusum magnitudinis & nomine, & specie differt a graui in voce; quare acutũ magnitudinis, & vocis ęquiuoce dictum erit; quemadmodum & obtusum in magnitudine, & graue in voce pariter multa sunt.

2 Si autem nomine non dissonẽt sed solum specie, natura inspecta speciei, hinc apparebit multiplicitas. Nam cum vox & clara, & obscura dicatur, sicuti & color clarus, & obscurus: attamen, cum coloris albi & obscuri alia sit ratio a ratione vocis claræ & obscurę (quod & ex sensu patet, cum color a visu, vox autem ab auditu iudicetur) ideo clarum & obscurum erunt ex ijs, quæ multipliciter dicuntur.

3 Si vni inest contrarium & non alteri; quemadmodum amori sumpti secundum mentem, contrarium est odium; amori autem

secuu-

secũdum corporalem actum accepti, aut secundum appetitum, veluti est concumbere, & osculari, nihil est contrarium; ideo eliciendum, quòd amor æquiuoce dicitur.

4 Si quorundam est medium, & non aliorum; sicuti, inter clarum & obscurum colorem mediat fuscum; non autem inter vocem obscuram, & claram (nisi forte ponatur raucum:) ideo hæc erunt æquiuoca.

5 Si plura sint aliquorũ media, & non aliorum; veluti sunt plura media inter clarum, & obscurum coloris: non autem inter clarum, & obscurũ vocis multa sunt media, sed solum raucum; ideo clarũ & obscurum in ijs erũt multipliciter dicta.

6 Inspiciendum etiam in oppositum per contradictionem. Nam si ex vna parte aliquid multis dicitur modis, etiam ex alia multipliciter dictum erit. Vt quia non videre dicitur multis modis, ideo & eius oppositum videre multis dicetur modis.

7 Similiter secundum priuationem, & habitum, Nã si quid secundum habitum dicatur multipliciter, etiam secundum priuationem dicitur multipliciter: vt, sicut sentire dicitur & secundum corpus, & secundum animum, ita etiam insensibile multis his dicetur modis.

8 Secundum casus etiam est inspiciendum. Nam si aduerbialiter, vt puta iuste, multis modis dicitur: iustum etiam multipliciter dicetur.

9 Inspiciendum etiam, num genera prædicamẽtorum iuxta nomen sint eadem in omnibus, de quibus dicuntur, an diuersa. Veluti bonum, quoniam in cibo accipitur, vt est voluptatis effectiuũ; in medicina, vt effectiuum sanitatis; & in anima qualitas quędam est; in tempore respicit occasionẽ; ideo bonum multipliciter dicitur.

10 Si genera eorum, quæ in eodẽ nomine conueniunt, sint diuersa, & non subalterna, vt onus animal & onus vas, sic onus multipliciter dictum erit. In subalternis autẽ generibus non necesse est diuersas esse rationes: siquidẽ corui est assignare genus & animal, & auis.

11 Inspiciendum etiam in opposito genere, si posita sub ipso multis modis dicantur. Nam si hæc multipliciter, etiam alia in opposito genere collocata multipliciter dicentur, vt quia bonum in multis est generibus, & ideo multipliciter dicitur; ita quoque de malo erit statuendum.

12 In definitione etiam compositi, est habenda consideratio; vt puta corporis albi, & coloris albi; nam separato eo, ꝙ est proprium in vno & in alio, si commune illis non est idem, hinc perspicuum quòd multipliciter dictum est; vt in exemplis assignatis; si album vtrinq; idem est, non erit multipliciter dictum; at si non idẽ est, vt contingit de colore albo, & de alba voce, sic album erit multipliciter dictum, sed & in definitione potest inesse æquiuocatio, nisi recte inspiciatur: Veluti mediocriter se habere ad sanitatem: Nam aliud est vt effectiuum sanitatis; aliud vt significatiuum huiusmodi commensurationis in sanitate; & aliud est vt signum sanitatis.

12 Si non & similiter dicuntur, & secũdum magis, & minus, hinc ẽt sunt supponenda ęquiuoca; velu-

ti non similiter est alba vestis, & alba vox, quæ etiam non dicitur magis, & minus alba sicuti vestis; idcirco album commune vesti, & voci erit æquiuoce dictum.

14 Cum diuersorum generum, nō subalternatim positorum diuersæ sint specie differētiæ; ideo, si quæ in eodem nomine conueniunt, sūt generum non subalternatim positorum differentię, signum, quòd erunt multipliciter dictæ: sicuti & genera diuersa nō subalternatim posita, inter se sunt diuersa. Vnde acutū differentia vocis erit multipliciter dictum ad acutum, vt est differentia magnitudinis.

15 Adhuc si eorum, quæ in eodē nomine conueniunt, sunt diuersæ differentię, signum quòd nomen erit multipliciter dictum; velut croma in coloribus, & in melodijs; quippe differentia alia est cromatis in coloribus, & alia cromatis in melodijs.

16 Quoniam autem species nullius rei est differentia, idcirco, si eorum, quę in eodē nomine cōueniūt, vnum est species, & aliud differentia, huiusmodi nomē multipliciter erit dictum, vt album, quod quidem est species coloris, differentia vero vocis.

De ijs quæ pertinent ad inuentionem differentiarum.

TErtium autem instrumentū adhibendum pro facultate dialectica consequenda, & exercenda, pertinet ad differentiarum inuentionem. Quod quidem ita est expediendum; vt accipiantur differentiæ eorum, quæ in eisdem generibus ad inuicem existūt: vt puta in quo differant iustitia a fortitudine, & prudentia a temperātia, quæ in eodem genere virtutis continentur. Item illæ sunt accipiendæ differentiæ, quę sunt etiā rerum existētium in diuersis generibus, non multum tamen inter se distantibus: veluti in quo differat sensus, & scientia: nam in multum distantibus omnino horum sunt manifestæ differentiæ.

De ijs quæ pertinent ad instrumentum circa rerum similitudines exercendum.

QVartum deniq. ac postremum instrumentum, circa rerum similitudines existētes ita est perficiendū; vt in diuersis generibus accipiatur quod ipsis cōuenit sub hac forma: quòd sicut hoc ad hoc, ita istud ad illud; vt sicut se habet scientia ad scibile, ita sensus ad sensibile. Aut hunc in modum, vt vnū in vno, ita aliud in alio: vt sicut visus in oculo, ita intellectus in anima: & vt tranquillitas in mari, ita serenitas in aere; vtrumq. .n. quies est. Maxime autem conuenit in valde distantibus hanc adhibere exercitationem. Nam in alijs facile est similitudinem inuenire. Inspiciēdum quinetiam ad ea, quæ sunt in eodem genere, num aliquid ipsis insit; veluti si q̄d inest equo, homini, & cani; si quidem inquātum inest ipsis aliquid, in hoc similes inuicem erunt.

De Vtilitate ex instrumentis præmissis percipienda.

VTilis autem est speculatio circa dicta multipliciter. Primò ad manifestationē, vt dilucidius intelligatur qd̄ ꝓponitur. Item vt syllogismi ad rem, & non ad nomen inferantur: vt hinc, & in-

interrogans & reſpondens intelligat, de qua re ſit inter ipſos diſputatio. Poſtremo ad hoc, ne vrgeamur a paralogiſmis, alios autē vrgeamus, ſi id præſtet efficere ob adhibitas ab aduerſario cauillationes. Alioquin nō decet dialecticum ratiocinationes ſuas inſtituere penes nomina, quod eſt ꝓprium Sophiſtarum.

Differentiarum autem inuētio vtilis eſt tum ad ſyllogiſmos de eodem, & de diuerſo conſtruendos (quoniam aliquas differētias pernoſcentes, ita ſciemus, ꝙ non ſunt idem:) tum ad pernoſcendū de vnoquoq; quid ſit: ſiquidem ex differentijs, cuiuſq; rei propriam ſubſtantiam conſtituere, & ab alijs ſegregare cōſueuimus.

Similium vero inſpectio vtilis tum ad ſyllogiſmos inductiuos ex ſingularibus vniuerſale colligendo, quod non fit abſque ſimilitudinis animaduerſione; tum ad ſyllogiſmos ex ſuppoſitione (ſiquidem opinabile eſt, quòd vt in vno ſimilium ſe res habet, ita ſe habeat & in alio ſimili vnde copia exurget ſyllogiſmorum.) tum denique ad aſſignationem definitionum: qm̄ valentes in ſingulo conſpicere quid ſit idem, hinc poterimus definiendo ſtatuere in quo genere quodque ſit collocandum: nam cōium quod in eo quod quid prædicatur, genus vtrique erit; ſimiliter maxime diſtantium conſideratio valde vtilis erit ad definitiones cōſtruendas. quoniam vt ſerenitas in aere, ita tranquillitas in mari, vt vtrūq. quies ſit; & vt vnitas in numero, ita punctum in linea, vt vtrūque ſit principium: vnde definitur vnitas, quòd ſit principium numeri, & punctum principium lineæ,

Hæc itaque ſunt inſtrumenta, ꝑ quę ſyllogiſmi ſunt conficiendi, cum ex ijs inueniantur ea, ex quibus conſtituantur. Loca autem de quibus erit ſermo in ſequentibus ſūnt ea, ad quę vtilia ſunt prædicta inſtrumenta, vt horum ope conſtruantur: iuxta quę poſtea fiunt ſyllogiſmi, & ita per inſtrumēta, vti media ad inuentionem locorum exiſtentia.

Adnotat. in 4. et vltimam Sect. lib. 1. Top.

I*Nſtrumenta autem, per quæ abundabimus.* Nūcupantur inſtrumenta, viæ illæ, quibus copia propoſitionum comparatur ad rōcinandum probabiliter; deſeruiunt.n. facultati dialecticæ, vnde apte inſtrumenta dicenda ſunt Et ſunt quattuor; Aſſumptio propoſitionum; Diſtinctio multipliciter dictorū; Inuentio differētiarum; & ſimilium intuitio; cum tñ poſſint etiā tria poſtrema in locum abire propoſitionū, vt dictū eſt antea.

Propoſitiones quidem igitur deligendæ. Delectus propoſitionum, in primis eſt habēdus iuxta modos ſuperius aſſignatos; dum exponeretur, quænam ſint veræ propoſitiones dialecticæ. Vnde alio modo ibi, & alio modo hic de delectu propoſitionum agitur: ibi vt haberetur, quales debeant aſſumi propoſitiones, quæ ſint dialecticæ. Hic vero ipſe delectus, vt debeat fieri edocetur ad ſyllogiſmorum copiam acquirendam: vnde multo plura hic quàm ibi tradita ſunt de propoſitionum delectu.

Eligere autem oportet ex ſcriptis ſermonibus. Græce τῶ λόγων γεγραμμένων. quam dictionem nonnulli *diſceptationes*, ſunt interpretati; at conuenientius, *ſcripti ſermones*, videntur intelligi debere, ipſi Dialogi, vti illi Platonis. Vel, & melius, conſcripti libri de rebus ipſis; ex quibus circa quodque genus propoſitiones ſunt deligendæ; quod etiam adnotatum eſt in lib. 1. Prior, Analyt. in ea Sectione, in qua traditur Methodus venandi ſyllogiſticas propoſitiones.

Sunt autem figuraliter. Reducuntur omnes propoſitiones, & problemata dialectica, ad hæc tria capita: vt alia ſint moralia, veluti num magis oporteat obedire parentibus, q̄ legibus: alia naturalia, vt num mundus ſit ęternus; & alia Logica, veluti, num cōtrariorum ſit eadem diſciplina. Quæ quidem diſtincta genera problematū ſeu propoſitionum nō eſt facile complecti ſub definitione, vt quid ſint, & qualia ſint, explicentur. Sed inductione in quoq; genere nonnulla animaduertendo, in eam notitiam deuenięmus, vt poſſimus facile intelligere, quæ ſint problemata moralia, quæ naturalia, & quæ Logica. Reticentur Mathematica, vt quæ

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 2

non cadant ſub dialectica facultate, niſi in-
quantum ad naturalia vergunt ; veluti ad
perſpectiuam, aut ad muſicā. Similiter me-
dicinalia, & aliarum artium problemata ad
naturalia reducentur. Metaphyſicalia autē
problemata, ſi dantur vt conſideranda dia-
lectico, ad Logica problemata, ſeu ad natu-
ralia reuocabuntur. Et cum ſubiūgat Ariſt.
ꝙ de eiuſmodi tractare ſecundum ſcopum
veritatis ad Philoſophiam attinet, ad Dia-
lecticum vero ſecundum opinionem ; hinc
colligitur ꝙ quæ in Logica traduntur, qua-
tenus ſunt ad quaſdam regulas reducta, a
Philoſopho ſunt conſtituta ; circa quæ po-
teſt etiam Dialecticus probabiliter diſpu-
tare.

Quoniam autem diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ. Hæc ſententia certam quandam re-
gulam concernens, eſt etiā explicata ante
prædicamenta. Vbi adnotauimus hanc vo-
cem *ſpecie* Græce τῷ εἴδει adiungendam
eſſe differentiis, vt ita ſignificetur, debere
eſſe ſpecificas, & nō accidētales differētias.

[1] i. 8. Top. li. 2. Elēch

Eſt autem non proprie hic modus dialectica. Remouet tanquam quid indecens facultati
dialecticæ, diſceptationem circa nomen, vt
quæ propria ſit ſophiſtarum[1]: Conuenit aūt
(vt cumulatius docetur in lib. 8. Top. & lib.
2. Elench.) dialectico id agere, qn̄ reſpon-
dens, cauillando, & tergiuerſando negaret
ea, quæ per ſe nota ſunt.

Inſtrumenta igitur. Concludit Ariſt. ꝙ in-
ſtrumenta, per quę ſyllogiſmorum copia cō
paratur, ſunt prædicta: loca autem, ad quæ
vtilia ſunt præfata inſtrumenta, erunt, ea, q̄
ſubinducentur in libris ſequētibus; vbi erit
conſiderandum, quomodo eueniat, vt inſtru
menta hic aſſignata, ſint vtilia ad loca, quæ
tradenda erunt. Annotandum autē in hoc
libro Methodum locupletiorem ad venan-
das ſyllogiſticas propoſitiones eſſe tradita
iuxta quattuor aſſignata inſtrumenta, q̄ ſit
ea, quæ in Prior. Analyt. eſt expoſita; preter
tim adiunctis locis ad cuncta problemata
deſeruientibus: quam locupletiorem Me-
thodum in his libris Topicis ſe traditurum
inſinuauit Ariſt. in Sect. 2. Prior. Analyt.

Sect. 2. Prior. Analyt.

Finis lib. 1. Top.

Argumentum in librum 2. Topicorum.

TRactatio eorum, quæ con
tinentur in lib. 2. Top. in
duas ſecari poteſt par-
tes. Harum prima pertinet ad
quādam eruditionem peraccom-
modam ſpeculationi habēdę cir
ca problema accidentis in gene-
re conſiderati iuxta facultatem
dialecticam. Altera vero cōtinet
explicationem locorum, e quib⁹
ſunt ducenda argumenta ad con
ſtruenda, vel deſtruenda probl e-
mata accidentium.

Ac prior quidem pars tria con
tinet documenta; quorum primū
eſt huiuſmodi. Cum problemata
poſſint eſſe tam affirmatiua, quā
negatiua, & tam vniuerſalia, quā
particularia; idcirco ſciēdum eſt,
ꝙ conſtruens vniuerſalia proble
mata, ſimul etiam conſtruet par-
ticularia. Nam qui conſtruxerit,
ꝙ omnis voluptas eſt bonum, ſi-
mul conſtructum habebit, quòd
& aliqua voluptas eſt bonum. Nō
autem econtra, a conſtructione
particularis conſtructum intelli-
gitur problema vniuerſale : hinc
iure loca ſunt afferenda, quæ pe-
tant problemata vniuerſalia. Et
quoniam poſitiones magis affir-
matiuæ, q̄ negatiuæ, inducuntur
ab his, qui proprias habere opi-
niones profitentur; idcirco admo
dum conuenienter prius habēda
eſt ratio locorum, quibus poſitio
nes deſtruuntur; cum dialectici
pręcipuum munus ſit, alienas im
pugnare poſitiones; quæ cum fe-
re ſemper, aut ſaltem in plurimis
ſint affirmatiuæ, ideo impugna-
tiones in plurimis erūt negatiuę.

Secundum vero documentum
& maximopere aduertendum eſt
eiuſmodi, nempe difficillimū eſſe
ab accidenti propriam conuerte-
re noiationem. i. dicere, quod ſi
aliquod accidens ineſt alicui, nō
illico ſequitur, vt illud, cui ineſt
accidens, ſit etiam noīe accidētis
nuncupandum : veluti, ſi cuidam
homini ineſt albedo, non ſtatim
inferēdum, quòd homo ſit appel
landus albus. Nam ſi non vniuer-
ſaliter homini inſit albedo (quē-
admodum niui inſit vniuerſaliter
vt cunctum eius ſubiectum com-

pleat)

pleat) sed insit secundum quid, & aliqua ex parte, sicut inest Æthiopi albedo penes dentes tantum, non aũt simpliciter toti eius corpori; vtique de huiusmodi non verificabitur, vt nomen accidentis inexistẽtis sit de subiecto asserendum, cui insit. Et id quidem cõtingit de solo accidenti, vtpote eo, quod sicuti extrinsecum est a rebus, quibus potest inesse, & non inesse absq; rei corruptione: ita quoque eisdem, aut secundũ q d, aut simpliciter inesse potest. Non autem id cõtingit de genere, aut de definitione, aut de proprio, Nam iuxta hæc fieri nequit, quin si hæc insint alicui, ei vniuersaliter, & simpliciter insint. Vnde ẽt semper noĩatio generis, & definitionis, & proprij verificabitur de ijs, quorum sit genus, aut definitio, aut proprium. Et hec quidem rationabiliter eueniunt, cum genus, & definitio ad rei constitutionem & essentiam pertineant, quæ simpliciter semper inest. Vnde nunquam secundum quid, sed simpliciter semper inerit & genus & definitio ijs, quorum sit genus, & definitio proprium etiam, quoniã rem, cuius est proprium, inseparabiliter sequitur semper rei, cuius est proprium, inerit simpliciter, & non secundum quid.

Ex dictis constituitur hæc regula non satis fore ad nominãdum aliquid secundum inhærentiam accidẽtis, si quoquo modo insit, sed opus esse, vt vniuersaliter insit subiecto. Et cõfert regula præcipue ad hoc, vt hinc cauti simus, ne in disputatione problematum de accidenti, incassum laboremus circa illa accidentia, quæ non sint completiua subiecti.

Tertium & postremum documentum, quod traditur in hac prima parte lib. 2. Top. huc pertinet vt nõ ignoremus duo genera peccati circa problemata contingere. Alterum circa rem; vt si ponatur aliquid inesse, quod non inest. Alterum vero circa nomina, vt cum res alienis nominibus, & nõ proprijs appellantur. Vnde duobus etiam modis redargui possũt positiones, tum penes rem ipsam, tum penes nomina

Reliqua vero tota pars huius libri expenditur circa loca, quibus destrui, aut construi possit, pblema de accidenti. De quo iure merito ante omnia problemata tractatur iuxta ordinem propositum, cum semper exordium sumẽdũ sit a magis vniuersalibus, quale est accidẽns relatum ad genus, ad proprium, & ad definitionem: siquidem de accidenti id solum quæritur; num insit, aut non insit: de alijs autem hoc adijcitur, num quod inest, insit vel vt genus, vel vt proprium, vel vt definitio.

Adnotat. in primam Partem lib. 2. Top.

Li. 1. Prio. Analit.

E*St autem difficillimum conuertere.* In lib. 1. Prior. Analyt. Sect. 1 actum est de duplici propositionum conuersione; quarũ altera in terminis dicebatur, dum fieret conuersio propositionis, commutando subiectũ ad locum prædicati; veluti hęc oratio, nullũ bonum est malum:, conuertitur in hanc, nullum malum est bonũ. Altera vero efficitur secũdum figuram affirmationis, & negationis, quæ de solis contingentibus verificatur: veluti hæc oratio, contingit hominem ambulare, conuerti potest in hac, contingit hominem nõ ambulare; vt vtraq; possit esse vera ob naturam contingentis, quod potest esse & non esse. Hoc vero loco id habetur ab Arist. ꝙ non licet conuertere absolute ab accidenti sermonem hunc in modum; Socrati inest albedo, ergo Socrates est albus. Quemadmodum semper necesse est a genere, a definitione, & a proprio conuertere nominationem in ijs, quorum sint genera, aut definitiones, aut propria. Veluti si inest homini animal, dicet ꝙ homo est animal: si inest homini animal rõnale mortale,

dicetur ꝙ homo est animal rõnale mortale; & si inest homini risibilitas, dicetur homo risibilis. Et quare huiusmodi conuersio simpliciter non eueniat de accidenti, hæc ab Arist. assignatur causa; qm̃.s. accidentia possunt inesse rebus secundum quid, & non simpliciter semper. Vnde, cum insint secũdum quid, vt non completiua sint subiecti; sic neq; subiecta ab ipsis denominari vere possunt: ita.n. vsus loquendi attulit, vt res non denominentur ab accidentibus, nisi ipsis simpliciter, & cõpletiue insint. Huiusmodiq; accidentia non simpliciter, sed secundum quid, & secundum partem inhęrentia rebus, plurima esse, & pauca ea, quæ simpliciter insint & completiue, vnicuiq; potest esse perspicuum. Vnde ex his, quæ hoc loco tradita sunt de accidenti (quod potest & simpliciter inesse, & non simpliciter inesse, sed ex parte, & huiusmodi accidẽtia in maximo numero habentur, sicuti sunt pauca, q̃ simpliciter insint) colligi potest, optime a nobis fuisse explicatum locum illum in prędicamento substantiæ; vbi dr̃ ꝙ quæ insunt subiecto, & sunt accidentia, numquam secũdum definitionem, prædicãtur de subiecto; secundum nomen autem in plurimis neque prædicari, sed aliqñ contingere vt prædicẽtur: quod patet ex dictis hoc loco, penes nominationem ab accidenti inferendam de ijs, quibus insit accidens; vt ita locus præsens locum illum prę)dicamentorum enodet, & exponat; quemadmodum & in ipso ꝑdicamẽto substãtiæ, latius explicauimus.

Secundum quid albus, vel iustus est. Albedo secundũ quid potest alicui inesse, vt Ethiopi circa dentes atq; ideo Aetiops non dicẽdus albus: apparet.n. ꝙ non est albus in toto corpore, sed solum in quadam parte. Iustitia etiam inesse potest alicui secundum quid: qm̃ ex hoc ꝙ quispiam aliquod opus iustum faciat, non propterea iustus est censendus; nam requiritur electio operandi iusta ob virtutem; adeo ꝙ oportet, vt in cuiusmodi opere vt plurimũ sit versatus, qui virtute iustitiæ præditus sit dicendus. Non probanda autem videtur in hoc loco expositio Alex. qui refert exemplum de iustitia ad hominem particularem; hincque statuit hoc loco intelligi, ꝙ problema non sit vniuersale, neque simpliciter, sed secundũ qd: qm̃ non sit de subiecto vniuersali, sed particulari. Verum alia est ratio considerandi ꝓblema si sit vniuersale, an particulare, qm̃ subiectũ aut vniuersale, aut particulare accipiatur: veluti aliquis homo, aut omnis homo, & alia: qm̃ vel simpliciter, vel secundũ quid accidens insit, quibus inest: vti propriè consideratur hoc loco ab Aristot. iuxta ea quæ dicta sunt.

Impug. Alex.

Summa locorum, quæ ad construendum vel destruendum problemata accidentium deseruire possunt, & sunt numero quadraginta quattuor.

1 PRimus locus ad problema accidentium est, videre, num, quod ponitur inesse alicui vt accidens, alio modo inesse deprehendatur: quod præcipue circa genus cõtingit. Et duplici modo potest proponi, vel expresse asserendo aliquid tale esse, talis rei accidens; vtputa niui albedinem accidens esse: aut ex formæ locutionis, qua accidens insinuetur, veluti dicendo, albedinem colorari: ita.n. insinuatur accidens, a quo res denominatiue dicuntur: at species non denominatiue dr̃ a genere, qđ vniuoce de speciebus prædicatur. Et locus pendet ex notitia ꝓpositionum, quomodo aliquid inesse alteri dicatur: qm̃ vel vt genus, vel vt proprium, vel vt definitio: & quomodo singula se habeant, ex propositionum delectu circa qđque petendum est. vt ita conferant instrumenta exposita in lib. pręcedenti ad loca desumenda, quæ in ijs alijs libris explicant.

2 Secundus continet inspectionem, num qđ proponitur inesse, nulli insit, aut omni, aut in plurimis. Nam si nulli insit; iam sublatum erit ꝓblema: si autem omni insit, vel in plurimis, sic construitur problema; quæ inspectio prius circa maxime vniuersalia habenda est; deineeps descendendũ ad magis particularia: veluti ab oppositis in genere, ad contraria: & pendet locus ab instrumento deligendi propositiones.

3 Tertius, si quæstionem propositam respõdens sibi faciat propositionem, hinc sumendum argumentum, instantiam ex aduerso afferendo, vt redarguatur ex hoc, ꝙ non in vniuerso genere ita se res habeat. Et idem est locus cum præcedenti, differens in hoc, ꝙ respondens quæstionem limitat, & propositionem, quæ ex instantia inuenta potest redargui.

4 Quartus, ex definitione accidẽtis, aut eius, cui inesse aliquid dicatur: nam si repugnat definitioni alterius, aut vtriusq;, sic tollitur, ꝙ insit accidens. Et definitio non solũ integra est inspicienda, verũ etiam iuxta partes cuiusuis positi in definitione; vt ita res magis elucescat; & locus ex sumptione propositionum pendet.

5 Quintus, statuere disputando, ꝙ nomina ad vsum vulgi sunt accipienda, non aũt ex iudicio vulgi; sed ex sapientum, vel artificum iudicio statuendum, q̃uo se res habeant, vt hinc via ad argumenta aperiatur, iuxta delectum propositionum; & valet ad destruendum, & construendum.

6 Sextus, si ꝙ inesse, aut non inesse multis dr̃ modis, & multiplicitas lateat, ad destruendum, sat erit de aliquo ostẽdere, ꝙ non insit. Vnde accipiendum problema indeterminate, & non limitatum ad omne, vel ad nullum. Ad construendum vero sat erit ostendere ꝙ alicui insit, supponendo (existente axioamate ꝓbabili) ꝙ si vni quidpiam insit, & iam oibus insit: & locus dependet ex delectu propositionum, & ex facultate cognoscendi, quæ sint multiplicia.

7 Septimus, cum non lateant dicta multipliciter, erunt hæc diuidenda, & singula ostendenda, aut inesse, aut non inesse.

8 Octauus, in ijs, quæ non æquiuoce, sed alijs modis multipliciter dicuntur, hæc siue lateãt, siue non lateãt, oportet diuidere quot

mo-

modis dicantur;& in destruendo ostendere. quibus non conuen[illegible]t: in cõstruendo vero ostẽdere quibus conueniat;Et pendet locus ex delectu propositionum,& ex scientia cognoscendi multiplicia.

9 Nonus, ad facultatem captandam argumẽtorum,optima erit cautela, vt problematis nomen ad notius mutetur, tam ad construẽdum,quàm ad destruendum inseruiens.

10 Decimus,a cõtrarijs a genere in speciem; ad destruendum, si non insunt generi contraria, nec speciei inerunt;ad construendũ autem non vtilis locus ; vt si insint generi, debeant inesse quoque speciei.

11 Vndecimus,a cõtrarijs a specie ad genus, vtilis ad construendum, si inest speciei,etiã generi : ad destruendum vero inutilis : quĩ, si non inest speciei, non valet quòd etiam non insit generi.

12 Duodecimus, stante suppositione, ꝙ si genus de aliquo prædicatur, vel habet aliqd, vel ab ipso quidpiam denominatiue dr̃ etiã de aliqua specie necesse est hæc verificari; ideo ad destruendum licet inferre, quòd si de nulla specie hęc verificantur;igitur neq; de genere vera erant. Ad construendum autem, si de aliqua specie verificantur, vera erunt etiam de genere.

13 Decimustertius,in hac positus cautela : si non suppetat copia argumentandi expositione, conuertere sermonem ad definitiones problematis,aut veras,aut apparentes, tum ex vna,tum ex pluribus definitionibus inuadendo.

14 Decimusquartus, ex quibus existentibus necesse est vt sit propositum. Nam ad construendum valet, ꝙ si est antecedens propositi,erit etiam propositum, & ex quibus nõ existentibus non erit propositũ, ad destruẽdum valet inferre,si non est consequens ad propositum, neque propositum erit: & est modus vulgatus ratiocinandi,ab antecedẽte ad consequens affirmatiue, & a consequente ad antecedens negatiue.

15 Decimusquintus, si tempore dissonent,quę proponuntur,vt non æque in omni tempore verificentur, quæ erunt a parte subiecti, & quæ a parte prædicati respectu problematis hinc argumentum aderit, quòd non sint vera, quæ proponuntur.

16 Decimussextus,Sophisticus locus huius est cautelæ,vt eò abducatur negocium disputationis,vnde copia argumentandi suppetat; quod interdum facere necessarium est, & interdum neque apparens est.

17 Decimusseptimus huius est cautelæ: vt,cũ qui vnum dicit plura dicat: sicuti qui dicit hominem,dicit & animal, & bipes, & alia: hinc desumenda copia arguendi,sermonem conuertendo ad consequentia, quæ tamen ad impugnãdũ non sint difficiliora ꝓposito

18 Decimusoctauus,quibus necesse est alterũ duorum inesse, si alterum ostendatur non inesse, alterum inesse ostẽsum erit: & si vnũ inesse ostendatur, sic alterum non inesse ostensum erit.

19 Decimusnonus huius est cautelæ,vt nomẽ transferatur pro argumentorum copia ad orationem.

20 Vigesimus, cum rerum aliæ sint ex necessitate, aliæ in plurimis,aliæ ad vtrumlibet, si fuerit positio necessaria, destruetur ostendendo ꝙ non semper, vel quod raro posita eueniãt : si autem in plurimis fuerit positio tolletur ostendẽdo,ꝙ posita necessario eueniant,dummodo sustinens positionem indeterminate eam proferat.

21 Vigesimusprimus, si positum sit idem sibi accidere, cum plura sint eiusdem nomina, hinc ad argumentandum occasio.

22 Vigesimussecundus.Cum contraria inuicẽ sex modis complicentur,& quattuor modis secundum contradictionẽ opponãtur, hinc ex hac varietate contrariorum,varius quoque modus succurret ratiocinandi, tam ad construendum,quàm ad destruendum assumendo contraria:prout vtile fuerit ad problema in disputatione positum.

23 Vigesimustertius,existente contrario accidentis, si subiecto, cui positum sit inesse accidens,insit contrariorum accidentis, sic erit ostensum, ꝙ nõ inerit positum accidẽs, cum duo contraria non possint esse simul.

24 Vigesimusquartus, problema destruetur ostendendo rei propositæ, sequi inesse contraria, cum contraria non possint eidem simul inesse.

25 Vigesimusquintus, supposito accidẽti,cui insit contrarium, si subiectum, in quo insit accidens, non sit etiam ipsum susceptiuum contrarij,neque accidentis erit susceptiuũ: si autem sit ostensum,ꝙ subiectum est susceptiuum contrarij, non statim patebit,quòd insit accidens;sed solum,ꝙ contingit inesse.

26 Vigesimussextus, ex oppositis secundum contradictionẽ e conuerso ducenda est consequentia. Etenim secundum affirmationẽ, cum ad hominem sequatur animal, licet, & conuenit inferre,si est homo, est & animal. At secundum negationem,si non est homo, non licet inferre,est non animal:sed è conuerso,si non est animal,neque est homo. In oppositis autem secundum contraria,in plurimis consequutio fit secundum contraria: vt,sicuti ad liberalitatẽ virtus consequitur, ita ad auaritiam vitium:& huic fugiendum, ita illi sequendum consequitur : vt ideo secundum consequutionem de vno contrario ad aliud sit arguendum,tam ad cõstruendũ, q̃ ad destruendum. Raro autem euenit vt conuerso modo fiat consequutio in contrarijs;prout in hoc exemplo: ad bonam enim valetudinem sequitur sanitas:non autem ad malam valetudinem ægritudo : sed cõuerso modo ægritudini mala habitudo consequitur. In oppositis autem secũdum priuationem,& habitum, eadẽ regula consequutionis inuenitur,quæ adducta est de cõtrarijs. Sed in his numquam è conuerso fit consequutio:sed semper ad habitum qd tale:&ad priuationẽ quid tale sequitur:vt visioni habitus; cæcitati autem priuatio semper sequitur. Ex oppositis vero secundum relationẽ in eisdem semper consequutio: vt si triplũ multiplex,& subtriplum submultiplex erit.

27 Vigemusseptimus,ad destruendum & cõstruendum a cognatis:vt sicut iustus, ita & iustitia. Et a casibus:vt sicut iuste, ita & iustitia

28 Vigesimus octauus a contrarijs coniugato

rum: vt ſi iuſtitia eſt ſcientia, iniuſtitia erit ignorantia.

Vigeſimusnonus, a generationibus, & effectiuis, & corruptionibus & corruptiuis. Vt quorum ſunt generationes, vel effectiones bonæ, & ipſa bona. Et quorum malæ, & ipſa mala. A corruptionibus vero, & corruptiuis: vt ſi corruptiones, & corrumpẽtia ſunt bonorum, cauſæ corrumpentes erunt malę. Et ſi malorum ſunt corruptiones, & corruptiua, cauſæ corrumpentes erunt bonæ.

Trigeſimus a ſimilibus: vt ſi in vno ſimili, etiam in alio: & valet ad conſtruendum & deſtruendum.

Trigeſimusprimus, ab vno ad plura: vt ſi ſcire eſt diſcurrere, etiam plura ſcire erit plura diſcurrere, quòd tamẽ falſum: ſed vbi eſt conuenientia, conſtruitur; & ſi non adſit deſtruitur.

Trigeſimusſecundus, ab ipſo magis. Si ad magis ſequitur magis, conſtruitur accidens: vt ſi voluptas eſt bonũ, maior voluptas erit maius bonum: at ſi non ſequitur, deſtruitur: & locus per inductionem tractandus.

Trigeſimustertius, dicto vno de duobus, ſi cui magis cõſentaneum eſt ineſſe, nõ ineſt, nec cui minus: & è cõtra, ſi ineſt, cui minus conſentaneum eſt ineſſe, ergo & cui magis.

Trigeſimusquartus, duobus de vno dictis, ſi quod magis videtur alij ineſſe, non ineſt, nec ꝙ minus: & è contra: ſi, quod minus alij videtur ineſſe, ineſt: ergo & quod magis.

Trigeſimusquintus, duobus de duobus dictis; ſi quod alteri magis videtur ineſſe, nõ ineſt: ergo neque reliquum altero, & ſi qđ minus videtur ineſſe altero, ineſt: magis reliquum altero inerit.

Trigeſimusſextus, ex eo ꝙ ſimiliter ineſt, vel videatur ineſſe: ſi duobus idem ineſt, aut ineſſe videtur, ſi vni non ineſt, ergo nec alteri: & è contra, ſi vni ineſt, ergo & altero.

Trigeſimusſeptimus, ſi duo eidẽ ſimiliter inſunt, aut videntur ineſſe, ſi vnum eorum non ineſt, ergo nec alterum, & è contra, ſi vnum ineſt, ergo & alterum.

Trigeſimusoctauus, ſi duob. duo ſimiliter inſunt, ſi alterum altero nõ ineſt, ergo nec alterum altero, & è cõtra, ſi alterum altero inerit.

Trigeſimusnonus, ex appoſitione: ſi alterũ ad alterum appoſitum facit illud quid tale, puta bonum, vel album: etique quod appoſitum eſt, erit tale, puta bonum, vel album.

Quadrageſimus, ex appoſitione: ſi appoſitum facit aliquid magis tale, & illud erit eiuſmodi, & valet locus in iis, quæ maius recipiunt incrementum. Non valet autem locus ad deſtruendum: nam appoſitum bonũ malo, non facit, ꝙ malum ſit bonum: nec nigrum appoſitum albo, facit quòd album ſit nigrum, & tamen bonum eſt bonum, & album eſt album.

Quadrageſimusprimus, quod magis & minus dicitur, etiam ſimpliciter ineſt: nam qđ non eſt ſimpliciter tale, neque magis aut minus dicetur tale. Ad conſtruendum vero locus inutilis: nam quædam ſimpliciter inſunt, quæ non dicuntur magis, aut minus ineſſe.

Quadrageſimusſecundus: ſi ſecundũ quid contingit, ergo & ſimpliciter contingit.

Quadrageſimustertius, ſi aliqñ contingit; ergo & ſimpliciter contingit.

Quadrageſimusquartus, ſi alicubi, aut ſecundum quid, aut aliqñ quidpiam cõtingit, ergo & ſimpliciter contingit. Nam qđ ſimpliciter eſt impoſſibile, neque ſecundũ qd, neque aliqñ, neque alicubi continget. Non autem abſolute valent ij loci, cum ex aduerſo inſtantię deſtruentes adſint.

Adnotationes in loca lib. 2. Top.

V*Num igitur locum* Theophraſtus (vt refert Alexander) conſtituebat diſcrimẽ inter pręceptum, & locum: vt pręceptum diceret eſſe quid communius, & vniuerſalius, & tanquam principium, vnde locus deſumeretur. Veluti, ſi ſit oſtendendum, num aliquid ſit multiplex, præceptũ erit, vt reſpiciatur ad contrarium. Locus vero erit eiuſmodi: ſi contrarium eſt multiplex, etiam propoſitũ erit multiplex. Alex. autẽ, quod Theophraſtus præceptum nuncupabat, ipſe locũ pręceptiuum dixit. Verum apud Ariſtotelem nuſpiam huiuſmodi diſtinctio apparet facta, qui ſolum loca conſiderauit tanquam ſedes, è quibus educi poſſint argumenta, ſit quæcunque inſpectio, magis, vel minus generalis: ſicuti magis generalis eſt inſpectio oppoſitorũ; minus vero generalis erit inſpectio contrariorum, quæ deinde põt limitari ad diuerſa ſubiecta, ita tamen, vt ratio argumentandi a loco propoſito deſumatur.

Verum hoc loco perpendendum eſt, quõ intelligendũ ſit, ꝙ inſtrumẽta illa quattuor, nempe propoſitionum delectus, multipliciũ diuiſio, differentiarum inuentio, & ſimiliũ conſideratio, de quibus in lib. 1 Top. actum eſt, ad loca ſint vtilia; quemadmodum in calce lib. 1. ex dictis Ariſt. cõſtitutum eſt. Ideo dicimus vtilitatem, quæ ex prædictis inſtrumentis eſt percipienda, dirigi ad facultatẽ dialecticam, circa ea, de quibus a dialectico ſit differendum: adeo ꝙ nullum locum argumentandi poſſit dialecticus exercere, ſine propoſitionum, de quaq; re delectu, ſicuti ẽt ſæpe ei opus eſt notitiam promptã habere eorum, quæ dicuntur multipliciter: nec nõ rerum differẽtias inuenire, & ſimilia dignoſcere. Sed & ad loca generalia, & abſtracta in his libris conſiderata, prædicta inſtrumẽta deſeruiunt: tum vt conſtituantur, tum vt magis innoteſcant loca. Vnde in lib. 4. Top. loc. 37. habet Ariſtot. quòd ſunt accipienda elementa circa æquiuocationem, de quibus in lib. 1. Top. actum eſt.

Contingit igitur, & ſecundum nuncupationem determinare &c. Animaduertit, poſſe aſſignari tanquam accidens, illud, quod erit genus, vel manifeſte nomen accidentis afferendo, (vt ſi quis dixerit, iuſtitiæ accidens eſſe virtutem) vel ex locutionis forma; vt ſi quis dixerit, album eſſe coloratũ: ita enim inſinuatur quòd color ſit accidens ipſius albedinis: quandoquidẽ ſic pronunciatur albedo dicta denominatiue a colore, tanquam ab accidẽ

te,

te,a quo propriè denominationes fiunt:genus autem nequaquam denominatiue, sed vniuoce prædicatur de speciebus, quæ nomen, & rōnē generis suscipiunt. Vnde neq; genus assignauerit, qui dixerit album coloratum,neq; definitionē,aut proprium, quæ nulli alterum insunt,q̄ ijs, quorum est proprium, aut definitio ;colorari autem multa contingit,vt homo lapis,lignum:igitur,tan quam accidens erit assignatum,si dicatur q̄ album est coloratum,quod tamē falsum est.

Transire enim magis,& in paucioribus inspectis. Vtique processus a speciebus,& non ab indiuiduis est iuxta viam,qua recte perueniatur,quo tenditur:non autē ita se habet processus ab indiuiduis,quæ sunt indeterminata:& præter hoc,inspectio in paucioribur, dum fit a genere supremo descendendo ad species,vsque ad indiuidua, facilior euadit, quàm si ab indiuiduis sumatur exordium; vt in exemplo proposito,q̄ oppositorum sit eadem disciplina, descendendo ad omnes species oppositorum.

In 8. *Ut disciplina est plurium.* Nempe tum finis, & eorum, quæ ad finem: tum contrariorum finium: tum vnius secundum se, & alterius secundum accidens ; veluti secundum se est scientia, q̄ triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis;at secūdum accidēs, q̄ æquilaterus habeat eosdē angulos rectos, qm̄ triangulo accidit,q̄ sit æquilaterus: non autem æquilaterns vt ęquilaterus habet angulos æquales duobus rectis. Quòd dictum perpendendum est propter ea, quę determinata sunt in lib.1 Post. Analy. penes modos dicendi per se,& penes vniuersale.

In 9. *Iudicare genus est ipsius sentire, namque qui sentit iudicat aliquo modo.* Ex ijs patet, q̄ attigimus superius in præfatione circa libros inuētiuos,& iudiciales, q̄ in omni cognitione cadit iudicium;;adeo q̄ & in ipso actu sentiēdi iudicium concurrit.

In 11. Dubit. *Non enim necesse quacunque generi insunt , & speciei inesse.* Hoc enunciatum non vr̄ verum; qm̄ aduersatur regulæ illi propositæ ante p̄dicamenta,quòd quæcunq; de prædicato dicuntur,etiā de subiecto dicuntur;ergo quæ inerunt generi,inerunt etiam speciei. Dicē-

Solut. dum est,quòd Arist. loquitur generatim de ijs quæ possunt inesse generi , non secundū essentiam,quæ etiam proculdubio conuenirent speciei : sed alio modo , sicuti adduxit exemplum de volatile & quadrupede , quæ certe non insunt homini; at animali insunt, non vt aliquid superius eius cōstitutiuum; sed vt differētiæ diuisiuę animalis. Quæ aūt quocunque modo insunt speciei, etiā si sint accidentia,inerunt etiam generi:nam si homo albus,etiam animal album dicemus:idq; qm̄ speciei semper inest genus.

In 2. *Quoniam autem necessarium est* Supponitur, quòd si genus de aliquo prędicatur,& habet supra se genus vt denominatiue aliquid ab ipso dicatur,oportet quòd & de aliqua specie hæc verificentur. Quod quidem enunciatum idcirco est verissimum;propterea quòd genus non est aliquid extra species; sed est

Porph. collectio plurium specierum,vt explicatum est a Porphyrio in tractatu generis;ideo oportet,vt in aliqua saltem specierum,a non in oībus verificentū. quæ generi attribuūtur.

In 14. *Considerandum in proposito.* Locus est famosus, vt posito antecedenti sequatur consequēs;vt si est homo,sequitur etiam, quòd sit animal. At ex opposito,sublato consequēte, tollitur antecedens;vt si non sit animal,neque homo erit.

In 16. *Amplius sophisticus locus.* Sophisticū nūcupat,qn̄ extrá propositum traducitur disputatio ad aliena, vt hinc campus acquiratur ad arguendum: hanc enim viā sophistæ maxime sectantur. Et hoc docet Arist. tribus modis euenire posse;Aut quia sit necessariū hoc agere , qn̄ respondens aliquid vtile ad disputationem negauerit. Aut quia apparet necessarium , qm̄ vtile appareat propositæ disputationi. Aut quia neq; apparet necessarium,aut vtile,sed modo penitus sophistico id prestatur:a quo lōge abesse debet dialecticus. Sed neq; debet respondens cauillare, & proteruire; sed ponere etiam quæ nō sunt vtilia adnotando tn̄, quòd non spectēt ad p̄positam disputationē, licet illa ponat.

In 22. *Quoniam autem contraria connectuntur adinuicem sex modis.* Et sunt hi:veluti in hoc exeplo:amicis benefacere,inimicis malefacere: vel amicis malefacere,& inimicis benefacere; quæ duæ complicationes contrariorum inuicem non opponuntur: nam prima complicatio continet duo eligenda; secunda vero continet duo fugienda ; eligendum autē eligendo non est contrarium, neque fugiēdum , fugiendo, nisi ex fugiendis vnum sit secundum superabūdantiam, alterum vero secundum defectum ; prout circa virtutes, extrema secundum excessum , & defectum

li.2. Eth. inuicem opponuntur , vt explicatum est in lib Ethicis. Sunt autem aliæ quattuor cōplicationes contrariorum inuicem contrariæ: tū hæ duæ:amicis benefacere,& amicis malefacere;inimicis malefacere,& inimicis benefacere: tum hæ aliæ duæ, amicis bene, & inimicis malefacere:aut amicis male, & inimicis benefacere. Vnde iuxta has contrarias complicationes erunt desumendæ argumentationes. Veluti,ex eo quòd non conuenit malefacere amicis, demonstrandum,

l.1. Top. quòd benefaciendum est amicis. Et est hæc explicatio cōtrariorū, de qua in lib.1 Top. dixerat Arist. se intra cōsideraturum, quod præstitit hoc loco : Ex hac aūt contrariorū consideratione deducit Arist. hoc consectarium , eidem plura posse inesse contraria: prout inducit,huic enunciato amicis benefacere,contrarium esse, tum amicis malefacere,tum inimicis benefacere : non autem eidem , iuxta idem absolute plura possunt inesse contraria ; sed sub diuersa considerandi ratione.

In 25. *Si odium sequi iram dixeris.* Opponit quòd odium non sit in parte irascibili, supposito quòd eius contrarium , ipsa amicitia sit in concupiscibili. Et hoc loco sequutus videt Arist. sententiam eorum, qui animæ facultates in diuersis corporis partibus constituerent:cū tn̄ aliter ipse senserit, & docuerit in lib. de Anima;nosque in nostris lucubrationibus italico sermone confectis in lib. 2. Ethicorū de hac affectione odij, quomodo in irascibili sit collocandum , satis

exacta disputatione explicauimus.

In 26. *Considerandum ex contradictionibus.* In oppositis secundum contradictionem è cõuerso licet inferre consequentiam: si homo est, & animal est: & econuerso, si non est aĩal, neq; homo, non autem argumentari licet, si non est hõ nõ est aĩal. In oppositis autem secũdum contrarietatem, fere semper eodẽ ordine fit consequentia: prout liberalitati sequitur virtus, & auaritiæ vitium; & huic fugiendum, illi sequendum. At è conuerso raro contingit: vt in hoc exemplo, ad sanitatẽ sequitur bona habitudo, non autem ad malum valetudinem sequitur ægritudo: sed è contra, ad ægritudinem mala habitudo. Pariter est argumentatio ex oppositis secundum priuationẽ, & habitum: vt, si visus sensum supponit, cęcitas erit insensibilitas, & in ijs nunquam e conuerso fit consequẽtia: quod similiter de oppositis secnndum relationem est statuendum: vt si scientia est opinio, etiã sequitur ꝙ scibile erit opinabile.

In 31. *Si scire est cogitare.* Non admittit Aristot. quòd si scire est cogitare, etiam multa scire, sit multa cogitare. Id quippe, q̃m cogitatio actum quendam mentis complectitur, qui non potest ad plura simul extendi, vt docet Aristot. in lib. 5. Met. in proprio tractatu de vno. & in lib. 10. Met.

In lib. 5. Met. In lib. 10 Met. c. 1.

In 44. *Similiter autem & quando, & vbi.* Vult, ꝙ si secundum quod, vel alicubi, vel aliq̃n aliqd insit, argumentum desumi, ꝙ etiam simpliciter insit, & affert huius loci hanc rõnem; q̃m quod & simpliciter impossibile, non põt esse secundum quid, neque alicubi: ergo, si secundum quid inest, vel alicubi, vel aliq̃n, etiam simpliciter inerit; Affert autem plures instantias ex aduerso. Nam aliqui secũdum naturam sunt liberales; non autem natura simpliciter liberales: & ex corruptibilibus aliquid non corrumpitur; non autem simpliciter non corrumpitur, & aliquibus in locis certa conuenit dicta, vt in morbosis, non autem omnibus in locis. Verũ adnotandum est, aliud esse dicere, ꝙ non contingat esse secundum quid illud, quod simpliciter impossibile est, vt sit: & aliud est dicere, ꝙ non contingat esse secundum quid illud, quod non est simpliciter: potest enim esse aliquid secundum quid, & non simpliciter: alioquin idem esset, secundum quid esse, & esse simpliciter, quod non est dicendum. Et ideo Instantiæ penes hunc locum ex aduerso adductæ ab Aristotele sunt veræ, & rõnabiles. Et ex allata a nobis distinctione, multæ inter interpretes sic agitatæ difficultates dissoluentur.

Argumentum in lib. 3. Top.

PErspicuum est in hoc lib. 3. Top. tradi loca ad problemata accidentis iuxta rerum cõparationes, in quibus præcipue consideratur, quid sit eligibilius, aut melius ex pluribus inuicem cõparatis. Et iure huiusmodi problemata ad accidẽs coaptatur, & non ad genus, aut ad propriũ, aut ad definitionem. Siquidem in ijs nulla varietas existere potest, sicuti neq. variatur essentia rei, quã genus in parte continet, definitio autem cunctam complectitur: proprium autem, & ipsum rei, cuius sit proprium, inest inseparabiliter absq. vlla sui varietate, aut permutatione. Vnde problemata rerum secundum magis, & minus inhęrentium, neq; generi, neq; definitioni, neq. proprio possunt adglutinari, quemadmodum accidenti conueniunt, cuius natura variabilis & magis & minus intẽsa potest rebus aduenire; sicuti & ipsis inesse, & non inesse. Huiusmodi autem problemata, cum circa melius & eligibilius cõstituantur, moralia cẽsenda sunt, vt pote, quę ad electionem, vel fugam pertineant quibus hominum mores, statuantur ad vitam probe peragendum.

Multiplicia autẽ sunt loca, quæ afferuntur penes huiusmodi problemata: eo quod potest fieri cõparatio tum vnius ad vnum; tum vnius cum alio ad vnnm aliud; tũ vnius ad plura, tum plurium ad plura: Quibus etiam adijciuntur problemata de simpliciter eligibili, & bono. Aduertit autem Aristoteles, quòd huiusmodi contẽplatio nõ debet esse de rebus valde inuicem differentibus: quoniã de his non contingit dubitatio, quę disputatione sit discutienda; sed de ijs, quę maxima inter se cõiunctione videntur conuenire; in quibus excessus est attendendus; quo, aut in vno aut in pluribus res vna alteram excedat: hinc enim confirmabitur humana mens ad

sta-

ſtatuendum, quòd illud, quod eſt huiuſmodi, ſit alio eligibilius. Verum & illud animaduertendũ eſt, aliud eſſe, vt res iuxta melius: aut eligibilius inuicem comparētur: & aliud argumenta ducere a locis dictis ſecũdum magis & minus; de quibus in libris ſuperioribus actum eſt.

Nam res inuicem comparatę, problemata iuxta melius, & eligibilius euadunt: loca autē prædicta, ad conſtruēda, vel deſtruēda problemata deſeruiunt.

Liber autem præſens vniuerſus in duas partes poteſt ſecari; in alteram quæ eſt prima, continetur loca ad conſtruendum, & deſtruēdum ea, quæ ſint meliora, & eligibiliora. In poſtrema vero parte docetur, quomodo loca de meliori & eligibiliori, ad res ſimpliciter bonas, & eligibiles accomodētur; ſimulq. documenta traduntur penes locorum vſum, vt recte exerceantur.

Summa locorum quæ in lib. 3. Top. continentur ad problemata accidentis, ſecundum comparationem attinentium, numero 61.

1 PRimus locus eſt. Quod diuturnius & firmius, id eligibilius.

2 Secundus. Quod magis eligit prudens; vel bonus vir; vel recta lex; vel ſtudioſi circa quæque; vel periti in quouis genere; vel omnes; vel plures; vel quæ omnia eligerent (ſicuti omnia appetunt bonum) id melius, & eligibilius cenſendum.

3 Tertius. Quod ipſum eſt aliquid & in genere, eo quod non eſt in genere, eligibilius; vt iuſtitia eſt in genere bonorum, & ipſum bonum eſt: non autem homo iuſtus: nil.n. non in genere exiſtens, eſt hoc ipſum, vt homo albus, non eſt ipſe color.

4 Quartus, quod propter ſe eſt eligibile, eligibilius eo, quod propter aliud eſt eligibile; vt ſanũ eſſe, q̃ exerceri, quod ſane eligibile eſt ob ſanitatem, ſanitas autem per ſe eſt eligibilis.

5 Quintus, Quod propter ſe eligibile, eo qđ per accidens, eligibilius eſt: prout per ſe eligimus, quòd amici ſint iuſti, at per accidēs, vt inimici ſint iuſti, ne nobis noceant.

6 Sextus, Quòd boni eſt per ſe cauſa, eligibilius eo, quod per accidēs eſt cauſa boni. Et e contra, quod per ſe eſt, cauſa mali, fugibilius eo, quod per accidens eſt cauſa mali, vt virtus per ſe cauſa boni, at fortuna per accidens, e contra vitium per ſe cauſa mali, at fortuna per accidens.

7 Septimus, Quod ſimpliciter bonum, eligibilius eo, quòd alicui eſt bonum, vt ſanum eſſe ſimpliciter bonum, ſecari vero venam, alicui eſt bonum, vt ægrotanti.

8 Octauus, Quòd natura tale eligibilius eo, q̃ non eſt natura tale, vt iuſtitia iuſto, qui non natura, vt iuſtitia, ſed eſt q̃d aduētitiũ.

9 Nonus, Quod meliori, & honorabiliori ineſt, eligibilius eo, quod minus bono, & minus honorabili ineſt.

10 Decimus, Quòd proprium eſt melioris, eligibilius eo, qđ eſt proprium minus boni.

11 Vndecimus, Quòd in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus ineſt, eligibilius eo, quòd in minus bonis, aut poſterioribus, aut minus honorabilibus ineſt.

12 Duodecimus, Finis eligibilius iis, quę ſunt ad finem.

13 Decimustertius, Quòd propinquius fini; eligibilius eo, quod longius abeſt a fine.

14 Decimusquartus, Quòd ad finem vitæ, eligibilius eo, quod ad aliquid aliud tendit.

15 Decimusquintus, Quòd poſſibile, eligibilius eo, quod impoſſibile.

16 Decimuſſextus, Ex duobus effectiuis, cuius finis melior, & ipſum melius.

17 Decimuſſeptimus, A proportione, ſi finis finem pluris ſuperat quàm finis ſuperatus ſuperet ſuum effectiuum, fiet, vt non ſolum finis finem, & effectiuum præſtātioris finis ſuperet effectiuum minoris finis; verumetiā vt tale effectiuum ſuperet finem minus præſtantem.

18 Decimusoctauus, Quod propter ſe eſt honorabilius & laudabilius, melius eſt eo, qđ eſt propter aliud honorabile, & laudabile.

19 Decimusnonus, A conſequentibus, cui melius conſequitur, id eligibilius.

20 Vigeſimus, Cui minus malum cõſequitur, eligibilius eo, cui maius malũ conſequitur.

21 Vigeſimusprimus, Plura bona paucioribus eligibiliora, vel ſimpliciter, vel quando altera alteris inſunt.

22 Vigeſimusſecundus, Eadem vna cum voluptate eligibiliora, quàm ſine voluptate.

23 Vigeſimustertius, Quę ſine triſtitia, quàm quæ cum triſtitia.

24 Vigeſimusquartus, In quo tempore aliq̃d magis valet, & in hoc tempore eligibilius.

25 Vigeſimusquintus, Quòd in oĩ tēpore, vel in pluribus vtilius eſt, etiam eligibilius.

26 Vigeſimusſextus, Illud, quod ſi omnes haberemus, altero non indigeremus, eligibilius eo, quo habito, adhuc indigeamus altero. Vt ſi omnes eſſent iuſti ad nihil vtilis eſſet fortitudo; at ſi omnes fortes eſſent, vtilis eſſet iuſtitia; ideo eligibilior quàm fortitudo.

27 Vigeſimusſeptimus, A corruptionibus & contrariis; nam quorum corruptiones, vel cõtraria ſunt peiora, hæc ſunt eligibiliora,

&

& quorsi sumptiones & generationes sunt meliores, & ipsa sunt eligibiliora.

28 Vigesimusoctauus, Quod propinquius bono, id eligibilius.

29 Vigesimusnonus, Quòd similius bono, etiã eligibilius.

30 Trigesimus, Quòd duorum est similius meliori, istud melius.

31 Trigesimusprimus, In duobus, si vnum meliori similius, & aliud peiori similius, quod meliori similius, melius erit altero, quod est similius peiori.

32 Trigesimussecundus, Quòd maxime insigne & præclarum est, eligibilius eo, quod minus tale.

33 Trigesimustertius, Quòd difficilius, etiam eligibilius.

34 Trigesimusquartus, Quòd magis propriũ, eligibilius eo, quod communius.

35 Trigesimusquintus, Quòd malis in cõmixtum, eligibilius eo, cui consequatur malum.

36 Trigesimussextus, Vbi vnum melius altero, optimum melioris, erit melius optimo minus boni.

37 Trigesimusseptimus, Quæ volumus ab amicis participari, eligibiliora ijs, quę nolumus ab amicis participari.

38 Trigesimusoctauus, Quæ magis volumus agere erga amicum, quam in quẽlibet, hæc eligibiliora.

39 Trigesimusnonus, Quæ sunt ex circũstãtia, necessarijs meliora, & aliqñ eligibiliora.

40 Quadragesimus, Quòd nõ est ab alio exquirere, eligibilius eo, qđ est ab alio exquirere.

41 Quadragesimusprimus, Quòd sine alio eligendum, eligibilius eo, quod sine alio eligẽdum: sic prudentia comparata ad potestatẽ est eligibilior potestate.

42 Quadragesimussecundus, Quòd ex duobus negamus, vt alterum videatur nobis inesse, eligibilius id quod volumus nobis videre inesse.

43 Quadragesimustertius, Cuius absentiã moleste ferentes minus sunt increpandi, hoc magis eligendum.

44 Quadragesimusquartus, Cuius absentiam non moleste ferentes, magis sunt increpandi, idipsum eligibilius.

45 Quadragesimusquintus, Eorum quæ sub eadem specie, quod habet propriam virtutem eligibilius eo, quod non habet. & habẽtibus vtrisq;, quod magis habet eligibilius altero. Veluti in specie canina, qui canis aptus est venationi ad submouendas aues, eligibilior eo, qui caret hac virtute: & qui magis in hac virtute excellit, etiam eligibilior.

46 Quadragesimussextus, Quòd facit bonum cui adest, eligibilius eo, quod non facit bonum; & quod magis bonum facit, etiam eligibilius.

47 Quadragesimusseptimus, Quòd facit bonũ melius & principalius; etiam eligibilius.

48 Quadragesimusoctauus, A casibus, & vsibus, & actionibus, & operibus; vt si quod iuste, quàm quod fortiter eligibilius, ergo iustitia fortitudine eligibilior; & e contra, si iustitia eligibilior, etiam iuste agere eligibilius, quàm fortiter agere.

49 Quadragesimusnonus, Si aliquo hoc quidem maius bonum, illud vero minus est bonum, quod maius bonum, magis eligendum; aut si minore maius fuerit alterum, id etiã eligibilius.

50 Quinquagesimus. Si duo quodã aliquo sint eligibiliora. quod ex ijs fuerit eligibilius vno, etiam altero erit eligibilius.

51 Quinquagesimusprimus, Cuius superabũdantia eligibilior, etiam eligibilius.

52 Quinquagesimussecundus, id cuius eliget quis, vt ipse sibi sit causa, quam cuius alter, eligibilius.

53 Quinquagesimustertius, Ex appositione, quod appositum reddit totum eligibilius, & ipsum eligibilius.

54 Quinquagesimusquartus, Minori appositũ aliqd si totu maius facit, & ipsu eligibilius.

55 Quinquagesimusquintus, Si ablatum aliqđ reddit minus quod restat, maius erit illud, quod ablatum reliquum reddit minus.

56 Quinquagesimussextus, Quod ppt se eligẽdum, eo quod propter gloriam eligibilius.

57 Quinquagesimusseptimus, Quòd propter se, & propter gloriam, eo, quod propter alterum tantum sit eligendum, eligibilius.

58 Quinquagesimusoctauus, Quod propter se magis honoratu, id melius, & eligibilius.

59 Quinquagesimusnonus, Vt eligendum põt esse & vtile, & honestum, & delectabile, qđ ad plura est vtile, hoc eligibilius; & cui magis inerunt eadem, id etiam eligibilius.

60 Sexegesimus, Quod melioris est causa, id eligibilius; similiter in fugiendis, quod maius bonũ impedit, hoc magis fugiendum.

61 Sexagesimusprimus, A similitudine, quod similiter & eligeret aliquis & fugeret, minus eligendum eo, quod tantum eligendum.

Adnotationes in loca lib. 3. Top.

V*Trum autem eligibilius, aut melius* Posteriori loco appositum est *melius*, vt qd præcipuum, & præeminens eligibil; si quẽ quod alicui est simpliciter melius, non tn ei simpliciter eligibilius erit: velut melius est philosophari, q̃ lucrari; non autem pauperi est eligibilius philosophari, sed lucrari. Et cum loca omnia afferantur iuxta comparationem eligibilioris & melioris, hinc (vt supositum est in argumento) colligitur ꝓprie hæc loca ad electionem, & fugam rerum attinere, vt ita ad moraliora problemata ꝓprie spectent. Ac propterea reijcienda opinio Suessani, qui inter problemata rerũ inuicem comparatarum, interserit etiam huiusmodi quæstiones; num Luna sit maior q̃ Terra; vtrum aliquid magis album, aut magis calidum sit alio; vtrum motus vnus altero sit simplicior. Etenim hæ quæstiones nõ complectuntur aliquid, quod sit melius, & eligibilius, prout loca hic considerantur.

Suess. opi. Impug.

ostensa vna præeminentia vel pluribus constituetur intelligentia Grȩce, hæc postrema verba, ita legutur σλωχαταθήσι τιοι ή διανοια idest, confirmabitur mens, & rõ ad credendum, ꝙ illud sit eligibilius, cuius excessum

in bono super alia re comprehenderit; & supplendum per oppositum, quod illud magis fugiendum existimabit, mens nostra cuius excessum in malo super alia re detexerit. Ex quo magis confirmatur quod constitutum est antea; nempe, eiuscemodi problemata ad fugam & ad electionem, & ita ad moralia attinere.

In 1. loc. *Quod diuturnius stabiliusue* Prior vox ad durationem pertinet, quæ tempore mensuratur; posterior vero naturam rerum firmam, atque stabilem, & non mutabilem insinuat; vt ita inuicem hæ duæ voces distinguatur.

In 2. loc. *Quod eligeret prudens vel bonus vir* Locus est multiplex ab electione vel prudētis, vel viri boni, vel rectæ legis, vel in arte periti, vel ab electione omnium, vel plurium hoium, vel a rerum vniuersarum expetitione: vnde subiunxit Arist. quod oīa bonum appetunt; quod enūciatum in lib. 1. Eth. pro initio proœmij est appositum. Cum autem hoc loco *prudens* tanquam diuersus a viro bono enumeretur, aduertendum in Ethicis statui, quod non pōt esse prudens qui non sit vere probus; sicuti neq; potest esse vir probus ornatus virtutibus sine prudentia, quæ est mensura oium virtutum moralium. Verum Arist. hoc loco, ad vulgi intelligentiam, prudentem intellexit hominem, qui sit expertus & sagax: virū vero probum, eum, qui vitijs non sit maculatus, non iniustus.

li. 1. Eth. li. 6. Eth.

Oportet autem ducere ad quod fuerit vtile dicendum Cum in tot partes prædictas locus diuidi possit, hinc aduertit Arist. quod erit ducendus locus, vel ab electione prudētis, vel viri boni, vel rectæ legis, vel ab electione periti in arte, vel a cōmuni hominum electione, prout vtile fuerit ad id, de quo sit dicendum. Et subiungit, quod si melior est scientia, & Philosophia, quam ars fabrilis, simpliciter eligibiliora sunt, quæ secūdum Philosophiā, quam quæ sunt secundum artem fabrilē: alicui autem erunt eligibiliora, quæ sunt secundū propriam artē; vt ita distinguatur vtilitas, quæ varia potest inesse rebus secundū propria hominum studia.

In 3. loc. *Idipsum quod est aliquid, eo quod non est in genere* Vtique quod est aliquid erit in genere, cum genus, prædicetur in quid, & ita quod est in genere, obtinet rei substantiam: vnde id eligibilius eo, quod est particeps rei secundum accidēs. Et cum subiungitur, *vt iustitia iusto* Adnotandum iustitiam esse per se bonam secundum formam abstractam consideratam: non. n. nisi in rōne cōsideratio est iustitiæ, cuius forma ad talē esse limitatur: iustus autem homo participat iustitię.

In 4. loc. *Quod propter, eo quod per accidens.* Quartus locus continet, quod illud, quod est per se, eligibilius est eo, quod est per aliud, vt sanitas exercitatione. Subiūxit postea Aristoteles quintum locum, quod eligibilius sit id, quod per se, eo, quod est per accidens; vt amicos per se, eligimus esse iustos, inimicos aūt per accidens; ne nobis noceant. Et dixit, esse eundem hunc locum, cum præcedenti, & solum in modo differre; nam etiam erit hic locus pp aliud Verum sic dignoscēdum discrimē, quod illud, quod propter aliud est eligibile, stat vt sit per se eligibile, licet per aliud sit eligibile; sicuti dr motus per se continuus, quamquam pp magnitudinem continuam sit continuus. At quod per accidens est eligibile, semper per accidens tale erit, & numquam per aliud fiet, vt per se sit eligibile. Et in Po. Analyt. dum ibi in tractatu de vniuersali dr, quod aliud est, æquilaterum habere tres angulos æquales duobus rectis; at aliud quod sit ligneū, aut album: hæc enim sunt accidentia ipsi ęquilatero; at quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, id ipsi non est accidens, licet id habeat, per aliud, nempe pp triangulum. cuius spēs est æquilaterus.

li. 1. Post. Anal. c. 4.

In 8. loc. *Et quod natura tale.* Ponit iustitiam esse a natura. Etenim apud Deum est iustitia, & ita in natura: at iustum esse, est quod aduētitium homini.

In 11. loc. *Et quod in melioribus, vel prioribus vel honorabilioribus* Octauus locus continet, quod meliori inest & honorabiliori, id esse eligibilius; vt, quod inest Deo, eligibilius eo, quod inest homini. At vndecimus locus continet eligibiliora, quæ sint in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus, vt in ijs suam essentiam contineant. Sicuti præcedit sanitas fortitudini, & pulchritudini, cū sanitas consistat in humoribus, nempe in humido, sicco, calido, & frigido simul temperatis, ex quibus primo constitutum est animal: fortitudo vero posita est in quibusdam generatione posterioribus, videlicet in neruis & ossibus: at pulchritudo adhuc posterior est, vt quæ consistat in quadam commensuratione membrorum.

In 17. loc. *Cum autem sit effectiuū & finis, & proportione.* Obscurior aliquantū videtur pręsens locus, qui est eiusmodi. Sint hæc quattuor, finis pstantior, veluti ipsa felicitas; effectiuum felicitatis actio studiosa; item finis sanitatis minus præstans, effectiuum vero sanitatis exercitium; erit enim ita locus ex proportione desumendus. Cum finis ipsa fęlicitas longe plus superet finem, ipsam nempe sanitatem, quam superet sanitas suū effectiuum, nempe exercitium; ideo non solum erit verum inferre, quod effectiuum fęlicitatis, ipsa studiosa operatio sit melior ipso exercitio effectiuo sanitatis; verum etiam erit melior studiosa operatio, quę est effectiua fœlicitatis, ipsa sanitate: qm in quo excellit fœlicitas sanitatem, in eo excellit etiam studiosa operatio, non solum supra effectiuum sanitatis, verum etiam supra sanitatem; & est argumentum, vt dictum est, a proportione.

In 19. loc. *Dupliciter autem ab eo quod consequitur.* Animaduertit, consequentiam duobus modis accipi posse, tum eius quod sit prius, tum eius quod sit posterius; Veluti discenti sequitur ignorare, quod præcessit: homini aūt consequitur animal, quod est prius, Verum, inquit, vt plurimum melius est quod posterius sequitur. Est autem documentum penes hoc, vt sumatur consequens, prout vtile fuerit proposito problemati.

In 20. loc. *Amplius plura bona paucioribus.* Simpliciter plura bona paucioribus sunt eligibiliora, vel si pauciora in pluribus existant. Adest autem in oppositum instantia, si alterum alterius gratia sit; vt sanū fieri, & sanitas, non eligibiliora sunt sanitate. Item non bonum

bono additum potest esse eligibilius aliquo bono; veluti aliquod non bonum cum fęlicitate iunctum, melius est aliquo bono, vtputa fortitudine.

In 30. loc.

Quod duorum est similius. Videtur probabile, quod ex duobus similius est meliori, id sit melius; verum limitandus locus, vt sit similitudo in eo, in quo optimum est id, circa qđ attenditur assimilatio; alioquin locus non valet: sicuti non valet, ꝙ simia sit melior equo, quoniam magis similis sit homini in ridiculosioribus.

Rursus in duobus si hoc quidem. Si vnum meliori sit similius, aliud vero altero peiori, nō est probabile, ꝙ similius meliori sit melius, si parum simile sit ei; aliud vero magis sit simile deteriori.

In 32. 33. 34.

Quod maxime insigne. Loci hi tres inuicem se consequentes, nempe 32. 33. 34. in hoc cōueniunt, vt pertineant ad res idcirco cēsendas eligibiliores, qm̄ in magno sint prætio ob earum raritatem, prout sunt magna, & illustria facinora loco 32. denotata, vt occūbere pro patriæ libertate. Itē ardua & difficilia, quæ ex loco 33. concernuntur; veluti concupiscētijs prauis obsistere, & dominari, aut in Philosophia excellere. Itē magis propria, q̃ communia pluribus, denotata in loco 34. Et affert Alex. exemplum huiusmodi, ꝙ prudentia sit eligibilior sanitati, qm̄ hæc est communis oībus animalibus, prudentia autem hominis est propria. Verum aduersus huiusmodi interpretationem instari potest. Qm̄ contingere pōt, vt aliquid quod proprium sit alicuius rei, non ita pręstans sit, vt aliquid magis commune: prout canis proprium est latrare, quod sane non ita excellens res est, vt memorari, quod pluribus animalibus est cōmune. Idcirco, quo ad loci huius 34. interpretationem, videtur in eodem genere rerum persistendum: Veluti, si dicamus, eligibilius esse respectu hominis iudicium rationis, quod est propriū humanæ naturæ, q̃ iudicium sensus, quod omnibus animalibus est commune.

Alex.

Quæ ex circumstantia necessarijs meliora. Exponit Arist. hoc loco, quid sit esse ex circūstantia, nempe qñ existentibus necessarijs alia quædam bonorum adijciuntur; vt viuere est necessarium, bene aūt viuere est ex circumstantia. Vnde in proęmio Metaph. dī, ꝙ acquisitis necessarijs, cęperunt deinde homines philosophari. Hæc autem interdū meliora etiam sunt eligibiliora, vt bene viuere; interdum non sunt eligibiliora: nam melius est philosophari, q̃ lucrari; at indigenti non est eligibilius philosophari, q̃ lucrari, subiungit deinde Arist. fortasse eligibilius esse, quod est necessarium; melius autem, quod est ex circumstantia.

li. 1. Met. c. 2.

In 40. loc.

Quod non est ab alio exquirere. Est penes hūc locum duplex interpretatio; altera, vt intelligatur fortitudo esse eligibilior q̃ iustitia, qm̄ habeat posse a fortitudine. Nam (vt dixit etiam Plato in Dialogis de republica) iustitia non pōt exercere suos actus sine fortitudine; vt hæc suos sine iustitia. At in loco 26. dictum est, ꝙ iustitia est eligibilior fortitudine, qm̄, si omnes essent iusti, inutilis foret fortitudo. Verum dici pōt, ꝙ peruersis existentibus hominibus, ad hoc vt iustitia seruetur, opus est fortitudine. Aduersatur etiā dictæ expositioni, qm̄ in loco 41. dicitur, eligibilius esse, quod sine altero est eligibile: vnde locus 40. & 41. idem dicerēt. Alia est expositio Alexan. illud esse eligibilius quòd ex seipso solo exquiri & perfici pōt q̃ quod & ab alio est accipere: veluti actum iustitiæ exercere, quem homo per se solum exequitur: at actus fortitudinis (vt liberari a periculis) pōt etiam aliunde prouenire, & non a sola fortitudine. Fortasse planius, atq; accōmodatius ad verba Arist. hunc in modum. Illud eligibilius, ad quod perficiendum non opus est aliena perquirere; talis est iustitia, quæ absq; vllo adminiculo ex se sola exerceri potest ab homine iusto: non talis autem est fortitudo, quæ vt ab homine exerceatur, pręter animi magnitudinem, requirit etiam corporis vires, & rerum multarum apparatum, & plurium hominum adiumentum in rebus arduis, vt sunt bellicæ, peragendis.

Alex.

In 52. loc.

Amplius ex appositione. Locus est huiusmodi, si quid appositum altero reddit totū eligibilius videtur eligibilius altero, ꝙ nō reddit totum eligibilius. Verū aduertit Arist. ꝙ oportet cauere, ne appositum sit eiusmodi, vt eo vtatur id, cui apponitur; vel sit simul cooperatiuum; sicuti serra consociata arti fabrili non eligibilior falce, qua non vtitur ars fabrilis: ideo serra nō eligibilior falce.

In 56. loc.

Terminus autem eius, quod ad gloriam, quod nullo conscio non studeret inesse In hoc clauditur terminus eorum, quę aguntur ꝓꝑ gloriam; ꝙ si supponeretur neminem consciū fore factorum, vtiq; nemo aggrederetur opus. Verum debet vir bonus, & tāto magis, qui Christianus est, quæ sunt virtutis, operari ꝓꝑ virtutem, ne contra propriam rationem se gerat. Ex dictis potest elici definitio gloriæ, ꝙ sit operatio factorū, vt apud hoīes appareant, & inde operator laudet.

Definitio gloriæ.

Summa eorum, seu epitome, quæ in postrema parte lib. 3. Top. continētur.

LOci expositi circa meliora, & eligibiliora, deseruiunt ét ad construendum, quòd aliquid sit eligēdum, vel fugiendū, nam sublata comparatione, patet quòd si quid est eligibilius, etiam est eligibile; & si quid vtilius, ét vtile. Et in nonnullis perspicue apparet ipsum eligibile; veluti quod suapte natura bonum est, ét apparet eligibile.

Sumendi autem sunt loci maxime vniuersales, secundum

ma-

magis, & minus; quoniam sic ad plura inseruient, vt quòd natura tale, eo quod nó natura tale, magis tale. Si alicuius hoc magis, illud minus, quod magis, magis tale erit. Et si huius magis tale, & aliud huius non magis tale, primum magis erit tale. Item ex appositione, si quòd addictum reddit magis tale, erit magis tale. Itẽ ex ablatione, quo enim sublato redditur minus tale, id magis tale eo, quo sublato non redditur minus tale. Item contrarijs minus permista, magis talia, vt albius, quod non est permixtum nigredini. Item propositi magis recipiens definitionem, magis tale; vt magis album, quod est magis disgregatiuum visus.

Loci ad problemata vniuersalia deseruiunt etiam particularibus. Nam si omni, etiam alicui ostensum erit; & si nulli, etiam non omni.

Maxime vero opportuni sunt loci sumpti ex oppositis, coniugatis, casibus, effectiuis, & corruptiuis generationibus, & corruptionibus; vt si de vno sit ostensum, etiam de alio erit ostensum. Item loci secundum magis & minus, & ex similiter deducti: & nõ solum ex alio genere, verum etiã ex eodem.

In suppositione autem cum dicitur, quòd si alicui, ergo & omni hac ratione redditur problema vniuersale. Vnde qui probauerit, alicui nó inesse, sic erit ostẽsum, quòd nulli. Et è cõtra, si positum, quòd si alicui non inest, nulli inest; probando quòd alicui inest, erit ostẽsum, quòd omni inest ex suppositione facta a respondẽte.

Existente autem problemate indefinito, oportet contra affirmatiuum probare vniuersale negatiuum; sicuti etiam ꝓblema particulare affirmatiuum non tollitur, nisi per vniuersale negatiuũ.

Construere contingit duobus modis, tum probando quòd omnis voluptas sit bonum, tũ quòd aliqua voluptas bonum. similiter negatiuum dupliciter, tum quòd nulla voluptas bonum, tum quòd aliqua voluptas non bonum.

Existente autem positione bipartita, quòd aliqua voluptas bona, & aliqua voluptas non bona, duobus modis tolli potest; tum ostendẽdo, quòd omnis voluptas bona, tũ ꝙ nulla voluptas bona.

Si positum sit, vnam tantũ voluptatem esse bonam, positio huiuscemodi tribus modis tolli potest, tũ ostendendo quòd omnis voluptas bona, tum quòd nulla voluptas bona, tum quòd pluræ voluptates sint bonę. Adhuc autẽ restringendo problema; vt quòd prudentia sola inter virtutes sit scientia, quattuor modis tolli potest problema; tum ostendendo, quòd nulla virtus sit scientia: tum quòd omnis virtus est scientia: tum qđ & alia virtus præter prudentiam sit scientia: tũ quòd ipsa prudentia non sit scientia. Vtile percurrere circa singularia, in q̃bus aliquid inesse, aut non inesse dictum sit; sicuti & in problematibus vniuersalibus.

Similiter in generibus inspiciẽdum, procedẽdo per species vsq. ad indiuidua. Nam siue omni siue nulli appareat inesse, quòd positum est in problemate, proferendo multa, postulandum vniuersaliter concedi; aut afferenda erit instantia, si in aliquo non sic videatur.

Vtile in quibus possibile est, aut spe-

ſpecie, aut numero determinare accidens; & inſpiciédum poſtea, ſi nullum horum ineſt.

Argumentum in lib. 4. Topicorum.

IN hoc quarto lib. traduntur loca ad problemata de genere ꝑtinentia de quo perraro contingit vt diſceptatio ſuſcipiatur ob ipſummet genus; ſed quidem in gratiam definitionis. Vnde problemata de genere erunt tanquã elementa pręmittenda ad conſtruendum, vel deſtruẽdum problemata de definitione: quemadmodum etiam loca tradenda circa problemata de proprio euadẽt & ipſa quædam elementa ad definitionẽ; quod quomodo contingat, in lib. ſequenti erit patefaciendum. Vnde tractatio locorum de genere, & de proprio, ad loca de definitione antecedere merito debuerunt. Iure autem in priori loco explicantur, quę pertinent ad genus · poſtea vero loca de proprio, quando genus ad rei eſſentiam attinet, quod nõ eſt dicendum de proprio. Loca autẽ vt plurima aſſeruntur ad deſtruendum, quòd non ſit recte aſſignatum genus, & pauca admodũ ad conſtruendũ genus: nõnulla etiã ad ſeiungendum differentiam a genere: & ita loca omnia in hoc lib. 4. tradita ad numerum 82. cõputari poſſunt. In poſtremis autẽ libri lineis, aperitur, quomodo in coniugatis ſit procedendum ab vno in aliud; & quomodo vbi eſt aliquid conſequens ad aliud, & non conuertitur ratio conſequendi, iſtud conſequens poſſit eſſe, & non eſſe genus.

Summa locorum quæ in lib. 4. Top. continentur ad problema de genere attinẽtium.

1 PRimus locus, Si de aliqua congenerum ſpecierum non prædicetur id, quod eſt aſſignatum pro genere, iam non erit genus, quod de omnibus ſpeciebus prædicatur.

2 Secundus, Si non in quid prædicetur, ſed ſecundum accidens, non erit genus.

3 Tertius, Si definitio accidentis quæ eſt vt poſſit ineſſe & abeſſe, cõuenit aſſignato pro genere, non erit genus.

4 Quartus, Si aſſignatum pro genere, eſt in vno genere prædicamentorum, & in alio ſit aſſignatum pro ſpecie, non erit verum aſſignatum genus.

5 Quintus, Si aſſignatum pro genere participat definitionem aſſignati pro ſpecie, non erit eius genus, cum ſit eiuſdem definitionis cum ſpecie.

6 Sextus, Si ſpecies de aliquo verificetur, de quo non genus, iam non erit genus.

7 Septimus, Si nullam ſpecierum contingit participare id, quod poſitum eſt in genere, non erit genus, quod poſitum eſt pro genere dictarum ſpecierum.

8 Octauus, Si in plus ſe habeat poſitum ſub genere q̃ genus, non erit aſſignatũ genus.

9 Nonus, Si æqualibus inſit ſpecies & genus, non recte aſſignatum genus.

10 Decimus, Si non differentium a ſpecie nõ apparet genus, neq; propoſiti erit genus.

11 Vndecimus, Si aliud ſit ſpeciei genus, non contentum ſub genere aſſignato, neq; continens illud, non recte aſſignatum genus.

12 Duodecimus, Si non omnia quæ de genere prædicantur, de ſpecie prædicentur, nõ recte aſſignatum genus.

13 Decimustertius, Si aut genus, aut ſuperiora genera participant definitionem ſpeciei, non recte aſſignatum genus. Ad conſtruendum autem ſi inſit quid alicui, & oſtendatur aliquod ſuperiorum prædicari in quid, & ẽt de inferioribus in q̃d, ſic patebit eſſe genus.

14 Decimusquartus, Si ſpecies aſſignata vt genus prædicetur de alijs, & genus, & ſuperiora genera de eiſdem non prædicẽtur in q̃d, non recte aſſignatum genus.

15 Decimusquintus, Si definitiones generum non participantur a ſpeciebus, & a contentis ſub ipſis, non recte aſsignatum genus.

16 Decimusſextus, Si differẽtia loco generis poſita ſit, non recte aſſignatum genus.

17 Decimusſeptimus, Si differẽtia pro ſpecie ſit poſita ſub genere, non recte aſſignatum genus.

18 Decimusoctauus, Si genus poſitum ſit pro ſpecie, non recte aſſignatum genus, vt q̃ mutatio ſit ſecundum locum latio.

19 Decimusnonus, Si differentia pro ſpecie ſit aſſignata.

20 Vigeſimus, Si in differentia poſitum ſit genus, non recte aſſignatum genus.

21 Vigeſimusprimus, Si genus aſſignatum ſit vt differentia, non recte aſſignatum; vt lationis dicere genus ſcdm locũ mutationẽ

22 Vigesimussecundus, Si nulla differentia generis prædicetur de concreto tanquã specie sub genere, non recte assignatum genus.

23 Vigesimustertius. Si prior natura species q̃ assignatum pro genere, vel sublata specie tollatur genus; non recte assignatum erit.

24 Vigesimusquartus, Si contingat deficere a specie vel genus, vel differentia, non recte assignatum genus, neque differentia.

25 Vigesimusquintus, Si positum sub genere participat, vel contingit participare eius quod sit contrarium generi, non erit recte assignatum genus.

26 Vigesimussextus, Si alicuius rei species posita sub genere est particeps, quod impossibile est participari a contentis sub genere, non recte assignatum genus, vt quòd anima sit numerus; non enim vllus numerus participat vitam, sicuti anima.

27 Vigesimusseptimus, Si æquiuocum genus ad speciem, iam nõ recte assignatum genus.

28 Vigesimusoctauus, Si assignati generis ad spẽm non sit aliæ species, non erit genus.

29 Vigesimusnonus, Si secundum metaphoram sit assignatum genus, non recte assignatum erit.

30 Trigesimus, Si contrarium sit speciei, & non insit contrarium in eodem genere, nõ erit assignatum genus.

31 Trigesimusprimus, Si generi sit contrariũ, & speciei contrarium non sit in contrario genere; iam non erit assignatũ verũ genus.

32 Trigesimussecundus, Si contrariũ speciei in nullo est genere, sed sit genus: ergo & aliud contrarium non erit in genere, sed erit genus.

33 Trigesimustertius, Si sit contrarium, tũ generi, tum species, sed genus habeat mediũ, & non species, nõ erit assignatum genus. At est instantia, qm̃ ægritudinis, & sanitatis est aliud medium; non autem boni & mali.

34 Trigesimusquartus, Si speciei & generis habentium contraria, media nõ eodem modo se habeant, non recte assignatum genus.

35 Trigesimusquintus, Non habente genere contrarium, si medium non sit in eodem genere vbi & contrarium, non recte assignatum genus.

36 Trigesimussextus, Si generi inest contrariũ, & nõ speciei, nõ recte assignatũ genus.

37 Trigesimusseptimus, Ad construendum, si contrarium speciei in eodem est genere nõ habente contrarium, ergo & proposita species in eodem genere.

38 Trigesimusoctauus, Ad construendum, si in eodem genere medium, ergo & extrema. Instantia, quoniam excessus & defectus in eodem genere sunt mali; at horum medium non in hoc genere, sed in bono.

39 Trigesimusnonus, Ad construendũ, si sit quiddam contrarium genus, si contrarium in contrario, & propositũ erit in proposito.

40 Quadragesimus ex coniungatis, & casibus ad construendũ & destruendum, si vni insit ergo & alio; si vni non insit ergo nec alio.

41 Quadragesimusprimus, A simili ad construendum; si simile se habet vt genus ad aliquid, etiam ei simile ad aliquid se habebit vt genus. Ad destruendnm, si non simile genus, neque eius simile.

Quadragesimussecũdus, A generationibus ad corruptiones; & è contra: si generationis est tale genus, corruptionis erit oppositũ genus; quòd si non sit, non recte assignatum genus. 42

Quadragesimustertius, A corruptiuis, & effectiuis, a casibus, potentijs, & vniuersaliter iuxta quamcunq; similitudinem, ad construendum, & destruendum locus, si in vno, & in alio; si non in vno, neque in alio. 43

Quadragesimusquartus, Si speciei sit opposita priuatio, si in eodem genere priuatio, non recte assignatum genus. 44

Quadragesimusquintus, Existente etiã priuatione opposita generi, si non oppositum in opposito, neq; propositum in proposito: ad construendum vero, si oppositum in opposito & propositum erit in proposito. 45

Quadragesimussextus, Ex contradictione, secundum diuersam rõem, & è conuerso: si oppositũ de opposito non verificatur in negatione, neq; in affirmatione erit, & cõtra: si autem verificatur scd̃m negationẽ, erit etiã scd̃m affirmationem, vt si delectabile bonum, non bonum non delectabile. 46

Quadragesimusseptimus, Si species ad aliquid, & non genus, nõ recte erit assignatio; nõ valet aũt è contra si genus est ad aliqd, q debeat etiam esse species ad aliquid. Sed & instantia est de primo membro, quoniã virtus ad aliqnid, quæ est bonum & honestum; hæc autem non ad aliquid, sed sunt qualitates. 47

Quadragesimusoctauus, Si nõ secundũ idẽ dr̃ species vt genut; vt duplum dimidij, & multiplex dicitur etiam dimidij. 48

Quadragesimusnonus, Si non scd̃m idem dr̃ species, secundum quod & genus, & etiã superiora genera dicuntur, non recte assignatum genus. Instantia; qm̃ scientia scibili dicitur scientia, at habitus & dispositio nõ scibilis, sed animæ dicitur. 49

Quinguagesimus, Si non secundum casum & genus, & superiora genera dicuntur sicuti species, non recta erit generis assignatio. Instantia. Nam differens & cõtrarium alicui dicitur contrarium: diuersum autem horum genus existens, dicitur ab aliquo diuersum. 50

Quinquagesimusprimus, Si secundum casus eosdẽ non fiat conuertentia, tũ oppositi relatiui ad speciem, tũ oppositi relatiui ad genus, non recte assignatum genus. 51

Quinquagesimussecundus, Si non ad æqualia, & similia dicantur species & genus; non recte assignatum erit genus. Instantia, quoniam duplum alicuius duplum; & abundãs, & maius tum alicuius, tum aliquo dicuntur maius, & abundans. 52

Quinquagesimustertius, Si oppositi secũdum relationem non est genus oppositum, non recte assignatum genus. 53

Quinquagesimusquartus, Si positum pro genere ijs, quæ sunt ad aliquid, vt inexistẽs ijs ad quæ dicatur, non in ipsis inerit, non recte assignatum genus: aut si insit, & non sit assignatum vt inexistens. 54

Quinquagesimusquintus, Si habitus sit positus sub actu, tanquam sub genere: vel e cõtra actus sub habitu; non recta assignatio. 55

56 Quinquagesimussextus, Si quoquomodo consequens ponatur pro genere; non enim necesse est vt late sit genus.

57 Quinquagesimusseptimus, Si in aliquo sit species & non in genus, non recte assignatum genus, quia in eodem esse debent: qui locus vtilis est etiam accidenti, vt in codē sit accidens, & cui accidit.

58 Quinquagesimusoctauus, Si pars rei ꝑ genere, sit posita, nō recte assignatum genus.

59 Quinquagesimusnonus, Si fugiendum, & vituperabile positum sit in genere potētiæ, non recte assignatum genus.

60 Sexagesimus, Si per se honorabile, & laudabile, in potentia, vel in possibili, vel in operatiuo sit positum; non recte assignatum genus.

61 Sexagesimusprimus, Si quid in pluribus, saltem in duobus generibus insit, & in altero tantum sit positum; nō recte assignatum genus.

62 Sexagesimussecundus, Si assignetur differentia pro genere, & genus pro differentia; non recte erit assignatum genus.

63 Sexagesimustertius, Si positus sit pro genere excessus, aut vehementia, quæ stant pro differentia non recta erit assignatio: ita.n. contingit inanimatum credere, & pati excessum: necnon & excessum excedere: & credulitatem esse fidem.

64 Sexagesimusquartus, Si passio sit posita ꝑ genere aliquid patiētis, nō recta assignatio.

65 Sexagesimusquintus, Si passio assignata pro genere eius, cuius est passio, non recta assignatio.

66 Sexagesimussextus, Si assignatum pro genere nullius est genus, non recte assignatum genus.

67 Sexagesimusseptimus, Si omnibus consequens positum sit pro genere, non recte assignatum genus.

68 Sexagesimusoctauus, Si assignata differentia omnibus consequens, non recte facta assignatio.

69 Sexagesimusnonus, Si in subiecta specie inest id quod pro genere est assignatum, nō recta erit assignatio.

70 Septuagesimus, Si nō vniuocum sit, quod est assignatū pro genere, non erit recta assignatio.

71 Septuagesimusprimus, Existenti contrario ipsi generi, si deterius sub meliori sit positum, non recte assignatum genus.

72 Septuagesimussecundus, Si cum possit species in vtramque partem se habere, & in peiori sit collocata, non recte erit facta assignatio. Vt si anima, & agitatio, & statio dici potest, & melius est attribuere animæ stationem; ideo non recte assignabit, qui poneret animam in genere agitationis, & non in genere stationis.

73 Septuagesimustertius, Si genus suscipit magis & minus, & non species, aut dictum secundum speciē, non recta erit assignatio.

74 Septuagesimusquartus, Si quod magis apparet esse genus, aut quod similiter esse genus vř, non est genus, ergo neq; assignatū.

75 Septuagesimusquintus, Si alicuius alterius speciei magis, vel similiter videreř esse genus, & non est, neque igitur assignatæ speciei erit genus. Ad construendum non vtilis locus; qm̄ si suscipit assignatum pro genere magis & minus, & similiter assignatū pro specie; non propterea sequitur, vt alterum alterius sit genus.

76 Septuagesimussextus, Ad construendum, si similiter se habens & genus ad speciem similiter se habentem; ergo & assignatum erit genus assignatæ speciei.

77 Septuagesimusseptimus, Ad construendū si genus est talis speciei, quod minus videtur esse debere, ergo multo magis, quod magis esse videtur.

78 Septuagesimusoctauus, Ad cōstruendum, si in quid de pluribus prædicetur genus, & hæc plura differant specie, recte assignatum genus.

79 Septuagesimusnonus, Si existente vna specie, de qua in quid assignatum pro genere prædicetur spectandum, num & de alijs speciebus genus in quid etiam prædicetur; sic enim erit recte assignatum genus.

80 Octuagesimus, Ad segregandam differentiam a genere erit locus; quoniam de pluribus genus debet prædicari q̃ differentia.

81 Octuagesimusprimus, Ad segregandā differentiam a genere deseruit locus, qm̄ magis in quid prędicatur genus, q̃ differentia.

82 Octuagesimussecundus, Ad segregandam differentiam a genere locus erit, quòd differentia semper significat qualitatem generis, at non genus qualitatem differentiæ.

Documenta nonnulla circa assignationem generis.

IN coniugatis obseruādum est, a qua parte sumatur exordium ad demonstrandum de alio, nū a nomine absoluto, veluti a sciētia ad scientem; an a denominatiuo opposito modo a sciente ad scientiam.

Obseruandum est etiam, quòd in ijs, quæ consequuntur, difficile & distinguere, & cognoscere quā do sit genus illud, quòd alicui omni consequitur, & hoc non illi omni: vnde altero proponente, in omnibus non est obsequendū.

Adnotationes in loca lib. 4. Top.

SUnt autem hæc elementa. Iure loca, quę traduntur de genere dicta sunt elemēta ad definitionem, quando ex ipsis locis generū desumuntur argumentationes ad construēdum, vel destruendum definitionem; quemadmodum & genus ingreditur definitionē.

Verum Arist. in hoc libro, loco nono, elementa etiam appellat loca ad destruendũ, vel construendum de genere; Et absolute loca elementa dici possunt, cum ex ipsis cõstituantur ratiocinationes ad omnia problemata; quemadmodum ex elementis litterarum constituuntur syllabæ & oratio: & ex quattuor famosis elementis, mista corpora componuntur. Et ita de alijs.

In 4. *Si non in eadem diuisione genus & species.* Non existente genere, & specie in eadem diuisione prædicamentorũ, non erit genus assignatum: & mẽtio fit de varijs generibus prædicamentorũ, nempe substantiæ Qualis, & aliorum; vnde colligitur, supponi hic notitiam, prædicamentorum, tãquam prius explicatũ; & id cõtra sentẽtiã Mirãdulani. [cõtra Anton. Mir.]

In 5. *Si necesse fuerit, vel contingerit genus participari.* Ait non esse genus, illud, quod participet rationem speciei positæ sub genere: At lib. 7. Met. dicitur specierum propriè esse definitiones; generum autem per participationem. [Dubit: li. 7. Met. cap. 4.] Dicendum ad hanc apparentẽ cõtradictionem statui in Met. loco citato, ꝙ explicatæ & completæ definitiones pertingunt ad speciem, vt puta ad illam, quæ vltimum actum rei contineat, in quo proprie consistit definitio; generis autẽ est per participationem definitio; quatenus obtinet potentiam quandam in constitutione speciei. [Solut.] Vnde absoluta, & perfecta ipsius generis non est definitio. In hoc autem loco id voluit Arist. inferre, ꝙ nõ debet genus participare speciei definitionẽ absolute; alioquin, si eandem obtineret definitionem, iã genus species esset, & non genus speciei.

In 7. *Si nullam speciei contingit participare.* Infirmatur genus assignatum, si nulla specierum participat id, quod est assignatum sub genere; veluti, si nulla spẽs motus est voluptas, signum ꝙ motus non erit genus voluptatis. Aduertit autem Arist. ꝙ si sit aliqua specierum secũdum primam diuisionem generis, tunc non participabunt aliæ species illud quod participatur ab illa, quæ continetur in prima diuisione; sed solum participabũt genus. Nulla autẽ existente specie, quæ participet positum sub genere, non recte erit assignatum genus. In prima autẽ diuisione generis vna species distinguitur ab alia, neque vna participat naturã alterius speciei.

In 9. *Elementum autem est tale* Nempe, vnde locus statuatur: erit.n. elementum deseruiẽs ad ratiocinandum, quòd de pluribus debet genus prædicari quàm species.

Neque videtur participare differentia genus. Cur nulla differentia participet generis definitionem, hæc videtur ratio; qm̃ differẽtia solum formam significat, genus autem materiam formę coniunctam: & propterea in lib. Prædicamentorum in Prædicamẽto substãtiæ posita fuerunt genera, & species primarum substantiarum, vti quædam cõposita; quemadmodum & prima substãtia; non autem differentię substantiarum: prout ibi latius animaduertimus. [lib. Præd.]

Si æquiuoca sit species generi. Si assignatum pro genere ęquiuoce se habeat ad speciem, vult Arist. tunc non recte assignari genus. Verum subiungit, adhibenda esse pro hac consideratione elementa, de quibus supra in lib. 1, actum est, & deseruiunt ad detegendam æquiuocationẽ. Ex quo colligitur, instrumenta ibi tradita esse quæ deseruiunt ad loca problematum haurienda: inter quę, & hoc extitit instrumentum, nempe instructio eorum, quibus æquiuoca detegantur,

In 19. *Differentia enim semper de ęqualibus, aut de pluribus, quàm species dicitur.* Est locus ad destruendam assignationem generis, si differẽtia pro specie sit posita; veluti ꝙ in mortale sit ipsum ꝙ Deus: impugnatur enim, qm̃ debet differẽtia dici de æqualibus, aut de pluribus q̃ species. Et alternatiuam hanc, *de æqualibus, aut de pluribus*, apposuit Arist. propter differẽtias vltimas rerum, quę possent esse ita propriæ speciei, aut nulli alteri cõuenirent, quod tñ propter ignorantiam vltimarum differentiarum nobis incognitarum non apparet verificari: Et propterea postremo loco posuit particulam, *aut de pluribus*, quoniam de pluribus apparet differẽtiam prædicari q̃ speciem. Non est autẽ inconueniens simul cum genere commiscere differentiarum problemata, tanquam in genere comprehensarum.

In 54. *Quoniam autem eorum, quæ ad aliquid.* Sunt nonnulla relatiua. quæ ex necessitate insunt ijs, ad quæ dicuntur; vt habitus & dispositio in habente, & in disposito; scientia aũt non est in scibili, nisi per accidens; veluti anima, quatenus est scibilis, potest esse eadẽ, in qua sit scientia, dum mens humana de se ipsa scientiam habet; de qua re est etiam sermo in lib. 10. Met. [li. 10 Met. c. 8.]

In 57. *Si in aliquo sit species.* Interimitur assignatio generis, si in eodẽ in quo species inest, non insit etiam genus: veluti, si dicta sit verecundia, timor; siquidem verecundia in rationali, timor autem est in irascibili. Et est locus vtilis quoque ad problema de accidẽte; qm̃ accidens, & illud cui accidit, in eodẽ esse debent; & hoc inquantum illud cui accidit, participat accidens, vt secundum participationẽ hanc in eodẽ debeant cõuenire.

In 58. *Si secundum quid species dictum genus participat.* Veluti ꝙ animal sit sensibile, ita enim solum secundum corpus, non autem sc̃dm animam erit assignatum. Occurrit ẽt poni totum in parte, vt ꝙ animal sit corpus animatum; non enim pars, qualis est corpus, prædicatur de toto animali.

In 59. *Si fugiendum, & vituperabile.* Infirmatur assignatio generis, si quod est vituperabile & fugiendum, ponatur in potentia; etenim fugienda sunt, quæ sunt ex praua electione; veluti sophista, & calumniator: at potens, & potentia est eligendorum. Et si prauarum rerum sunt potestates etiam eligendę sunt idcirco, qm̃ studiosus, & Deus inquit Arist. possunt praua facere, qui tñ non sunt secũdum electionem praui. Notãdum circa hoc dictum Arist. ꝙ Deus potest praua facere, S. Thomam in prima parte Summæ. Quęst. 25. Art. 3. dicere hoc enunciatum esse interpretandum, vti dictum cum conditione; qm̃ & antecedens, & consequens est impossibile; veluti hunc in modum quod potest Deus facere praua, si vellet, vel si faceret praua, hæc essent bona. Aut inq̃t, locutus est Arist. [S. Thom.]

secundum communem opinionē vulgi existimantis, q Dij sint hoīes in Cœlum translati, vt Mercurius, & alij. Aut dici pōt, qđ Deus potest facere praua absq; electione, vnde non praua faceret, quæ ideo praua sunt, quatenus ab electione pendent, vt furari. Aut potest facere praua, hoc est illa opera, quæ cum electione facta, hominis prauitatem arguunt; & hoc non potest cadere in Deo.

In 63. *Si positus sit excessus vehementia.* Improbatur assignatio generis, si loco generis posita sit differētia. Inter alia enim absurda, & hæc commemorat Arist. si ponatur pro genere excessus, aut vehementia, quæ concernunt differentiam. Continget enim ex hac suppositione, vt inanimata credant & excedant. Nam inquit, si cuiusq; excessus & vehementia inest illi, cuius est excessus, & vehementia; vtique cum stupor sit excessus admirationis, inerit admirationi excessus; & ita admiratio res inanimata excedet. Similiter etiam fides inerit existimationi, cum sit vehementia existimationis: vnde existimatio credet. Adhuc sequitur hoc aliud inconueniens, q vehementia fiet vehemens, & excessus excedet.

In 64. *Quandoq; peccant, passionem in genere eius, quod passum est ponentes.* Huius exemplum erit, si dicatur, q sit immortalitas vita sempiterna; siquidem immortalitas est passio vitę, & accidens ad hunc sensum; qm̄ non alia anima assumitur, neque aliud corpus; sed idem transmutatum: Iam ad immortalitatem indeficienter permanet mutatione valde substantiali consecuta.

In 70. *Si non synonimum.* Superius allatus locus, si sit secundū æquiuocationem facta assignatio generis; hic tangitur si non sit synonimum, intelligendo quo ad nominationem. Vel est dictum superius, si æquiuoce se habeat species cum genere: in hoc alio loco habetur, si genus non vniuoce prædicetur de specie.

Argumentum in lib. 5. Top.

TRaduntur in hoc libro loca de proprio, quę eatenus deseruiunt ad problemata definitionis, quatenus definitio impugnari potest quòd non sit propria, vt debet esse rei definitæ. Præmittit autē Arist. varias proprij significationes, vt de omnibus loca ad construēdum, seu ad destruendum tradat. Proprium siquidem accipi potest vel per se de vna aliqua re enunciatum, veluti de homine quòd sit animal natura mansuetum: vel in comparatione vnius rei ad aliam, vt si proprium animæ dicatur esse imperare, corporis vero proprium parere. Item proprium sumi potest vt semper insit, quemadmodum Deo immortalitas; aut aliquando, pro vt alicuius hominis diceretur proprium suam tractare seu demulcere barbam. Ac ꝓprio quidem per se existente, res cuius est proprium, ab omnibus alijs rebus separatur: quemadmodum & proprium, quod semper inest, de re, cuius est proprium, in omni tempore verificatur. Proprium autem prolatum in comparatione vnius rei ad aliam, a certis quibusdam rebus separatur: qđ contingere potest vel de omnibus, sicuti homo per bipedis ꝓprietatem distinguitur ab equo, ita quidem vt omnis homo sit bipes, & nullus equus sit bipes; vel de pluribus, sicuti proprium est animæ rationalis, vt præsideat & imperet irascibili & concupiscibili; non tamen in omnibus hominibus id euenit: quoniam non in flagitiosis, in quibus dominiū obtinet non ratio, sed prauus appetitus. Quod igitur attinet ad proprium per se solum pronunciatum de aliqua re, cui semper insit, id ipsum impugnari potest, tum si res per huiusmodi propriū nō separetur ab omnibus alijs rebus, eo quòd & aliquibus alijs insit; tum si non insit rei, cuius assignatum sit proprium. Circa vero proprium ad tempus limitatum, impugnatio locum habere potest tantummodo penes tempus, impugnando, quòd nūc, aut tali tēpore nō insit rei assignatum proprium. In proprij autem assignatione de vna re ad aliam comparata possunt exurgere partim duo, partim quattuor problema-

ta.

ta. Duo quidem, vt si hominis assignetur proprium quòd sit bipes, & non equi: vnde impugnari potest problema, tum si destruatur quòd non sit hominis proprium esse bipedem, tum si construatur quòd equo hæc eadem insit proprietas. Quattuor vero problemata exurgent, si vna cum assignatione habita quòd hominis sit proprium esse bipedem, simul adiũgatur equi proprium esse, vt sit quadruplex. Vnde poterit fieri impugnatio propositionis prædictæ vel si destruatur quòd hominis nõ sit proprium esse bipedem, vel si ostendatur, quòd etiã equi hoc idem sit proprium; vel si destruatur quòd equi nõ sit propriũ esse quadrupedem; vel denique si ostendatur & alterius esse hoc idem proprium: Iccirco hæc problemata (ait Arist.) esse maxime logica, vt quæ latissimum campũ disputandi præbeant, & pluribus ex partibus infringi possint; adeo quòd ad hæc impugnanda plurima argumentorum copia suppetere possunt. Sed & his deseruiũt etiam loca de accidentibus. Propterea quòd si ostendatur aliquid vni inesse & non alteri, erit proprium eius cui inerit aut non erit proprium si & alteri inerit. Loca autem penes proprium acceptũ secundum se & semper, traduntur in primis penes hoc, quòd nõ sit vere facta assignatio: deinde quòd non insit simpliciter proprium, quod supponitur inesse, & loca quidem de non vere aut recte assignato proprio, sunt numero 14. Alia vero loca circa problema generale, quòd non insit proprium, sunt 32. Vnde commode hic liber in tres pręcipuas partes secari potest. Prima continet veluti quoddam proęmiũ, in quo variæ proprij significationes assignantur, de quibus problemata, & loca constituuntur; nec non ordo, seu modus exponitur obseruandus in locis assignatis; vt primo narrẽtur loca, num recte nec ne sit assignatum proprium: dein de vero num simpliciter insit. Secunda pars continet loca ad problemata de proprio, quòd sit recte, aut non recte assignatum. Tertia & postrema pars cõtinet loca generica ad construendũ, seu destruendum quòd insit, aut non insit illud, quod vt proprium assignatum est in esse, aut non inesse.

Summa locorum de proprio, nũ bene, aut non bene sit assignatum.

1 PRimus locus, Ad destruendum ꝙ proprium non sit bene assignatum, erit, si non per notiora sit facta assignatio, vt q̃ assignatum est vt proprium, non sit notius eo, cuius proprium esse ponitur. Ad construendum vero, si sit notius, quod est assignatum proprium.

2 Secundus, Ad destruendum, si nõ sit notius inesse rei ꝓprium, cuius assignatur. Ad destruendum, si sit notius inesse.

3 Tertius, Ad destruendum, si nomen aliq̃ in assignatione proprij, vel tota oratio plura significat: sic enim per ignotiora. Ad cõstruendum, si absit huiusmodi multiplex significatio.

4 Quartus, Ad destruẽdum, si id, cui assignatur proprium, multipliciter dr̃, & non sit facta distinctio, de quo assignetur proprium. Ad construendum vero, si vnum, & simplex sit id, cuius assignatur proprium.

5 Quintus, Ad destruendum, si pluries idem assignetur, vel repetendo idem nomen, vel aliud nomen adiungendo idem significans. Ad construendum vero, si absit huiusmodi vocum repetitio.

6 Sextus, Ad destruẽdum, si in assignatione proprij sit inductum nomen, quod omnibus insit: non enim ab aliquo separabitur id, cuius assignatum sit proprium. Ad construendum, si non commune nomen, sed tale sit allatum, vt separetur ab alijs id, cuius proprium assignatur.

7 Septimus, Ad destruendum, si plura eiusdẽ assignentur propria, nõ facta adnotatione, quòd plura assignentur. Ad construendum, si non plura eiusdem, sed vnum tantum sit assignatum genus.

8 Octauus, Ad destruendum, si in assignatio-

ne proprij adhibeatur id, vel aliquid ipsius, cuius assignetur proprium; ita enim idem per idem, & non per notius erit facta assignatio. Ad construendum, si absque vlla adiectione eius, de quo assignetur proprium, sit facta assignatio.

9 Nonus, Ad destruendum, si aliquid oppositum rei assignetur ℘ proprio, vel simul existens eiusdem naturæ, cuius est etiam oppositum; vel si posterius ab ipsa re assignetur proprium, non recta assignatio; q̃m nō per notiora facta erit. Ad construendum, si nihil eiusmodi sit adhibitum.

10 Decimus, Ad destruendum, si assignetur pro proprio id, quod non semper sequitur, sed quandoque: ita enim neque inesse constabit. Ad construendum, si quod ex necessitate semper inest, sit assignatum propriū.

11 Vndecimus, Ad destruendum, si sit assignatum pro proprio quòd nunc insit, & nō determinetur tale esse assignatum proprium, sic non recte assignatum erit. Ad construēdum, si inexistens nunc proprium, determinetur, vt nunc inexistens assignari.

12 Duodecimus, Ad destruendum, si assignetur proprium, quod extra sensum immanifestum est an insit. Ad construendum, si assignetur proprium non sensu, sed extra sensum etiam manifestum: aut (si sit sensibile) ex necessitate inesse manifestum sit: Veluti q̃ primum coloratum est superficies; quæ semper in corpore apparet, & per ipsam vti primo coloratum corpus videtur.

13 Decimustertius, Ad destruendum, si loco proprij est assignata definitio; nō enim debet propriū ipsum quod quid est iudicare. Ad construendum, si proprium ad conuertentiam prædicatur, non autem indicet ipsum quod quid est.

14 Decimusquartus, Ad destruēdum, si in id, quod quid significat, id est, in quoddam genus nō sit positum proprium quod assignatur. Ad construendum, si primo genus sit assignatum, & iuxta illud postea sit appositū proprium: oportet enim sicuti in definitionibus, ita & in assignatione propriorū primo apponere genus; veluti quòd homo sit animal scientiæ susceptiuum.

Summa locorum de proprio, num simpliciter insit, aut non insit.

1 PRimus locus, Si nullius, vel non cuiusq; est proprium, quod assignatum est, adeo vt de quo nomen, non verificetur oratio; aut de quo oratio, nō verificetur nomē. Ad construendum, si de omni verificatur, vt & nomen, & oratio simul conueniant.

2 Secundus, Ad destruendum, si pro proprio assignetur subiectum eius, quod sit in subiecto: ita enim, q̃m eidem subiecto plura inuicem differentia inesse possunt, idem subiectum contingeret esse proprium plurium diuersorum. Ad construendum, si quod in subiecto est, assignatur proprium subiecti, vt de solo dicatur.

3 Tertius, Ad destruendum, si assignatū proprium sit secundum participationē ad modum communis differentiæ. Ad construendum, si non secundum communicationem, nec secundum quod quid, & tamen ad conuertentiam dicitur de eo, cuius sit assignatum proprium.

4 Quartus, Ad destruendum, si non contingit simul esse cum eo cuius est propriū, sed vel prius, vel posterius: sic.n. non erit proprium, vel numquam, vel non semper. Ad cōstruendum, si simul, & ex necessitate, & semper inest, & nō sit definitio neq; differētsa.

5 Quintus, Ad destruendum, si eorundē, quatenus eadem sunt, non est idem proprium. Ad construendum si eiusdem, quatenus idē, idem est proprium.

6 Sextus, Ad destruendum, si eorum quę eadem specie, non idem est semper specie proprium. Ad cōnstruendum, si eorum, quæ sunt eadē specie, idē semper specie ℘priū.

7 Septimus, Ad destruendum, si dicatur nō idem esse subiectum, cuius assignatur proprium cum subiecto iuncto cum accidenti, & aliud sit habitus, & quod secundum habitum dicitur. Ad construendum, sustinendo quòd non est simpliciter diuersum id, cui accidit, & accidens cum subiecto simul sumptum,

8 Octauus, Ad destruendum, si quod natura inest, ita locutione assignetur, ac si semper inest. Ad cōstruēdum, si quod natura inest, etiam verbis id significantibus assignetur.

9 Nonus, In ijs, quæ dicuntur secundum aliquid aliud primum, aut vt primum ipsum, sicuti in ijs nō est facile assignare propriū, sic est facile redarguere, q̃ non sit assignatū proprium. Nā si eius, quod est sc̄d̄m aliud, aliquid sit assignatum, & de primo verificabitur. Si autem primi positum sit propriū, & de eo quod secundum aliud est prædicabitur: vt si superficiei proprium assignetur q̃ sit colorata, idem erit etiam propriū corporis; et si corpori assignetur vt proprium, quòd sit coloratum, idem erit etiam proprium superficiei.

10 Decimus generalis ad destruendū: Si non est determinatum, quod inest natura, inesse natura, & quod nunc inest, nunc inesse, aut quod primo, aut quod secundum aliud, aut vt primum, aut secundum aliud inesse, aut secundum habere, aut secundum haberi, aut vt participat, aut vt participatur, aut addēdo speciem, cum non sit vna species corū, quæ dicuntur secundum magis, & minus: ijs enim omnibus modis determinanda est proprij assignatio.

11 Vndecimus, Ad destruendum; si idē eiusdem sit positum proprium: ita enim quod quid erat esse, & non proprium assignatum erit. Ad construendum, si non idem sit positum eiusdem proprium, sed ad cōuertentiā dicitur de subiecto.

12 Duodecimus, Ad destruendum in similaribus; si quod toto assignatum est proprium, non competat parti; aut assignatum parti, non competat toto. Ad construendum, si de vnaquaque parte similium erit, etiam de toto idem erit proprium.

13 Decimustertius, Ad destruendum ex oppositis contrarijs; si contrarij non est propriū contrarium, neque erit propositi propriū.

Ad

Ad conſtruendum, ſi eſt contrarij contrarium proprium, etiam propoſiti erit.

14 Decimusquartus, Ex oppoſitis relatiuis ad deſtruendum, ſi non oppoſiti eſt oppoſitum relatiue proprium, neque erit propoſiti. Ad conſtruendum, ſi vnius oppoſiti, & alterius erit.

15 Decimusquintus, Ex oppoſitis ſecundum priuationem, & habitum; ſi habitus non eſt proprium id, quod ſecundum habitum dr̃, neque priuationis erit priuatio proprium. Ad conſtruẽdũ ſi vnius eſt, & alterius erit.

16 Decimuſſextus, Ex oppoſitis ſecundum affirmationem & negationem; ad deſtruendũ vel ex prædicatis erit oppoſiti, & tunc ſi affirmati eſt proprium affirmatum, negatum proprium nõ erit; & ſi negatum eſt ꝓpriũ, nõ erit affirmatum proprium, qui ordo ad conſtruendum deſeruit. Vel ſi oppoſitio ſit ex prædicatis & ſubiectis ſimul; Ad deſtruẽdum, ſi affirmationis affirmatio ſit propriũ, non erit negationis negatio proprium; & e contra. Aut erit ex ſubiectis oppoſitio, ad deſtruendum, ſi quod aſsignatum eſt proprium affirmationis, non eſt proprium, non erit idem negationis proprium; & ſi negationis ſic proprium, non erit idem & affirmationis proprium. Ad conſtruendum autem hic modus non deſeruit.

17 Decimusſeptimus, Ex oppoſite diuiſis ad deſtruendum; ſi in nullo ex vna parte diuiſionis eſt proprium oppoſitũ, neq; alterius erit contra diuiſi proprium alterum oppoſitum. Ad conſtruendum, ſi in vno ex contra diuiſis ſit tale proprium, in altero contra diuiſo erit proprium quid tale, reſpondens alteri contra diuiſo.

18 Decimusoctauus, Ad deſtruẽdum ex caſibus: ſi non proprium huius caſus eſt talis caſus, neq; alterius caſus erit proprium talis caſus; vt ſi non eſt ipſius *iuſte*, proprium *pulchre*, neque *iuſti* erit proprium ipſum *pulchrum*. Ad conſtruendum, ſi vnius, & alterius erit.

19 Decimusnonus, Ad deſtruendum in eiſdem caſibus ex oppoſitis, ſi non eſt oppoſiti proprium oppoſitum, neq; alterius erit; vt ſi aduerbij *iuſte* non eſt proprium *bene*, neque ipſius *iniuſte* erit proprium *male*. Ad conſtruendum, ſi vnius eſt, erit & alterius.

20 Vigeſimus, Ad deſtruendum in ſimilibus ſe habẽtibus, ſi ſimiliter ſe habentis nõ eſt ſimile ꝓpriũ, neq; alterius ſimilis ſimile erit ꝓpriũ. Ad cõſtruendum ſi vnius, & alterius.

21 Vigeſimusprimus, Ad deſtruendum; ſi qđ ſic ſe habet, non eſt proprium eius, qđ ſic ſe habet, neque eius quod ſic ſe habet, erit ꝓprium quod ſic ſe habeat. Et ſi eius quod ſic ſe habet, eſt propriũ quod ſic ſe habet, id non erit proprium alterius, cuius ponitur eſſe primũ. Ad cõſtruẽdũ locus inutilis.

22 Vigeſimusſecundus, Ad deſtruendum; ſi dictum ſecundum eſſe, nõ eſt proprium dicti ſecundum eſſe, neq; erit ſecundum corrumpi, aut fieri, & e contra. Ad conſtruendum, ſi vnius ſit proprium, erit & alterius.

23 Vigeſimustertius, Ad deſtruendum, ſi ideę rei aut ſecundum id quod dr̃ res, non eſt aſſignatum proprium, neq; ipſius rei erit ꝓprium. Ad conſtruendum, ſi ſecũdum ideã, aut ſecundum ꝗ dicitur res, eſt proprium, erit etiam eius rei, cuius poſitũ eſt ꝓpriũ.

24 Vigeſimusquartus, Ad deſtruendum; ſi qđ magis eius quod magis non eſt proprium, neq; minus eius quod minus, neq; minime eius quod minime, neque maxime eius qđ maxime, neq; ſimpliciter eius quod ſimpliciter. Ad conſtruendum, ſi quod magis, eius quod magis, proprium; igitur & minus, qđ minus: & minime eius quod minime; & maxime eius qđ maxime; & ſimpliciter eius, quod ſimpliciter inerit proprium. Et e cõuerſo a ſimpliciter ad alia, ad deſtruendũ; ſi non ſimpliciter eius quod ſimpliciter, non eſt proprium, neq; aliorũ erit. Ad conſtruẽdum ſi ſimpliciter, eius quod ſimpliciter eſt proprium, & aliorum erit proprium.

25 Vigeſimusquintus, Ad deſtruẽdum: ſi quod magis eſt, non eſt proprium eius, quod magis eſt, ergo neque quod minus proprium, erit eius, quod minus proprium. Ad conſtruendum ſi quod eſt minus, eſt eius, qđ minus eſt, proprium, ergo & eius quod magis eſt, erit proprium quod magis eſt ꝓprium.

26 Vigeſimuſſextus, Ad deſtruendum: ſi non eſt ꝓprium eius, cuius magis eſſe deberet, ergo neq. eius erit, cuius minus eſſe debet. Ad conſtruendum: ſi eius quod minus eſt, proprium eſt, ergo & eius, cuius magis eſſe debet.

25 Vigemuſſeptimus, Ad deſtruendum: ſi qđ magis eſt proprium, nõ eſt proprium, ergo neque quod minus. Ad conſtruendũ, ſi qđ minus eſt alicuius proprium, eſt proprium, ergo multo magis, cuius magis eſt, propriũ erit.

28 Vigeſimuſoctauus, Ex ſimiliter exiſtentibus ad deſtruendum: ſi quod ſimiliter eſt proprium, eius, cuius ſimiliter eſt propriũ, erit proprium.

29 Vigeſimuſnonus, Ad deſtruendum: ſi quod ſimiliter eſt proprium, non eſt proprium, ergo neque aliud erit. Ad conſtruendum: ſi quod ſimiliter ſe habet eſt proprium, ergo & aliud ſimiliter ſe habẽs erit propriũ.

30 Trigeſimus, Ad deſtruendum, ſi cuius ſimiliter eſt proprium, non eſt proprium, ergo neque alterius cuius ſimiliter deberet eſſe proprium: ſi autem vnius propriũ, non erit alterius proprium. Ad conſtruendum inutilis locus.

31 Trigeſimuſprimus, Ad deſtruendum, ſi ſecundum potẽtiam aſſignatum; etiam ad nõ ens potentia aſsignetur, non recte aſsignatum erit proprium. Nam non contingit potentia aliquid ineſſe, cum ens non ſit. Ad conſtruendum; ſi aſsignetur potentia, aut ad ens, aut ad illud, quod non exiſtens contingit ineſſe, ſic nil prohibet recte aſsignatum genus.

32 Trigeſimuſſecundus, Ad deſtruendum: ſi aſsignatum ſit proprium per ſuperabundantiam, non recte erit aſsignatum proprium: Contingit enim non verificari nomen, de quo ſit aſsignata oratio: quoniam, corrupta re, erit oratio. Ad conſtruendum, ſi non ſecundum ſuperabundantiam poſitum ſit proprium.

Adnotat. in primam Partem lib. 5. Top.

L*Ogicum autem eſt problema.* Ait, problema Logicum illud eſſe, circa quod plures rationes, & pulchræ haberi poſſunt. Etenim ſi multæ, ita maxime Logicum euadit problema, cum hinc pulchræ, & valentes diſputationes extendi poſſint; & huiuſmodi ſunt problemata propriorum, quæ per ſe, & ſemper inexiſtunt, vel etiam vt ad aliud referũtur propria, de quibus dictum eſt, q̃ poſſunt haberi diſputationes iuxta quattuor genera problematum; non ita autem contingit circa proprium ad tempus quoddam limitatum, cum penes hoc exiguus adſit ad ratiocinandum campus.

Ad aliud igitur proprium dictum. Circa proprium ad aliud relatum, aduertit loca potẽtia eſſe, quæ tradita ſunt de accidenti. Nam quod huic accidere, illi vero non accidere oſtenſum erit, ſic proprium erit vnius relati ad alterum.

Adnot. in ſecundam Partem lib. 5. Top.

E*Ius autem quod bene, aut non bene.* Circa ꝓpria per ſe inexiſtentia Ariſtot. primo tradit loca num bene, aut non bene ſint aſſignata, inter quæ hoc ſatis cõmune in plures partes diuiſum aſſignatur; ſi non ſit notius proprium eo, cuius proprium aſſignetur; eſt quippe hoc peccatum in aſſignatione proprij, quod aſſertur pro rei notitia, ſicut & definitio.

In 3. *Deinde deſtruendi quidem, ſi quod nominum.* Infirmatur aſſignatio proprij, ſi ſit facta per nomen multa ſignificans, hinc enim obſcuritas oritur, cum tñ addiſcendi gratia proprium aſſignetur. Accedit q̃ & redargutioni patebit magis huiuſmodi aſſignatio, cum in varios ſenſus trahi poſſit nomen multipliciter dictum.

In 5. *Deinde deſtruendi quidem, ſi frequenter dictum eſt idem in proprio.* Iure infirmatur propriũ, qm̃ in huiuſmodi aſſignatione cõturbatur mens audientis idem frequenter dictum. Poteſt autem vel idem nomen repeti, veluti dicendo, ignis eſt corpus tenuiſſimũ corporum: vel aliud æquiualẽs, vt pro nomine orationem; veluti q̃ terræ propriũ ſit ſubſtantiæ, quæ maxime corporum ſecundum naturam fertur in inferiorem partem terræ: nam huiuſmodi ſubſtantiæ ipſa quoq. corpora erunt: vnde obſcuritas, & nugacitas exurgit.

In 6. *Si tale aliquid aſſignatur in proprio nomẽ quod omnibus inſit.* Hunc in modum, cum nõ diſtinguatur proprii aſſignatio ab alijs rebus, vt debet fieri: ideo impugnatur; quod cõuenit etiam definitioni.

In 7. *Nam quemadmodum nec in terminis.* Sicuti in definitionibus oportet aſſignari ſolum illud, quod indicat ſubſtantiam rei, ſic in ꝓprij aſſignatione, non niſi id, quod facit ꝓprium: alioquin impugnatur.

In 12. *Si manifeſtum non eſt aliter ineſſe quàm ſenſu.* Infirmatur proprij aſſignatio, ſi extra ſenſum non ſit manifeſtum quod aſſignatur ꝓ proprio. Seorſum enim a ſenſu non apparebit an ſit illud, quod vt proprium rei aſſignatum erit. Et huius dicti affert Ariſt. rationem: qm̃ omne ſenſibile, (extra ſenſum) immanifeſtum eſt: nempe quatenus ſenſibile. Et hinc colligitur, q̃ ſi ſenſibile extra ſenſum non percipitur, ergo ab intellectu percipi non poteſt ſingulare, quod eſt ſenſibile: prout eſt oſtenſum quoque in lib. 2. Prior. Analyt. in cap. de deceptione ſecundum ſuſpicionem.

Si non quidpiam in quid eſt ponens. In loco 13. præcedenti dictum eſt, perperam aſſignari proprium, ſi aſſignetur ſignificans ipſum quod quid erat eſſe: hic vero dicitur peccari circa proprium, ſi non ponatur q̃dpiam in quid ſignificans. Dicendum in ſuperiori loco excludi, ne in propria aſſignatione conſiſtat rei definitio. In hoc autẽ alio ſupponitur requiri, vt ponatur genus in aſſignatione ſpeciei (quod quidem genus ſignificatur per quid) abſque tamen adiũctis differentijs ſubſtantialibus, ex quibus cum genere conſtituitur definitio. Conuenit autẽ in proprij aſſignatione apponere genus, vt magis innoteſcat id, q̃d ponitur alicui ineſſe, vt eius proprium: vnde proprij aſſignatio quadam oratione exponi debet.

li. 2. Prio. Analit. cap. 21. In 14. loc. Dubit.

Adnot. in 3. & poſtremã partẽ lib. 5. Top.

In 3. S*I ſecundum participationem.* Infirmatur ꝓprium, ſi ſit aſſignatum ſecundum participationem eſſentiæ ſpeciei: ita n. erit aſſignata differentia ſubſtantialis pertinens ad quidditatem rei, quam non continet proprium.

In 6. *Hic autem locus falſus eſt.* Ait deſtrui proprium, ſi non inſit ſpecie idem propriũ eiſdem ſpecie exiſtentibus. veluti, qm̃ idẽ ſpecie ſunt homo, & equus, quatenus ſunt ſub animali, & non eſt proprium equi ſtare a ſe, non erit etiam proprium hominis moueri a ſe: quod eſt idem ſpecie cum hoc alio, nempe ſtare a ſe: Et vt hominis proprium eſt eſſe bipes greſſibile, ſic aui inerit eſſe bipes volatile: falſus autem locus: ſi ſint plures ſpecies, quibus inſit vnum, alterum vero vni tantum inſit ſpeciei, vt quadruplex pluribus ineſt.

In 9. *Calumniabitur autem aliquis multa propriorũ.* Vbi cadit idem & diuerſum (quemadmodũ idem eſt aliqualiter ſubiectum cum accidẽte, & etiam eſt diuerſum) hic poteſt impugnari proprium, q̃ nõ ſit ſolius, ſed pluriũ. Defendens autem aſsignationem poteſt dicere, q̃ non eſt abſolute aliud ſubiectum, & accidens cum ſubiecto: ſed ſolum q̃ eſſe ipſis eſt diuerſum: qm̃ non idem eſt homini eſſe, quòd ſit homo: & eſſe albo homini, q̃ ſit albus homo.

In 8. *Si quod natura ineſt.* Impugnatur propriũ, ſi quod ineſt natura, tali ſermone aſsignetur,

tur, vt supponatur semper inesse: nam qđ inest natura, non semper est in re: veluti, ꝙ homo sit bipes: potest enim esse & aliquis homo non bipes, vel ab ortu, vel casu, quo priuetur pedibus; vnde oportet assignare proprium secundum naturam, supponendo in sermone, ꝙ ita res sit apta esse, & non ꝙ semper insit.

In 10.

Accidit in quibusdam proprijs. Animaduertit committi peccatum in assignatione ꝓprij, qm̄ non fiat limitatio eius quod assignatur: vel quod natura, id quod est natura; vel qđ nunc est nūc inest; vel quod vt primum, aut secundum alterum insit, & in alijs hmōi.

In 16.

At hic locus falsus est. Videlicet ꝙ si assignatum proprium non est affirmationis, deberet esse proprium negationis. Et ratio est, qm̄ affirmatio negationi omni non inest, negatio autem affirmationi inest, at non vt propriom inest.

In 24

Si ideæ non inest, aut si non secundum hoc secundum quod dicitur id, cuius est proprium. Addidit postrema verba, ne omnino opinionem idearum probare videretur.

In 30.

Differt autem quod ex similiter se habentibus. In loco 20. assignatum est proprium a similiter se habentibus, verum secundum proportionem; vt sicut se habet ad extruendū ædificium ædificator, ita medicus ad efficiēdam sanitaetm. At hic alius locus fit in similiter, inexistentibus, vt in his contemplatio habeatur secūdum ea, quæ similiter insunt; & multi loci penes hanc considerationem adducti sunt.

In 31.

Si potentia proprium assignans. Impugnatur proprium, si sit potēcia assignata etiam ad non ens, adeo vt insit potentia, etiam si nō sit ens; veluti aeris proprium esse respirabile: nam non exisiente animali, quod est aptum respirare, aer quidem erit; at non tale vt possit respirari: ideo non proprium aeris, quòd sit respirabilis.

Argumentum in librum 6. Topicorum.

DE locis circa problemata definitionis acturus Arist. quoddam veluti proœmium præmittit, quo docet pluribus ex partibus conflari negocium dialecticum circa definitiones; quæ ad generalia quinq; capita redu- cuntur. Primum concernit proble ma, num quæ afferuntur pro definitione, insit rei cui assignātur. Secundum pertinet ad genus (sub quo etiam differentiæ reuocātur) num in genere proprio posita sit res definienda. Tertium habet contemplationem, num propria sit rei assignata definitio. Quartum habet hanc aliam, num prædictis omnibus existentibus, sit nec ne definita res definienda. Quintum & postremū, num bene sit assignata definitio. Ac tria quidem capita prima a dialectico absoluuntur hunc in modum: primū quidem per loca ante tradita circa problema accidentis, num insit, aut non insit ea, quę assignantur pro definitione. Secundum per loca circa genus: Tertiū per loca circa proprium, vt ex his locis argumentationes desumantur, tum ad destruendum, vel cōstruendum ꝙ sit, aut non sit proprium genus assignatum in definitione rei; tū quòd propria, aut nō propria sit assignata definitio. Reliqua vero duo capita circa problema definitionis sunt absoluēda in hoc libro; tum hoc, num sit definitum quod supponitur definiendum: tum hoc aliud, num bene, aut non bene sit assignata definitio: qđ inter omnia de definitione problemata, difficillime astrui potest, vti illud, qđ subijcitur quàmpluribus peccatis; & ideo plurimis patet, & expositū est oppositionibus. Et ab hoc q- dem capite sumit exordiū Arist. tractans loca, quibus coargui potest definitio, quòd non sit recte assignata. Quod et bipartitā habet tractationem, tum hāc, quòd immanifesta coarguatur definitio, cuius oppositionis sex traduntur loca; tum hanc aliam ꝙ contineat superuacanea; vtrumq; .n. vitium inesse potest assignationi traditæ de definitione. Et huius oppositionis quinq; afferuntur loca. Deinde vero penes proble- ma, num sit definitum, quod supponitur definiendum, plures spe

culationes habentur.

Primo in genere circa definitũ absolute per se solum consideratum, de quo loca traduntur numero 39. Secũdo penes definitũ, quod aliquã ad aliud habeat relationem, & de hoc afferũtur loca 13. Tertio circa æquiuoca, & multipliciter dicta, & secundum aliquam complexionem, loca 10. afferuntur. Quarto & vltimo extenditur speculatio circa ea, de quibus definitiones assignantur dicentes id esse hæc, vel ex ijs, vel hoc cũ hoc; & de huiusmodi problemate loca 14. traduntur; quibus & quattuor generalia documenta adduntur: & ita huic libro sexto finis imponitur. Qui commode in septem primarias partes secari potest. Prima pars Proœmium cõtinet complectens cunctam methodum obseruandã circa problemata definitionis. Secunda est de locis ad redarguẽdum, quòd non si recte tradita, quoniam superuacanea sint allata in definitione. Quarta habet explicata loca, penes res, quæ absolute, & secundum se definitę supponuntur. Quinta versatur circa loca spectantia ad res secundum quandam relationem definiẽdas. Sexta est circa loca attinẽtia rebus, quæ æquiuoce, & secundum aliquam complexionem dicũtur. Septima, & postrema pars loca complectitur rerum, quæ definiũtur his modis; vel quòd sint hæc: vel quòd ex his constet: vel quod hoc cum hoc sit.

Adnotat. in primam Partem lib. 6. Top.

A*Ut enim quod non est verum.* Animaduertit Arist. quòd in consideratione quæ habeatur num aliquid insit alicui, nec ne in genere habita, nihil aliud quæritur, nisi nũ sit verum, aut falsum quòd profertur; adeo q; nec necessarium inesse, nec contingenter inesse, sed simpliciter solum aut inesse, aut non inesse hunc in modum cõsideratur; qđ quidem aut verum continet, si inest: aut nõ verum, sed falsum, si non inest; vt ita applicetur huiusmodi consideratio propositioni dictæ de inesse: quemadmodum etiam constitutum est in sect. 4. Perih. & in fine lib. 1. Prior. Analyt.

Aut quòd cum sit genus. Improbatur definitio, si non sit posita species sub suo genere. Et cum dicat Arist. *cum sit genus, non positum est sub genere,* hęc non inquit, quasi aliqua species possit assignari, quæ non habeat genus. Sed pertinet hoc enunciatũ ad suprema genera, quibus non est superius genus, quæ etiam non proprie definiuntur. Et cũ subiungit, q; etiam debet poni quod definitur in proprio genere, addens postea quòd oportet ponentem in genere adiungere differentias. Interpretatur Suessanus ex adiunctione differentiarum reddi propriũ genus. *Sueff. Impug.* Sed ex aduerso dici potest, non esse necessarium, vt per appositionem differentiarum genus reddatur proprium, cum etiã generis non proprij, sed communis possint esse differentiæ. Idcirco melius videtur dicendum, absolute dictum esse ab Arist. adijciendas esse differentias vna cum genere, quia & hæc requiruntur in definitione assignanda; cum præsertim applicauerit differentiam sub genere in præsenti contẽplatione habita de definitione. Cum aũt subiungit, q; maxime eorum quæ sunt in definitione, genus definiti videtur substantiam significare, hinc oritur difficultas, quũ in lib. 7. Met. cap. 3. constitutum est, q; forma magis est substantia, q̃ materia: generi aũt attribuitur materia, sicuti forma differentię; *Dubit. li.7.Met. c.3.* & in lib. sequentibus eiusdem operis cuncta, atque cõpleta ratio definitionis adscribitur postremæ differentiæ speciei. Huic difficultatl occurrens Alex[illegible] in suis huius loci commentar. inquit, idcirco genus videri maxime significare substantiam, quoniam in quid prædicatur, d[illegible]fferentia vero in quale. *Alex.* Item addit, q; genus separat rem ab his quæ sunt alterius generis; at differentiæ similes sunt extraneis, quæ sunt a latere, & sunt consanguinea. Verum simpliciter retinendo sententiam prædictam explicatã [illegible]n lib. Met. q; differentia, vt dicens formam, est magis substantia, q̃ genus, dicimus q; Arist. non dixit hoc loco absolute, q; genus maxime significet substantiam; sed q; ita videtur; quema[illegible]modum etiam in lib. 7. Met. cap. 3. dr̃ videri maxime substantiam esse materiam, quũ omnibus substernatur compositis. Addamus, q;, vt substantia composita maxime videtur substantia, iuxta communem rõnẽ prædicamen[illegible]orum, & constat ex materia, & forma; ita genus continens materiam & formam genericã pa[illegible]ter videtur maxime significare substantiam: vnde & genera substantiarum posita fuerunt in prædicamẽto substantiæ; non autem differeutiæ, vt quæ simplicem significent formam.

Sunt autem eius, quæ non bene partes duæ. Quòd non bene assignata definitio, bipar-

tita est consideratio, partim si non per notiora assignetur: ita enim non præstabitur munus definitionis, quod est rem manifestã reddere; partim, si superuacanea sint adiuncta; hinc enim coufusio oritur, & consequẽter obscuritas in assignatione definitionis.

Summa locorum ad destruendum, quòd non sit recte assignata definitio, quoniam non per manifesta.

1 PRimus locus, Si in definirione aliquod æquiuocum sit assumptum, ex æquiuoco enim immanifestatio prouenit.

2 Secundus, Si definiendum sit æquiuocnm & non sit distinctum, in quo significatu accipiatur.

3 Tertius, Si secundum metaphoram sit assignata definitio.

4 Quartus, Si in definitione afferãtur nomina inusitata.

5 Quintus, Si ex definitione assignata, non apparet contrarij definitio, quæ debet innotescere.

6 Sextus, Si prolata ex se ipsa definitio non appareat cuius nam rei sit definitio.

Adnotat. in secundam partem lib. 6. Top.

In 1. M*Axime autem contingit tale quidpiam facere.* Iure definitio assignata per aliquod ęquiuocum impugnatur; qm̃ ad omnia sub æquiuoco contenta non verificetur; & impugnatio maxime locum habet, si lateat æquiuocatio, & distinctio æquiuocorum nõ sit facta, in quam significationem æquiuoca vox sit accepta.

In 2. *Alius, si secundum Metaphoram dixerit.* Impugnatur etiam definitio, si sit tradita per Metaphoram duplici ex capite; tum, qm̃ obscurum sit id, q̃ est prolatum per Metaphoram: tum, qm̃ non proprium nomẽ sit assumptum in definitione, vti conuenit. (Dubit.) At dr̃ in loco quarto, q̃ Metaphora facit quodammodo notum. (Solut.) Vnde ad hanc apparentem contradictionem dicendum, reprobari Metaphoram a definitione, qm̃ per ipsam non assignatur proprium nomen: nihil aũt prohibet, q̃ in comparatione nominum non propriorum afferat quandam notitiam Metaphora ex similitudine prouenientem, quam debet habere Metaphora ad rẽ cuius similitudinem præsefert; qua recte vti & accommodata, est viri ingenio pollentis, qui sciat aptas similitudines inuenire, vt dr̃ in libro Reth. vbi est sermo de vrbanis dictis. (li. 3. Reth)

Aut si per se dicta, non manifestum cuius sit definitio. Id est dicere, q̃ obscure sit tradita illa definitio, qua seorsum ꝓlata a definito, non cognoscatur, sed immanifestum sit, cuius sit definitio. Nam sicuti nomen, vt dicitur in Proęm. Phys. per se prelatum innuit (licet cõfuse) rei definitionem, ita definitio, si recte sit tradita, & clare, ex eius prolatione debet innotescere, cuius nam sit definitio. (li. 1. Phy. c. 1.) Cum autem hoc loco subiungit Arist. q̃ definitio non manifestans de se definitũ, similis est ijs, quæ sunt antiquorum scriptorum, Grece habetur γραφέαν, quæ nõ cognoscebantur, quid vnumquodq; esset, nisi quis superscripsisset; hoc dictum interpretatur Suessanus, & nonnulli alij de Epitaphijs antiquorum, quę non cognoscebantur, quorum nam essent, nisi quis superscripsisset. (Suess.) Verum cum vox Græca possit etiã significare *pictores*, idcirco non absurde forte interpretaremur, applicando dictum ad pictores antiquos, quorum imagines depictæ non cognoscerentur, quorum nã essent imagines, nisi ad ipsas scripta fuissent nomina eorum, quorum imagines essent depictæ; horum enim notitia longe aberat a cognitione posterorum.

Summa locorum ad destruendum definitionem quoniã per superuacanea sit tradita.

1 PRimus locus, Si sit assignatum pro definitione, quod vel omnibus simpliciter insit, vel omnibus contentis sub eodem genere: nam definitio, sicut terminus in agris, rem a re debet disterminare.

2 Secundus, Si appositum sit proprium in definitiõe, quo sublato, adhuc restat in alijs substantiæ rei manifestatio.

3 Tertius, Si quid in definitione apposium sit, non existens in omnibus speciebus definiti.

4 Quartus, Si idem sępius sit repetitum in definitione.

5 Quintus si vniuersali nomini sit adiunctũ etiam particulare. Vt si æquitas, ipsa ἐπιέχια, definiatur, quòd sit imminutio expedientium & iustorum: etenim omne iustum est expediens; vnde superuacanea appositio vocis iustorum.

Adnotat. in tertiam partem lib. 6. Top.

S*I aliqua vsus est, quod omnibus insit.* Redarguitur definitio vti superuacanea, si in assignatione adest id, quod omnibus inest, aut his, quæ sunt sub eodem genere. At dicet aliquis, debet competere contentis sub genere genus idem, & non solum genus, sed etiam aliquæ differentiæ. Idcirco intelligendum est hoc dictum de definitione cuncta, quæ omnibus rebus, aut contentis sub genere omnibus, conueniens sit assignata; non enim hũc in modum res a re distingueretur, seu seiungeretur, quod debet præstare definitio.

Nam talis peius definiuit. Si quid positum in definitione non competit omnibus contentis sub specie, hinc etiam redditur definitio, vti superuacanea, habens quod no

om-

omnibus contentis sub specie competit: & hunc in modum ait Arist. peius definiri, quàm si (vt dictum est in primo loco) assignetur in definitione aliquid, quod sit commune omnibus; quoniam, (hoc sublato) reliqua cum sint propria, omnibus conuenient. At in hoc alio loco non potest haberi definitio, cum non competat omnibus contentis sub specie; nam sic non fiet conuersa prædicatio.

In 4. *Sed non propter hoc absurdum aliquod accidit.* In hoc exemplo allato, quod homo sit animal gressibile bipes, licet homo sit bipes, non committitur aliquod absurdum, dicendo quod homo est animal gressibile bipes, quasi bis idem, nempe *bipes* dicatur; & ratio huius est: quoniam bipes non de solo gressibili dicitur, verum etiam de animali volatili; quod si de solo gressibili diceretur, iure redargueretur ista definitio, vt bis idem continens. Vnde subiungit Arist. non esse absurdum bis dicere idem nomen; sed frequenter de aliquo idem prædicari: veluti esset dicere quod refrigeratio, est priuatio caloris, qui secundum naturam; nam constat priuationem esse rei secundum naturam.

Summa locorum ad destruendum simpliciter quòd non sit tradita definitio rei, quæ supponitur definita.

1 PRimus locus. Si nō ex simpliciter prioribus, & notioribus sit tradita definitio.

2 Secundus, Si rei stabilis, ac certæ sit assignata definitio, per incerta & instabilia.

3 Tertius, Si sit assignata per contrarium, ita enim non ex prioribus.

4 Quartus, Si adhibeatur definitum simul in definitione.

5 Quintus, Si per contra diuisum definiatur contra diuisum, vt impar quod sit maius pari: non enim sic elucescit definitio; vti neque tradita per contrarium.

6 Sextus, Si per ea, quæ sunt infra assignetur; ita enim & definitum erit assumptū in definitione, quòd est infra genus.

7 Septimus, Si non apponatur genus in definitione.

8 Octauus, Si non assignetur definitio ad omnia, ad quæ potest assignari.

9 Nonus, Si non ad melius, sed ad peius sit facta definitio.

10 Decimus, Si fiat transitus ad genera, vt non apponatur definiti proprium genus.

11 Vndecimus, Si non sint assignatæ generis differentiæ.

12 Duodecimus, Si quid tale assignatum sit, quod nullius possit esse differentia.

13 Decimustertius, Si assignatæ differentiæ non est contraria differentia.

14 Decimusquartus, Si contra distincta differentia, non verificatur secundum genus.

15 Decimusquintus, Si differentia contra distincta adiuncta generi, non constituit speciem.

16 Decimussextus, Si negatione diuiditur genus, quoniam sic participabit naturam speciei.

17 Decimusseptimus, Si species sit assignata pro differentia.

18 Decimusoctauus, Si genus positum sit pro differentia.

19 Decimusnonus, Si non quale quid significet apposita differentia.

20 Vigesimus, Si differentia assignata insit secundum accidens.

21 Vigesimusprimus, Si differentia prædicetur de genere, aut species de genere, aut aliquid inferius speciei.

22 Vigesimussecundus, Si de differentia prędicetur genus.

23 Vigesimustertius, Si species, vel aliquid inferius prædicetur de differentia.

24 Vigesimusquartus, Si differentia non sit prior specie.

25 Vigesimusquintus, Si differentia sit alterius generis non contenti, neque inuicem continentis.

26 Vigesimussextus, Si differentia sit assignata explicans rem alicubi esse: nō enim substantia differt a substantia ex eo quòd alicubi sit.

27 Vigesimusseptimus, Si passio sit assignata pro differentia, & per alterius; ita enim auferenda redderetur differentia, & non subsisteret.

28 Vigesimusoctauus, Si rerum quæ ad aliquid, nō ad aliquid assignata est differētia.

29 Vigesimusnonus, Si differentia non est assignata ad id solum, ad quod est apta se habere.

30 Trigesimus, Si non ad id, cuius primū est, non sit assignata differentia.

31 Trigesimusprimus, Si non est susceptiuū eius, cuius dicitur definitus affectus, vel dispositio.

32 Trigesimussecundus, Si tempore non cōueniat definito assignata definitio; vt quod immortale sit, quòd nunc est incorruptibile, actum præsentis temporis per ipsam particulam *nunc* intelligendo.

33 Trigesimustertius, Si definiendum magis modo dicitur, quàm per definitionem allatam; vt iustus magis est, qui eligit æquum distribuere, & qui potest distribuere.

Trigesimusquartus, Si definitum suscipit magis & minus, & nō definitio; vel è cōtra. li. 1. Phys. li. 1. Post. Analyt. li. 1. Met. Impug. Auer.

35 Trigesimusquintus, Si & definitum suscipiunt magis & minus, non autem simul augmentum suscipiunt.

36 Trigesimussextus, Si quo res magis dicitur, definitio minus dicitur.

37 Trigesimusseptimus, Si idem inest similiter propositis; sed aliud non similiter propositis inest: sed altero magis inest.

38 Trigesimusoctauus, Si ad duo sit assignata definitio.

39 Trigesimusnonus, Si in generibus, & differentijs, & in alijs dissonent in aliquo orationes pro nominibus assignatæ.

Adnotat. in tertiam partem lib. 6. Top.

In 1. MAnifestum igitur quòd qui per talia definit, non definit. Ostēdit Arist. absolute

non

nõ tradi definitionẽ, nisi sit tradita per notiora, & priora, qualia in demonstrationibus requiruntur. Nam si non per hæc, sed per alia non simpliciter notiora & priora tradatur, continget plures esse definitiones eiusdem rei; quod est impossibile, cũ definitio dicat esse rei, esse autem cuiusq; rei est vnum tantum. Dat autem manus, q̃ põt ẽt apud vulgares tradi rerũ definitiones per notiora apud ipsosq́: veluti est definire, per puncta, per lineam, & lineam per superficiẽ, & hanc per corpus. Verumtamen non ꝑfecta definitio hunc in modum habetur; quæ etiam potest multiplex esse; qm̃ alia alijs, & eisdem etiam diuerso tempore modo notiora, & modo nõ notiora apparere possint. At definitio simpliciter per notiora, & priora tradita, perfectam & immutabilem continet essentiam rei; vt quæ procedat per genus, & differentias, quæ sunt priora specie; adeo vt illis sublatis, tollatur species, & nõ è contra; & cognitis differentijs, & genere, non propterea cognoscitur species; sicuti cognita specie, etiam genus, & differentia ex necessitate erunt nota: vtpote, quæ (vti priora & notiora) ad speciei notitiam, sicuti, & ad constitutionem eiusdem requirantur. Sed inquit Arist. q̃ ad huiusmodi definitiones peruenire pertinet ad intellectum exactiorem, & digniorem, & melius dispositum, q̃ cõmuniter inuenitur in hominibus; sicuti & simpliciter salubria pertinent ad illos homines, qui bene habent affectum corpus. Exinde concludit, præcipue esse impugnandam definitionem, si non sit tradita ex simpliciter notioribus, & prioribus; adhuc etiam si neque ex notioribus penes vulgũ sit assignata; prout occasio tulerit opportunitatem oppugnãdi. Verba autem illa quæ latine ita leguntur, *nisi contingat idem nobis notius esse & simpliciter*. Sed Græce ita legũtur, ἐαν' γὰρ μὴ τυγχάνῃ εἰναι, idest *siquidem non contingit idem nobis notius esse, & simpliciter*; vt sit sensu, in quo redditur ratio, q̃ ex notioribus nobis, nõ manifestatur propria definitio, qm̃ eadem nõ sint nobis notiora, & simpliciter. Et hoc cõuenit cum dictis in Proœmio Phys. & in lib. 1 Post. Analyt. & in lib. 1. Met. in quibus omnibus locis dicitur, quòd non est idem nobis notum, & natura. Vnde ruit sententia Auerrois decernentis esse genus vnum demonstrationis factæ ex notioribus tum nobis, tum simpliciter, seu secundum naturam.

li. 1. Phys. li. 1. Post. Analyt. li. 1. Met. Impug. Auer.

In 2. *Alius si eius quod in quiete est & definitum, per id quod est indefinitũ, & in motu*. Locus præsens est diuersus a prȩcedẽti, magis specialis existẽs; qm̃ ille erat generalis, q̃ nõ recte tradita esset definitio, si non ex notioribus & prioribus procederet, attenta notitia, aut simpliciter accepta aut quo ad nos: hic autẽ alius est magis specialis continens nõnulla, q̃ in natura sint minus nota; veluti, si qđ est in quiete ꝑ motum, & q̃ est definitũ, ꝑ indefinitũ definiatur. Nã qđ in motu est, & indefinitũ posterius, & ignotius est eo, quòd in quiete, & definitum est; siquidem definitum comprehendi magis potest quàm indefinitum; sicuti & quod in quiete existit, magis comprehenditur, q̃ quod in motu versatur: cum motus sit difficilis cognitionis. Sũt autem priora, quæ sunt in quiete, & definita: qm̃ a natura intenditur prius quies, vt q̃d perfectum existẽs relata ad motum: nec nõ indefinita debent ad definitũ tendere, tanquam ad perfectius. Alex. affert exemplum, vt si Idea definiatur per ea quæ facta sunt: cum ipsa sit immobilis, & definita. Aut exẽplum erit, si scientia definiatur, q̃ sit habitus per disciplinam acquisitus. Aut q̃ Deus est opifex factorum, cum sit immobilis.

Alex.

In 3. *Ipsius autem ex non priori tres modi sunt*. Afferuntur seorsum tres modi, quibus cõtingit definitionem tradi ex non prioribus: q̃bus consequitur q̃ etiam non sit ex notioribus definitio. Vnus est, qñ contrarium per contrarium definitur. Secundus, qñ definitum accipitur in definitione. Tertius, cum contra diuisum per cõtradiuisum definitur, vt impar per par. Additur & alius modus, cũ per id quod infra, definitur id quod supra: modus, qui recidit in secundum: in quo definitum accipitur in definitione: nam inferiora definiti tanto minus sunt priora.

In 6. *Secundus, si existente re in genere*. Appellatur secundus locus in genere, ordine tñ sextus assignatus. Nam primus locus fuit, si definitio assignetur non ex notioribus, & prioribus, tum quo ad nos, tum quo ad naturam: & sub hoc reuocantur adducti modi omnes continentes hoc, q̃ non ex prioribus fiat assignatio. Consequenter secundus locus est, quo ad impugnationem in genere, si non apponatur ipsum quod quid in definitione: idest ipsum genus, cuius est ꝓdicari in quid: est enim is alius locus a prȩdictis, in quibus continetur in genere impugnatio definitionis: quoniam non assignetur ex prioribus & notioribus.

In 16. *Amplius si negatione diuiserit genus*. Ad diuisionem generis factam per negationẽ, seq̃tur hæc impugnatio, q̃ genus participabit speciem, vnde efficeretur species: quod patet. Nam de quocunque est vera affirmatio, vel negatio; igitur diuisio assignata per negationem ex altera parte verificabitur de genere, vti de specie: veluti q̃ linea sit magnitudo sine latitudine. Et hunc locum aduertit Arist. facere aduersus ponẽtes ideas: hoc est aduersus illos, qui ponunt genus vni cum numero. Aduertit etiam Arist. interdũ opus esse diuisionem facere per negationẽ, vt in priuationibus. Item aduertit, nihil referre, sed idem esse, si affirmatione fiat diuisio: qua necesse est è diuerso diuidi: vt si lõgitudo dicatur habens latitudinem: ita. n. ex aduerso diuiditur, & separatur non habens latitudinem.

In 22. *Rursum si prædicatur genus de differentia*. Redarguitur definitio, si in ea genus prædicatur de differentia, ita enim fiet; vt genus bis prȩdicetur de specie, tum ratione sua, vt genus est, tum ratione differentiæ, quod absurdum allatum est etiam in lib 3. Met. Præterea ita fieret quòd differentia esset species, vel indiuiduum speciei: nam sicuti omne animal, aut est species, aut indiuiduũ speciei, ita quoque differentia, si de ea prȩdicatur hoc genus aial, aut esset species animalis, aut tale indiuiduum animal.

li. 3. Met. c. 5.

An

In 25. *An non impossibile eandem differentiam duorum generum esse.* Dixerat, diuersorum & nõ subalternatim positorum easdem esse non posse differentias: quod enunciatum ita limitat, nisi s. sub altero genere ponantur: ita n. possunt esse eędem differentiæ generum diuersorum, & non subalternatim positorũ; sed positorum sub vno communi genere.

li. 1. Pręd. Adnotandum autem in 1. parte lib. Prædic. dictum esse absolute, q̃ non subalternatim positorum generum sunt diuersæ differentiæ, nempe constitutiuæ speciei: hic autem sermo est vniuersalis, secundum qualcunq; differentias, vel diuisiuas, vel constitutiuas.

In 35. *Ut si amor concupiscentia conuentionis est.* Remouet q̃ amor sit concupiscentia conuentionis, q̃ñ magis amans, non magis concupiscit: vnde amor proprie non consistit in cõcubitu; quod etiam attigit Arist. in libro 2.

li. 2. prio. Analyt. Prior. Analyt. in tractatu ratiocinationis secundum conuersionem.

In 35. *Amplius si ad duo definitionem assignauit secundum vtrumq;.* Ita intelligitur assignari definitio ad duo secundum vtrumq;, vt puta, q̃ bonum sit delectabile secundum visum, aut secundum auditum: ita n fiet, vt, q̃ est bonum, non sit bonum. Nam secundum auditum non delectabile, non erit bonum: secundum visum autem delectabile, erit bonum: vnde idem bonum, & malum. Sed ad-

Notandũ. notandum, non cadere hanc oppositionem in definitione enũciationis, de qua dicitur in lib. Periher. q̃ est oratio significans esse, vel non esse: non enim supponitur q̃ altera pars dictæ explicationis seorsum cõstituat definitionem enunciationis; prout supponitur in loco præsenti, dum dicitur impugnari definitionem, q̃ñ ad duo se habet, quorũ vtrumq; constituat rei definitionem, sicuti in exemplo assignato de delectabili secundum visum, & secundum auditum.

Summa locorum circa Definita, quæ ad aliquid se habeat.

1 PRimus locus. Si non sit appositum in definitione id, ad quod definiendum dicitur, vel secundum se, vel secundum genus.

2 Secundus. Si eius quod dicitur ad aliqd, ad finem proprium non sit facta assignatio, ideſt ad oppositum, aut ad illud, cuius gratia sit quoque: vt si dicatur q̃ concupiscentia est appetitus delectabilis, cum sit proprie delectationis appetitus.

3 Tertius. Si fiat assignatio ad generationẽ, vel ad actum, cum debeat potius ad operatum & factum assignari.

4 Quartus, Si in aliquibus desit denominatio facienda ad quantum, quale, vbi, & similia, secundum circumstantias.

5 Quintus, Si in appetitibus non sit appositum apparens, vel quid simile. Id autem in assignatione idearum non conuenit, cum idea nullius apparentis sit: vnde impugnaretur, si in eius definitione apparens apponeretur: est enim speciei, seu ideæ ad ideã relatio simpliciter se habens.

6 Sextus, Si definitio de habitu non correspondet in habente.

7 Septimus, Si relato genere ad vnum, species etiam ad vnum tale aliquod non referatur.

8 Octauus, Si contrarij non sit contraria definitio.

9 Nonus, Cum contrariorum quædam secũdum priuationem alterius dicantur, & non alterum; & ideo si non iuxta hunc ordinem sit assignata definitio, male erit assignata.

10 Decimus, Si dicti secundum priuationẽ non sit in definitione appositum illud, cuius sit priuatio.

11 Vndecimus, Si non dictum secundum priuationem, definitur secundum priuationẽ.

12 Duodecimus, Si similium per similes casus non sit facta assignatio.

13 Decimustertius, Si Ideæ non aptatur definitio assignata, vt dissonet in aliquo.

Adnotat. in quintam partem lib. 6. Top.

In 1l OMnis enim eius, quod est ad aliquid, substantia ad alterum. Hic exordium sumitur locorum penes definitionẽ eorum, quæ sunt correlatiua. Vnde in parte superiori, loco 28, non proprie definitio comprehendebatur correlatiuorum; sed solum considerabatur, num ad quod aliquid natum est, ad illud assignetur, vt visus ad videndum, & dolium ad aliud; circa quæ dicebatur, terminum eorum, quæ sunt destinata ad certa munera, sumendum esse a prudente, quatenus prudens est. Hic autem consideratur definitio, quæ sit assignata ad suum correlatiuum; vti scientia est ipsius scibilis, & opinio opinabilis. Et cum dicat Arist. q̃ eius, quod est ad aliquid, substãtia est ad alterũ; & hoc confirmet dicẽs; q̃ñ idem sit vnicuique eorum quæ sunt ad aliquid, esse id ipsum quod est, ad aliquid quodammodo se habere; hinc confirmatur explicatio a nobis assignata in Prædicamentis, quòd esse relatiuorum, quo ad relationem, in sola mẽtis intelligentia situm est.

Nam magis quod est egisse, & generasse finis. Improbatur definitio eorum, quæ ad aliqd, si assignetur secundum generationem, & actum: q̃ñ potius debet circa factum completum, & circa genitum assignari. In oppositum adest instantia; q̃ñ plurimi magis delectari volunt, quàm delectari destitisse.

Quoniam quædam contrariorum priuatione alterius dicuntur. Veluti inæqualia dicuntur, q̃ non sunt æqualia: in his igitur oportet vt dictum secundum priuationem, explicetur per suum contrarium: Et non è cõuerso, æquale per inæquale debet explicari: quod si fiat, hinc occasio erit impugnandi definitionem.

Quod non habet sciẽtiam non videtur ignorare. Ait de ignorantia, quòd non debet explicari priuatione, sed negatione idque, q̃ñ non proprie dicitur ignorare, qui non habet sciẽtiam; sed qui deceptus est: vnde, inquit, quòd pueri non dicuntur ignorare, cum nõ

ha-

habeant scientiam; & ideo ignorantia pura non est per priuationem explicanda.

Summa locorum penes aequiuocationem.

1 PRimus locus, si vna communis assignetur definitio his, quae aequiuoce dicuntur.

2 Secundus, si existente vsitato nomine, quod sit commune pluribus, non omnibus contentis sub illo nomine definitio conuenit.

3 Tertius, si alicuius compositi sit aequalis in nominibus definitio cum nominibus cõpositi: debet enim oratio definitionis pluribus vocibus exponi, quàm sint complectentes definitum.

4 Quartus, In mutatione nominum, si in ignotiora nomina sit facta mutatio.

5 Quintus, si nomen commutatum nõ idē significat.

6 Sextus, si mutatio nominis sit facta in genere, & non in differentia.

7 Septimus, si definitio assignata differentiae, sit etiam communis alterius rei.

8 Octauus, si definitum est inter entia, & aliqnid in definitione positum non est inter entia.

9 Nonus, si in ijs quae sunt ad aliquid, non est assignatum illud, ad quod determinate dicitur, quod definitur.

10 Decimus, si quod per se est eligibile, per actiuum & effectiuum alterius, & per aliud eligibile sit definitum.

Adnotat. in sextam partem lib. 6. Top.

In 1. COntingit igitur, & secundum dictionem fit assignare terminum. Aduertit in assignatione definitionis, vbi sit aequiuocatio contingere posse, vt quis faciat assignationem, ac si vniuoca essent omnia: vnde impugnatur definitio, vt non conueniens omnibus nomen participantibus. Aduertit etiam, ꝙ aliquis põt cognoscere (adeo vt ipsum non lateat) definitionem nõ esse propriā vnius, & alterius aequiuocorum; attamen sic assignando peccauit. Aduertit etiam Arist. ꝙ sicuti respondens, modo id, quod est vniuocum, dicit esse aequiuocum, qñ non accommodatur oĩbus assignata definitio; & modo aequiuocum, eo quòd ad vtrumq; accommodetur definitio: idcirco, iuxta confessionē respõdentis, erit procedendum ab interrogante, vt praeconfessionem accipiat: ita n. magis concedit disputans, non praeuidens quod futurum sit vt accidat. Et si sine confessione dixerit, vniuo um aequiuocum esse, quoniam in vnum non accõmodetur definitio; videndum erit, si in reliquis conueniant. Nam si in alijs, erit ipsis vniuocum; si autem non sic, erũt in reliquis plures definitiones. Si autem dicat neque nomen accommodari ad omnia, qñ non accommodetur definitio; dicendum ex aduerso, quòd oportet vti nominatione tradita, & vsitata.

In 3. *Amplius, cum sit compositum quod definitur, aequimembris oratio assignetur definitio.* Aequimẽbris oratio intelligitur, qñ quot fuerint nomina in composito, tot sint in oratione; vt enim in simplicibus mutatio nominis nõ sufficit pro explicatione rei (vt si tunica ꝓ veste dicatur) sic neque in compositis: adeo vt opus sit assignare pro nominibus, aut omnibus, aut maxime plurimis orationē: alioquin vitiosa erit definitio.

In 6. *Si alterius commutationem faciens non differentiae.* Improbatur definitio, si commutetur nomen generis, & non differentiae, quae minus est nota genere, quod est communius. Sed ridicula (inquit Arist.) est haec reprehẽsio qñ potest nomen differentiae notius esse nomine generis. Verum si oratio pronomine sit mutanda, id potius faciendum circa differentiam, quàm circa genus; cũ definitio cognoscendi gratia assignetur, & minus nota communiter sit differentia quàm genus.

In 10. *Amplius quicunque non diuidunt in ijs, quae sunt ad aliquid.* Impugnatur definitio in ijs, quae sunt ad aliquid, si assignans non distinguat, ad quae dicatur definiend m. Nam si in omnibus fiat comprehensio, veluti dicendo, ꝙ medicina est disciplina entis, & nullius sit, erit omnino falsa definitio; & si alicuius sit, & alicuius non sit entis disciplina, ipsa medicina, sic in aliquo mendax erit assignatio: debet autem de omni esse, cum sit per se facta assignatio. Accedi ꝙ sicut assignans secundum accidens recte assignat, si non ad vnum, sed ad plura assignauit, qñ idem ens, & bonum, & album, nihil prohibet esse; idcirco & assignata definitio medicinae, quòd sit entis disciplina, ad plura poterit accommodari. Addi potest, ꝙ sunt aliae plures scientię ad ens relatae; vnde definitio allata de medicina non consistit, in hoc, quòd sit entis disciplina, quum debeat definitio esse propria definiti.

Summa locorum penes definitiones habitus secundum hāc formam, quòd definita sint haec, vel ex his, vel hoc ad hoc.

1 PRimus locus, Si haec esse dictum sit, vt plura assignentur in definitione rei, impugnabitur definitio: quoniam nõ sint idē, & partes, & totum: vti sequitur in eiusmodi assignationibus.

2 Secundus, si ex his dictum sit constare definitum, impugnabitur, si ex illis nihil contingat fieri: prout nil ex linea & numero constitui potest.

3 Tertius, si definiendum in vno primo cõtingit fieri, ea autem, ex quibus, non contingit in vno primo fieri. Vt si dicatur ꝙ prudentia constat ex fortitudine & temperantia. Etenim prudentia est, vt in primo subiecto, in facultate rationali: at fortitudo, vt in primo subiecto, in irascibili: at tem-

temperantia, vt in primo subiecto, est in cõcupiscibili.

4 Quartus, Si partes & totam in vno primo contingit fieri, at non in eodem primo. Vt si definiatur virtus, quòd constet ex fortitudine, & concupiscentia, & prudentia. Nam virtus quidem primo est in anima, & ea etiam, ex quibus dicitur constitui, sunt primo in anima; at non in eadem parte animæ, vt prædictum est.

5 Quintus, Si cum toto corrumpuntur partes; cum contra ad corruptionem partium totum corrumpi debeat; quando ad corruptionem totius non est ex necessitate, vt omnes partes corrumpantur; licet aliquæ deficerent: sic perperam definiretur corpus quòd sit ex superficiebus; quoniam ad corruptionem corporis, superficies corrumperetur.

6 Sextus, Si totum bonum sit, & nõ partes: Aut è contra bonæ sint partes, & non totũ. Non enim ex neutris possibile est bonum quidpiam fieri, aut malum: neque ex bonis vel malis neutrum.

7 Septimus, Si alterum magis bonum, vel magis malum; non ita autem se habet compositum: Vt si definiatur imprudentia, quòd sit ex fortitudine, & falsa opiniõe. Etenim cum fortitudo sit magis bonum, quàm malum sit falsa opinio; non est tamen imprudẽtia magis bonum, quàm malum; cum sit maximum malorum.

8 Octauus, Si ex parte meliori, aut deteriori constare dicatur, & non sit totum deterius meliori, & melius peiori. Hunc in modum continentia, quæ ex recto discursu, & prauo desiderio cõstat, & melior prauo desiderio; peior autẽ recto discursu: id autem non verificatur in ijs, quę non sint per se bona: potest n. totum non fieri bonum, confectum si sit ex partibus nõ simpliciter bonis: put contingit in plurimorum cõpositione.

9 Nonus, Si totum vniuocum sit alteri parti: non enim esse debet; vti non sunt syllabę cum elementis.

10 Decimus, Si modus compositionis non sit assignatus

11 Vndecimus, Si nullo modo alterum cum altero potest esse, aut in subiecto, aut in tẽpore, aut in loco.

12 Duodecimus, Si in eodem existentia non conueniunt in eodem fine, sed ad aliud referuntur.

13 Decimustertius, In assignatione facta, quòd totum sit horum compositio, si non assignatum sit qualis sit compositio, infirmabitur assignatio.

14 Decimusquartus, Si similiter nata sunt in esse cõtraria in aliquo, & definitio sit facta per alterum tantum, sic non definitum erit, aut plures erũt huiusmodi definitiones per vnum, & per alterum contrariorum.

Documenta nonnulla circa problema definitionis.

SI ad totam definitionem non est locus redarguẽdi, ad partes erit confugiendum: quoniam interempta parte, etiam tota interimitur definitio.

In obscuris definitionibus oportet eas reducere ad manifesta, vt hinc desumatur occasio ad redarguendum; quod concedi debet a respondente, si interrogetur; aut ipse aperire debet definitionem.

Quemadmodum in cõgregationibus, si melior lex in medium profertur, anterior interimitur; sic si alia melior definitio afferatur magis rem aperiens, prior interimitur.

Ad omnes autem definitiones maximum erit elementum, ad se ipsum solerter definire propositum, aut aptam definitionem traditam accipere; sic enim se se gerens disputans, & quæ desint in definitione assignata, & quę sint superuacanea, facile conspiciet, vt plura hinc possit cõgerere argumenta ad impugnandum.

Adnotat. in septimam partem lib. 6. Top.

N*Am si hæc quidem accidit vtrique, & neutri esse.* In assignatione definitionis, dicendo aliquid esse hæc, contingit hoc absurdum (velut in hoc exemplo, quòd iustitia sit tẽperãtia & fortitudo) quàm si sint duo homines, & habeat vnus temperantiam & non fortitudinem, alius vero fortitudinem, & non tẽperantiam, ita fiet vt vterq; & neuter istorum habeat iustitiam; aut habebunt cõtraria simul: vtputa alter iniustitiam habebit ob timiditatem, & etiam iustitiam ob temperantiam; & alter iniustitiam ob intemperantiam, & simul iustitiam ob fortitudinẽ: vnde huiusmodi assignatio definitionis patitur impugnationem; quæ afferri potest (vt aduertit Arist.) per ea loca, quibus ostenditur, non idem esse totum & partes; sicuti in prædicta assignatione iustitiæ videtur dici, partes easdem esse cum toto: & huiusmodi rationes (inquit) maxime accõmodatas esse ad ea, in quibus est manifesta partium compositio, vt in domo: manifestum enim est in ijs, quòd cum sint partes, nihil prohibet totum non esse. — In 16

Aut magis quidem alterum bonum. Supponitur in hoc loco ex componentibus alterum magis bonum esse, quàm alterum sit malum: & ideo impugnari definitionem, si totum etiã — In 7.

non

non ita se habeat, vt consequatur ei, quod magis bonum est; aut ei, quod magis malũ. Cœterum affertur instantia, si non fuerit vtrumque bonum, aut vtrumq; malum: siquidem multa effectiua per se non bona, mixta autem quibusdam fiunt bona. Aut è conuerso, bona effectiua cõmixta alijs, aut malum aut neutrum euadunt; idest, neq; bonũ, neque malum; quod maxime contingit in salubribus, & morbificis penes plurima medicamenta.

Primum quidem dicendum. Modus definiendi q sit hoc, cũ hoc (de quo ait obijci posse) q coincidat vel cum primo modo, q sit hęc & hæc; vel cum secundo, q constet ex his; vnde impugnationes factæ in illis modis, erunt quoque in hoc alio: nã qui dicit mel cum aqua, vel mel & aquam, dicit etiam q aliquid ex melle & aqua constat.

Quod autem sic assignatorum. Animaduertit nonnulla assignari pro definitione, quæ nõ cadunt sub vllo modorum dictorum; neque quòd sint hæc & hæc; neque q ex his consistent; neque q sint hoc cum hoc; veluti, definitur ira, quod sit tristitia cũ opinione paruipendendi: nam hoc est dicere, q propter huiusmodi opinionem fiat tristitia. Et ideo redargui potest, q non sit modus bene explicandi, dicere aliquid esse hoc cum illo.

Ad omnes autem definitiones, non minimum elementum. Supponitur maximum elementum esse (ex quo construi possint plurimæ ratiocinationes ad arguendas definitiones) meditari definitiones pro disputationibus futuris, illas conficiendo, vel factas ruminã do: quoniam hinc succurret facile disputãti, quid desit, aut quid superuacaneum sit assumptum in definitione.

Argumentum in lib. 7. Top.

Residuum quòd attinet ad problemata definitionis absoluitur in hoc lib. 7. penes hãc considerationem, num aliquid sit idem cũ alio, sumendo idem secundum proprijssimum significatum, quod est idem numero. Et iure merito hęc speculatio ad definitionẽ est reuocata, in qua necesse est, si recte sit tradita, vt idẽ numero significet nomen definiti, & eius definiẽs oratio. De hoc igitur traduntur in primis loca numero 15. quòd non idẽ aut idẽ sit aliquid cum alio. Mox aperitur, non sufficere ad construendã definitionem, quòd aliquid idem esse cum alio ostendatur, nisi accedant & alia loca probantia definitionem, de quibus actum est in libro præcedenti. Ad hæc subiungit Arist. methodum, qua ex mutua totius & partium consonãtia insinuari & ostendi potest, q sit recte assignata definitio: de qua animaduertit exactius alibi tractari, videlicet in lib. 2. Post. Analyt. & eminentiori etiam modo in lib. 7. & 8. Met. Simul autẽ in hoc libro loca nonnulla adducit numero quinq; ad construendam definitionem. Postea patefacit definitionem difficilius cõstrui, & facilius destrui posse; sicuti & proprium, & genus, & accidens quoq; in vniuersali tamẽ, at non in particulari sumptum. Postremo inter omnia problemata docet, quę alia alijs aut facilius destrui, aut difficilius cõstrui possunt. Vnde huius libri erunt quatuor præcipuę Sectiones. In prima assignantur loca numero 15. quibus destrui potest, q aliquid sit, aut non sit idem cum alio. In secunda traduntur loca 7. apta ad construendam definitionem. In tertia patefit, omnia problemata in genere difficilius posse destrui, quam construi. In quarta & postrema ostenditur, quę problemata alia alijs, aut difficilius astruãtur, aut facilius cõstruãtur.

li. 2. Post. Anal. lib. 7. & 8. Met.

Summa locorum de eodem & de diuerso.

1 PRimus locus, Ex casibus, & coniugatis; quia si idem iustitia cum fortitudine, idem etiam iustus, & fortis, & iuste, & fortiter: aliter non erunt idem.

2 Secundus, Ex oppositis secundum quamcunque oppositionem; vt si idem bonum cũ virtute, idem etiam malum cum vitio. Aliter non erunt idem.

3 Tertius, Et effectiuis, corruptiuis, generationibus, & corruptionibus: nam idẽ sunt quorum eadem sunt effectiua, corruptiua, & corruptiones: aliter non erunt idem.

4 Quartus, Si alterum dicitur maxime tale, etiam alterum, si est idem, dicitur maxime tale. Aliter non erunt idem.

5 Quintus, Si vnum eorum eſt idem cũ vno tertio alterum cum hoc alio tertio idẽ erit. Aliter non erunt idem.

6 Sextus ab accidenti, ſi idem accidit vtriq; aut ſi vtrumque eidem accidit. Aliter non erunt idem.

7 Septimus, Si in eodem ſint prædicamẽto. Aliter non erunt idem.

8 Octauus, Si genus vnius eſt, & alterius genus. Aliter non erunt idem.

9 Nonus, Si genus idem eſt, & eędem vtriuſque differentiæ. Aliter non erunt idem.

10 Decimus, Si vnum ſuſcipit magis & minus, & aliud. Aliter non erunt idem.

11 Vndecimus, Si ſuſcipiunt ſimul magis, & minus. Aliter non erunt idem.

12 Duodecimus, Ex appoſitione, ſi vni appoſitum vtrumq; reddit idem totum. Aliter nõ erunt idem.

13 Decimustertius, Si ablationi facta a toto, relinquitur vtrinque idem. Aliter non erunt idem.

14 Decimusquartus, Si ſuppoſito aliquo vero, vel falſo, alterum iſtorum interimitur, & non alterum; ita non erunt idem.

15 Decimusquintus, Si eadem de vno, & de alio non prædicantur, aut vtrumque de ijſdem non prędicatur, ita non erunt idem.

16 Decimusſextus, Si alio modo ſint idem, & non numero idem.

17 Decimusſeptimus, Si alterum ſine altero eſſe poteſt, ita non erunt idem.

Adnotat. in primam Sectionem lib. 7. Top.

In 4. O*Portet autem vtrumque vnum numero eſse, quod dicitur maximum.* Alioquin ſequeretur, ꝙ vnum alio melius diceretur; Vt ſi dicatur ꝙ Peloponeſij ſint idem & Lacedemonij, qm̃ & hi, & illi omnium fortiſsimi dicantur. Etenim, ſi Lacedemonij omniũ fortiſsimi, igitur etiam fortiores Peloponeſijs erunt; & hi ſimiliter, fortiores Lacedemonijs, ſi ſunt omnium fortiſsimi; quare non idem erunt: ſed alij vtputa Lacedemonij, ſub Peloponẽſijs continebuntur. Hinc & Xenocratis impugnatur ſentẽtia dicentis, vitam ſtudioſam, & vitam beatam eſſe eandem, qm̃ vtraque ſit maxime eligenda: fiet enim ita, vt altera ſit magis eligibilis q̃ altera: quare nõ vna ſunt numero; ſed altera, nempe ſtudioſa vita, ſub beata continetur.

In 8. *Rurſus, ſi non vtriuſq; idem genus.* In loco p̃cedenti eſt conſideratum, ſi non ſint in eodem genere prædicamenti, aut ſubſtantiæ, aut quanti, aut qualis, ea, quæ ſupponuntur idem eſſe. In præſenti autem loco conſideratur, ſi non ſit idem genus; & id quidẽ, qm̃ in eodem prædicamento poſſunt eſſe diuerſa genera; veluti bonum, & malum in qualitate; continuum & diſcretum in quanto.

In 14. *Suppoſito aliquo vero, vel falſo.* Nihil ait referre, ꝙ vel verũ, vel falſum ſupponatur (ex qua ſuppoſitione idẽtitas interimitur eorũ, quę dicuntur eſſe idem) ſi ex ſuppoſito aut vero aut falſo alterum tollitur; qm̃ omnino idem eſſe debet de vno, & de alio; ſi ſint idem.

Summa locorum ad conſtruendam definitionem.

1 PRimus locus. Ex oppoſitis ſecundum quamcunque oppoſitionem, nam ſi oppoſiti manifeſta eſt definitio, & propoſiti erit aſſignata, tum ſecundum totum, tum ſecundum partes.

2 Secundus, Ex caſibus, & coniugatis, quæ inuicem ſe conſequuntur; vt ſi obliuio eſt ammiſſio ſcientiæ, etiam obliuiſci eſt ammittere ſcientiam.

3 Tertius, Ex ſimiliter ſe habentibus; vt ſi ſalubre eſt effectiuum ſanitatis, etiam habile effectiuum bonæ valetudinis.

4 Quartus, Si definitio eſt cuius minus videtur eſſe; ergo & eius erit, cuius magis videtur eſſe.

5 Quintus, Si vnius eſt definitio: ergo & alterius erit ſimiliter ſe habentis.

Adnot. in ſecundam Sectionẽ lib. 7. Top.

P*Alam autem ex his.* Poſt aſsignata loca de eodem, & diuerſo, aĩaduertit Ariſt. huiuſmodi loca, ſi ſit deſtruendum ꝙ aliqd non ſit idem cum alio, deſeruire ad deſtruẽdam aſsignatam definitionem, ſi oſtẽdatur ꝙ non ſit idem aſsignata definitio, & id de quo ſit aſsignata, vt non idem indicet tum nomen, tum oratio.

Conſtructiuorum autem locorum. Ait, ad conſtruendam definitionem nullum ex aſsignatis locis ſufficere ad hoc perficiendum; idq. qm̃, et ſi conſtaret de aliquo, ꝙ ſit idem cum alio quodam, non propterea ſequeretur, ꝙ vnum eſſet oratio definitiua alterius; ideo dicit, accedere oportere & alia loca, de quibus in libro præcedenti actum eſt, ad hoc, vt conſtruatur quòd hæc, vel illa oratio ſit talis rei definitio propria.

Si autem conſtruere velumus. Pro conſtruẽda definitione, id primo animaduertit; quod aut nemo, aut pauci ſaltem diſputantiũ aggrediuntur ſyllogiſmo concludere definitionem; quæ, vt principium, ſupponitur in ſcientijs, vt dr̃ in initio lib. 6. Met. Itẽ addit, quòd eſt alterius negocij diſſerere de definitione, quid ſit, & quomodo oporteat definire. Id quippe abſoluitur in lib. 2. Poſt. Analyt. & in lib. 7. & 8 Met. Addit ad hæc, ſyllogiſmum poſſe fieri de definitione, nempe hunc in modũ. Si definitio eſt oratio ſubſtantiam & eſſe rei manifeſtans, & oportet in ea prædicari ſola prædicata dicentia qđ quid eſt rei, prædicantur autem in eo quod quid eſt rei genera, & differentiæ: hinc ſequitur, quòd ſi quis hæc ſola acceperit, orationem afferet explicantem quod quid eſt eſſe rei: & ita definitionem habebit, cũ nõ alia poſsit eſſe definitio pręter vnam vnius rei; ſicuti & vnius rei eſt vnum tãtum eſſe. Verum in hac probatione aduertendum, ratiocinium factũ eſſe ex ſuppoſitione: adeo quòd non abſolute probatur hunc in modũ definitio: ſed id tantum colligitur, quòd ſi eſſe.

li. 7. Met.

li. 2. Poſt. Analyt. lib. 7. & 8. Met.

assignentur sola prædicata ad quid rei pertinentia, sic erit assignata definitio. At quòd sint assumpta huiusmodi prædicata, ex præhabita ratiocinatione non concluditur. Potest autem probari per loca in his libris adducta, quòd hoc, vel illud sit genus talis rei, & quòd eiusdem etiam sint hæ, vel illæ differentiæ. Vtrum autẽ absolute ostendi possit ipsum quod quid est, exacte hoc quæsitum tractatur in lib. 2. Post. Analyt. vbi concluditur, non posse demõstrari absolute definitionem, nisi ex suppositione, in qua cadit petitio principij; Partem autem materialẽ concludi posse per formalem, ibidem manifestatur: vt inde postea elici possit cuncta rei definitio sola terminorũ dispositione, differens a demonstratione.

li. 2. Post. Anal.

Ex quibus autem oportet construere determinatum est quidem in alijs diligentius. Nempe (vt dictum est antea) in lib. 2. Post. Analyt. & in lib 7. & 8. Met. vbi traditur, ex quibus debeat construi, & quomodo in vnum reduci definitio. Loca autem dialectica in his libris tradita inseruiunt ad colligendum, ꝙ tale quid sit genus, aut differentia rei, vel ꝙ definitio assignata non habeat impugnationem. Quod vero attinet ad propositam methodum, qua demonstretur, quòd de re aliqua assignata definitio, sit sua definitio, inquit Aristot. ex locis traditis in his libris esse patefaciendum. Nam, quod attinet ad totam definitionem comprobandam, vtilis est locus sumptus ex oppositis secũm quamcunque oppositionem. Nam si opposita definitio est oppositi, etiã propositi proposita erit definitio. Sed aduertit, ꝙ cum contrariorum sint plures complexiones, de quibus supra in lib. 2. Top. actum est, sumenda erit ex contrarijs, qualiscunq; maxime apparebit contraria definitio: qm̃ ita comprobabitur propositi definitio. Quod vero attinet ad partes definitionis respectu generis, si contrarium definiti est in cõtrario genere, & propositum definiendum non est in eodẽ genere, vtique sequitur, quòd erit in cõtrario genere, cum necesse sit cõtraria, vel esse in eodẽ genere, vel in contrarijs generibus. Quo autem ad differentias, si sint in eodem genere, oportet quòd contraria differentia de contrario prædicetur: veluti si album dr̃ disgregatiuum visus, contraria differentia, nempe congregatiuum visus de nigro prędicabitur. Non autem si sint differentiæ in diuersis generibus, erit necesse id sequi: sed contrariæ differentiæ possunt de eodem dici: veluti, iustitia existens virtus dicitur de anima, similiter & iniustitia vitium existẽs dr̃ de anima: nec non de corpore (quod est oppositum animæ) dr̃ & virtus, & vitium. Omnino autem patet, quòd contrariorum aut contrariæ, aut eędem sunt differentiæ: vnde si contraria differentia de contrario prædicatur & non de proposito, manifestũ quòd assignata definitio prædicabitur de ꝓposito: sicuti dictum est de albo & nigro, prædicari de albo disgregatiuum uisus, de nigro autem congregatiuum.

Vniuersaliter autem docendo. Colligit hoc loco Arist. probationem de definitione in vniuersali ex oppositis hunc in modũ. Nam cum definitio constet ex genere, & differẽtijs, necesse est, si contrarij est manifesta definitio, quòd etiam propositi sit manifesta. Siquidem oportet vt contrarium sit vel in eodem genere, vel in contrario ad suũ contrarium; differentiæ vero, aut contrariæ de contrarijs, aut eędẽ prædicabuntur. Ex quo dilucidum fit, quòd de proposita re aut idẽ genus prædicabitur, quòd & de contrario prædicatur, differentiæ autem erunt contrariæ, vel omnes, vel aliquæ, reliquæ vero erunt eędem. Aut ẽ conuerso differentiæ quidem erunt eędem, genera vero contraria. Aut vtraque erũt contraria, & genera, & differentiæ: simul autem vtraque eadem esse non possunt: alioquin ipsorum contrariorum eadem esset definitio, quod est impossibile.

Amplius ex eo quod est magis, & similiter quod similiter. Circa duo loca postrema, nẽpe quartum & quintum, quibus construi potest definitio, animaduertit Aristo. quòd in ijs, quæ secundum magis, & similiter se habent, cum construuntur duæ definitiones ad duo cõparando, si quæ minus definitio talis rei esse videtur, eius tñ est definitio, sequitur quòd tanto magis erit alterius. Et si vnius similiter se habẽtis definitio est aliquid similiter se habens, ergo etiã alterius similiter se habẽtis erit. Non autem potest esse comparatio, neque vnius definitionis ad duas res, neque duarum definitionum ad vnam rem; quoniam vnum tantum est esse rei; & ita vna tantum etiam definitio.

In 4. & 5.

Sunt autem opportunissimi locorum. Dicit esse opportunissima loca ad cõstruendum, quæ prædicta sunt; cum tamen & alij loci maxime communes snt adhibendi: inspiciẽdo, si conuenit definitio in singularibus indiuiduis, & in speciebus, et si adhibita sit metaphora pro nomine; et si idem de eodẽ prædicetur: hæc enim maxime conferunt ad impugnandam definitionem.

Adnotat. in tertiam Sectionem lib. 7. Top.

Quod *autem difficilius sit construere*. In hac 3. parte libri docet Arist. problemata difficilius construi, q̃ destrui. Et id primo circa definitionẽ; quod patet ex his omnibus. Primo, quoniam non est facile inspicere, & accipere ex interrogatis ea, quæ ptinent ad definitionem; nempe genera & differentias, adeo vt hæc sola prædicata in qd accipiantur. Secundo, quoniam facilius est vnum cõcludere, q̃ plura. Atqui in destruẽdo sufficit vnum ex multis interimere: in construendo autẽ oportet simul omnia colligere, quæ pertinent ad definitionem. Tertio, quoniam in construẽdo necesse est vniuersalem deducere definitionem, quod est difficilius q̃ destruere: quod efficitur ex vnius particularis impugnatione. Quarto, qm̃ oportet in cõstruendo ostendere, quòd definitio vniuersaliter de definito prędicetur, vt mutua sit prædicatio. Quinto, qm̃ non sat est ostendere quòd definitio insit omni contento sub nomine definiti, sed e-

portet etiam manifestare, quòd illi soli insit, & non alij, ob hæc igitur omnia, concluditur difficilius esse opus in construendo, q̃ in destruendo definitiones. Aduertendũ autẽ quòd Grece legitur παρὰ τῶν ἐρωτωμένων idest, *ex interrogatis*, non videri recte opinatum esse Suesſ. quòd sit mendum in codice Grȩco, vt debeat legi ἀποκρινομένων, idest *ex responsionibus*. Nam dicere, quòd ex interrogatis non est facile inspicere, & accipere prȩdicata in quid, idest dicere, quòd respondens ad interrogata non afferat talia, ex quibus prædicata in quid desumantur. Siquidem ex interrogationibus tota disputatio pendet dialectica; vnde locus, vt habetur in codice Græco, seruandus est.

Suesſ. Impug.

Similiter autem circa proprium, & genus ita se habet. De alijs etiam problematibus idẽ ostenditur, quod difficilius construantur, q̃ destruantur. Et in primis de proprio: tum qm̃ plura simul requirantur ad construendũ proprium, cum genus assignandum sit eius, cuius est assignãdum proprium, vnde simul multa colligere necesse est, quod est difficilius, q̃ quod in vno fiat impugnatio, vt cõtingit in destruendo: tum, qm̃ oportet ostẽdere, quòd omni insit propriũ. Pro destruẽdo autem sat est instare, quòd alicui nõ insit: tum denique, qm̃ non sufficit patefacere quod omni insit, sed etiam oportet manifestare, quòd soli insit: vnde pluribus ex partibus impugnari potest problema de proprio, & ideo facilius destrui potest quàm construi.

De genere autem. Etiã genus facilius destruitur q̃ construitur; tum qm̃ oportet ostendere quòd omni insit: in destruendo autẽ vel si nulli insit, vel si alicui nõ insit, destruitur: tum, qm̃ oportet patefacere quòd insit vt genus: In destruendo autem potest infringi assignatio generis, vel quia non insit vt genus, vel quia nullo modo insit, quod assignatur pro genere definiti; tum denique ex regula generali: qm̃, sicut generatim in rebus naturalibus & artefactis facilius est destruere, quàm construere, ita & in problematibus disputandis.

In accidenti autem. Circa problema accidẽtis, si sit generale, facilius est & ipsum destruere, quàm construere: qm̃ et si nulli insit, et si non omni, interimitur. Si autem fuerit particulare ꝓblema, difficilius destruetur, cum oporteat ostendere quòd nulli insit; facilius autem construetur, qm̃ sat ẽst ostẽdere, quòd alicui insit; vt ita sit facilius particulare astruere, quàm vniuersale destruere in toto.

Adnot. in 4. & postremã Sect. lib. 7. Top.

M*Anifestũ autem*. Hoc loco aperit Arist. quare inter omnia problemata facillimum sit destruere illud de definitione, quidem est perspicuum; qm̃ plura q̃ in alijs requiruntur pro definitione construẽda: vnde verisimile est facilius peccata committi in multis, q̃ in paucis. Ad hæc quibus destruitur problema, aut generis, aut proprij, aut accidentis, hȩc omnia adhiberi possunt ad destruendam definitionem. Siquidem oportet vt sit propria, vnde infringi põt per loca destruentia proprium: item oportet vt habeat genus definiti, vnde infringi potest, per loca destruentia genus. Ac denique cũ necesse sit inesse definito, quæ assignantur in definitione, si non insint, improbabitur definitio per loca demonstrantia accidens nõ inesse subiecto. Genus autem, si nõ inest vt proprium, nondum interemptum erit quòd non sit genus. Similiter proprium, cum non sit necessarium, vt insit, vt genus, facilius cõstruetur q̃ genus; & cum neque accidẽs insit vt genus; aut vt proprium, sat est ostẽdere quod insit: Vnde colligitur difficillime construi posse definitionem præter dicta, etiam ob id, qm̃ oportet q. oratio indicet esse rei, & quòd probe sit tradita. Consequẽter proprium difficilius construetur, quàm aut genus, aut accidẽs; & facilius destruetur ob ea, quæ dicta sunt. Accidens facillime super omnia construi potest; quoniam sufficit ostendere, quòd insit simpliciter, cum in alijs, & alia requirantur. Dicit autem Arist. in calce libri, hæc esse loca ad problemata, vt fere sint sufficiẽter adnumerata: quoniã forte & alia adduci possent, vnde ita modeste locutus est.

Argumentum in librum 8. Topicorum.

IN hoc postremo lib. Top. Arist. Methodum tradit obseruandã circa ordinem disputandi, & exercendi facultatem dialecticam, tã ex parte interrogantis, quàm ex parte respondẽtis. Ac primo quidem circa personam interrogantis versatur; deinde circa eã respondentis; & postremo penes commune vtriusq; certamẽ. Vnde ob varias regulas, & documẽta, quæ in hoc libro tradũtur vniuersus tractatus in plurimas, nempe in nouem sectiones partiri potest. Harum prima continet præcepta de interrogatione habẽda circa propositiones necessarias, ex quibus conficitur syllogismus. In secunda traduntur regulȩ numero 13. obseruandæ pro occultanda cõclusione, quam deducere intendat interrogãs aduersus respondentem. In tertia tractatur modus ornandæ, & amplifican-

dæ,

dæ, nec non manifestandæ orationes, simulq; modus ratiocinādi obseruandus, alius cum vulgaribus hominibus, & alius cum magis eruditis. In quarte regulę, seu præcepta dantur nnmero 7. penes vsum inductionis, & instantiarum. In quinta traduntur documenta numero 11. interroganti deseruientia. In sexta vero de munere respondentis tractās Arist. prius in generali iuxta problema quod potest esse vel opinabile, vel inopinabile, vel neutrū docet, quomodo in singulis se gerat respondens. Deinde in septima parte magis in particulari modum respondendi persequens, de hoc tradit 15. numero præcepta, seu regulas obseruandas. In octaua afferuntur documenta communia interroganti, & respondenti numero 16. ad artem disputandi attinentia. Deniq; in nona & postrema parte tradūtur aliæ regulæ numero 14. plurimum aduertendæ, quę sunt communes pariter interroganti, & respondēti, circa commune certamen dialecticę facultatis sub ratione exercitationis habendæ: & ita huic lib. octauo, & vniuerso operi de Topicis inscripto finis imponitur.

Sectio prima lib. 8. Top.

In qua præcepta traduntur de interrogatione habenda penes propositiones necessarias.

Restat iam vero vt de ordine, atq; modo obseruando in dialectica disputatione, methodus tradatur: circa quam in primis hęc pręmittenda sunt; vt qui cum altero est cōgressurus disputandi gratia, primo locum inueniat, vnde aggredi possit aduersarium. Deinde vero apud se ipsum ordinet, & instruat disputationem, particulatimq; interrogationes ab ipso faciendas; ac postremo hæc ipsa aduersus alterum præstare curet, qui cum sit disceptaturus. Et quidem, quod attinet ad locorum inuentionē, nihil inter Philosophū interest, & dialecticum, cum loca singula vnius tantum sint generis. Verū dialecticus id habet proprium vt (quoniam ad alterum respicit, a quo suarum propositionum assensum excipiat) studium impendat, quo ordine suas ratiocinationes, ex locis antea expositis deducendas disponat; & quomodo propositiones interroget: cum Philosophus, qui penes se ipsum veritatem inquirit, illud tantum curet, vt vera sint, & maxime nota, & principijs coniuncta, & conuenientia, quæ assumit ad demonstrandum, quod intendit, ab alterius volūtate, qui sibi assētiat circa accepta, minime dependens.

Itaq; circa interrogationes a Dialectico perficiendas, illud primo debet esse manifestum, quòd præter propositiones necessarias, (& sunt illæ, ex quibus conficitur syllogismus) quattuor hæc alia genera propositionum ad vsum veniunt dialectici. Nā aut ad inductionem pertinent, vt ex singularibus vniuersale colligatur; aut ad amplificādam orationem; aut ad occultandam conclusionem; aut ad manifestiorem reddendam orationem.

Porro a propositionibus necessarijs exordiendo, ex quibus syllogismus constituitur, in his interrogandis ita se geret dialecticus, vt eas non statim proponat, sed abscedet ad suprema. Veluti

(exempli gratia) si velit receptũ habere, quòd cõtrariorum sit eadem scientia, ad ipsa opposita interrogationẽ conuertet, sub quibus & contraria continentur: Et si huiusmodi interrogationem nõ admittat respondens, tunc inductione interrogãs eam probabit, singularia inducens, atq; proponens: Siquidem propositiones necessariȩ, aut inductione, aut syllogismo sunt accipiendæ. Ad hęc interrogãs valde manifestas propositiones, ipsas necessarias proponet: Ita enim ex abscessu propositionum vna cum inductione redditur immanifestũ, quid nam ex syllogismo sit concludendum. Et si hoc consequi nõ poterit interrogans, saltem illud curabit, in prõptu habere propositiones ad syllogismũ conficiendum; & harum causa alias assumendo, vt fieri contigerit, & vt disputationi profuerit: nec non & inductione a singularibus ad vniuersalia; & ad ignota a magis notis procedẽdo; vt sunt quæ sunt nota secundum sensum, vel apud omnes, vel saltem apud plurimos.

Adnotat. in primã Sectionem lib. 8. Top.

Q*Vo ad locum inueniendum*. Penes locorum inuentionem nullum ait Aristo. esse discrimen inter Philosophum & Dialecticum. Siquidem loci ijdem sunt in genere, sed applicati quodam modo differũt. Nã demonstrans assumit loca & axiomata, quę sint congenea principio, ipsi nempe generi scientiæ, quam habet præ manibus, illud ꝑspiciens, vt sint vera, & generi maxime cohærentia, & præuidens quid ex ipsis sit demonstraturus: neque pendebit ab alicuius assensu circa ea, quæ assumpserit pro suis demonstrationibus conficiendis. At dialecticus, qm̃ negocium differendi suum commune habet cũ alio, hinc illi incumbit necessitas, vt a respondente accipiat, quæ sibi vsui sint futura ad syllogismum deducẽdũ. Et propterea traditur in hoc libro Methodus, qua se reget Dialecticus in ordinanda disputatione, & in propositionibus interrogandis. Sed non prætereundum est, quòd loca tradita in libris præcedentibus, non nisi ex viri Philosophi studio sunt enucleata: prout etiam tractatus syllogismi, & orationis enunciatiuæ, & aliarum partium Logicæ, ab eodem Philosopho viro constitutus est: quemadmodum in alijs nostris commentationibus penes Organum patefecimus.

Sunt autem quæ ad occultandum certaminis gratia. Hac voce *certaminis* hoc loco intelligitur contentio sophistarum, quibus propositum est victoriam assequi in decertando, quocunque modo, ad hoc vt videantur, qui minime sunt sapientes. Quod quidem alienum est a dialectica facultate, cuius studiũ positum est, in differendo de re proposita ad laudem comparandam, quod pertinet ad interrogantem; & ne cogatur disputans contraria ꝓpriæ positioni dicere, ex vi argumentationum aliunde prouenientium; quod munus ipsi respondenti conuenit. Verumtamẽ, qm̃ ad alterum est disputatio, ꝓpterea non ex contentione, sed ex studio optime differendi etiam propositionum occultatio adhiberi potest; vt ex hoc quoque virtus eluceat, & interrogantis, & respondentis, qui non sinat se duci ad dicendum sibi contraria; atque ita artem interrogantis se callere manifestet.

Necessarias quidem igitur. Exorditur a propositionibus necessarijs, vti præcipuis in disputatione, cum ex illis syllogismus constituatur. Et docet, quomodo interrogans debeat eas interrogare; nempe ita, vt longe abscedat ad suprema propositionem deducendo interrogationem, vt ita minus conspicuus euadat respondenti progressus interrogantis, quorsum suam ratiocinationẽ deducere velit; quod quidem videtur ad occultationem attinere: quod etsi cõcedamus, attamen aliæ sunt etiam propositiones nõ necessariæ assumendæ ad occultandum, vt patebit ex sequentibus, quæ non sunt eiusmodi, vt ex illis sit conficiẽdus syllogismos.

Nota autem magis, quæ secundum sensum, vel simpliciter, vel plurimis Nota secundum sensum intelliguntur, quæ non sunt nota natura, vt dr̃ in Proęmio Phys. & in lib. Post. Analyt. Vnde quod habetur hoc loco quòd sint magis nota, *vel simpliciter, vel plurimis*, accipiendum *simpliciter* quo ad omnes homines; & quia ex ijs sunt aliqui sapientes, propterea additum est, *vel plurimis*, ad denotandum, quòd saltem multitudini sunt nota magis, quæ secundum sensum, quàm quæ secundum intellectum; quæ sapiẽtibus possunt esse magis nota (quia simpliciter sint sic nota) quàm quæ nota sunt secundũ sensum.

li. 1. Phys. c. 1. li. 1. Post. Anal. c. 3

Sectio Secunda.

Regulæ obseruandæ pro occultanda argumentatione.

1 PRo occultanda autem argumẽtatione, hę omnes regulæ sunt adhibendæ. Harum prima erit,

erit, vt prosyllogizentur ea, ex quib⁹ syllogismus principalis est constrnendus; & hęc plurima simul congerendo, non solum ex necessarijs propositionibus, verũ etiam ex illis, quæ vtiles sint ad necessarias comprobandas; ita.n. contingere poterit, vt intellectus rñdétis hac multiplici ratiocinatione obrutus, minus prospiciat interrogantis ꝓgressum, & consequēter incaut⁹, ab ipso redarguat

2 Secunda regula erit, vt conclusiones non proferantur, sed in postremo rõcinationis collectæ asserantur: ita.n. maxime a principio abscediur. Quippe id moliri debet interrogans, vt interrogata omni ratiocinatione, & dicta conclusione, non appareat vnde ipsa sequatur; quoniam non sint distincti syllogismi: quod maxime succedet, si nõ proprię propositiones, sed alię proponantur, ex quibus fiat prosyllogismus.

3 Tertia regula erit, vt non accipiantur continuata axiomata, ex quibus syllogismi; sed permutato ordine; vt puta, cum alterius syllogismi conclusione, alterius axioma coniungendo: siquidem positis simul proprijs axiomatibus, fit magis manifestum, quod ex illis sequitur.

4 Quarta regula exigit, vt definitione sumatur vniuersalis propositio, non in eo, de quo fit problema, sed in eius coniugato; ita.n. facile respondens concedet in coniugato: (tanquam non vniuersaliter accepto) id, quod vniuersale euadet: neq; promptum habebit instantiam, quam fortasse circa propositũ a principio problema posset habere. Veluti si sit accipiendum, quòd iratus appetit vindictam, non hoc, sed in coniugato assumet interrogans, quòd ira est appetitus vindictæ; quod non inficiabitur respondens; pro vt inficiaretur, quòd omnis iratus appetit vindictam; cum etiã genitoribus possimus irasci, non tamen sumpturi de ipsis vindictam

5 Quinta regula in hoc sita est, ut fiat interrogatio tãquam alterius causa aliquid sumatur, & nõ ob propositum problema; & maxime si ita proponatur propositio, vt sub dubio remaneat num interrogãs velit quod interrogat, aut eius oppositum.

6 Sexta regula erit vt proponatur Interrogatio per similitudinẽ, vt si velit interrogans sumere, quod scientia sit contrariorum, interrogabit num sensus sit cõtrariorum: aut e contrario quòd sicuti scientia est contrariorum sit itidem sensus contrariorum: ita enim magis latebit interrogatio quam si vniuersalis habeatur. Qui modus similis est inductioni, atq; ideo ad persuadendum idoneus ab inductione tamen diuersus: quoniam non colligitur hunc in modum vniuersale ꝓut᾽ fit ꝑ inductionẽ.

7 Septima regula erit, vt interrogans quãdoq; sibi instantiã inferat; ita enim minus se suspectum reddet, quòd redarguere velit respondentem.

8 Octaua regula erit, prædicere, quod id, quod proponitur est in vsu, & in consuetudine receptum; ita enim verecumdabitur respõdens non cõcedere, quod in more positum est.

9 Nona regula, fingere se non accuratum in disputatione; nam cõtra accuratum disputãtem maior adhibet̃ ab vnoquoq; repugnãtia.

10 Decima: proponere in parabola, propositionem, & non in pro-

positio; nã magis cõceditur, quod ad aliud, & non scd̃m se est vtile.

11 Vndecima. Nõ accipere quod intenditur; sed illud, cui consequitur ex necessitate quod intenditur: ita enim facilius homines concedunt. Propterea quòd non ita manifestũ est ex his sequi id, quod tamen sequitur ex necessaria consequentia.

12 Duodecima, proponere in postrema ratiocinatione id, quod maxime intenditur, nam in principio disputationis præcipue negant omnia disputantes, quando & interrogantes vt in plurimis suum exercent conatũ circa prima. Veruntamen apud nonnullos e contra fit, nempe apud proteruos: hi enim principia facile admittunt, in fine vero proteruiunt. Quod etiam acuti ingenij homines facere consueuerunt; vt qui de proprio ingenio multum sibi assumẽtes omnia pene concedãt; cum deinde in fine disputationis cõfidant obsistere posse argumẽtationi. Vnde cum his ita congredi decet, vt in principio ponãtur, quæ maximam vim habere possint ad redarguendum.

13 Tertiadecima, & postrema regula ad occultandam ratiocinationem erit huiusmodi, vt in longũ protrahatur oratio, & multa non vtilia interserãtur; quemadmodum solent facere, qui falsum scribunt: siquidẽ, cum multa sint, quæ scribantur, non ita apparet, in quonam situm sit falsum. Sic itaq; & interrogans interdũ celat proponens in abscondito, quę viderentur si secundum se manifeste proponerentur.

Adnotat. in secunda Sect.

Hoc autem simile est inductioni, non idem tamen. Interrogare per similitudinem; veluti, ꝙ sicut scientia & ignorãtia sunt cõtrariorum, ita quoq; sit etiam sensus: id simile videtur induotioni: sed tñ non idẽ est. Siquidem inductione ex singularibus colligitur vniuersale: in similitudine autem non accipiuntur omnia similia, ex quibus vniuersale deducatur; sed aliquod horũ tantum, aut nonnulla, & non singula.

Etiã in parabola proponere. gręce ἐν παραβολῇ Vnde non videtur interpres recte vertisse *in similitudine*. Alia.n. hæc est vox ab illa, q̃ prius est adhibita ὁμοιότης: quare & pręsens regula a præcedenti debet esse diuersa. Huius exemplum affert Alexander vt si fiat hunc in modum interrogatio. Vtrum tibi videtur ita abstinentia esse virtus, sicuti iustitia & fortitudo? Verum videtur hic modus recidere in illum, vbi fit interrogatio per similitudinem; & ibj adductum est huiusmodi exemplum ab Arist. quòd sicuti est scientia contrariorum, sit item sensus contrariorum. Idcirco, cum in hoc alio modo secundum parabolam inducto supponat propositionem obscure esse faciendam, ne appareat, quod intenditur concludi (quoniã facilius conceditur, quod propter aliud ꝓponitur, & non secundum se) videretur sic modus ex parabola ad quandam comparationem pertinere inductam non solum in alia re diuersa a ꝓposito, verum etiam sub alia forma orationis exposita, quemadmodum & parabola sermonem inuolutũ significare videtur, & erit exemplum: num tibi videtur fortitudo virtus? vt ex hac concessione postea inducatur, ꝙ & abstinentia est virtus. Non est autem infitiandum locum a simili tanquam genericum aptari tum exẽplo, tum parabolæ seu comparationi inductæ de vna re simili cum alia vt in præsenti loco. Alexan.

Quodam modo pseudographia vtentes. Græce ψευδογραφοῦντες: quos interpretatur Suess. falsos pictores, qui multas inducẽtes lineas inutiles, inter eas miscent vtiles, vt celent. Forte loquitur Arist. de his, qui aut historias, aut aliud genus orationis scribũt intermiscentes clausula falsa; Vnde subiunxit, quòd quoniam multa sunt quæ scribuntur, idcirco non apparet, in quo nam consistit falsum.

Documenta pro ornãda & amplificanda oratione.

PRo ornanda autem seu amplificanda oratione, multum confert commodi inductio, nec non diuisio quæ hunc in modum est peragenda. Vt si sit de scientia disserendum, effari quòd sciẽtia vna est melior altera; aut quia efficacior, aut quia sit de melioribus. Aut in hunc alium modum: quòd scientiæ alię sunt contemplatiuę,

alia,

aliæ actiuę, & aliæ factiuæ.

Pro dilucidādā vero oratione, proferenda sunt exempla, & parabolæ: illa tamen excēpla, quæ sint propria, & ex quibus aliquid discatur; qualia Homerus adhibet, non qualia Chyrilus.

Adnotationes.

A*D ornatum*. Ornare orationem confert ad eiusdem amplificationem, seu magnitudinem; sicuti & amplificare orationem ad eiusdem ornatum pertinet; Rethoris autem maxime proprium est, in ornatum orationis plurimum incumbere: sed & id non inconuenit dialectico sermocinanti: vt gratior, & eruditior eius euadat oratio. Neque vero ab re est, vt artis Rethoricæ præcepta ad vsum aliarum facultatum, & scientiarum transferātur penes orationis normam, quā cuncti scriptores, & loquentes adhibent: est enim omnium scientiarum mutua quædam ciclopedia, qua inuicem sibi inseruiunt, alia alteri. Non etiam dedecet, quòd inductio, de qua dictum est antea, quòd deseruit ad vniuersale inducendum pro argumentatione, conferat etiam ad amplificandam orationem, prout supponitur hoc loco: propterea quòd ex inductione multa inferuntur, ex quibus oratio magnificatur.

Alia quidem exactior. Quòd vna scientia pstet alteri, pendet tum ex exacta rōne demonstrandi; tum ex nobilitate subiecti, de quo agitur: q̃ prærogatiuam detulit Arist. scientiæ de anima, in proęmio illius operis.

Exempla autem propria, per quæ sciamus. Antea exemplis coniunxit parabolas. Hic solū meminit exemplorum: quæ dicit debere esse propria, per quæ sciamus: quod pręcipue expetēdum est in parabolis, hoc est in similitudinibus, quæ mirifice deseruiunt ad cognitionem inducendam; Vnde exempla, & similitudines simul congessit. Exempla autē proprie ad persuadendum pertinent: similitudines vero ad dilucidandam, & manifestandam orationem: Vnde inquit, q debent esse propriæ, & p quas sciamus, & discamus. Et perspicuum est, q Poetæ, quorum meminit, vtuntur exemplis. i. similitudinibus, ad dilucidandam orationē; non exemplis, tanquam argumentis ad fidem faciendam, vt solent oratores. Et huic expositioni, q per exempla intellexerit Aristot. parabolas, seu similitudines, consentit etiam Alex. in suis commentarijs: qui Homeri, ait exempla & similitudines esse scientificas, quoniā sunt manifestæ & notæ: non tales Cherili, qui fuit Poeta ineptus.

Alex.

Sectio Quarta.

Regulæ obseruandæ penes inductionem, & instantias.

k

AD inductionem autem adhibendā plures occurrunt regulæ obseruandæ, quorum hæc est prima. Cum nonnullis rebus non sit positum nomen, hinc inuicem altercantur disputantes, dū vnus hæc, vel hæc, similia contendit esse, alter vero negat: propterea, vt locus præsto sit interrogāti ad vniuersale petendum, debebit imponere nomen ijs, quæ sunt similia, vt in ijs persistens vniuersale constituat.

2 Secunda, Cum in pluribus inductum sit, & nō det respondens vniuersale, tunc ęquū est ab ipso petere instantiam. Non dicente aūt interrogante, in quibus sic res se habeant, nō iustum est in hoc statu petere a respondēte, in quibus nam afferat nō ita se rem habere.

3 Tertia, Non est petenda instantia penes id, q proponit, nisi fuerit vnum tm̄. Nam qui ex aduerso instat, in altero debet ferre instantiam: aut dicere q istud quòd proponitur, est vnicum.

4 Quarta, Erit penes hoc: Nā instante respōdente circa vniuersale, non circa idem, sed in æquiuoco, in ijs distinguēdum est ab interrogante: alioquin, latente æquiuocatione, iure pateretur interrogans instantiā circa propositionē.

5 Quinta, si afferatur instantia nō in æquiuoco; sed in eodem vniuoco, tunc auferrre debet interrogans id, ad quod fertur instantia, & reliquum proponere in vniuersali, donec accipiat quod sibi sit vtile.

6 Sexta, Quod prędictum est, etiā efficiendum erit absque instātia: Nam in alijs concedet respondēs positionem, non pręuidens ad q d afferat instantiam efflagitatus vt afferat: & ita vltra non erit illi locus confugiendi ad instātiam: qđ maxime contingit in propositionibus,

nibus, quæ in parte aliqua ſint veræ, & in alia falſæ: in huiuſmodi .n. licet aliquid auferre, & aliud relinquere tanquam verum.

7 Septima, ſi ponente interrogante propoſitionem in multis, non afferat reſpondens inſtantiam, ab eo erit poſtulandum vt afferat: ſic enim euadet propoſitio dialectica, ad quam in pluribus eodẽ modo ſe habentem non eſt afferre inſtantiam.

Adnotationes in 4. Sectionem lib. 8. Top.

Q*Vare tentandum in omnibus talibus ipſum nomen effigere.* Nempe in ijs, in quibus eſt aliqua ſimilitudo ad hoc, vt impoſito cõmuni nomine, auferatur reſpondenti anſa dubitandi, & interroganti occaſio calũniandi, quod hæc, & hæc ſint ſimilia, aut non ſimilia. Hinc apparet proponi ab Ariſt. methodum, qua obſeruetur quædam æquitas in diſputando digna homine libero & ingenuo.

Sueſſ. *Dialectica autem propoſitio, ad quam ſic ſe habentem non eſt inſtantia.* Sueſſanus ita legit. *Nam dialectica propoſitio*: quæ particula *nam* redditiua cauſę deſideratur in Cod. Græco: & interpretatur reddi cauſam, quare ſit petendum, vt ponat reſpõdens propoſitionẽ, ad quam nõ habeat afferre inſtantiam. Verum id poteſt etiam enunciatum eſſe abſolute; nempe eſſe propoſitionem dialecticã, ad quam in multis ſimiliter ſe habentibus non eſt ferre inſtantiam, adeo vt ſit concedenda tanquam vniuerſalis propoſitio.

In Sect. 5. lib. 8. Top.

Varia documenta ad interrogantem ſpectantia.

1 **S**Vnt autem multa animaduertenda tanquam documẽta q̃dam ad interrogantem ſpectãtia, inter quæ hoc eſt primum. Cum contingat idem concludi per impoſſibile, & ſine impoſſibilis deductione; ideo penes demõſtrantem nihil intereſt, vtro modo rõcinetur: non ita apud diſputantem, qui ſi id, quod intendit, colligere poteſt ſine ſyllogiſmo ducẽte ad impoſſibile, illud aliter colliget: ita .n. anſa auferetur dubitandi, quam ſumeret reſpondens, accingens ſe ad oppoſitionem, ſi conſpexerit interrogantẽ intendere ſuo ratiocinio ipſum deducere ad impoſſibile; inficiabitur enim reſpondens, quòd ſit aliquid deductum impoſſibile, niſi valde ſit manifeſtum.

2 Secũdum. Proponet interrogãs; quę in multis ita ſe habent; vt aut omnino nõ adſit aduerſus propoſitionem inſtantia, aut facile perſpici non poſſit: nam non potens proſpicere reſpondens, in quibus non verificetur propoſitio, eam vti veram admittet.

3 Tertium. Non debet interrogãs concluſionem intentam proponere ſub interrogatione: quoniam ſi negetur a reſpõdente, illico aufertur facultas ſyllogiſmum conficiendi: q̃n etiam ſi non interrogetur, ſed vt conſequens inferatur, negari itidẽ ſolet; vt inde non videatur reſpõdẽs redargui apud illos ſaltem, qui non conſpiciunt, ex quibus nam concluſio deducatur. Vnde multo minus erit locus ſyllogiſmo, ſi concluſio interrogetur, quę ſtatim negari poteſt a reſpondente.

4 Quartum, Non ignorandum, ꝙ non omne vniuerſale eſt propoſitio dialectica. Nõ enim huiuſmodi enunciatum, quid eſt hõ? aut hoc aliud, quot modis dicitur bonum? ſiquidem propoſitio dialectica eſt ea, ad quam conuenit (ſi proponatur) reſpondere; aut ſic, aut non: quod non contingit in prædictis enũciationibus: niſi forte interrogans, ita proponat diuidens: num bonum ita, aut ita dicitur? cui interrogationi eſt facile reſpondere, aut affirmando, aut negando: & niſi conueniat reſpõdens

dens cum interrogante, iustū est ab ipso petere, vt determinet, quot modis dicatur, aut bonum, aut quid aliud positum in quęstione.

5 Quintum, Sciendum prauā esse illam interrogationem, in qua ꝓlixo sermone idem interrogatur in multis positum quæstionibus. Nam si respōdens ad vniuersam interrogationem respōdeat hinc multæ interrogationes factæ apparebunt; quę si sint de eodē, sic interrogans cōuincitur negari: si autem de diuersis existāt, iam ad syllogismū non pertinebunt, qui ex paucis cōstituitur: si autem nil dicat respondens, non eum increpabit interrogās: aut discedet respondens a colloquio, tanquam ab importuno interrogante.

6 Sextum, Difficilia ad redarguendum, & facilia ad sustinendū sunt prima, & postrema: prima quidē, qm̄ egent definitione, quam non facile concedit respondens, neq; animum adhibet, si interrogās ipsam afferat: non constito aūt quid sit illud, de quo quæstio, nō est facile aggredi; quod maxime contingit circa principia, cū alia posteriora ex ipsis demonstrentur. Vltima vero etiam difficilia sunt ad arguendum, qm̄ oportet ea cōtinuata probatione a primis ad vltima tendere; alioquin sophisticæ argumentationes videbuntur.

7 Septimum, Difficilia ad arguendum sunt, quæ valde sunt propinqua principijs; qm̄ pauca cadunt inter hæc, & principia: ex quibus ratiocinationes deduci possint.

8 Octauū. Difficillimæ probationis sunt illę definitiones, in q̄bus non apparet, si nomina simpliciter, aut multis modis dicātur; aut si est immanifestum, num ꝓprie, aut secundum metaphoram, afferantur. Nā, cū hinc obscura reddatur significatio definitionis, ideo deficiunt argumenta: & ex eo, ꝙ non apparet, si absq; metaphora dicatur; ideo increpatio locū non habet.

9 Nonum, Problema absolute difficile redditur, aut qm̄ indiget definitione; aut qm̄ multipliciter dr̄, aut secundum metaphorā: vel qm̄ non longe abest a principijs; vel qm̄ nō sit manifestū, ex quonam enūciato pēdeat difficultas. Nā constito ꝙ egeret definitione, definiretur; et si dignosceret dicimultis modis, distingui posset.

10 Decimum, Si non recte assignetur definitio, multę positiones redduntur non faciles, vt ad illas argumentetur et oppugnentur. Vnde etiam in Mathematicis disciplinis multa non facile describūtur, quorum descriptiones ex definitione tradita reddentur manifestæ; vt omnino in ipsis elemēta prima, positis definitionibus, facile possint ostēdi; licet sit difficile illa oppugnare: qm̄ pauca absint media: verū difficilius, immo impossibile est, vt absq; definitione probentur. Id igitur contingit circa dialecticas disputationes.

11 Vndecimum, Cum possit cōtingere, vt sit difficilius disputare ad axiomata, et ad propositiones, q̄ ad positionem; et si quis velit de propositionibus disserere, maius opus suscipiet, quam sit disputare, ad positionē respondentis; et si propositiones non confirmet, sic fiet, vt ex minus credibilibus credat: propterea erit documentum, vt, si non expediat reddere difficilius problema, supponantur ꝓpositiones, et non ponantur in disputatione. Si autem incūbat ne-

cessitas argumentandi per notiora, tunc propositiones non sunt supponendæ. Aut discenti non sunt ponendæ propositiones et dignitates, nisi sint notiores. Ad disputantem autem sunt ponendæ, dummodo verę videantur: adeo ꝙ non existimandum, ꝙ huiusmodi propositiones sint ęque ponendę, et a docente, et a dialectico: qm̃ ad discentem non sunt ponendæ, nisi sint notiores conclusionibus deducendis: apud vero exercitatum sunt ponendę, dummodo veræ appareant.

Adnotat. in quintam Sectionẽ lib. 8. Top.

D*Emonstranti quidem, & differenti nihil refert vel sic, vel illo modo syllogizare*. Ita Græce legitur. At apud Sueff. hunc in modum addita negatiua *non differenti*. Verum, si affirmatiue legatur, sic erit interpretandum, ꝙ nullum est discrimen penes demonstrantem & dialecticũ, ꝙ syllogismus astruatur aut ex impossibili, aut non ex impossibili. Aduertit autem Arist. debere dialecticũ abstinere a syllogismo ducente ad impossibile; qm̃ penes syllogismum ostensiuum nõ adeo dubitant homines, vt solent si senserint ferri in ipsos syllogismum procẽbentem ad impossibile.

Non videtur autem omne vniuersale propositio dialectica. Hinc patet, ꝙ dictum illud superius, ꝙ propositio dialectica esset ea, ad quã in pluribus sic se habentem non esset instãtia, erat intelligendum, quoniam sit vniuersalis non suscipiens instantiam: debet enim propositio esse vniuersalis, illa præsertim, ex qua fiat syllogismus.

Quicunque vnum sermonem multo tempore interrogat. Non prohibet Arist. quin multæ interrogationes fiant ad amplificationem orationis, & ad latentiam, quod superius docuit esse faciendum. At hoc loco id prohibet, si vna tantum sit ratio deducenda. Et est dicere, ꝙ non est ponenda oratio in multis quæstionibus: vnde & subiũxit, ꝙ ex paucis fit syllogismus; ex quo patet de vna ratione id enunciasse. Fit autem multorum, vel multoties de eodem interrogatio in multo tẽpore, quod requiritur in hoc peragendo.

Nisi autem ponantur principiorum definitiones difficile, forte autem impossibile. Nempe absque definitione principiorum impossibile est astruere demonstrationes. Quod est consonum dictis in Post. Analyt. Quòd necesse est accipere definitionem in demonstratione.

Non similiter interroganti, & docenti existimandum ponere. Ait, principia ad ratiocinandum non æque esse petenda a docente, vt a differente: iste enim potest non ponere: at docens debet ponere apud addiscentẽ, quæ sint credibilia. Dialecticus aũt ponet principia, dummodo verum videatur quod petitur. Verum, quomodo negocium sit habendum circa positiones, & de discrimine principiorum, exacte actum est in lib. 1. Poster. Analyt.

li. 1. Post. Analyt. c. 8.

Sectio Sexta.

Generalia quædam ad munus respondentis attinentia.

QVod vero attinet ad munus respõdentis, illud in primis est statuendum, quòd quẽadmodum interrogãtis illud debet esse munus, vt eo suam argumentationem deducat, qua inducat respondentem ad maxime inopinabilia super ijs, quę necessaria sint ob positionem respondẽtis: ita quoq; munus est respondẽtis talẽ se gerere in disputatione, vt nihil impossibile, aut inopinabile appareat eius culpa sequi in disputatione; sed solum ꝑꝑ positionem, quam tuetur. Siquidem aliud est peccatum, quod aliquid in initio ipsius cõgressus ponatur quod nõ oportet ex rei veritate, seu ex apparentia; et aliud non tueri, vt decet, quod positum sit. Et qm̃ indeterminatum est, qũo se gesturi sint, q sermocinationes exercitationis, et tentãdi seu experientiam sumẽdi causa tractãt. (Siquidẽ alij sunt scopi apud addiscentes et docentes, qui certe falsum docere numquam agrediũtur, sed quę videntur, hęc solent edocere, et alij sunt scopi eorum, qui certaminis causa disputationem suscipiũt, quibus id curę est, a parte interrogantis, vt omnino aliquid agere videatur contra respondẽtem, a parte vero respondentis, vt nihil pati videatur ab

interrogante; & alij etiam ſcopi ſunt eorum, qui ſimul inuicē ſemper conuerſantur, ſermonem mutuum habentes in dialogis, nō ob certamen, ſed ꝑ ſpeculationem, atque experientiam ſumendam, num quis aliquam ſcientiam calleat nec ne, et cum ab ijs, qui huiuſmodi certandi ſtudium ſectantur, non ſit determinatum, quæ aſſequi debeat reſpōdens, qualiaue concedere, et qualia non concedere, vt bene ſuam tueatur poſitionem:) Idcirco aſſignanda eſt norma et methodus, quę a reſpōdente ſit obſeruanda Vnde in generali hæc varia præmittēda ſunt adnotamenta.

In primis opus eſt, vt reſpondēs ſermonem ſuum ſuſtineat atque tueatur penes aliquid, qđ ſit aut opinabile, aut ĩopinabile, aut neutrum: eritque opinabile et inopinabile vel ſimpliciter, vel determinatum apud ſe ipſum, aut apud alium, cuius poſitionem tueatur. Nullum autem diſcrimē erit pro tuenda poſitione (ſiue ſit opinabiles, ſiue inopinabiles ſimpliciter, aut indeterminate) pro norma aſſignanda reſpondēti, quę eadem vtrobique erit. Si igitur fuerit poſitio ſimpliciter opinabilis, ex parte reſpondentis, et interrogantis, oportet ut concluſio deducēda ſit inopinabilis, cum interrogās ſemper intēdat ſua ratiocinatione oppoſitam inferre concluſionem ad poſitionem reſpondentis. Si autē fuerit poſitio ſimpliciter inopinabilis, concluſio ex parte interrogantis debet eſſe ſemper opinabilis. Si uero poſitio fuerit neutra, ideſt neque opinabilis, neque inopinabilis, ſimilis etiam erit ex parte interrogantis concluſio.

Cum autem recte ratiocinās, ex opinabilibus, et notioribus ratiocinetur, idcirco a reſpondēte tuēte poſitionē ſimpliciter inopinabilem non debet concedi interroganti quidpiam, quod ſimpliciter non videatur; neque tale, quod et ſi uideatur, minus tamen concluſione uideatur: ita n. effugiet reſpondens, ne abſurda fateatur: ſiquidem ex notioribus debet concludi, quod minus eſt opinabile: et ita nullum abſurdum uidebitur dicere reſpondens, cum abſurda ex opinabilibus non deducantur.

Si autem poſitio fuerit ſimpliciter opinabilis, concluſio ex parte interrogantis debebit ſimpliciter eſſe inopinabilis: quare reſpōdēs ad euitanda abſurda, non concedet interroganti, niſi ea, quę uidētur, et ea, quæ ſi nō uidentur, ſint tamen minus inopinabilia, quàm concluſio inferenda ab interrogāte: ex huiuſmodi enim opinabilibus non deducitur reſpondens ab abſurda.

Si autem poſitio fuerit neutra, nempe et opinabilis, et inopinabilis, a reſpondente erunt concedenda interroganti omnia quę uidentur: & ex ijs quæ non videntur, illa, quæ minus ſint opinabilia, quàm concluſio ab interrogāte inferenda. Ex huiuſmodi enim nil patietur abſurdi reſpondens ab interrogante.

Si autem poſitio non fuerit ſimpliciter opinabilis, aut inopinabilis, ſed determinata vel apud ipſum ponētem, vel ad opinionem alicuius, quam tueri velit; ſi ſit poſitio iuxta ꝓpriam ſententiam & poſitionem, ipſe ex ꝓprio iudicio, concedet interroganti, quæ ſibi videbūtur opinabilia; non autem ea, quæ non ſibi videbuntur, habita ratione propriæ poſitionis.

Si autem fuerit positio determinata alicuius opinionem, quã intendat tueri respondens; put fuerit opinabilis, aut inopinabilis, sic se geret, vt iuxta eius mentem, cuius sententiam sustinet, non concedat quæ infringere valeant alterius opinionem ab ipso susceptam ad tuẽdum; sed ea tantum, quæ ei non aduersentur. Idcirco, qui tueretur opinionem Heracliti asserentis idem esse bonum & malum, iuxta eiusdem sentẽtiam non concederet ꝙ contraria non stent simul, cũ Heraclitus supponat in sua positione contraria simul esse; quare sustinens eius sententiam hoc idem de contrarijs affirmabit.

Adnotationes in Sect. 6. lib. 8. Top.

Est autem interrogantis. Ait munus esse interrogantis ita suam deducere ratiocinationem, vt faciat respondentem dicere inopinabiliora ijs, quæ sunt necessaria ad eius positionem sustinendam: huiusmodi enim cẽsentur talia, quibus iure redarguatur respondens, cum ex ijs positio interimatur. Vnde ex aduerso legem ponit Arist. respondenti, vt ita se gerat, vt non appareat propter ipsum (tãquam non bene tuentem suam positionem) dicere aliquid impossibile, aut inopinabile, & id quidem; quoniam aliud est peccatum a principio prauam ponere positionem, & aliud ipsam non probe tueri.

Quoniam autem indeterminata ijs qui experientia gratia. In differendo differt exercitatio ab experientia sumenda de alicuius intelligentia circa aliquã scientiam. Nam in exercitatione habet locũ aliqua contentio, dialectica tamen, at non Sophistica: penes aũt experientiam versatur tentatiua ad speculationem scientiarum deseruiens, quam Socrates & Plato profitebãtur. Quibus quidẽ ait Arist. incumbebat munus explicandi methodum obseruandam a respondente, quod tñ omiserunt. De munere autem interrogãtis eosdem non arguit ꝙ omiserint de eo agere nec ne: forte, qm̃ ex ipsorũ Dialogis, præsertim ex illis Platonis, modus interrogandi penes tentatiuam facultatem, satis illustris appareat.

Vel neutrum. Positio neutra illa intelligitur, quæ ex vno latere habet vnde probabilis videatur, & ex alio latere vnde argui possit, quòd non sit probabilis.

Quoniam aũt ratiocinatur ex opinabilioribus; & notioribus. Perspicuum est opus esse, vt q bene ratiocinatur, præmittat opinabiliora & notiora q̃ sit conclusio deducẽda: alioqn non fidem faceret de eo, quod intendit cõcludere. Idcirco, si positio sit probabilis, & non admittantur a respondẽte nisi ea, quæ sint probabiliora conclusione inferenda, iã pati non poterit respondens ab interrogante conclusionem absurdam, aut impossibilẽ: Quod etiam succedet, si positio fuerit improbabilis. Nam non concedendo nisi ea q̃ sint probabiliora conclusione inferenda, nihil omnino absurdi pati poterit respõdens.

Dubit. Si autem (vt censent nonnulli) non vr̃ consonum rationi, ꝙ tam in positione probabili, q̃ in improbabili a respondente non sint admittenda nisi probabilia, tum qm̃ dictum est, munus esse interrogantis vt deducat respondentem ad dicenda inopinabilia, tum qm̃ videretur debere alia seruari rõcinatio circa positionem probabilem, & alia circa improbabilem:

Solut. Dicendum ex aduerso, ꝙ respondens ita se gerere debet, vt ad nullum impossibile, aut inopinabile asserendum se duci ab interrogante patiatur extra suam positionem, cum aduersarius possit, tum circa probabilem, tum circa improbabilem positionem procedere ex quibusdam non opinabilibus, ex qbus impossibile deducatur, a quo auertere, & tutari se debet ꝓbe respõdens. Qui etiam non debet ignorare, cõtra positionem improbabilem, deducendã esse probabilem conclusionem; & ideo attentus erit, vt talis conclusio sequatur opinabilis, quæ nullum afferat absurdum; & non quòd sequatur inopinabilis. Alij dicunt, in disputatione tentatiua solum problema probabile poni, in discolica autem, & contentiosa, modo opinabilia iuxta ꝓblema opinabile, modo inopinabilia iuxta ꝓblema inopinabile poni, adhoc vt non tollatur positio per oppositum, & nõ deducatur respondens ad oppositum suæ positionis.

Sectio Septima.

Regulæ particulares traduntur obseruandæ a Dialectico in responsionibus.

Magis autem ad particularia descendendo de modo obseruando a Dialectico respondẽte ad Dialecticum interrogantem, sequentes regulæ traduntur. Harum prima sit.

a Cum constet opus esse, vt omne interrogatum sit vel opinabile, vel inopinabile, aut neutrum; item vel conferens ad argumentationem, aut non conferens: idcirco, si interrogatum fuerit apparens, at non cõferens ad oppugnationẽ positionis, tale interrogatum erit a respondente admittendum, eodem tñ afferente, videri quidem sibi, at non propter illud tolli, quod ab ipso positum est in principio.

Se-

2 Secunda regula, Si postulatum non sit apparens, neque conferens ad ratiocinationẽ, id ipsum etiam est concedendum, addito tñ sermone, ꝙ non videatur, ne respondens taxetur tanquam ignauus.

3 Tertia, Si videatur postulatum & ad rõnẽ inducendam conferens, etiam admittendũ ꝙ videtur, cum hac tñ adiectione, ꝙ huiusmodi postulatum sit admodum prope principio argumentationis; & ꝙ eo posito, tollatur positio.

4 Quarta, Si postulatum sit valde inopinabile axiomam ad rationem, fateri debebit respondens, ꝙ eo posito sequatur conclusio intenta ab interrogante: sed valde stultum esse id, quod ab ipso est propositum.

5 Quinta. Si postulatum neq; opinabile neq; inopinabile fuerit, si non conferat ad rõnẽ, admittendum erit absq; vlla distinctio.

6 Sexta, Si non conferat ad rationem, significãdum erit, ꝙ ipso posito tollitur positio. Nam hunc in modum se gerens respõdens, nil videbitur sua causa pati absurdi; vt qui perspiciens quo tẽdant interrogata aduersarij, omnia ponit, præbeatq; interroganti ansam fabricandi syllogismum, concedẽdo opinabiliora, q̃ sit conclusio inferenda. Nã qui aggrediuntur ratiocinationẽ conficere ex inopinabilioribus, q̃ sit conclusio, nõ recte rõcinantur: atque ideo ipsorum interrogationes non sunt admittendę.

7 Septima, Circa immanifesta erit huiusmodi; vt cum liceat respondenti, qui non percipiat dicere ꝙ non intelligit; idcirco, si quod dictum sit ab interrogante, non fuerit manifestum, non hæsitabit respondens dicere, ꝙ non intelligit; nam frequenter concesso immanifesto, ẽt quidpiam graue succedet.

8 Octaua, Si fuerit aliquid multipliciter dictum, si in omnibus simpliciter verũ, aut falsum sit, simpliciter admittendum, si verum sit; & simpliciter negãdum, si falsum fuerit.

9 Nona, Si multipliciter dictum partim sit verum, & partim falsum, prædicendum erit a respondente, quomodo in parte sit verũ, & in parte falsum: qui autem non in principio, sed in postremo disputationis distinxerit ambiguum, suspicionem inducit, ꝙ inter initia ambiguitatem non perspexerit.

10 Decima, Si prospiciens respondens ambiguum, in vnam partem mentem intẽderit, & interrogans in alteram partem deducat suam ratiocinationem, respondens tunc dicet, ꝙ non in eam, sed in aliam partem respexit; & quòd facilis est dubitatio in ijs, q̃ possunt plura continere in eodem nomine, aut in eadem oratione.

11 Vndecima, Si simplex & manifestum sit postulatum, de eo respondens afferet, aut videri, aut non videri, prout illud aut opinabile, aut non opinabile adiudicabit.

12 Duodecima, Cum omnis propositio aut sit eiusmodi, vt ex ea syllogismus conficiatur, aut talis, vt in adiutorium syllogismi accipiatur (estq; manifestum qñ alterius causa sumatur, siquidẽ vt in plurimis vel per inductionem, vel per similitudinem vniuersale accipitur:) ideirco a respondente oĩa particularia erunt concedenda, si vera & opinabilia fuerint; ad vniuersale autem erit afferenda instantia. Nam sine instantia saltẽ apparentem auferre argumentationẽ, id est manifeste proteruire, & multo magis; si nõ adsit argumentum ad refellendum id, quod inductum est. & non ponitur. Sed & id non satis est, cum multæ res sint contrariæ opinionibus, difficiles ad refellendum, quorum tñ opposita neque sunt ponenda. Vnde qui absq; instantia, aut argumento impedit cursum argumẽtationis, proculdubio huiusmodi proteruus disputans censendus est; cum in disputationibus proteruia sit responsio destructiua syllogismi habita præter prædictos modos.

13 Decimatertia, Debet respondens hac præparatione tueri positionem aut definitionẽ quamcunq;, sibi opponendo, & conficiendo ea argumenta, quæ forent expectanda ab interrogante: vt hinc pronior fiat ad opponendum ijs, ex quibus interrogans tolleret respondentis positionem.

14 Decimaquarta, Cauere se debet respondẽs a tuenda positione inopinabili: quæ erit, si ex ea contingat fateri absurda: veluti est illa positio, ꝙ nihil moueatur: aut illa, quæ peioris sit moris, aut contraria consilijs; vt ꝙ voluptas sit bonum; aut ꝙ melius sit facere, q̃ pati iniuriam: nã qui huiusmodi sustinet positiones, non sermocinationis gratia, sed ita ex aĩo sentiẽs, aduersus se cõcitat odiũ.

15 Decimaquinta, Tollet respondens ex argumentationibus falsis illud falsum, per quod contra positionem suam deducta est cõclusio, cum non sufficiat negare falsum, cum multa falsa in orationibus esse possint. Nouit autem bene solutionem argumenti, qui nouit vnde inferatur falsa conclusio: quẽadmodum etiam in descriptionibus geometricis falsam agnoscit descriptionem, qui cognoscit, vnde error profluxerit. Vnde non sufficiet, instantiam afferre, ꝙ aliquid sit falsum; sed etiam oportet significare, ꝓꝑ q̃d falsum sequatur. Hunc enim in modum respondens propalabit ꝙ præuidit, vnde inferret instantiam pro tollenda interrogantis argumẽtatione, & pro tuẽda sua positione.

16 Decimasexta, Impeditur ne inferatur ex argumentatione conclusio, quattuor modis. Primo dissoluendo illud, ex quo deducitur conclusio. Secundo prohibendo interrogantem, ne vltra progrediatur, & id adducẽdo ex aduerso instantiam, licet per hanc non soluatur ratiocinatio. Tertio ad interrogata opponendo, ꝙ sint perperam interrogata: vnde si instantia id præstet hæc spectabit ad interrogantem: si autem potest vlterius progredi interrogans, instãtia erit ꝓducta ad interrogata. Quarto & vltimo impeditur rõcinatio, afferendo instantiam (& est pessima omniũ instantiarum) qua disputatio ducatur eò, vt sit opus longiori tempore, quàm tunc occasio conuersationis, seu congressus postulet: Et primus quidem allatus modus solus continet veram solutionem; & omnes alij sunt potius impedimenta rationis, quàm dissolutio.

Adnotat. in Sect. 7. lib. 8. Top.

Non tollitur eo posito, quod in principio. Id est, ipsa positio non tollitur, ex qua ini-

initium disputationis sumitur.

Sed valde prope est, quod in principio. Nempe hunc in modum debet opponi a respondente interroganti, quod id acceperit, qđ est prope ad illud, quod positũ est a principio: & est insinuare, ꝙ acceptum non repugnat positioni. Cum vero subiungitur, dici etiam debere a respondente, ꝙ ex tali suppositione inducta ab interrogante tollitur sua positio; patet quòd & hunc in modum possit extenuari ratiocinatio interrogantis.

Vel enim inductionem, vel per similitudinem in plurimis colligitur vniversale. Id perspicuũ est de inductione: per *similitudinem* aũt intelligit Alex. parabolam ex qua infertur ẽt vniuersale, sicuti etiam per inductionẽ; de qua re erit sermo infra. Aut dicere possumus colligi vniuersale per similitudinẽ: veluti hunc in modum ratiocinando; qđ sensus omnis est contrariorum; prout & scientia omnis est contrariorum.

Alex.

Sectio Octaua.

Traduntur varia documenta communia interroganti & respondenti.

1 OCcurrunt autem varia documenta, penes exercitationem dialecticæ facultatis adnotanda. Hoc primum, reprehensionem, seu inculpationem ratiocinij duplici ex capite haberi posse, tum ex ipsamet ratione, tum ex interrogatis. Nã sępe in causa est qui interrogatur, vt non recte procedat disputatio, propterea ꝙ non concedat ea, ex quibus iuxta positionem recte disputaretur. Sqiuidem non ex vno solum, sed ex altero etiam disputante opus communis disputationis construitur: vnde fit vt interdũ necesse sit aggredi disputationem, non ad propositum sermonem, sed respondentẽ, cũ contraria interrogãti comprobare nititur: & hinc contentiosi, non vere dialectici consurgunt congressus.

2 Secundum documentum. Cum sermones dialectici exercitationis, & experientiæ de alterius doctrinæ sumendi gratia fiant, & non proprie ob doctrinã; idcirco non ignorandum est, non solum vera, sed etiam falsa in syllogismis adhibenda esse: siquidẽ oportet vt differens veram positionẽ interimat: vnde etiam falsa in oppositum debet proponere: cum præsertim falsa quoq; positio ex falsis interimatur: quandoquidem nihil ꝓhibet, quin alicui magis ea quæ nõ sunt, ꝙ quæ sunt vera videantur: quare ex his falsis concessis sequetur conclusio persuadẽs potius, quàm adiuuans respondentem.

3 Tertium, Qui ex ꝓposita positione transgreditur, in quidpiã aliud traducens disputationem, id debet facere conuenienti modo; nempe dialectice, non contentiose.

4 Quartum, Quemadmodum qui impedit aliquod opus commune, vel ædificandi, vel qđ aliud operandi, prauus, & peruersus est socius; ita quoque peruersus est, qui communem disceptationem impedit, ne vt decet, progrediatur. Verum aduertẽdum est, non vnum, & communem scopum inesse ijs, qui contentiose inuicem digladiãtur sermone; qñ non plures vno victoriam obtinere possunt, quam alter alteri præripere conatur. Et nullum est discrimen, si prædictum impedimentum disputationis ab ipso respõdente, aut ab interrogante proceдat: cum pariter contentiose haberi possit interrogatio, quemadmodum & responsio, qñ non conceditur quod apparet, neq; admittitur illud, quod interrogans vellet persuadere. Ex ijs apparet, non eodem modo occurrendũ esse ratiocinio, & ipsi interroganti: cum nil prohibeat, argumẽtationem esse prauam, interrogantem autem optime se gerere in disserendo aduersus rñdẽtem: nã aduersus proteruos nõ est facile, vt quos ꝗspiã velit, cõtexat syllogismos, sed quales fieri cõtingit.

5 Quintum, Qm̃ indeterminatũ est, qñ hoĩes ponant contraria dictis, & qñ repetant id, quod in principio (siquidẽ, & apud seipsos contraria sæpe loquuntur, & primo negantes aliquid, illud postea concedunt) hinc necesse est, vt prauæ sequãtur disputationes; id ipsum causante respondente, dum hęc cõcedit, alia vero non concedit. Vnde manifestum est rationi aliter esse occurrendum, & aliter interrogationibus.

6 Sextum, Quinq; modis ipsa rõcinatio reprehendi potest: primus est, qm̃ ex interrogatis nulla deducatur conclusio, neq; ad positionem, neq; vllo modo; propterea ꝙ sint falsa, aut inopinabilia, vel omnia, vel plurima ex ijs, e quibus deducitur cõclusio: adeo vt neq; ablatis, neq; appositis quibusdam, aut partim ablatis, & partim appositis, vlla penitus conclusio sequatur. Secundus, si ad positionem non ducitur conclusio, & sit ratiocinium ex inopinabilibus. Tertius, si ex quibusdam additis fiat conclusio, sed addita sint deteriora interrogatis, & minus probabilia conclusione. Quartus, si ablatis quibusdam, dehinc sequatur conclusio: sic.n. manifestum, ꝙ non iuxta positum sequitur syllogismus. Quintus, si ex inopinabilibus & minus credibilibus cõclusione syllogismus cõstruatur: vel si ex veris sit confectus, ex huiusmodi autem veris, quæ maiori opera indigent vt probentur, quàm postulet problema positum in disputatione.

7 Septimum, Non æque in omnibus problematibus opinabiles, & suasibiles habentur syllogismi, cũ sint nonnulla problemata sua natura faciliora, alia vero difficilliora ad cõcludendum, vnde sat est, vt deducantur rationes, vt possunt deduci iuxta problematũ conditionem.

8 Octauuum, Interdum euenit, vt argumentatio concludens sit deterior non concludẽte, cum illa ex absurdis concludat tali non existente problemate; hæc vero egeat illis, quæ sint opinabilia & vera; & non dum in assumendis versatur oratio.

9 Nonum, Qui ex falsis verũ concludunt, nõ sunt reprehendendi, qñ ex falsis semꝑ falsum, ex veris autem non solum verum, sed interdum etiam falsum deduci potest, vt patet ex Prioribus Analyticis.

10 Decimum, Cũ dicta oratio sit alicuius demonstratio, idcirco si quid aliud adsit non per-

pertinēns ad conclusionem, non erit de hoc syllogismus; quod si appareat, erit sophisma non demonstratio. Est autem philosophisma, syllogismus demonstratiuus. Epicherema, syllogismus dialecticus: Sophisma, syllogismus contentiosus. Aporema, syllogismus dialecticus ad vtramq; partem contradictionis se habens.

11 Vndecimū, Si ex duabus propositionibus apparentibus, sed non similiter apparentibus syllogismus astruatur, nihil prohibet cō clusionem, altera non ita apparente propositione esse probabiliorem. Si autem sit vna propositio probabilis, altera neutra, aut vna videatur probabilis, & alia nō videatur, existentibus similibus propositionibus, erit similis conclusio, aut probabilis, aut non probabilis. Si autē altera magis probabilis, aut magis non ꝓbabilis, hanc sequetur cōclusio.

12 Duodecimum, Peccatum in ratiocinando committitur, eo quod plura adhibeantur, q̄ opus sit pro argumentatione; videlicet cum ostēditur per plura id, quod contingit ostēdi per pauciora; ita enim fit vt causa conclusionis non appareat.

13 Decimumtertium, Oratio manifesta dr̄ tribus modis. Primus modus, & est famosissimus, cum ita deducta sit ratiocinatio, vt nihii penes ipsam opus sit interrogare. Secūdus (& est modus valde vsitatus) cum assumpta sunt necessaria ad conclusionem inferēdam, quæ tamen ex alijs iam probatis deducitur. Tertius, cum deest aliquid, quod tn̄ est valde probabile, vti fit in Enthimemate.

14 Decimumquartum, Oratio falsa potest esse quattuor modis. Primus si videtur concludere, & nō concludat, & ēst syllogismus cōtentiosus. Secundus si concludat, sed nō ad propositum; quod maxime euenit circa syllogismum ducētem ad impossibile. Tertius, si ad propositum concludatur, sed non secūdum propriam methodū: veluti si medicus, non vt medicus, dialecticus, non vt dialecticus, ratiocinetur, siue verum, siue falsum sit deductum. Quartus, si ex falsis concludatur, ex quibus, modo verum, modo falsum deduci potest. Verum ꝙ falsa sit ratiocinatio, potius peccatum est dicentis, nempe respondentis, q̄ rationis. Sed & non semper dicentis: sed qn̄ latet ipsum, ꝙ interrogās falsam aliquam dixit rationem. Siquidem secundū se aliquam argumētationem, & propositionem falsam magis approbamus, quā multas veras, dum ex maxime nobis apparentibus tollitur aliquid verum: talis.n. existens rō, verorum est demonstratio. Si autem verum concludatur ex falsis, & valde absurdis, sic ratio erit peior multis falsum concludentibus; & talis erit etiam ratio falsum cōcludens. Vnde manifestum est, ꝯ prima consideratio circa rationem scd̄m se erit, si concludat nec ne: Secunda, si verum aut falsum cōcludat. Tertia ex quibus huiusmodi: si.n. ex falsis, sed opinabilibus sit cōstructa, erit ratio Logica: si autem ex entibus quidem, sed inopinabilibus, erit praua ratio. si autē sint falsa, & valde inopinabilia sint assumpta, manifestū est, ꝙ ratio est praua, vel simpliciter, vel quantū ad rē, de qua sit sermo.

15 Decimumquintum, Positio principij cōsiderata, non secundum rerum veritatem, de qua actum est in lib. Analyt. sed secundum opinionem, quinq; modis contingere pōt. Primo, si quod est demōstrandum, illud idē petatur; & id est perspicuum in eodem: in synonimis autem, & in quibus nomen, & rō idem significant, magis latet positio. Secundo, si quod in parte est demonstrandum, in vniuersali petatur. Tertio ex opposito, si qđ demonstrandum est in vniuersali, petatur in particulari. Quarto, si quis diuidens petat ꝑ opositū, accipiendo partes. Quinto, si ostēsum ex consequentibus adinuicem petatur (verbi gratia) ꝙ in mēsurabilis sit costa diametro sit incommensurabilis costæ.

16 Decimumsextum, Quinque etiam modis petuntur contraria. Primo, si opposita petātur; veluti affirmatio & negatio. Secundo, si opposita secundum contraria, vt bonum & malum. Tertio, si existimans aliquid in vniuersali, petat in particulari: veluti existimans contrariorum eandem esse scientiā, petat, ęgritudinis, & sanitatis diuersam esse scientiam. Quarto è conuerso, si petatur in vniuersali, facta suppositiōe in particulari. Quinto si petatur contrarium ei, quod consequitur ex necessitate ipsi proposito; aut etiā si non posita fuerint opposita, sed duo talia petantur, ex quibus opposita sequatur contradictio. Differt autem petitio principij a petitione contrariorū: qm̄ petitio principij respicit conclusionem; petitio autem contrariorum respicit propositiones, quæ inuicem comparantur.

Adnotationes in 8. Sect. lib. 8. Top.

PRoteruientes igitur contentiosos, non dialecticos egunt congressus. Ad hoc, vt appareat dialecticum non contentiose, sed perbelle suscipere debere disputationem, tam in ipsa exercitatione facultatis dialecticæ, q̄ in tentatiua (licet etiā interdum aliqualis contingat contentio inter dialecticos, vt patebit ex sequentibus) inquit Arist. ꝙ dum sermones dialectici nō doctrinæ causa, sed ad exercitationem, & pro tentatiua assumuntur; ideo necesse est aliquando falsum syllogizare & ex falsis, & interdum ex veris, cū ex veris, & verum & falsum deduci possit: idque iuxta modos respondentis, & interrogantis: neque tn̄ id proteruiæ adscribendū est; cum ex responsis datis conetur interrogans arguere respondentem in eius respōsionibus persistens; & respondens pariter consistit in suis responsionibus, concedendo interroganti, quæ apparent.

Quales autem syllogismi dialectici, dictum est prius. Nempe cum ex probabilibus probabilia probantur.

Quando autem fuerit demonstratio alicuius dicta oratio. Id est, qn̄ oratio dialectica fuerit demonstratio de aliquo; tunc si quid fuerit nullo modo se habens ad cōclusionem deducendam, de eo non erit syllogismus; et si appareat, erit sophisma, non demonstratio: sophisma autem est syllogismus cōtētiosus.

Si magis aliud consequitur quod magis. Sentit Suess. ꝙ conclusio sequi debeat partem ꝓpositionum minus opinabilium, eo ꝙ semꝑ Suess.

conclusio sequatur deteriorem partē; ꝓut in Prior. Analyt. lib. 1. explicatum est, q̄ tñ non absolute verum est, vt ibidem fuit ostē sum in disputatione propositionis inexistē tis. Sed cum dixerit Arist. *quòd potest conclusio magis videri, quàm altera positio*. Hinc potius supponendum videtur, quòd potius cō clusio sit consecutura cōformis magis probabili propositioni.

li. 1. Prio. Analyt. Sect. 1.

Qui appellatur syllogismus contentiosus. Vt si appareat concludere, & non concludat, tanquam in bona figuræ complicatione non confectus.

Dicentis magis peccatum. Nempe est magis in culpa respōdens, vt falsa sequatur ratio, propterea q̄ ipsum lateat falsum aliquod ab interrogante assumptum; & apud ipsum aliquid maxime videatur, ex quo tollatur verum: ita enim sequetur ratio falsa ex culpa respondentis.

Secundum veritatem in Analyt. Nempe actū est de petitione principij: at hoc loco agitur secundum opinionem iuxta opinabilia. Est autem petitio principij secūdum veritatē, qñ proceditur in alicuius rei demōstratione ab æque noto secundum naturam: secundum opinionem vero est petitio principij, quando ab æque noto quo ad nos, vel minus noto aliquid proceditur.

In multiuocis, & in quibus nomen, & oratio idem significat. Vbi multa sunt nomina, & vbi oratio, & nomen idem significet, in ijs magis latere potest petitio principij.

Sectio Nona.

Regulæ ad rectam exercitationem faciendam circa studium dialecticæ.

1 AD exercitationem aūt circa studiū dialecticæ comparandam, ipsamq; probe obeundā variæ occurrunt regulæ obseruandæ. Inter quas hæc erit prima: vt exerceat sese studiosus dialecticæ penes cōuersionē orationis syllogisticæ: quod fit (vt explicatū est in Prior. Analyt.) cum cōmutatur cōclusio prioris syllogismi in aliam formam, & alteri propositioni coniungitur, vt alius ducat syllogismus: ita.n. tollitur, sublata priore conclusione, aliquid ex acceptis, ex q̄bus deducabatur: vnde copia syllogismorum comparatur.

li. 2. Prio. Analyt. c. 8.

2 Secunda regula. Debet dialecticus circa quoq; problema cōsiderare, atq; præmeditari argumēta, quæ in vtrāq; partē astrui possint, eorumq; pariter solutiones: ita.n. & ad interrogandum, & ad rñdendum promptus, & copiose paratus euadet: cuius studij exercendi cū alio, si nobis nō adsit facultas, inter nosmetipsos id ipsum peragere conueniet. Quippe huiusmodi exercitatio nō mediocre est instrumentū ad cautos nos reddendos circa tutelā vtriusq; partis cōtradictionis, tum ad coarguēdum aduersariū, quod tentat interrogans; tum ad tuendam nostram positionē, si officium rñdentis sustinemus: necnon ad cognitionem, & prudētiam de veritate scd̃m Philosophiam obtinendam, in quo oportet bono nos esse præditos ingenio: q̄ scd̃m veritatem in eo positum, & vt verum a falso discernamus.

3 Tertia, Ad quæstiones, quæ frequenter in disputatione cadunt, promptæ & paratę haberi debent, argumentationes illæ, quæ ꝑtinent ad rerum capita generalia, circa quæ valde contendunt respondentes.

4 Quarta, Abundare debet dialecticus definitionibus (has quidē opinabilibus) & primorum promptas habere; qñ ex hijs syllogismi conficiuntur.

5 Quinta, In prōptu quoq; habenda sunt ea, in quæ & aliæ orationes cadunt. Nam, quēadmodum in Geometria plurimum confert ingenium exercere circa elementa, ad alia hinc plurima percipiēda; & circa numeros capitales exercitatio nos manuducit ad cognoscendū alium numerum multiplicatū; ita quoq; circa sermocinationes plurimum confert sic prompta habere propria principia, & ꝓpositiones, vt quasi ex ore scire, ac promptę pronunciari possit. Nam quemadmodum in sede memoriæ loci collocati faciunt subito res ipsas memorari; ita quoque id præstant vniuersales, & communes propositiones; dum compositæ in numero determinato reddunt hominem aptiorem ad syllogismos astruendos.

6 Sexta, Propositiones maxime vniuersales in sermonem ampliorem, aut in memoria sunt ponenda: quandoquidem mediocriter abundare circa suppositiones, quid graue, atque molestum est in disputatione.

7 Septima, Assuefaciēda sunt ingenia in reducendo vnam rationem ad plures, tanquā immanifestissima abscondendo: quòd hunc in modum peragendum est; procedendo videlicet per ea, quæ longe absunt a primis, circa quæ est disputatio: ad idque maxime aptæ sunt rationes vniuersales.

8 Octaua, Vtile est reuocare quęstionem ad vniuersum genus, etiam q̄ negocium in parte tractetur: ita.n. copia suppeditabit rōnū, vt ex vna plures conficiantur: quod & in Rethoricis circa Enthimemata cōtingit.

9 Nona, Vitandum, ne circa vniuersale inferatur syllogismus.

10 Decima, Oportet semper inspicere, si sermones habeātur circa communia pluribus, cū & particulares in vniuersalibus contineantur; vnde etiam sine vniuersalibus ꝓpositionibus, nullus conficitur syllogismus.

11 Vndecima. In exercitatione cū iuuene habenda rōnes inductiuæ sunt adhibendæ; cū prouectæ aūt ætatis hoīe atq; docto syllogismis est agēdū. Et ab ijs, qui apti sunt syllogismo, assumendæ sunt propositiones; ab alijs vero aptis ad inductionem parabolæ, & similitudines sunt assumendæ.

12 Duodecima. Qui disputat gratia exercitationis, oīno studebit afferre aut syllogismū, aut solutionē, aut propositionē, aut instantiā, tā si quis recte interrogetur, q̄ si nō recte, vel ipse, vel alter, vel ad quidpiā vterq;. Siquidē ex ijs pendet facultas, pro qua cōsequēda hæc est instituēda exercitatio. Sed præcipue viget facultas dialectica circa ꝓpositiones & instantias Nam (vt simpliciter & absolute explicetur quis sit dialecticus) is ipse est, qui sit aptus ad proponēdum, & ad

in-

instandum seu resistendũ Est aũt ꝑponere, plura in vnũ reducere, cũ opus sit vnũ vniuersale accipere, ad quod dirigantur argumentatio. Instare aũt est reddere vnum in plura. Nam qui instat, vel diuidit, vel tollit hoc dans, illud negans.

13 Decimatertia, Non est cũ vnoquoq; disserendũ, & exercenda dialectica facultas, cũ aduersus nõnullos sit necessariũ prauas adducere argumentationes: qñquidẽ est fugiẽdum, ne disputans velit tentator apparere: & licet iustum sit tentare rõcinari, id tñ nõ est honestum. Quare abstinendũ, ne cũ vnoquoq; habeatur cõgressus disputationis ad euitandum paruiloquiũ: a quo nonnulli etiã in opere exercitationis se nequeunt continere, quin contentiose disputent.

14 Decimaquarta, Habenda sunt parata argumẽta ad ea problemata, in quibus paucissima suppetunt: vnde erũt assumenda vniuersalia, quæ ad plurima inseruiunt.

15 Decimaquinta, Habenda sunt in promptu argumenta ad ea problemata, circa quæ dificile est ex tempore abundare.

Adnotat. in 9. Sect. lib. 8. Top.

A*d exercitationem autem, & studium talium sermonum.* In hac postrema libri parte traduntur regulę obseruandæ pro acquirenda dialectica facultate.

Et ad cognitionem & secundum Philosophiam prudentiam. Alex. interpretatur *peritiam secũdum Philosophiam veritatis* Inuentionẽ, Græce habetur, φρόνησιν, quæ latine dicitur *prudentia*. Vnde aliud significatur per *cognitionem*, & aliud per *prudentiam*, vt *cognitio* ad rerum intelligentiam referatur: *prudentia* autẽ accipitur hoc loco pro illa erudita animaduersione, qua vtitur Philosophus in discutienda veritate; quod perficitur diligẽti inspectione argumentorum ad vtramq; partem; qđ studium accurate obseruauit Arist. in lib. 3. Metaph. ad quod (ait) hoc loco requiri ingenium, seu habilitatem ad veritatis indagationem; sicuti & bene nati possunt benefacere, odientes mala, & amãtes bona, quæ eligunt. Verumtñ natura non fiunt virtutes, neq; homines boni, vt docetur in lib. 2. Eth. Dicit autem ꝙ ex veritate, Græce Ευφυΐα, idest, ad verum indagandum *habilitas*, consistit in facultate eligendi verum, & fugiendi falsum. Nominauit aũt *habilitatem*, seu *ingenium secundum veritatem*, hoc est ad veritatem cõsequendam: idque ad distinctionem aliorum ingeniorum, quæ varia atque multiplicia sunt in hominibus aptis natis ad diuersa munia, & opera exercẽda; prout alij ad picturam, alij ad architecturã, & alij ad alias facultates idonei, & habiles inueniuntur.

Non mediocre instrumentum. Gręce Organum. Ait non mediocre instrumentum ad cõparandum dialecticam facultatem, esse regulam assignatam considerandi argumenta in vtramque partẽ. Hincq; colligitur, iure merito opus logicum, instrumentum fuisse nũcupatum, tanquam deseruiẽs, & conferens ad scientias capessendas: pro ut instrumentum intelligitur esse id, quod ad aliquid operandum inseruit.

Et probabilium & primorum promptas habere. Suessanus per *probabilia & prima* idem intelligit. Verum forte hoc innuit Arist. paratas habendas esse definitiones probabilium, & inter hæc, definitiones primorum, quæ ad multa extendi possunt: sicuti sunt maxime vniuersales definitiones. Suess.

Et circa quæ sæpe numero cadunt alij sermones. Hoc habet, in prõptu habenda esse ea principia, circa quæ & alij sermones, vti posteriores cadunt. Et cum subiungit Aristot. *ab ore scire*. Græce ἀπὸ του στόματος, innuit ita prompta esse debere principia, vt facile exeant ex ore, & pronuncientur, & cum subiungitur quòd *ad has numero determinatas inspiciant*. Innuit, ꝙ ex paratis definitionibus memoriæ commendatis iuxta prima, sic in hæc respiciens disputans abundabit ratiocinatione.

Propositiones maxime uniuersales in sermonem, vel memoria ponere. Ait, in sermonem ponere, quasi ex ore proueniant, & ex memoria desumuntur. Perperam autem legitur apud Suess. hunc in modum *& propositionem communem magis quàm orationem in memoriam ponendum.* Cum Græce, ἐις λόγον, legatur, vt sit sensus. Est communis propositio ponenda in oratione vel in memoria; vt hinc habeatur, quòd præsto sint tanquam ex ore ducendæ propositiones pluribus ratiocinationibus deseruientes. Et notãdum dictum illud in postrema parte positum, ἐκ τῶν παράποδας *ex pedibus*, respondere alteri dicto superius habito ἀπὸ του στόματος *ab ore*.

Ob inductiones & parabolas, idest, similitudines & exempla. Nã, vt dictum est antea, inductio circa similia versatur, vnde inductiui sermones, qui continent similitudines, & exẽpla.

Omnino autem differentem, ex exercitatione. Cõuenit vt disputans ex exercitatione desumat vel *syllogismum*, quod ad interrogantem refertur; vel *solutionem*, quod pertinet ad respondentem.

Exercitatio ob facultatem. Græce dicitur δύναμις, ipsa facultas dialectica, qua possit homo de quocunque problemate disputare. Verum est aduertendum, ꝙ aliud est exercere se pro acquirenda facultate; & aliud hoc munus præstare in palestra, & in Gymnasio, vbi laus ex victoria super alium sit petenda.

Vt simpliciter dicere. Idest in vniuersali, nõ distincte considerando describitur dialecticus, quòd sit *propositiuus* id, ex parte interrogantis & *instantiuus*. Ex parte .s. respõdẽtis.

Iustum tentare syllogismo concludere at non honestum. Nempe, si quis contẽtiose velit disputare, cum ipso disserere dum alius tentat, videtur, inquit Arist. esse iustum, vt satisfaciat eius promotioni: at simpliciter id non pulchrum: qñ ratiocinatio contentiosa eua dit; vnde praua colloquia exurgunt.

Et qui exercentur non possunt obtinere quin contentiose disserant. Id quidem quoniam difficile quisquis patitur ab alio vinci. Vnde acute Poeta.

Aurum, & opes et rura frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

Finis librorum Top.

ARGVMENTVM
IN LIB. ELENCH.

DE Elenchis,ſeu de redar-
gutionibus, quas ſectãtur
Sophiſtæ, tractaturus Ari
ſtot.pręmitrit proęmiũ,quo pate-
facit dari ſyllogiſmũ, tũ ex appa-
rentibus opinabilibus,tũ ex inopi
nabilibus , ex quibus Sophiſticus
conſtruitur ſyllogiſmus: hincque
ſpecies varias ſyllogiſmorum enu
merat,nẽpe demonſtratiuum,dia
lecticum,tentatiuũ,& contentio-
ſum;cuius deinde, tãquam ꝓprij
ſubiecti huius operis tractatũ ag-
greditur.Quod quidẽ ob diuerſas
quas continet perſcrutationes, in
decẽ & nouem partes ſecari põt.
Prima conrinet proęmium quale
innuimus. In ſecunda afferuntur
quattuor genera rõcinandi, nẽpe
doctrinale ſeu denominatiuũ,dia
lecticum,tentatiuũ,& contentio-
ſum,de quo in hoc opere agendũ
proponitur. In tertia parte expli-
cãtur ea,quæ peragere intẽdit vir
Sophiſta,in diſputãdo contentio-
ſe ſe gerẽs : cuius numero quinq;
ſunt molimina,vtiq; hæc. Vt re-
darguat ſecũ colloquẽtem: vt in-
ducat eumdem ad enũciandũ fal
ſum:Aut ad paradoxũ;Aut ad ſo-
lęciſmum:Aut ad nugationẽ. Et
exordiens Ariſt. a redargutione,
docet hanc induci poſſe , & iuxta
orationem, & extra orationẽ . Et
quidẽ iuxta orationẽ,ſex enume-
rantur modi;æquiuocatio,amphi
bologia,orationis cõiunctio,ora
tionis diſiunctio, accentus,& figu
ra ſermonis;quę tum ſcd̃m ſexum
maris feminę & neutri,tum ſcd̃m
genera pręἀicamentorũ varia eſſe
poſſunt.In quarta parte traduntur
modi redarguẽdi extra orationẽ
cõtingentes,qui ſunt ſeptem. Se-
cundum accidens : ſimpliciter,&
ſcd̃m quid : ex eo ꝙ nõ perſpecta
ſit cognitio redargutionis,qualis
eẽ debeat: ex petitione principij:
ex conſequenti: ex non cauſa pro
cauſa;ex eo deniq; ꝙ plures inter
rogationes in vnam coaceruẽtur.
In quinta parte palã ſit,pręductos
oẽs modos redarguendi, tam iux
tam orationem, q̃ extra orationẽ
reduci poſſe ad defectum ſyllogiſ
mi Elẽchici,ſeu redarguentis:qm̃
aliqua deſit conditio earum, quæ
requiruntur ad rectã redargutio-
nem inducendã, quas omittit con
tentioſus. In ſexta parte aperitur
diſcrimen,& conuenientia,quam
habent inuicem, tũ ſyllogiſmi ap
parentes, quos adhibent tentãtes
alium,tum ſophiſtici. In ſeptima
parte oñditur, non eſſe artis alicu
ius munus,niſi facultatis dialecti-
cæ tradere in genere de redargu-
tionib⁹. In octaua parte impugna
tur opinio aſſerentium rõnes oẽs,
alias eſſe ad nomẽ, & alias ad in-
tellectum In nona parte explica-
tur, qui ſit dialecticus, qui tenta-
tiuus,qui ſimpliciter contẽtioſus,
& qui Sophiſta cõtẽtioſus.In de-
cima parte oſtenditur,dialecticũ,
& tẽtatiuum nullius eſſe generis
determinati ; atq; ideo oẽs hoĩes
dialecticæ facultatis & tentatiuæ
aliquantiſper eſſe participes . In
vndecima parte adducũtur modi,
ſeu loca numero nouẽ ad inducẽ-
dum falſum,ſeu paradoxum . In
duodecima agitur de arte obſer-
uanda ad inducendã nugationem
ſeu ſolęciſmum.In decimatertia,
præcepta traduntur, ſeu loca ſex-

decim obſeruãda in interrogatio nibus ad redargutionẽ inducẽdã. In decimaquarta aperitur, ad quę nã vtilis ſit cauillationũ ſophiſticarũ explicatio, & q̃uo illis occurri poſſit. In decimaquinta traduntur documẽta varia, q̃bus inſtruitur reſpondens, q̃uo ſe gerat in diſputationibus Sophiſtarũ. In decimaſexta agitur de vera ſolutiõe, q̃uo afferẽda ſit circa cunctas redargutiones. In decimaſeptima modus traditur ſeruãdus in diſſoluendis cauillationibus extra dictionẽ inductis. In decimaoctaua aperitur, quæ ſint orationes faciles, & quæ difficiles vt conſpiciãtur; & quæ ſint acutiſſimæ rõnes, tam penes rõcinãtes, q̃ penes paralogizantes contentioſe. In decimanona & vltima parte, habetur Epilogus vniuerſalis circa tractatum facultatis dialecticæ, atq; Sophiſticæ.

Sectio prima.

Dari genus redarguendi apparens, & non verum, ſophiſticum nuncupatum.

AGendum iam vero eſt de Sophiſticis, ſeu fucatis redargutionibus, & de ijs etiam, quæ videntur, & nõ ſunt redargutiones, exiſtentes paralogiſmi. i. ſyllogiſmi nõ iuxta legitimam formã rõcinandi cõfecti. Huius aũt tractationis exordium ſumendũ eſt, iuxta ordinẽ naturæ a primis: videlicet patefaciendo, huiuſmodi ſophiſticas rõcinationes inueniri, in vſuq; poſitas eſſe apud nõnullos, qui eas profitentur. Etenim quẽadmodũ valida corporis habitudo eiuſdẽq; pariter pulchritudo in aliquibus re vera non ineſt, ſed ope artificij, & ornatus adiutorio ineſſe vr, apparens talis ijs, qui ſuperficietenus res intuentur, intimius aũt non perſcrutantur. Et vt eſt cernere verum aurũ, & argentum; ex ſimilitudine aũt ſtamnũ apparet argẽtum; & quæ ſunt felle infecta, præſeferunt aurum, cũ tñ neq; hæc ſint aurũ, neq; illud argentum. Ita quoq; hoc idẽ euenit de ſyllogiſmo & de redargutione. Siquidẽ verus ſyllogiſmus, & vera redargutio eſt, cum quis diſputans cum alio expoſitis in diſputatione, circa poſita alterũ dicere ſibi cõtraria conuincit, atq; redarguit genuino, & minime fucato ſyllogiſmo. Eſt vero ſyllogiſmus, ſub forma vitioſa conflatus, Paralogiſmus nũcupatus, aſſyllogiſticus exiſtens: nec non & redargutio inuenitur nõ vera, ſed fucata, e ſyllogiſmo quidem legitimo, quo ad formam educta, non aũt ex veris cõflata ſuppoſitionibus; ſed ex apparentibus, quæ apparent his, qui ad modicum proſpicientes facile decipiũtur. Et id quidem multis ex cauſis: ſed inter cęteras, ex hac potiſſimum (& eſt locus ad inducẽdas cauillationes multum idoneus, & paſſim vſitatus circa nomina cõſiſtens) vt, cũ non poſſint res in ſermonibus humanis ipſæmet tãquam ſui interpretes ſe propalare, ſed opus ſit vti vocibus & nominibus, quibus tanquam ſignis explicentur: hinc fit, vt decipiamur, exiſtimãtes, q̃d de nominibus euenit, idẽ etiã circa res contingere, vt cenſeamus nomina rebus eſſe æqualia; prout & in calculis habendis ad rõnem numerorum par rõ, & numerus æqualis rebus, de quibus exiſtat cõputatio, correſpõdet. Verũ res non ita ſe habet: q̃nquidem nomina numero quodam determinato ſunt comprehẽſa, pariterq; ſermo

nes,qui de rebus habentur: at res ipſæ numero ſunt infinitę,vt ideo incumbat neceſſitas ſępenumero explicandi eodem noie,& eadem oratione plures res inter ſe diuerſas. Vnde, qui hoc ignorant, non aſſequentes vim nominum, quæ poſſunt plura ſignificare,hinc facile & ex ſeipſis, & ab alijs,multis illaqueantur deceptionibus & erroribus in ſermocinando: quẽadmodum etiam circa calculos,qui rõnis ordinem, & computationẽ ſua intelligẽtia nõ ferunt nec aſſequuntur,ab illis, qui illam norũt, facile in errorem ducũtur.Ex hac igitur enarrata cauſa, & ex alijs nonnullis mox explicãdis,redargutio fucata inducitur aduerſus eos,qui ingenio minus ſunt valẽtes. Huiuſmodi vero fallendi ars ab illis pręcipue hominibus affectatur,qui quæſtui & falſæ gloriæ ſtudentes, oſtẽtare ſeſe ſapientes nituntur;quorum quidem ſtudio, atq; ſcopo plurimũ confert,vt potius non ſint ſapientes & videantur, quàm vt ſint re vera, & alijs nõ appareat ſapientes; quippe ſophiſtica ars apparens quædam ſapientia eſt. Quare,quemadmodũ qui circa quodq; genus rerũ docti exiſtẽtes,neq; falluntur in propria ipſorum rõne exhibẽda,& in aliena exigenda,ſiquis deceptionem inducat, fallentem detegũt; ita quoque & Sophiſta æmulator exiſtẽs ſapientiæ,id moliri debet, vt inquirat genus, ſeu eam orationis facultatem cõſequatur,qua alios fallere poſſit, ſeipſum aũt nõ fallentẽ oſtentet; quorum alterũ pendet ex ſermonibus poſitis a reſpondẽte, qui cũ ſermocinetur,alterum vero ex eorundẽ acceptione; quod pertinet ad interrogantem.ita.n.electionis,& proprij ſtudij cõpos fiet Sophiſta,vt ſapiens reputetur, licet non ſit ſapiens, hincq; lucrum ſibi,& quæſtũ cõparet. Ex his perſpicuum eſt,genus fucati rõcinij inueniri, hãcq; facultatem rõcinandi ex apparentibus,& non verisaffectari ab his, qui Sophiſtæ nominantur.

Adnotationes in 1. Sect. lib. Elenchorum.

D*E apparentibus Elenchis exiſtentibus autem paralogiſmis.* Elenchus,ſeu redargutio eſt ſyllogiſmus contradictionis, ad quã inducitur aliquis cũ alio diſputans. Sophiſticus aũt Elenchus eſt, qui ex nõ opinabilibus aſtruitur. Apparens aũt Elenchus, Sophiſticus eſt Paralogiſmus.i.ſyllogiſmus nõ iuxta rectam formam ſyllogiſticã cõfectus.

Incipientes ſecundam naturam a primis. Veluti eſt patefacere ante oĩa, quod ſit hoc loco,ꝙ ſit ſyllogiſmus,& redargutio Sophiſtica, etenim ſemper præmittendum eſt ꝙ ſit illud, de quo ſit futurus ſermo: vnde in calce huius primæ ſectionis concludit Ariſt. manifeſtum eſſe dari ſyllogiſmum apparẽtem,ſiue Sophiſticum, & genus hoĩum, qui hoc rõcinandi ſtudium ſectantur. Addit autem Alex. *Prima ſecundum naturam*,a quibus exordiẽdum ſupponit Ariſt. poſſe intelligi communia, qualis eſt explicatio ſyllogiſmi in genere,quam affert Ariſt. antequam accedat ad tractatum Sophiſticorũ Elenchorũ. Aut inquit, *prima*, ſunt principia ꝓpria artis cauillatoriæ: veluti ſunt redargutio, æquiuocatio,amphibologia, & alia quæ ꝓponuntur tractanda ante tractatum cauillationum ſophiſticarum.

Alex.

Res vero infinitæ ſunt. Non rerum ſpẽs,quę ſunt terminatæ numero in natura,licet ſint nobis incognitæ ex illis plurimæ, vt explicatum eſt in tractatu ſpeciei apud Porphyrium:ſed præcipue res infinitæ dici poſſent ſcd̃m conceptiones, quæ ab intellectu comprehenduntur, aut comprehendi poſſunt, tum penes actiones,tũ penes cogitationes, & affectiones animi, rerumq; ſimul oĩum qualitates & accidentia; vnde res infinitæ videri poſſunt, ſi comparentur nominibus, quibus explicentur hæc oĩa,prout vnicuiq; põt eſſe perſpicuum;& hinc locus eſt æquiuocationi,& amphibologiæ.

Sunt autem hæc partim in poſſe concedere ſermonẽ partim in poſſe accipere. Ex priori parte innuitur facultas & aptitudo,qua proſpicit ſibi reſpondens in ſuis poſitionibus concedendis:ex ſecunda vero inſinuatur facultas interrogantis; qua poſſit fallere, & redarguere reſpondentem.

Hæc.n facies apparere ſapientem Id eſt dicere,ꝙ ex facultatibus pręmiſſis eueniet,vt q illas aſſequi & abſoluere queat,appareat ſapiens,tanquam qui præpotens ſit ad redarguendum.Siquidem facultas quędam requi-

ritur pro comparandis modis redarguendi eos, quibus cum habeatur diſputatio. Sed aduertendum, ꝙ quatenus ſophiſta hæc nõ præſtat legitimo modo, ſed fucata cauillatione, non ei conuenit proprie facultas, aut potentia, quæ proprie reſpicit cum ingenij potentis aliquid præclarum efficere: veluti eſt facultas dialectica, potens & apta de quocunq; problemate probabiliter rõcinari. Vnde Ariſt. in lib. 4. Top. loco 59. docet, nomen facultatis non eſſe tribuendum ſtudijs illis, quæ ad praua diriguntur; prout eſt induſtria furis, aut conuiciatoris: e quorum numero eſt etiam Sophiſtica ars, ad queſtũ, turpi modo intenta: vnde non ad facultatẽ proprie eſt accommodanda; ſed ad quandã propriam electionem, quam ſectatur Sophiſta; prout & in Rethoricis Ariſt. adnotauit.

li. 4. Top. loc. 59.

li. 1. Reth. c. 1.

Sectio Secunda.

Quattuor eſſe genera ſermocinandi, doctrinale, dialecticũ, tentatiuum, & contentioſum.

VT autem cõmodius explicatur quot ſint ſpecies rõcinationum ſophiſticarum, & ex quot numero partibus hæc ars, ſeu facultas cauillatoria cõſtet, & quot exiſtant huius negocij partes, & alia, quæ ad hanc artem pertinẽt notificentur; in primis eſt præmittendum, quattuor eſſe genera, ſeu modos orationum, qui in diſſerẽdo adhiberi ſolent. dialecticũ. i. doctrinalem, ad docendum intẽtum: dialecticum; tẽtatiuum; & cõtẽtioſum: qui inuicem ita diſtinguũtur: vt ſermones ad docẽdum adhibiti eam normam rõcinãdi ſequãtur, quæ ex principijs proprijs cuiuſq; diſciplinę cõſtituitur; principiaq; minime depẽdẽt ex audiẽtis, ſeu reſpõdẽtis opinionibus, prout fit in dialecticis ſermonibus: ſiquidem oportet diſcẽtem præceptori fidem adhibere penes ea, quæ ipſum docẽtur. At dialectici ſermones ſunt, q ex opinabilibus ratiocinationes cõtradictionis aſtruere cõtendunt. Tẽtatiui vero ſermones cõſtituũtur ex his, quæ rñdenti vidẽtur, & neceſſe eſt ab his ſciri, qui tenere aliquam ſciẽtiam aſſumũt. Cõtẽtioſi deniq; ſunt, qui ex opinabilibus apparentibus, at nõ vere opinabilibus ratiocinationes inferunt: Item illi, qui neq; ſyllogiſtici exiſtunt in recta forma rõcinandi peccantes. Quare, cum in Analyticis actum ſit de ſermonibus doctrinalibus, & de dialecticis in Topicis, iam de ſermonibus contentioſis & litigioſis eſt diſſerendum.

Adnotationes.

Q*Vot ſpecies Sophiſticorum ſermonum.* Nã ſyllogiſmus Sophiſticus alius eſt, qui ex non opinabilibus licet apparentibus cõſtruitur; alius eſt Paralogiſmus non ſcd͂m rectam formam ſyllogiſticam confectus. Et cum ſubiungitur, & *ex quot numero ars hæc, vel facultas conſtet.* Nuncupat artem vel facultatem, qua vtuntur Sophiſtæ in diſputationibus; *ars* quidem dicenda, in quantum non abſq; certis regulis exercetur: *facultas* vero, quatenus efficere multa prætendunt ſophiſtæ, licet praua intentione. Et ſunt quinq; numero, quæ molitur ſophiſtica ars: nempe inducere reſpõdentem, aut ad dicendũ ſibi contraria: aut ad falſum: aut ad paradoxũ: aut ad ſolæciſmum: aut ad nugationem. *Et quot numero partes*, qm̃ ipſius redargutionis tam iuxta orationem, q̃ extra orationẽ plures ſunt modi, qui oẽs infra explicantur. *Aut quot ſunt partes.* Intelligẽdo, in quas partes diuidi poteſt hoc totum negotiũ; prout plurimę ſunt enumeratæ ſupra in lib. Arg. *Oportet n. diſcentem credere.* Ex enumeratis quattuor generibus ſermocinandi, didaſcalico ſeu doctrinali, dialectico, ſophiſtico, & tentatiuo, de doctrinali probat Ariſt. ꝙ quid ratiocinatur vt doceat, & proprijs cuiuſque dogmatis principijs procedit, & non dependet ex his, quæ ſint ex opinione audientis, ſeu reſpondentis. Si quidem inquit *oportet diſcentem credere*, nempe pręceptori, & nonnulla ſupponere vt vera; licet de his, in regreſſu ad ſcientiam nõ ſit firmiter edoctus. Vnde illud famoſum emanauit enunciatũ: *omnis doctrina & omnis diſciplina fit ex præexiſtente cognitione:* quod habetur in initio lib. 1. Poſt. Analyt. vbi etiam de vario genere propoſitionum diſſeritur, quæ cadunt in ſcientia demonſtratiua; vt aliæ dignitates appellentur omnibus maxime notæ; aliæ ſuppoſitiones; & aliæ petitiones, non ita pſpicuæ exiſtentes apud diſcentẽ, ſicuti ſunt ſuppoſitiones. Didaſcalicus igitur, ſeu doctrinalis ſermo, eſt per demoſtrationem habita ſermocinatio apta admodum ad docẽdum, iuxta ea quoq;, quæ habentur in lib.

[margin: ...Reth. .1.] Reth. vbi dr̃, ꝙ ad docilitatem faciendã didaſcalicus ſermo ſecundum ſcientiam deſeruit, a quo abhorret Rethorica ſyllogiſmi dialectici diſtinguuntur a tentatiuis, qm̃ dialectici conſtituũtur ex opinabilibus ſimpliciter contradictionem inducentibus. At tentatiui fiunt ex his, quæ apparent reſpõdenti, & ex his, quæ neceſſe eſt (vt ſciantur ab eo, qui ſibi aſſumit tenere ſe aliquã ſciẽtiam: vnde & aliqua non opinabilia ſimpliciter cadere poſſunt in ſyllogiſmo apud tẽtatiuum ob reſpondentem: quemadmodum [margin: li.8.Top. c.4.] in lib. oct. Top. explicatum eſt. Et quamquã dialectica exercitatio dependeat etiam a rñdente; attamen non ita, ſicuti tentatiua; in qua ex reſponſionibus alterius colloquẽtis penitus argumẽta ſunt depromenda; cũ in gymnaſtica poſſint ad poſitionem afferri argumenta in oppoſitum, vbi ſupponitur ꝙ diſputatio ex opinabilibus procedat.

De contentioſis autem Hi ſunt ſyllogiſmi ſophiſtici, in quibus abſolute viget cõtentio, & controuerſia actitata vel ad gloriam ſolam, vel etiam propter lucrum; & proprie pertinet ad ſophiſtas; licet & in dialecticis ſermonibus, hoc cauſante reſpondente, in- [margin: li.8.Top. c.4.] terdum ſequatur contentio, prout obſeruatum eſt in lib. Top.

Sectio Tertia.

Quinq; intendi a contendentibus victoriam conſequi in ſermocinatione, & quot ſint modi redarguendi ex ſermone.

Quinq; ſunt aũt, quæ exequi ſtudent hi, qui certandi & vincendi ſtudio ducuntur in ratiocinando; nempe vt redarguant reſpondentẽ tanquã contraria ſibi loquentẽ: vt eundẽ inducant ad falſum pronunciandũ; aut ad Paradoxũ: aut ad ſolęciſmũ vt barbara oratione vtatur: aut ab nugandum vt idẽ ſępius proferat: quę omnia aut re vera efficit interrogans aduerſus reſpondẽtem; aut ita ſe gerit; vt hęc effeciſſe videatẽ, licet nõ perfecerit.

Redarguendi autẽ (quod inter omnia potiſſimum affectant Sophiſtæ) duo ſunt generalia capita: alterũ circa orationẽ; & alterũ extra orationẽ. Et quidem iuxta orationẽ, qui redargutionis ſpeciem præſeferunt; ſex modi ſunt; qui ducũtur aut ab æquiuoco, aut ab ambiguo, aut a compoſitione, aut a diuiſione orõnis, aut ab accẽtu, aut a forma, ſeu figura orõnis.

Ab æquiuoco, veluti eſt cauillus ille, ꝙ ſcientes diſcant, quoniã grãmatici, quæ memoria prodita ſunt, diſcant: quippe diſcere eſt ęquiuocorũ, cũ accipiatur & pro doctrina habita, & pro doctrina acquirenda.

Ab ambiguo, vt eſt illud: Aio te Eacida Romanos vincere poſſe.

Sunt aũt æquiuocationis & ambiguitatis tria genera. Vnum, cũ nomen, aut oratio proprię multa ſignificat, pro ut vox hæc Canis. Alterũ ex conſuetudine loquẽdi, quam ſequamur. Tertiũ cum nomina ſeorſum poſita vnum ſimpliciter ſignificant, coniuncta autẽ plura: veluti eſt hoc, ſcire litteras; qđ aut ita poteſt intelligi, ꝙ ipſæmet litterę ſciant, aut ꝙ quiſpia litteras ſciat; cum deinde, & ſcire ſeorſum acceptũ, & litteræ pariter ſeorſum acceptũ, non ſignificent plura.

A cõpoſitione vero deducitur in oratione redargutio, veluti in hac poſſe non ſcribentẽ ſcribere: quod enunciatum acceptum cõiunctim falſum eſt, nempe quod non ſcribens ſcribat: ſeiunctim autem verum erit, quòd qui non ſcribit poſſit ſcribere.

A diuiſione hũc in modum, vt quod quinq; ſint duo & tria, & ꝙ ſint paria & imparia: Nã quinq; diuiſa ſunt duo & tria; & ratione duorũ & triũ ſeorſum acceptorũ ſunt & paria & imparia; cũ tamẽ quinq; integre, & nõ diuiſim accepta, ſint quinq; nõ duo, nõ tria; pariterq; ſint imparia, & nõ paria.

Ab accentu autẽ deducitur redargutio, cum in acuto ſono pro-

ponitur, quod est graue; vel e cõtra; cuius quidẽ facti redargutio in non scriptis sermonibus nõ facile cõtingit: in scriptis autẽ sępe numero, præsertim apud poetas; adeo vt ex varietate accentuum varia subinducatur rerum significatio; velut illud apud Homerũ lib. 23. Iliados hoc quidem οὗ putrescet imbre, nã si particula οὐ nõ stet circũflexa οὗ significãs, cuius, sed aliter οὐ significat non.

A forma vero, seu a figura orationis inducitur redargutio, tum, qm̃ quòd fęmineo modo explicari deberet, sub masculini figura dicatur; tum qm̃ q̃ sc̃m figurã quã ti, aut secundũ figurã patientis pronunciandũ esset, exponitur sc̃dm formã qualitatis, aut sc̃dm formã agentis: veluti si quis dixerit, Socratem valere & ædificare: quippe VALERE importat dispositionem quandam corporis, & ita qualitatem; AEDIFICARE vero pertinet ad actionem.

Adnotationes.

HVius autem fides. & per inductionem, & syllogismum Quòd sint quinq; modi redarguendi secundum orationem, ait Arist. inductione probari posse percurrendo singulos modos redarguendi: nec non & syllogismo, si quis alium ab his quinq; modis inueniri asseret: neq; tñ inductionem profert, & multo minus syllogismum ad id manifestandum. Et quidem Alex. admodũ laborat in hoc contextu explicando, citans etiã Galenum in huius loci expositione: addens ẽt, q̃ infra magis hæc veritas apparebit. Et apud Argyropylum desiderantur nonnulla, quæ in Cod Gręco leguntur. Ita.n. ipse habet *cuius rei fidem facere inductionem*, omittẽs dictionem, *& syllogismum* Et quæ sequuntur in Codice græco. Perionius meminit syllogismi sub his verbis, *siue aliquo alio argumẽto.* Omnino id velle vr̃ Arist. q̃ si quis contenderit, q̃ præter quinq; enumeratos modos redarguendi iuxta orationẽ alij etiam inueniantur; hunc, præter inductionis viam syllogismo quoq; cõfutatum iri; dummodo modos hos alios, quos supponat esse præter enumeratos, in medium proferat: is.n. coarguetur tanquam superuacanea constituẽs, & non revera discedens ab enumeratis.

Alexan. Galenus. Argyrop. Perion.

Alter, quando consueuimus sic dicere. Enumerat tres modos redarguendi secundũ æquiuocum, & ambiguum vnus, cum nomen, vel oratio proprie significat plura: veluti vox hæc *canis*. Alter, qñ consueuimus ita loqui; neq; apponit Arist. exemplum: sed supponendum vr̃, q̃ apud nonnullos in more sit positum, oratione ambigua, vel æquiuocis nominibus vti, licet in ijs proprie neq; ambiguitas sit, neq; æquiuocatio. Alex. autem supponit hanc vocem *canis*, continere æquiuocationem ex consuetudine loquendi: qm̃ (inquit) si proprio nomine Stellam appellaremus, cui applicatum est nomen *canis*, & similiter proprio nomine appellaremus animal terrestre, canem nominatum, non contingeret vlla dubitatio ex æquiuocatione in his rebus diuersis. Verum huic interpretationi reclamant verba Arist. qui inter voces proprie significantes æquiuocationem, hanc *canis* apponit vocem, quam Alex. ex consuetudine pendere interpretatur vt æquiuoce se habeat, & nõ ex ꝓpria nominatione. Quod si Arist. non protulit exemplum æquiuoci, seu ambigui ex loquendi cõsuetudine emanantis, id iure omisisse vr̃; qm̃, quæ sunt ex cõsuetudine aliquorum adduci nõ possunt in exemplum, tanquam quædam generalia, cum ad placitum hominum referantur: a q. bus modi ambiguitatis, & æquiuocationis circa orationem, alij, & alij cõfingi possunt: vnde ad singulorum consuetudinem huiusmodi spectanda reliquit Arist.

Alexan.

Sectio Quarta.

Septem esse modos redarguendi extra orationem.

REdarguendi autẽ extra orationem septem sunt modi. Vnus, qui ducitur ab accidẽte. Alter ab eo, quod simpliciter, ad id qd̃ non simpliciter. Tertius pẽdet ex redargutionis inscitia. Quartus ex petitione principij. Quintus ex consequenti. Sextus ex causa vt nõ causa. Septimus ex positione multorum in vna petitione.

Ex accidenti paralogismi redarguentes inducuntur, cum existimatur, oĩa pariter inesse rei, cui aliquid accidat, & ipsi accidenti: qñquidem cum multa vni & eidẽ accidant, non conuenit vt omnia insint & subiecto, & prædicatis de subiecto: ita .n. oĩa idem essent: vnde Sophistæ ita argumentatur. Si Coriscus & alius a Socrate, cũ

Socrates sit homo, igit Coriscus erit alius ab homine: idq; quoniã Socrati, a quo dicitur diuersus esse Coriscus, accidit vt sit homo.

Ex simpliciter autẽ deducitur redargutio, cũ qđ simpliciter nõ inest, accipitur inesse simpliciter: veluti est, illa argumẽtatio Sophistarũ inducens ꝙ nõ ens sit, eo ꝙ sit opinabile; qđ quidẽ nõ ens ex parte est, quatenus opinabile est: non aũt simpliciter est. Duci etiã potest huiusmodi redargutio, si quod simpliciter est, in parte accipiatur non esse. Veluti asserere, aut ratiocinari de equo, ꝙ nõ sit, eo ꝙ non sit homo, cum tñ simpliciter sit ens. Adhuc potest duci eadem redargutio penes modum essendi: veluti ex eo ꝙ Aethiops obtinet albos dentes, hinc deducere ꝙ simpliciter sit albus: Et q. dem in huiusmodi rebus determinatis facile est prospicere redargutionem; non aũt ita in oculis; vt si quid ex dimidio sit nigrum, & ex alio dimidio album.

Ex ignorantia vero syllogismi & redargutionis inducitur redargutio, eo ꝙ distincta nõ habeatur cognitio, qualis esse debeat esse redargutio. Siquidem Elenchus, seu redargutio debet esse eiusdẽ rei, & non nominis: neq; nominis synonimi, sed eiusdem; & ex datis, seu concessis necessario consequẽs, & absq; comprehensione eius quod est in principio; quæ ẽt ſm idem, & ad idem, & similiter, & eodem tempore debet esse cõfecta. Hæc enim omnia requirũtur, & obseruanda sunt ad hoc, vt vera, & germana astruatur redargutio, quæ oĩa in vera etiam deductione ad falsum inducendum sunt comprehendenda. Hincque nonnulli cauillãtes, premittendo aliquid de his, quæ requirũtur in vera redargutione, videntur redarguere, cum tñ non sint redarguentes: Et quidem ab eiusmodi redargutione facile eripere se poterit, qui bene vim syllogismi, & redargutionis tenuerit. Sed & huiusmodi redargutio non solũ locũ habet extra orationem, verum etiã trahi potest ad illas, quæ iuxta orationẽ fiunt redargutiones

Ex petitione vero principij inducit̃ redargutio tot modis, quot cõtingit fieri petitionem principij. Et videtur exinde sequi, quoniam respondens ignoret rationẽ discernẽdi inter idẽ & diuersum.

Ex consequenti inducitur redargutio, cum consequente vna re alicui alteri, hæc eadem vicissim consequi ad aliã existimatur. Sic fallitur, qui existimat cholerã esse mel, inductus a colore flauo, quem conspexerit; qui color & melli, & choleræ inest: cum tamẽ non sequatur, vt vbi sit color flauus, continuo adit mel; prout cõsequitur melli, vt sit coloris flaui.

A non causa vt causa accepta inducitur redargutio, cũ aliquid assignatur vt causa, cui aliud cõsequatur, & tamen non est causa: idq; potissimum contingit penes rationes ducẽtes ad impossibile. veluti, si ante inductã conclusionem, præter interrogationes, appositum fuerit aliquid impossibile: ita enim nõ iuxta causam erit inducta redargutio, cum impossibile sit præacceptum: prout cõtingit in huiusmodi argumentatione, qua quispiam demonstrare intẽdat, ꝙ non sit idem aĩa quod vita, ita ratiocinando. Si contraria corruptioni est generatio, ẽt aliqua generatio alicui est: at hoc impossibile, ergo & impossibile

quòd

quòd anima ſit vita, quod tamen non ſequitur ex habita ratione.

Ex pluribus etiam interrogationibus pro vna interrogatione inuicem complexis deducitur redargutio, cum a reſpondente vna tantum reſponſio aſſignatur. Et quidem in nõnullis facile eſt animadnertere huiuſmodi interrogationes ſimul inuicem cõpactas: veluti eſt hæc ſit ne terra, mare, an cœlum: cui interrogationi nõ vnica reſponſione eſſet occurrẽdum. In aliquibus autem non eſt facile cognoſcere, num vnius tãtum rei interrogatio, an plurium ſit propoſita: vnde interrogatus aut concedit non reſpondens, aut redargui videtur, veluti in his. Num hic, & hic homo eſt? quod ſi annuatur abſque aliqua diſtinctione, hinc deducetur, ꝙ ſi quis hunc, & illum feriat, & hominẽ, & non hominem feriet. Idem in hac alia. numquid omnia bona? an nõ bona quorum aliqua bona ſint, & aliqua non bona? ſi reſpondeatur cuncta eſſe bona, tunc aliquid non bonum, bonum eſſe inferetur: aut bonum eſſe id, qđ nõ eſt bonum. Idcirco caute debet reſpondere qui interrogatur, & diſtinctiones adhibere penes huiuſmodi interrogationes.

Adnotationes.

P*Aralogiſmorum autẽ extra orationem*. Nũcupat hoc loco Ariſt. Paralogiſmos, illas ſophiſtarum cauillationes, quæ conſtituuntur ex apparentibus opinabilibus, ſed falſis, licet ſyllogiſmi ſint habiti ſecundum rectam formam; quum tñ in initio libri appellauerit paralogiſmos, aſſyllogiſticas cõplicationes, vti præter ordinem rectarum figurarum conflatas.

Traheret autem quis, & hæc ad eos, qui circa orationem. Ait deduci poſſe redargutionem cauſatam ex ignorantia ſyllogiſmi, atq; Elẽchi, ad redargutionem quoq; inductam iuxta orationem; nempe qm̃ ignoretur, quænã ſint ęquiuoça, & quę ambigua, & ita de alijs. Aut qm̃ ignoretur, ꝙ nomina debent accipi ad idem, & ſecundum idem. Et cum ſubiungitur, *in Rethoricis vero ſecundum ſignum demonſtratio eſt ex conſequentibus*. Id pertinet ad cauillationem cõſequẽtis, de qua in Rethoricis conſtitutum eſt, ex ſigno aſtrui demõſtrationem: vtputa, ex eo ꝙ quis nocte vagatur, inducere ꝙ ſit adulter; qm̃ perpetranti adulteriũ, conſequens eſt, vt nocte vagetur; non tamen è conuerſo ſequitur, vt ſit adulter, quicunque nocte vagatur.

li.1.Reth.

Veluti Meliſſi ratio. Argumentabatur Meliſſus, ꝙ vniuerſum ens eſſet infinitũ, eo qđ non ſit factum, qm̃ non ens, ex non ente factum eſſet: ſubdebat ad hæc, quod non factũ eſt, nõ habet principium; ergo ens infinitũ eſt. Cui cauillo reſpondetur, ꝙ etſi omne quod factum eſt, habet principium, attamẽ non ſequitur, ꝙ illud, quod habet principiũ, factum ſit. Vnde hæc cauillatio facta ex cõſequenti deficit a vera conſequentia.

Sectio Quinta.

Omnes redarguendi modos ad defectum redargutionis poſſe reduci, & quomodo ſingulæ deceptiones inducantur.

AVt igitur iuxta prędicta diſtinguendi ſunt ſyllogiſmi, & redargutiones apparẽtes; aut omnes ad ignorantiam redargutionis ſunt transferendæ hunc quidem in modum. Nam primo ſi ſint aſyllogiſtici, deprehenditur redargutio non legitima ex hoc, qm̃ iuxta definitionem ſyllogiſmi ex poſitis non ſequatur cõcluſio, licet deduci videatur.

Quo autem ad ęquiuocationẽ, & ad ambiguitatem; & ad mutationem figuræ factam in oratione, deprehenditur non eſſe vera redargutio, quoniam dupliciter hæc ſint accepta in propoſitionibus, vt non ex eiſdem cõcludatur idem, ſed diuerſum iuxta multiplicem nominis & ambigui ſignificationem.

At vero circa orationis compoſitionem & diuiſionem, & circa accentum deprehenditur non vera redargutio ex hoc qm̃ nõ eadem oratio, aut idem nomẽ ſit ac ce-

ceptũ i vniuersa sermocinatione.

Penes autem illud,quod est secundum accidens, ideo non vera redargutio deprehẽditur, qm̃ nõ scd̃m se inferatur cõclusio,vt debet inferri ad hoc vt sit vera redargutio. Et huiusmodi quidem cauillatio a Sophistis affertur in scientijs contra sapientes; vt redarguantur, qui nesciunt distinguere inter illud, qd̃ est scd̃m se, & ĩter illud,qd̃ est scd̃m accidẽs.

Quod aũt attinet ad simpliciter, & secundũ quid, deprehenditur non vera redargutio, qm̃ non secundũ idẽ affirmatio vel negatio sit accepta,vt postulat redargutionis definitio. Veluti, si secundum quid sit album aut non albũ illud, de quo sit sermo, & inducatur quòd sit simpliciter album.

In eo vero quod est petere in principio, vel quòd nõ causa pro causa sit posita,deprehenditur nõ vera redargutio: quoniam sermo deficiat a syllogismi definitione, vbi oportet ob ea quę posita sunt, sequi conclusionem; quod non fit in prędictis.

Quod vero ad consequens attinet id quidem est pars accidentis, cum etiam consequens alicui accidat: sed differunt,qm̃ accidẽs in vno solo accipi potest,vt quòd idem sit cygnus & nix, quoniam albedo inest vtriq;. In cõsequẽti autem plura supponuntur,vt quæ vni, & eidem sunt eadem, & sibi inuicem postulentur esse eadem. Veluti in ratione Melissi, de qua dictũ est antea, quę supponit idẽ esse genitũ,& principium habere: Vtrinq; autem concluditur idem esse quod est diuersum,tum quod est inductum secundum accidẽs, tum quod secundum consequẽs.

Iuxta quoq; plures interrogationes, sub vna pronunciatas cadit redargutio ob inscitiam redargutionis. Nam cum syllogismus constituatur ex propositionibus qui nouerit propositiones debere esse significantes vnum de vno tales quoq; nouerit esse debere & interrogationes. Vnde,si ad interrogantem multas interrogationes afferatur responsio tanquã ad vnam sine distinctione, ita sequetur vera redargutio: si aũt nõ fiat respõsio, erit apparens redargutio. Hinc concluditur, omnes modos redargutionis,qui sunt secũdum dictionem, procedere ex apparenti cõtradictione,quod est proprium redargutionis: alios vero omnes modos causari ex syllogismi definitione, a qua deficiant inductæ redargutiones.

Vlterius aũt sciendum est,ex æquiuocatione, & ex ambigua oratione causari deceptionem,ex eo ꝙ respondens nesciat distinguere multipliciter dictum. Quod nõ est facile pręstare in aliquibus,veluti de vno,de ente,& de eodẽ;quæ in plurima significata distinguuntur, vt patet ex habitis in prima Philosophia.

Deceptio aũt ex cõpositione,& diuisione orationis contingit, cũ eadẽ existimatur oratio tum composita, tum diuisa, vt contingit in pluribus sermocinationibus.

Deceptio secundum accentum causatur, qm̃ nõ prospiciat rñdẽs aliud significari in oratione verborum, cũ graui, aut acuto sono; vt censeat in nulla re, aut saltẽ in plurimis nullum ex his discrimẽ causari.

Deceptio ex figura sermonis efficitur ex similitudine orationis. Siquidẽ est difficile distinguere, qualia simili modo,& qualia mo-

do

do diuerso dicantur: adeo vt qui possit hoc prestare, censendus sit, non longe abesse a veritate specta da. Sed & illud maxime valēs est ad inducendum hominem ad cōsentiēdum cauillationibus, ꝙ oē, quod prædicatur de aliquo, censeatur hoc aliquid, & vnum esse cum subiecto: præsertim ꝙ vni, & substantiæ, maxime consequatur esse hoc aliquid. Vnde & modus iste deceptionis ad eos, qui sunt secundum dictionem est reuocan dus. Quod perspicuum est, tum ex hoc, ꝙ magis deceptio locum habet, si cum alio rei alicuius considerationem habeamus ob interci dētem sermonem cum ipso habitum, ex quo multa deceptio oritur, q̃ si apud nos ipsos solos nulla sermonis cogitatione interposita rem consideremus, tum ex hoc, ꝙ & apud nos ipsos adiuncto sermo ne magis etiam illaqueamur, atque decipimur.

Deceptio secundum accidens contingit, qm̄ nesciat quispiā distinguere idem a diuerso, & vnū a pluribus, nec non ignorat, qualibus prædicātium eadem omnia accidant, & subiecto; quod pariter contingit in deceptione inducta ex consequenti. Verum contingit etiam prædicta deceptio, quoniam in plurimis videatur nobis, quòd si vnum non separatur ab alio, neq; aliud ab altero debeat separari; cum tamen magna in hoc possit esse diuersitas.

Deniq; deceptio contingens ex defectu definitionis circa redargutionem, versatur penes illud, quod paruum est; nempe, cū in eo, quod est simpliciter, aut secūdum quid (tanquam nihil differat ipsum quid, aut aliquo modo, aut nunc inesse a simpliciter inesse) cōcedimus hæc in vniuersali. Quę deceptio contingit ēt ex defectu definitionis penes id, quod est petere in principio. Item penes non causam ac si esset causa. Item penes plures interrogationes, ac si vna tantum sit facta. in his .n. omnibus efficitur cauillatio, quoniam non perpendatur tum propositionis, tū syllogismi, tum redargutionis definitio: ad quæ omnia, qui exacte animaduerterit, omnes deceptiones inspicere, & ab eisdem cautum, & tutum se reddere poterit.

Adnotationes.

Si non est syllogismus accidentis. Deceptionē ex accidenti conspici, & caueri posse docet Arist. ex notitia definitionis syllogismi; qn̄ & redargutio pendet ex syllogismo adhibita contradictione, quam secum affert redargutio. At constat, ꝙ syllogismus non debet esse rei secūdum accidens, cum scd̄m se, & non secundum accidens debeat fieri demōstratio, vt expositum est in lib. 1. Post. Analyt. in tractatu modorū dicendi per se, & iuxta vniuersale: vbi adducitur illud idē exemplum, de quo, & in hoc loco est sermo; videlicet, ꝙ habere tres angulos æquales duobus rectis, competit quidem ipsi triangulo, vt triangulus est, nō autem quatenus est figura: ita.n. per accidens, & non per se haberet prædictos angulos ęquales: vt ideo omnino sit statuendum, cauillationem ex accidenti, adhoc vt caueatur, pendere ex notitia definitionis syllogismi; adeo vt illi illaqueantur & redarguantur, qui in promptu non habēt germanā notitiā syllogismi. (li. 1. Post. Anal. c. 4. & 5.)

Difficile enim est distinguere. Circa cauillationem contingentem ex figura orationis, veluti ꝙ verba actiua, in passiua significatione proponantur: aut in masculino genere nomē, quod competit fęmineo sexui: aut ꝙ id, quod in genere quanti continetur, exponatur secundum figuram qualitatis; Ait Arist. inesse difficultatem circa huiusmodi penes distinctionem habendam, qualia similia, & qualia dissimili modo proferantur; sed non solum penes hoc, quod cōcernit figurā orationis sed etiam (vt aduertit Alex.) circa æquiuocationem, & amphibologiam, & circa alia prædicta idem contingit, cum difficultas consistat in his omnibus distinguendis: quod quidem est tanti momenti, vt qui norit hoc præstare, in ꝓximo sit (vt habet hoc loco Arist.) vt veritatem inspiciat, se motis a se omnibus impedimentis. Quandoquidē prædictæ cauillationes sunt eiusmodi, vt obnubilent, & obtegant veritatem; quæ cō- (Alex.)

tra

tra detegitur,& illuſtratur,adhibita ſi ſit diſtinctio circa illa oĩa, quæ ipſam impediũt. *Si maxime põt perſuadere.* Greçe σλυεπιvεύειν Animaduertit pro diſcernenda veritate,illud ex aduerſo obſiſtere,ꝙ omne prædicatũ de re aliqua exiſtimemus hoc aliquid eſſe, ita vt conueniant ſimul,eſſe vnum,& ſubſtãtiam; & eſſe idem vnum, quod hoc aliquid, quod tñ non eſt admittendum de rebus omnibus: ſed de his ſolum, quæ ad eſſentiam pertinẽt, ex qua vnum propriè cõſtituitur. Ex his colligitur, huiuſmodi cauillationem ad modos, qui pertinent ad orationis cauillationem poſſe reduci.

Sectio Sexta.

Quomodo inuicem conueniant, & differant ſyllogiſmi apparentes adhibiti, a tentatiuis, & a ſophiſcis.

CVm explicatũ ſit, ex quibus conſtituantur apparẽtes ſyllogiſmi, hinc etiam manifeſtum eſt,per quæ nam Sophiſtarum ſyllogiſmi, & redargutiones aſtruuntur;quæ ſunt non ſolum illæ, quæ videntur eſſe & non ſunt; verum etiam illæ, quæ proueniũt ex defectu reſpondentis, & non ſimpliciter ſunt redargutiones circa id, de quo ſit ſermo. Quo arguendi genere vtitur Tentatiua, quæ eſt pars dialecticæ, dum qui tẽtat, & experitur alium;quocunq; modo ipſum enititur coarguere ſibi reſpondentem; ita experiendo, nũ aliquam ſcientiam, vel artem ꝓbe calleat nec ne: qui quidem reſpondens redarguitur, niſi ad interrogata probe ſatisfecerit, ſcopusq. eſt interrogantis, vt reſpondens doceatur. A quo docendi ſtudio,lõge abeſt ſophiſta, vt qui id ſolũ molitur,vt redarguat reſpondentem,non vt ipſum doceat; qñ & perturbare ſuis cauillationibus atq. fallacijs ſcientes ipſos profiteatur. Verum eadem methodo, quæ ante eſt explicata, ſophiſticæ redargutiones detegentur. Nam, quemadmodum apud audientes abſq. vlla interrogatione apparent redargutiones non veræ; ita quoq. adhibitis interrogationibus videri poſſunt ipſi reſpondenti:vt hoc ſolum adſit diſcrimen,ꝙ ex interrogationibus contingit manifeſtari, & quod deeſt, & qđ falſo in ipſis aſſumptum eſt: idq. præcipue euenit in redargutionibus inductis circa dictionẽ & ſolæciſmum. Omnino aũt oportet, vt per ea, quæ ante tradita ſunt, cunctus ſyllogiſmus ſophiſticus aſtruatur. Veluti ꝙ id,qđ æquiuoce dictum eſt ad multa, pro vno accipiatur, & id quod eſt ſcđm quid,pro eo quod eſt ſimpliciter: & quod compoſitum eſt, diuiſim accipiatur; aut è contra,quod diuiſim ſe habet,vt coniunctum ſumatur, & ita de alijs ſuperius dictis:adeo vt ſupponendum ſit, in ſophiſtica redargutione,ſemꝑ aliquid deeſſe eorum, quæ requiruntur ad verã redargutionẽ aſtruẽdam;ſemperq. falſa aſſumi in ſophiſtica redargutione. Vnde dicẽdum, ꝙ ſyllogiſmus ſophiſticus, & redargutio ſophiſtica non eſt ſimpliciter redargutio, ſed ad aliquem,nempe ad eum,qui interrogatus admittit, quæ præbent anſam ſophiſtę ipſum redarguendi; vt ideo ſyllogiſmus,&redargutio ſophiſtica ſit apparens; non autẽ verus ſyllogiſmus,aut vera & ſimpliciter redargutio; ſed ſolum ad eum, qui neſciat declinare inductas redargutiones, neſcius exiſtens cauillationum.

Adnotationes.

E*St autem tentatiua pars dialectica.* Patefacit hoc loco Ariſt. quomodo ſyllogiſmus apparens (quem etiam nominat paralogiſmum,vt qui interdũ deficiat a recta forma ſyllogiſtica) conueniat etiam tentatiuæ facultati(quę eſt pars dialecticæ) & ipſi arti Sophiſticæ,hunc quidem in modum:qm ſci-

licet

licet, iuxta easdẽ fallacias, & cauillationes, nec non iuxta eosdem syllogismi defectus construitur, & adhibetur in vtraq; facultate ratiocinatio. Vnde etiam dictum est in lib. 8. Top. ꝙ ob experientiam sumendam de scientia alicuius, interdum falsa sumẽda sunt, quod pertinet ad tentatiuam. Verum tentatiui scopus est redarguere respondentem, vt eum admonitum reddat ignorãtiæ, qua laboret circa scientiam, quam profitetur, nisi sciat a fallacijs sese eripere; dũ tentans ex eius respõsionibus accipit, vnde redarguat respondentem. At Sophista nõ hoc scopo astruit captiosas suas redargutiões; sed vt videatur sapiens, victoriaq; in disputatione potiatur: quod molitur assequi q̄buscunque modis, siue respondeat, siue non respondeat is, qui cum altercatur.

li. 8. Top c. 4.

Si accipiant ad interrogantem sunt. Id vult, ꝙ si accipiatur aliquid cum defectu syllogismi, & verę redargutionis, non erit simpliciter redargutio, nisi ad eum, qui interrogatus non conspicit, quæ sint æquiuoce, aut ambigue assumpta, illa concedens, ac si vnũ tm̃ significatum obtinerẽt; neque defectus detegit. quos redarguens penes syllogismũ committit suis in argumentationibus.

Sectio Septima.

Non esse artis alicuius munus tradere in genere de redargutionibus, nisi facultatis Dialecticæ.

QVot autem sint ea, circa quę redarguãtur qui patiuntur redargutionem, non est tẽtandum accipere, & ad methodũ reducere, nisi simul cum rerũ omnium scientia. Verum id nullius artis est munus, cũ infinitæ propemodum sint scientiæ, & consequẽter demõstrationes, pariterq; redargutiones, quæ circa vnamquamq; scientiam, & artem contingere possunt tum veræ, tum falsæ. Quare ad vnamquamq; scientiam pertinet, ex proprijs principijs dignoscere redargutiones, quæ circa vnamquaq; tam veræ, quam falsæ contingere possunt. Communiũ autem redargutionũ locos in genere inuenire atq; dignoscere, cum id nulla sub arte particulari cadat, munus propriũ erit dialecticæ, & iure merito. Nã quemadmodum ex facultate dialectica desumitur notitia, ex quibusnã syllogismi probabiles cõstruantur; ita quoq; ex hoc fonte cognitio obtinet̃, ex quibusnã constituantur syllogismi redarguentes; cum redargutio sit syllogismus cõtradictionis, vel vnicus existens, qui vtramq; partem cõtradictionis continet, vel in duas partita syllogismos. Vnde qui nouerit, ex quibus constituantur syllogismi probabiles, idem etiã nouerit, & ex eodem fonte hauriet, vnde redargutiones deducantur; & consequenter patebit illi notitia solutionũ, quæ ex aduerso sint afferendæ. Siquidem quæcunque sunt instantiæ ad redargutiones, etiam earundem sunt solutiones. Consequenter ex præhabitis sermonibus habetur etiã cognitio, ad quot astruantur apparẽtes redargutiones; & apparentes quidẽ non cuiq; , sed certis quibusdam limitatim; q̄ñ prope infinita essent, si quis vellet considerare ea, quæ quibuscunq; videantur. Statuatur igitur dialectici proprium esse munus, posse accipere ad q̄nam per quędam cõmunia, tum vera redargutio, tum apparens, vel dialectica, vel apparens dialectica, vel tentatiua esse possint.

Adnotationes.

S*Vnt enim infinita sciẽtia.* In margine Cod. Græci additum est particula ἴσως, idest *forte*: quam etiam habet Alex. in suis cõment. inquiens, ꝙ Arist. dixit, *infinita enim forte sunt scientiæ*, propter eius opinionẽ de mundi æternitate; vnde & infinitę scientię coalescunt, incremẽtumque suscipiunt. Verum posset etiam fieri interpretatio ꝙ sunt infinitæ scientię, idest indeterminatæ: præsertim si particulares demõstrationes intelligerentur: aduersus quas possunt erigi particulares quoq. redargutiones. Si aũt intelligantur scientiæ infinitę: veluti est vna sciẽtia Arithmetica, ita magis erant etiam infinitæ demonstrationes; & tñ infinito nil magis infinitum dari potest.

Alex.

Dico

Dico autem quorundam artem secundum eius contrarium Id eſt dicere, ꝙ ſicuti in omni ſciētia debent eſſe demonſtrationes ſcđm propria principia, ita quoq. appropriatę redargutiōes debēt adduci iuxta eadē principia.

Iuxta quamcunq. artem & facultatem. Inter has dictiones poſita eſt diſtinctio in lib. 6. & 9. Met. adeo vt facultas poſſit eſſe ſub ratione ſcientię determinatę.

Si.n. habemus ex quibus probabiles ſyllogiſmi, & ex quibus Elenchi habemus. Id quidem perſpicuū eſt: quia loci ſunt cōmunes: & ideo quot erunt loci pro ſyllogiſmo probabili, tot et pro redargutione deſumentur.

Quare vnus, vel duo ſyllogiſmi contradictionis Elenchus Vnus, quatenus vnum concluditur: duo vero, cum ex oppoſitis ſyllogiſmus inſinuatur cum contradictione inducta. Vnde in Prior. Analyt. lib. 2. de potentia ratiocinādi ex oppoſitis actum eſt.

li. 2. prio. Analyt. c. 15

Et ſolutiones habemus. Nā q. inſtantiæ contra adducta ab interrogante, ſunt ſolutiones redargutionū. Et notandum lib. 1. Poſt. Anal. adductos eſſe modos redarguendi in ſcientijs, quot modis induci poſſint deceptiones, vt illis obſiſtat ſciēs cuiuſq; ſciētia.

li. 1. Poſt. Anal. c. 12.

Apparentes non quibuſcunq;. Innuit per hęc, non ſumendam eſſe regulam a neſciētibus, quales ſint apparentes, & non veri ſyllogiſmi. Nam ignaris, & rudibus hominibus poſſunt apparere ſyllogiſmi boni, qui tñ erunt falſi. Idcirco debet ſumi iudicium a ſapientibus circa ſyllogiſmos apparentes. Atque ideo ſubiungit Ariſt. ꝙ ſolus dialecticus poteſt cognoſcere, circa quod verus, aut apparēs ſyllogiſmus ex cōībus locis aſtrui poſſit.

Dialecticus, vel apparens dialecticus. Ita locutus eſt ꝑ differentiam exiſtētē inter verā, & non veram redargutionem; vt vna, ideſt vera ad verum dialecticū; altera vero apparens ad apparētem dialecticum pertineat. *Vel vt tentatiui*, q. ex parte pertinet ad dialecticum; vt explicatū eſt in pręcedentibus.

Sectio Octaua.

Perperam ſentire, qui diſtinguunt rationes, ꝙ aliæ ſint ad nomen, alia vero ad intellectū.

IMprobanda vero hoc loco eſt eorū opinio, qui diſcrimē inter rōnes conſtituunt, ꝙ aliæ ſint cōſtructæ ad nomē, aliæ vero ad intellectū, quorū diſtinctio nullatenus eſt admittēda. Nā non rōcinari ad intellectum alicuius, intelligitur, cū qui interrogat, nō in eo sēſu vſurpat nomē, quo accipitur a rñdente: ſicuti ex aduerſo cōſicitur rō ad intellectū, cum interrogans vtitur noīe in eodē ſenſu, in quo & rñdens acceperit. Verū ſi recte inſpiciatur, hic quoq. cadit reſpectus ad nomē, cū non poſſit ſenſus a noīs ſignificatione ſeiungi, dūmodo nomē aliquid ſignificet. Sed vt hęc ꝑſcrutatio magis luceſcat (cū ab auctoribus huius nouæ opinionis primo atq. præcipue diſcrimē inter rōnes, quo ad nomē, & quo ad intellectū conſtituant penes ſermones, qui plura ſignificant, deinde vero & circa vnāquamq. rócinationé) ſupponatur aliqđ nomen, quod re vera plura ſignificet, veluti ſunt hæc noīa, vnú, & ens; conueniat auté interrogans cum rñdente, ꝙ ens (exēpli gratia) vnum tm̃ ſignificet, & ſit in rócinatione. Quòd oīa ſint vnum, quærendū eſt, nū ita rócinās ad nomen rócinetur, an potius ad intellectū rñdentis? Et certe dicēdū, ꝙ huiuſmodi rócinatio ſit ad intellectū, cū ipſum nomen ens, non vnū, ſed plura re vera ſignificet. Quòd ſi qs poſtea exiſtimet entis noīe plura ſignificari, iā ad huius intellectum non erit inducta rócinatio; cum interrogās (vti ſuppoſitū eſt) vnū ſignificari noīe entis intelligat, interrogatus aūt ſenſum interrogationis ad plura ſuo intellectu referat. Non.n. in ſermone cōſiſtit hoc loco eſſe rōnē ad intellectū, ſed in diſpoſitione, qua ſeſe habeat rñdens ad ea, quę conceſſit. Sed & cōtingit oēs eoſdē ſermones eſſe ad nomē. Nā ad nomen eſſe apud horum placitū eſt, ꝙ non ſit ró ad intellectū: & tñ hi ita diſtinguāt rōnes, ꝙ ſint oēs aut ad nomé, aut ad intellectum, & præter has, nullas alias eſſe aſſerūt: Verumtñ ex ſyllogiſmis ſcđm multiplex exiſtentibus, nónulli ſane ſunt ſcđm nomen, nó aūt oēs. Siquidem dictum eſt antea abſurdum eſſe aſſe-

rere

rere, ꝙ oẽs rõnes locutione prolatæ ſint penes nomen: ſunt vero & paralogiſmi, captiones nimirum falſæ exiſtentes, non ex eo ꝙ rñdens ad eas ſe habeat quodãmodo diſpoſitus; ſed eo ꝙ interrogatio talẽ ſermonem continet, quæ plura ſignificet. Vnde erũt aliquę rõnes præter horum ſententiam, neq. ad nomẽ, neq. ad intellectũ exiſtentes: atq. ideo erronea conuincitur horum opinio.

Verũ hi nouę opinionis aſſertores de hoc ẽt ſunt reprehendẽdi, ꝙ ante tractatum falſæ redargutionis, nõ egerint de ſyllogiſmo, cum ſyllogiſmi ſpẽs ſit redargutio contradictionis; & apparẽs ſyllogiſmus ſit falſa redargutio; quę conſiſtit vel in ſyllogiſmo falſo non ſcd̃m rectam formam ſyllogiſticã conſtructo: vel in falſis propoſitionibus aſſumptis: vel ſimul in ijs, & in illo. Quẽadmodũ apparens redargutio deficiens a ſyllogiſmo eſt vt illa, quę q̃ſpiam intẽderet probare, ſumpto circulo pro medio, ꝙ carmen Homeri eſſet circulus. Deficiens vero redargutio a vera cõtradictione eſt vt illa, qua quis probare intẽderet, ꝙ ſilens loquatur. In vtraque vero parte, videlicet & in ſyllogiſmo, & in propoſitionibus deficiens redargutio eſt, vt illa, qua deducitur aliquẽ dare id, qđ non habet: ſicuti poſtea vera et legitima redargutio eſt illa, quæ neq. peccat in ſyllogiſmo, neq. propoſitiones falſas aſſumit, ſed in vtraque parte recte procedit.

Sed ad ſuſceptã diſputationem redeũdo, q̃ri põt ab his opinionis prædictę aſſertoribus, num rõnes cauillatoriæ adhibitæ in diſciplinis, vtputa in Arithmetica, aut in Geometria, ſint nec ne ad intellectum illius, qui ſcientiã profitet. Et patet ꝙ non ſunt, cum ad ſolã veritatẽ eius mens ſit intenta, a qua abhorrẽt rõnes cauillatorię? Adhuc, ſi alicui vř triangulũ multa ſignificare, non aũt conceſſerit de ea figura, de qua cõcluditur ꝙ in ea ſint duo recti: nũ ita rõcinãs ad mentẽ rñdẽtis rõcinatus erit? certe nequaquã. Amplius, ſi nomẽ ſignificet multa, et qui interrogatur, non intelligit, neq. animum adhibet ad has plures ſignificationes, et interrogans rõcinetur ſcd̃m aliud ſignificatum, qđ non ſit acceptũ, neq. cogitatum a rñdente, ꝓculdubio non dicẽdum eſt, ꝙ ad rñdentis intellectum ſit rõcinatus: et neq. etiã ad nomen iuxta ſignificatum acceptum a rñdẽte. Amplius cõuenit, vt diuiſio fiat cum interrogatione vel eiuſmodi, eſt ne tacẽtẽ dicere, an nõ? aut huiuſmodi, eſt ne tacentẽ dicere quodãmodo ſic, et quodammodo non ſic? At ſi qui interrogatur, nullo pacto conceſſerit ꝙ qui tacet, dicat, et interrogans rõcinatus fuerit iuxta propoſitã diuiſionẽ, iã non ad intellectum rñdẽtis erit facta rõ, neq. ẽt ad nomen, et tñ hæc rõ vř de numero earum, q̃ ſunt circa nomen. Vnde concludi tur, ꝙ nõ eſt vllum genus rõnum ad intellectum habitarum, cũ p̃dictæ ſint ad nomen: ſed neq. oẽs ſunt ad nomen: non ſolũ quia non ſint redargutiones: ſed ẽt q̃m neque ſint apparentes redargutiones. Siquidẽ apparentes redargutiones ſunt, quæ circa accidẽs exiſtunt, et alia huiuſmodi. Quòd ſi quis exiſtimet, diſtinguendã eſſe orationẽ hunc in modum: dico tacentẽ loqui partim ſic, et partim non ſic: ex aduerſo hęc obijciuntur. Primò ꝙ eſt abſurdum ita opi

nari: qñ quod interrogatum eſt, interdum non vř multipliciter ſe habere; impoſſibile eſt aũt diuide re, quod non cenſetur multiplex. Deinde predicto modo erit fungi officio docẽtis, dum, qũo aliquid ſe habeat, explicatur, & fiat mani feſtum homini non conſideranti, neq. ſcienti, neq. exiſtimanti, ꝙ alio, q̃ vno ſimplici modo aliq̃d dicatur. Nã & in non duplicibus, & non multipliciter dictis nil ꝓhibet idem cõtingere circa inter rogationem: veluti in hac; nũ con trariorũ eſt vna ſcientia an non? ſiquidẽ ſunt ex contrarijs nõnulla cognoſcibilia, & alia non cogno ſcibilia. Vnde vř, qui ita petit, & interrogat, ignorare ꝙ aliud eſt diſputare, & aliud eſt docere; & ꝙ conuenit, vt docens non inter roget, ſed explicet, & manifeſtet quę docet: diſputanti aũt cõuenit interrogare. Amplius, petere ꝙ oportet affirmare, aut negare, nõ pertinet ad demonſtrantẽ, ſed ad eum, qui ſumit de alio experimẽ tum; ſiquidẽ tentatiua eſt quædã dialectica. Vnde ẽt circa oĩa con ſiderat, exploratq. animum non ſcientis, ſed ignorãtis, ſcientia au tem obtinere ſibi aſſumentis.

Adnotationes.

A*bſurdum.n.exiſtimare.* Refutat, & impu gnat eorum ſententiam, qui ad huiuſ modi diuiſionem reducebant oẽs rõnes, ꝙ aliæ ſint ad nomen habitę, & alię ad intelle ctum, multa adducẽs in oppoſitum. Sed hoc præcipue, ꝙ non poſſit ſeiungi, & diſtingui conſideratio ſyllogiſmi, quin ſimul iuxta no men (dummodo ſignificet aliquid) ſenſus ẽt & intelligentia cadat verborum apud diſpu tantes: adeo vt neceſſe ſit vt eorũ mens refe ratur ſimul ad nomina, & ad orationẽ ſigni ficantem, tam ex parte reſpondentis, quàm ex parte interrogantis.

Abſurdum omnino. Eoſdem rñdit, quòd agẽ tes de redargutione non prius egerint de ſyllogiſmo, cuius ſpecies eſt redargutio, tũ vera, tum apparens & cauillatoria; cuius de inde triplicem affert diſtinctionem; vt ſit alia peccans in forma ſyllogiſtica; alia pec cans in aſſumptis propoſitionibus falſis; & alia deficiens tum in ſyllogiſmo, tum in ꝓ poſitionibus: quarum omnium inducit exẽ pla iuxta vulgatãs apud ſophiſtas rõcinatio nes eas paucis verbis attingendo.

Sectio Nona.

Qui ſit dialecticus, qui tenta tiuus, qui ſimpliciter contẽtio ſus, & qui ſophiſta cõtentioſus.

Eſt aũt ſciendũ, ꝙ dialecticus eſt, qui rem per cõia contem platur. Qui aũt apparet hoc face re, eſt contentioſus, ſeu cauillato rius. Nã tẽtatiuus procedens per vera, & vtens ſyllogiſmo non re cto, non eſt dicendus contẽtioſus, quẽadmodũ & paralogiſmi ſcđm artẽ, licet deſcriptiones rectas nõ contineant, attñ ad contentionẽ non pertinent, cum procedant ex principijs ſcđm artẽ. Verũ contẽ tioſi proprie illi ſunt hoĩes q̃ non ſcđm rẽ procedunt; ſed aſſumunt falſa, inique ſe gerentes, vt quo cunq. modo victoria potiantur, & horum alij id agunt ob gloriam, qui litigioſi, & litiũ amatores ꝓ prie dicendi ſunt; alij vero gloriã vincẽdi in acquiſitionẽ pecunia rũ dirigentes, proprie ſophiſtæ di cuntur. Vnde ſophiſtica dř aucu patrix pecuniarũ per fucatã ſapiẽ tiã. Verũ contentioſi (vt & ſophi ſtæ) eaſdem ſequuntur cauillatio nes, ad diuerſum tñ ſcopum illas adhibentes. Contentioſus aũt ſe habet ad dialecticum, vt pſeudo graphus ad geometrã. Nã ex eiſ dẽ paralogizat contentioſus, inni xus ijs, ex q̃bus & dialecticus rõ cinatur: quemadmodũ & pſeudo graphus eiſdẽ inſiſtit principijs, vtputa in arte Geometrica cum Geometra; & eaſdm deducit con cluſiones, adhibens falſas deſcri ptiones; ac ꝓpterea non eſt adeo cõtentioſus, vt qui ſub dialectica reducitur, & per aliena vagatur,

hoc

hoc peragẽs apud multitudinem
nesciã, ꝙ in quoq; genere sit possi
bile, aut impossibile. Pseudogra-
phus aũt habet suum negociũ ad
artem, & ad artificem, a quibus
recedit ratiocinatio contentiosi.

Adnotationes.

I*Gitur secundum rem considerans cõmunia dia-lecticus.* Id dictum est ad differentiam so
phistę, qui non secundum rem, sed apparen
ter tractat principia communia: qui etiam
dr̃ Sophista, vt qui ob acquisitionem pecu-
niarum nititur victoria potiri in disputan
do, de quo sophista copiosus est sermo a
pud Platonem in dialogo Sophista.

Plato in dialogo Sophista.

Huius. n. propter quid est deceptiua. Dicit ra-
tiocinationem tẽtatiuam esse cauillatoriã,
qm̃ syllogismo *non recte conficiatur, prout Ca-
nens, ex duabus affirmatiuis in secunda figura.*
Probabat is ignem esse in multiplicata ana
logia: quam figuram appellat mediam hac di
ctione, *propter quid,* qm̃ per medium induci-
tur conclusio: ita explicat Alexander.

Alexan.

Sectio Decima.

Dialecticum & tentatiuum nullius esse generis determinati, atq; ideo omnes homines tentatiuæ, & dialecticæ facultatis aliqualiter esse participes.

ET dialecticus quidem nullius
est generis determinati, neq;
vllius rei demonstratiuus, neq; ta
lis existens, vt vniuersalis Philoso
phus. Siquidem neq; oĩa sub vno
sunt genere, neq; si essent, possent
sub eisdẽ principijs reduci. Ac ꝑ-
pterea nulla ars, quæ alicuius na-
turæ sit demonstratiua, est interro
gatrix, cum in artibus nullus syllo
gismus cõstruatur s̃m vtrãq; par-
tẽ contradictionis; vt facit diale-
ctica, interrogatrix existẽs scd̃m
vtrãq; partẽ contradictionis: quæ
tñ id non faceret, si ipsi onus incũ
beret demonstrandi prima, & ꝓ-
pria principia: q̃ certe nõ interro-
garet, quasi ad libitum rñdentis,
relinquens vtrã partem eligeret,
& alterã concederet: qm̃, nõ cõce
dente rñdente principia cõia (&
sunt loci cões dialecticæ faculta-
tis) non haberet dialecticus, vnde
ad instantiam ex aduerso allatam
rõcinaretur. Huiusmodi etiam est
tentatiua non existens, qualis est
Geometria; sed quã haberet etiã
ignarus scientiæ alicuius. Siquidẽ
& ignarus põt experimentũ sume
re de nesciẽte; cum & huiusmodi
ignorans concedat non ea, ex q-
bus sciat, neq; ex proprijs, sed ex
quibusdã cõibus, quæ oibus con-
sueta sunt, & familiaria: quæ qui
norit, nil ꝓhibet vt artẽ ignoret;
quam deinde ex necessitate igno-
rat, qui neq; norit, quæ sunt cõia:
vt hinc pateat, ꝙ tẽtatiua nullius
rei determinatæ est scientia: vnde
& circa oĩa versatur, qñ etiã oẽs
artes quibusdam cõibus vtuntur
principijs. Hincq; fit, vt oẽs hoĩes
(licet idiotæ) quodammodo vtan
tur dialectica, & tentatiua faculta
te: oẽs. n. vsq; ad certum quid ag-
grediũtur refellere de aliquo enũ
ciantes: & hæc sunt cõia, quæ nil
minus, & ipsi idiotæ norunt; quã-
uis valde extraneæ ea proferre vi
deanẽ. Quare & oẽs hoĩes passim
redargutionẽ adhibẽt, licet absq;
vlla arte, quã obtinet dialectica
simpliciter, & tentatiua cum arte
syllogistica procedens. Qm̃ autẽ
multa sunt huiusmodi, per quę de
oĩbus fit sermocinatio, nõ talia tñ
vt vnum genus, & vnã naturã con
tineãt, sed sunt veluti negationes,
quibus nullum genus est statutũ,
& alia non sunt huiusmodi, sed
propria; hinc perspicuum fit, de
oĩbus sumi experiẽtiam; & de ijs
vnam esse artẽ, nõ huiusmodi tñ,
quales sunt demonstratiuæ. Ac
propterea litigiosus non se habet
in oĩbus, vt pseudographus: qm̃
nõ ex determinatis cuiusdã gene
ris principijs format cauillatiões;

ſed verſabitur circa vnumquodq; genus. Hi itaq. cõmemorati modi ſunt oẽs Sophiſticorum Elenchorum : de q̃bus ſpeculari ꝙ munus ſit dialectici, & ꝙ poſſit hæc efficere ſua arte, non eſt difficile videre. Nam Methodus tradita penes propoſitiones, vniuerſam hãc complectitur contẽplationem; vt prædicta oĩa in prædictos modos ratiocinandi cadant: Et hęc dicta ſint de apparẽtib⁹ redargutionib.

Adnotationes.

ET *non eſt dialecticus circa aliquod genus determinatum*. Id patet qm̃ circa oĩa diſſerit. *Neq; oſtenſiuus alicuius*; vt qui diſputet in vtramq; partem contradictionis. *Neque qualis vt vniuerſalis*: innuitur primus philoſophus, qui de omni ente in vniuerſali, tractat ſub determinata rerum veritate, non ſpeculans extra ipſam. Alex. ait, ꝙ Theologus circa cõmunia, & ex his quę per ſe; ſunt & quatenus ipſa inſunt rebus entium ſpeculando progreditur. Dialecticus autem & litigioſus etiam ſingularibus cõmorãtur; nec ex ijs, quæ per ſe ſunt, ſed ex probabilibus & apparentibus rationes fabricans. De hoc etiam eſt ſermo in lib. 4. Metaphiſicę.

Alex.

li. 4. Met. c. 2.

Non .n. omnia in vno genere. Vnde, non vnũ genus ens. Vel ſi eſſent ſub vno genere omnia, non tñ omnia ſub eiſdem eſſent principijs, ſiquidem non poſſunt conuenire inuicem & Geometrica, & Aritmetica, & naturalia, & alia aliarum ſcientiarum theoremata, & de hoc eſt ſermo in lib. 1. Poſt. Analyt. & in ljb. 11. apud nos 13. Met.

li. 1. Poſt. Anal. c. 2.

li. 13 Met.

Propterea de omnibus eſt. Ipſa nempe tentatiua, & ſubiungitur ratio *quoniam omnes artes vtuntur quibuſdam communibus* vnde; tentatiua multo magis de cõibus tractat.

Quare omnes etiam idiotæ. Ait etiam idiota, vti dialectica & tẽtatiua, licet multa dicant extra propoſitum. Et id, quoniam ſunt nonnulla *conſequentia*, ideſt communia, in omnium ore obuerſantia; quibus redarguere aliquo pacto quique nituntur: licet id abſq; arte, quam obtinet dialecticus. Hinc colligitur, ex eo quòd & recte, & perperam cõtingit rõcinari, ideo artem logicæ potuiſſe cõſtitui; queadmodũ & de facultate Rethorica factũ eſſe docet Ariſt. in initio lib. 1. Ret.

li. i. Reth. c. 1.

Quoniam autem multa ſunt hac eadẽ omnibus. Neu pe loci cões, non tñ talia, vt habeant vnam naturam, & vnum genus in quo conueniant *ſed vt negationes* & denotantur quædã indeterminata, vt ſunt negationes, quæ & eſſe, & non eſſe continent, vt non homo. Et ſunt indeterminate (inquit Alex.) & affert exemplum, vt eſt negatio dicens, hoc non album eſt. Sed melius alio modo iuxta tradita de infinito noĩe, & verbo in lib. Periher. quę & eſſe, & non eſſe ſignificant: ꝓpterea infinitũ nomẽ, & infinitũ verbũ, dicta ſunt.

Alexan.

li. Perih. ſect. 1.

Sectio Vndecima.

De modis ſeu locis ad inducẽdũ falſum, ſeu paradoxum.

PRo inducẽdo aũt falſo, nec nõ pro deducẽdo rñdentẽ ad enũciandum paradoxũ confert in primis, vt interrogatio habeatur ad nihil determinata. Siquidẽ qui temere enunciãt, magis delinquũt: nec non & temere loquuntur illi, q̃bus nihil eſt in mẽte propoſitũ.

Secundo ad idem confert interrogare multa, etiã ꝙ ſit determinatũ illud, de quo agitur: hinc .n. in audientis animo oritur confuſio, & conſequenter via aperit, ad inducendũ falsũ in eius ſermone.

Tertio poſtulare, vt rñdens ſtatuat quænã ſibi videantur ex ijs, quæ proponuntur. Siquidẽ ſiue affirmet, ſiue neget, præbebit occaſionẽ ad illud rõcinium, ex quo inducatur, aut ad falſum, aut ad inopinabile enunciãdum. In quã fallaciã minus incidunt huius ætatis hoĩes q̃ ſuperioris; dum caute procedunt petentes ab interrogãte, q̃uo eius petitio pertineat ad priorẽ interrogationẽ; qđ factitare veteres non conſueuerant.

Quarto, maximum elemẽtũ ad argumenta depromẽda erit, ſi interrogans aperiat ſeſe hæc vel illa diſcẽdi cauſa interrogare: ita .n. minus ſuſpectum ſe pręebit reſpondenti, ꝙ velit laqueum ei aſtruere, quo irretiatur.

Particulatim aũt pro inducẽdo rñdente ad falſum enunciandũ, proprius locus Sophiſticus erit, ſi in talia deducatur diſputatio, ex quibus copia ſuppetat argumentorũ: qđ & probe, & perperã agi põt: vt expoſitum eſt in lib. 2. Top.

Pro deducẽdo vero ad paradoxum enunciãdum, erit perpendẽdum, cui nã ſectæ condiſputãs ſit

ad-

addictus, & conſequēter interrogationes facere penes ea, quæ in huiuſmodi ſecta ponūtur contra communē opinionem. Et elemētum ad hęc erit, in promptu habere propoſitiones ad ſingulorū poſitiones. Pro tutela autē rn̄dentis ſolutio ad argumētum erit, ſi inſtabit dicens, non ſequi paradoxum ex habita ratiocinatione; quod & palam faciet.

Adhuc ad inducendum paradoxum confert, ex voluntatibus, & ex manifeſtis opinionibus deducere argumenta: qn̄quidem hoies aliud volunt, & aliud ſentiunt, adeo vt loquanť honeſtiſſima: quæ autē apparent vtilia, hęc maxime volunt, & ſectantur. Veluti eſt dicere, melius eſt bene mori; q̃ in voluptate viuere. Idcirco licet traducere paradoxū a voluntate ad opinionē, & ab opiniōe ad voluntatē.

Maximus ēt & copioſus locus eſt, de quo Callides in Gorgia, a natura ad legem, & a lege ad naturam deducere contraria.

Nonnullæ etiam ſunt interrogationes, ad quas, ſi ad vtramq. partem rn̄deatur, vtrinq. promptus aperitur cāpus ad paradoxum inducendum. Veluti eſt, num ſapiētibus, an patri, eſt obediendum? q̄ppe licet hinc deducere ex aduerſo, quę ſint vel ad vulgi ſenſū, vel ad intelligentiam ſapientum. Quemadmodum ſi rn̄ſio afferatur ad vſum & placitū multitudinis, tunc licet deducere argumētum in oppoſitum ad ſententiā ſapientum. Et vice verſa; ex placito ſapientis, deducere rōnem ad vulgi ęſtimationē: qđ quidē diſcrimen vulgi, & ſapientum vr̄ cadere in modum legis, & naturę, vt multitudo legem ſectentur, ſapientes autem naturam.

Adnotationes.

Elementum autem conſequendi falſum. Nūcupat elementum illud, vnde ſumitur occaſio argumentorum, & locus ēt appellatur. Elementum quidem ad ſimilitudinem elementorum, quæ poſſunt eſſe plura in diuerſis generibus, ex quibus alia componūtur, ſeu deducuntur: locus autem hoc idem dicitur tanquam ſedes capax multorū, quæ poſſunt inde erigi argumenta. Eſt autem præſens elementum, ſeu locus, vt proponatur interrogatio cum prætextu addiſcendi: ita enim reſpōdens minus cautus redditur; & minus accuratus in reſpondendo: vnde poſtea facile induci poteſt ad inopinabile enunciandum.

Erat autem apud ipſos secūdum naturam verum. Antiqui ſapientes veritatem inſequebātur ad naturam rerum. *Quod autem ſecundum legem multis videbatur* Vulgus veritatem deſumebat a lege. At pręeminet verum ſecundum naturam ipſi legi.

Lex enim multorum eſt opinio Id eſt dicere, ꝙ vulgus ex lege (quæ eſt quoddam ex humana poſitione inſtitutum) ſuam cōcipit opinionem: at viri ſapientes ſecundum naturā, atq; rei veritatē & ſentiūt & loquūtur.

Sectio Decimaſecunda.

De arte obſeruanda ad inducēdam nugationem et ſolaciſmū.

Ad nugationem aūt (quod eſt facere vt rn̄dens idē ſæpius enunciet) ſumitur occaſio ex hac ſuppoſitione, ꝙ idē ſignificet nomen & definitio rei. Veluti ꝙ idē ſit duplum, & ſimpli duplum, qđ eſt eius definitio: idq. præcipue exercetur, in ijs, quæ ſunt ad aliquid, non ſolum ſm̄ genera, ſed ēt ſcđm ſpēs: quēadmodum appetitus, eſt alicuius appetitus; & cōcupiſcētia exiſtens ſpecies appetitus, dr̄ ēt alicuius concupiſcentia. In ijs igitur fit nugatio: vtputa, ſi duplum eſt ſimpli duplū; rurſus ſimpli duplum erit ſimpli ſimpli, duplum duplum, & ita ſemper procedēdo in nugatione. Quæ ēt efficitur in ijs, quę non ſunt ad aliquid; ſed eorū habitus, aut paſſiones ſunt eiuſmodi, vt in horū deſinitionē ſubiectum accipiatur. Veluti impar eſt numerus mediū habēs: & ſimitas eſt naſi concauitas;

vnde nugatio inducitur, q̄ ſimitas
ſit naſi curuitas, & ita deinceps ꝓ
cedendo. Adnotandū aūt interdū
videri, q̄ ſit inducta nugatio, cū
tñ vere non ſit inducta: quod con
tingit, cū Sophiſta non interrogat
(exēpli gratia) ſi duplum ſm ſe ſi-
gnificet aliquid, an nihil? & ſi q̄d
ſignificet, num idē ſignificet, an
aliud? ſed cū dicat ſtatim conclu-
ſionē, ob nomen prædictū, q̄d eſt
ſignificans modo antedicto, hinc
videtur facta nugatio, quæ tamē
ex ratiocinatione vere nō eſt in-
ducta apud reſpondentem.

Solæciſmus aūt (qui pertinet ad
barbarā locutionē) interdum fit,
& non apparet, & interdum appa
ret, & non fit. Vnde ēt ars rócinan
di conuerti poteſt in vtramq; par
tē: videlicet, vt committatur ſolæ-
ciſmus, & non appareat: aut vt ap
pareat, & non committatur. Fit au
tē ſolæciſmus pcipue ex caſu neu
tro, dum ad virilē, ſeu ad mulie-
brē naturā idē nomen referri po
teſt; cum ēt ſępenumero nomen
accipiatur & in virili, et in mulie-
bri ſignificato. et de contentioſa-
rū orationū ſpēbus, et partib. ſpē-
rum, et modis, hęc dicta ſufficiāt.

Adnotationes.

Omnes tales ſermones hoc volunt facere. Nē-
pe inducere, reſpondentem ad nuga-
tionem, ad idem ſępius dicendum, quod effi
citur ex hac ſuppoſitione, q̄ idem ſignificet
nomen & definitio. Vnde ſi idē eſt duplu,
& ſimpli duplum, quod eſt dupli definitio;
igitur, qui dixerit, duplum eſſe ſimpli du-
plum; hoc ſermone videtur repetere ſimpli
duplum; vt hinc inferatur, q̄ ſimpli ſimpli
ſit duplum duplū: q̄d rurſus repetendo, au-
gebitur dicta nugatio. Quā aduertit Ariſt.
cōmitti, & cōtingere in ijs rebus, quarū ge-
nera, & ipſæ quoq; ſpecies ſunt ad aliquid:
in huiuſmodi.n.cadit terminorū repetitio:
nec non in illis habitibus, & paſſionibus, in
quorū definitione ſubiecta accipiūtur, velu
ti q̄d ſimitas eſt naſi curuitas. Rurſus .n. ſi
accipiatur naſus cum ſimitate, quæ a naſo
non eſt ſeparabilis, nugatio efficietur: de
qua nugatione eſt ēt ſermo in lib. Periher.
& in lib. 4. & 7. Met. Verum, pro euitanda
eiuſmodi nugatione dici poteſt, q̄ nomen
confuſe ſignificat idē, q̄d definitio diſtincte
ſignificat: prout inſinuabit quoq; Ariſt. in
initio lib. 1. phyſ. Vnde non idem abſolute
ſignificat nomen & definitio. Sed & in ijs,
quæ ſunt ſcd̄m ſe (vt d̄r in locis citatis) fit
vnum, vtputa ex hoīe & rōnali: in illis aūt,
quę ſunt ſcd̄m accidens contingit nugatio:
qm̄ idifferēter vnū accidēs alteri, & hoc alij
pōt aſſignari abſq. vlla ꝓpria coniūctione.

(Margin: li. Perih. Sect. 3. li. 4. Met. S. 9. — li. 7. Met c. 4. — li. 1. Phy c. 1.)

Species igitur contentioſarum orationum Nē-
pe ſunt quinq. intenta a cōtentioſis cauilla
tiones in ſermone inducentibus: videlicet
redarguere; inducere ad falſum; aut ad ino
pinabile; aut ad nugationem; aut ad ſolæ-
ciſmū. Redargutionis aūt ſunt ſpēs ſex iux
ta dictionē, & ſeptē extra dictionē, vt patet
ex pręcedentibus. Adhuc ēt modi adhibiti
a ſophiſtis circa hæc omnia explicati ſunt
circa modū ratiocinandi; & alia quæ ſunt
huius artis. Aut ita explicandum: vt ſpēs
orōnum ita intelligātur, vt ſit vna ſpēs re-
dargutionis iuxta dictionem, & alia extra
dictionē: modi vero vnius ſunt ſex, & alte-
rius modi ſunt ſeptem, vt recenſiti ſunt in
præcedentibus.

Sectio Decimatertia.

Pracepta obſeruanda in interrogationibus ad redargutionem inducendam, circa quæ traduntur loca ſexdecim.

1 Quod autē attinet ad interrogationes
faciendas pro redargutionibus indu-
cēdis, multa tradi pcepta poſſunt, quorū hic
primus erit locus (deſeruiens ad latentes
adhibēdas interrogationes) vt ſermo pro-
lixus proponatur: nam cum multa proſpice
re ſit difficile, hinc qui incauti ſunt, facile
redargui poſſunt. Quæ aūt elementa deſer
uiant ad prolixam orationem, explicatum
eſt in lib. 1. Top.

Scd̄s locus pertinet ad celeritatē adhibē
dā in orōne proferenda. Nā qui tardi ſunt
ingenij, nō ꝓſpicientes q̄d velociter dedu-
cit, laqueo redargutionis facile obruūtur.

3 Tertius pertinet ad iram, & ad conten-
tionem inducendā. Nam qui aīo conturba-
ti ſunt nequeūt adhibere mentē ad ea, quę
ſua interſunt. Elementa vero ad iram con-
citandam, inter alia ſunt, tum, vt interrogās
propalet ſe improbum quocunq; modo fu-
turum in progreſſu; tum vt multa cum im-
pudentia diſputationem aggrediatur.

4 Quartus, vt viciſſim, & permutato ordine
faciat interrogationes, vel ad idem, vel ad
diuerſa: qui locus deſeruit ēt ad plures ro-
nes habendas, & ad cōtraria inducenda. Et
generatim quæ tradita ſunt in Topicis ad
orōnē occultandā, deſeruiēt ēt cōtentioſis
ſermonibus, vt diſputatio latēter habeatur.

Quintus aduerſus negantes ea, quæ cōfer
re poſſunt, erit, vt interrogatio ſub forma
negationis habeatur, adeo vt interrogans
prætereat ſequi ſe velle contrarium eius,
q̄d intendit deducere. Aut ita proponetur
interrogatio, vt æque ad vtramq. partē cō-

tra

tradictionis pendere videatur. Ita .n. obscuro & immanifesto existente quid velit interrogans, minus proterue se geret respondens in disputando.

6 Sextus, concedente respondente membratim vniuersale tanquã per singula inductũ, non erit interrogandus, si generatim illud ponat; sed sumendũ erit tanquã ab ipso positum: qñ ẽt sæpe numero respondens existimat illud se concessisse: quemadmodũ & auditoribus videtur memoria tenere, inductione illud esse deductum, tanquã temere non sit habita interrogatio. Vbi autem nomen non significat vniuersale, adhibenda erit similitudo, quatenus conferat ad propositum, cum & similitudo interdum lateat

7 Septimus, ad assumendam propositionem est interrogandũ contrarium: veluti, nũ in omnibus deceat obedire parentibus, an in omnibus non parendum? idq. ad sumendã ꝓpositionẽ ꝙ parentibus sit obediendum.

8 Octauus maxime facit videri redargutum respondentẽ absq; syllogismo, si postremũ in sermone nõ interrogetur, sed cõclusiue inferatur, veluti dicẽdo, nõ igĩ hoc, & hoc.

9 Nonus sophisticus etiã modus est, posito aliquo paradoxo, vigere aduersariũ, vt respondeat ꝙ sibi videtur, cum tñ fuerit propositum a principio qđ apparet: ita aũt est facienda petitio, vt inducatur respondens ad enunciandum, ꝙ sibi videtur verisimile, Nam si interrogatio sit de ijs, ex quibus sit astruendus syllogismus, oportet vt respondens vel concedendo det locum argumentationi, vel non concedendo: vt dicẽte ipso, ꝙ non sibi videtur, ita erit locus paradoxo. Aut si non respondeat, locus erit redargutioni: cui etiã erit locus, si nõ concedat, dicat autem ita sibi videri.

10 Decimus, vt in Rethoricis, ita & ĩ ijs sunt elicienda contraria, vel apud ipsosmet respondẽtes: vel apud eos, quos ipsi fatentur recte dicere, & facere. Item apud eos, qui tales esse videntur: vel apud similes, vel apud plurimos, vel apud omnes.

11 Vndecimus, quemadmodum respondẽtes cum redarguuntur, solent duplicẽ sensum facere, & accipere ĩ altero: ita quoq. ab interrogante idem est faciendũ, dicendo ꝙ in hoc sensu acceperit, & nõ in alio.

12 Duodecimus ad abscedẽdum a proposito rñdentem, contexendæ sunt aliæ argumẽtationes: & si id præuiderit rñdẽs: tũ illi occurrere prædicendo, qđ extra propositu ierit.

13 Decimus tertius; ad aliud prodest etiam argumentari, desumendo ex dictis argumẽtationẽ, si ex propositis occasio nõ offerat.

14 Decimus Quartus postulantibus vt causa probationis assignetur, cũ dixerint vniuersale, tutius est in hoc proposito dicere cõtradictionem ex aduerso, vt qđ affirmarint negetur; vel affirmetur, quod negatum sit, quam consequi vniuersale.

15 Decimusquintus, nõ conuenit conclusionẽ more propositionum interrogare.

16 Decimus sextus, aliqua sunt non interroganda, sed accipienda vt confessa.

Adnotationes.

O*Mnino enim ad latendum dicta prius.* Memorat locos expositos lib. 8. Top. ad occultandam orationem, esse quoq; vtiles in congressibus contentiosis: Et ideo loco citato dicebatur, quædã locum latẽdi esse sophisticum, licet alia via, & alio proposito ibi & hic sit incedendum.

Quemadmodum respondentes, cum redarguũtur, faciunt duplex. idest, inferunt duplici modo, seu duplici significato accipi illud de quo sit disputatio.

Sectio decimaquarta.

Ad quæ vtilis sit cauillationum sophisticarum explanatio, & quomodo illis possit occurri.

TRactatus præpositus circa sophisticas cauillationes cum adiectione eorum, quę subijciẽda sunt, nẽpe qũo illis occurri possit ad tria vtilis euadit; ad Philosophiã; & id duobus modis: primo quidẽ, qm̃ cũ huiusmodi sermones cauillatorij, vt plurimũ fiant circa dictionem, ideo ad eas euitãdas ne decipiamur, confert edoctos nos esse circa vnumquodq;, qũo multipliciter dicatur; & qualia simili modo se habeat; & qualia diuerso in nominibus, & in rebus. Secundo confert ad proprias, quas quisq; sequatur. Verum inquisitiones. Siquidẽ, licet facilius vnusquisq; ab alijs q̃ a seipso in deceptionẽ ducatur, eã non persentiens; attamen & a seipso hoc idẽ pati sępenumero põt. Ad hæc tertium aliud vtilitatis caput ex hac ꝑscrutatione proueniens est eiusmodi, vt deseruiat ad gloriã, dum homo ad oĩa se exercitatum ostẽdit, & nullius rei inexpertum. Nã qui cũ altero in sermonibus cõicat, si nõ habeat quod ex aduerso opponat, dum eos vituperat, proculdubio ansam præbet, vt existimetur non ægreferre huiusce modi disputationes studio veritatis; sed ob suã inscitiam, tanquã non idoneus ad eas occurrere. Qũo autẽ se præstet rñdẽs in captiosis argumentationibus, põt esse perspi-

euum ex precedentibus; si tñ adamussim explicatum est, ex quibus nã cauillatorij syllogismi constituant; & qũo interrogationes modum excellẽtes ad deceptionem inducendã adhiberi possunt. Verum aduertendum est, non idẽ esse, sed magnum intercidere discrimẽ, ꝙ quispiam sermonẽ apud se cõpositum cõspiciat, qualis sit, & quę in eo prauitas, & defectus insit; & ꝙ celeriter ad interrogationẽ factam sit sibi occurrendũ. Nã sæpenumero fit, vt illud quod scimus, transposita oratione ignoremus. Et quẽadmodum in alijs actionibus, ita etiã contingit in disputationibus, vt & promptiores, & tardiores alij alijs euadant iuxta modum habitæ exercitationis: adeo ꝙ licet aliquid sciamus, nihilominus tñ sępenumero ex negligentia in opportunitatibus destituimur, ne prospiciamus, quid ad propositas rñdeamus argumẽtationes. Cõtingit etiã interdum vt quẽadmodum in descriptionibus Mathematicis euenit, vt eas sub quadã figura cõfectas si dissoluamus, nequimus iterum contexere: ita quoq; euenit circa redargutiones: vt, licet nõ ignoremus propter quid rõ facta sequatur; attñ eandẽ qũo cõponamus, ambigui ob inexercitationẽ ꝑmaneamus.

Adnotationes.

VT *ad omnia videatur exercitatus*. Hinc patet, gymnasiam accipi pro acquisitione facultatis disputandi, vt possimus de quacunque re proposita differere; & id ad gloriam venandam.

Quod enim scimus, sepe transpositum ignoramus Id iure euenit, qñ facta permutatione sermonis, videtur sermo diuersus a priori: qđ maxime contingit parum exercitatis.

Quemadmodum in descriptionibus interdũ dissoluentes nescimus iterum componere. Est sermo de descriptionibus mathematicis iuxta quasdam figuras cõfectis; quas aliquis dissoluet, & postea nesciet eas iterato cõponere (Non est autem sermo de resolutione demõstrationum in sua principia, quod est difficilius, q̃ componere demonstrationem, vt explicatũ est in Post. Analyt.) ita quoq; circa redargutionem contingit, vt facile videamus, ad quid nã deducta sit ratio, permaneamus aut in dubio, quomodo cõponamus orationẽ in propria syllogismi figura.

Sectio decima quinta.

Traduntur plura documenta, quibus instruitur respõdens: quomodo se gerat in disputationibus sophistarum.

QVod autẽ attinet ad præcepta obseruanda a rñdente, illud in primis ab ipso contendẽdum est, vt, quẽadmodum rócinãti in redarguendo illud potissimũ curæ est, vt potius videatur redarguere, quã vt vere redarguat: ita quoq. rñdẽs solutiones potius apparentes afferre tentabit q̃ veras: illud præcipue enitens, ne videatur passus redargutionem. Nã, cũ redargutio sit cõtradictio ex quibusdã non æquiuoce se habentibus deducta, iã non erit opus distinctionẽ afferre circa ambigua, aut circa æquiuocationẽ, cum id agendum sit tunc solum, cũ instat apparentia cõclusionis redarguẽtis, quippe etiam hoc modo vera redargutio destruitur, qñ interrogantur ambigua, & æquiuoca, & alia ad decipiendum idonea: nec non occultũ redditur, si sit nec ne redargutus rñdens. Siquidem, & in fine sermonis, ille, qui patitur aduersus se conclusionem, potest nõ quidem negare qđ affirmauit, sed bene inserere, ꝙ æquiuocum, & ambiguum (de quo sit sermo) in alio sensu ab ipso sit acceptum. Si aũt interrogans diuiserit, & distinxerit ęquiuocum & ambiguũ, in hoc facto non obscura esset redargutio. Et hanc rõnem disputãdi antiquiores contentiose obseruabant, interrogãdo num hoc, an

non hoc acciperet reſpődens; qđ poſteriorib. minus curæ eſt. Ideo incumbit onus rñdenti, vt vitium interrogationis corrigat. Alioqn, ſi inſufficiẽs ſit habita diſtinctio, arctatur rñdens ad enunciãdum, ꝙ ita, aut non ita accipiat propoſitionẽ, & vt ſuã ſnĩam explicet.

Ad hæc adnotandum, ſi ſit ſuſpicio, quòd redargutio ſequatur ex æquiuocatione, quodam modo in hoc caſu euitare non poſſe rñdentem, quin redargutus videatur. Si quidem in apparentibus cogitur, aut negare qđ affirmauit, aut affirmare qđ negarit: veluti in hoc exẽplo. Si quis interroget alium, nũ cognoſcat Coriſcum. muſicũ, & rñdeat ꝙ cognoſcit: cum autem palio opertum Coriſcum ſibi oblatum nő cognoſcat, iam cogitur negare quod affirmauit. Neq; vero ad euitandũ huiuſmodi cauillum ſatisfacit modus, quẽ nőnulli inducunt dicentes, ſe non ignorare ſimpliciter Coriſcum muſicũ, aut immuſicum; ſed hunc muſicũ Coriſcum cognoſcere; & hũc aliũ opertum Coriſcum muſicũ ignorare. Etenim oĩno tñ valet cauillatio penes ſermonẽ particularẽ, ſicuti ẽt penes generalẽ habitum de Coriſco. Ideo aliter eſt rñdendum: ꝙ non idẽ ſignificat muſicus Coriſcus diſcoopertus, & Coriſcus muſicus opertus; cum ẽm accidens aliud quid ſit Coriſcus opertus; vt non ſit idẽ nomen, ſed quid aliud in re diuerſum. Verum qm̃ niſi diſtinguatur ambiguitas, eſt immanifeſtum num aliquis redargutionem ſit paſſus nec ne, licetque in diſputationibus diſtinguere ambigua; hinc patere poteſt, quòd qui interrogationem abſq. diſtinctione conceſſerit, delinquet in ratione diſputandi; adeo ꝙ ſi nő ipſe, ſaltẽ eius oratio redargutioni expoſita apparebit.

Aliud etiam adnotandum, nőnullos in reſpondendo aberrare, qui dum illud curant, ne videantur moleſti in diuidendis ambiguitatibus tanquam nimium frequentibus propoſitis, propterea non adhibent diſtinctionem, & exiſtimantes in quodam proprio ſenſu iuxta illorum intelligentiã accipi ambiguum, hinc facile ad inopinabile deducuntur. propterea minime cunctandum eſt, circa ambigua diſtinctionẽ afferre.

Aliud etiam aduertendum, ꝙ quemadmodum ad duas interrogationes, non eſt conueniens vnã ſimpliciter afferre reſponſionem; ita quoq. circa ambiguum non cő uenit ſimpliciter reſpondere ſine diſtinctione, etiã quod penes oĩa ſignificata propoſitio verificetur, qñquidem etiam hũc in modum plures aſtrui poſſunt interrogationes, & omnes veræ, quibus tñ vna reſponſione non conuenit ſatisfacere: ita.n. diſputatio euaneſceret & tolleretur. Conſequenter non conuenit in æquiuocis dicere, aut vtiq;. aut non. Non.n. ita enunciãs rñdet; ſed ſolum aliquid enunciabit dicendo, aut vtiq., aut non, & tñ in diſputationibus quodammodo iudicatur dediſſe reſponſionẽ, cum lateat quod contingit. Vnde, ſicut nonnullæ redargutiones habitæ hunc in modum apparent eſſe, cum tñ nő ſint redargutiones. ita quoq. de huiuſmodi ſolutione dicẽdum, quòd videantur eſſe & non ſunt, quas tñ aliqñ in contentioſis diſputationibus (cum occurrit occaſio) magis ad rem eſt afferre, quàm veras. Ad eas vero æquiuocationes, quæ apparent, modus is loquendi eſt adhibendus, nempe: Eſto, tranſeat; ita.n. non vera redargutio ſequetur, ſed para ex

elenchus.i.extra proprium,& verum Elenchum.

Si quod aũt paradoxum dicere cogatur rñdens,in hoc casu maxime adijciendum, ꝙ videatur; ita enim neq. redargutio,neq. Paradoxum fieri videbitur.

Aliud adnotandum, cum in petitione principij, quod prope est, censeatur auferẽdum; idcirco, cũ quis existimat aliquid necessario sequi expositione,aut falsum, aut inopinabile, tunc inquiet, id esse in petitione principij, cũ quæ ex necessitate consequantur, eadem cum ipsa positione censeantur.

Aliud,cum vniuersale non noĩe acceptũ sit, sed in comparatione; tunc dicendum, ꝙ non vti datum est,aut vt protulit respondens,ab ipso interrogante acceptum est; nam & propter hoc, non raro fit redargutio. Et si adhæc non sit locus,opponendum erit a respondẽte, ꝙ non demostrauerit interrogans secũdum determinationem, veluti ꝙ non iuxta æquiuocationem, aut ambiguitatem, & aliud eiusinodi, non sit ratiocinatus.

Aliud,in nominibus proprie dictis,respondẽdum est simpliciter, aut annuendo,aut non. Si autem sit æquiuocum, cum distinctione est respondendum. In interrogationibus autem in quibus subintelligendum sit aliqd,quia non plene, sed diminute fiant interrogationes; non respondendum simpliciter aut ita, aut non; sed cum limitatione. Veluti in eiusmodi; num, quod est Atheniensium,possessio est Atheniensium? non respondendũ simpliciter Atheniensium:sed cum hac adiectione, Atheniensium est possessio:alioqn, si sit ĩterrogatio, nũ aĩaliũ hõ?sequitur ꝙ hõ sit possessio aĩalium.

Aliud,si duo sint, quorum vno existente, alterum est ex necessitate,& non è conuerso; de interrogatione dandum id, quod in minus se habet. Nam de pluribus difficilius est ratiocinari, vtputa de his,quæ insunt homini,quam animali. longe.n. plura in hominis natura actu, quam in animali in genere accepti continentur.

Aliud,cum sit argumentum factũ,quòd huic,vtputa generi,insit contrarium, & alteri non insit, si oratio fuerit vera,dicendũ & alteri inesse cõtrariũ; sed innoiatũ.

Aliud,cum sint nonnulla, quæ multi concedunt,& alia dubia,q̃ a multis non sint determinata, veluti, vtrum animalium anima sit corruptibilis an nõ; in dubijs non oportet concedere, quòd ita, aut non ita;sed dicere conuenit,incertum esse, qm̃ non sint sententiæ,illæ, quæ cẽsentur opiniones veræ, aut non sunt omnimodę negationes,nempe vniuersales.

Aliud,vbi verum versatur maximo in ambiguo, transferendũ est nomen: quod fieri potest absq. cauillatione,eo quòd probabile anceps est;vnde falsum dici non apparet; conferet igitur in hoc casu translatio nominis, ne oratio coarguens videatur.

Aliud quascunq. præsenserit respondens interrogationes, prout tales,vel tales,præuiderit,illis occurrens resistet, atq. interroganti denunciabit, quicquid p̃uiderit; ita n. maxime impedire poterit interrogantem, ne quo intendit, deducat suas argumentationes.

Adnotationes.

Sic interdum probabiliter potius,quàm secundũ veritatem soluendum. Quemadmodũ interrogans in disputatione contentiosa potius id molitur, vt videatur redarguere q̃ vt vere redarguat : idq; qm̃ ad auram populi fit contentio, cui iudicium spectat de apparente victoria. Ita quoq. a respondente illud est curandum,vt suis respõsionibus

potius appareat deuitare redarguționes, q̃ ꝙ vere illas deuitet: ita .n. ars disputandi arte deluditur. Hinc Arist. tradit documēta plurima obseruanda a respondente in contentiosa disputatione.

Quoniam ambigua interrogare. Docet debere respondentem effugere, ne interroget de æquiuocis & ambiguis, & alijs cauillationibus; tum, qm̄ diuidendo hunc in modum orationem, aufertur disputandi facultas; tū qm̄ respondens maiorem ansam præbet, vt redargutus videatur. Vnde, si nihil præmiserit penes cauillationes aduersarij, poterit commode in fine sermocinationis inferre, ꝙ proposita ab interrogante sint ęquiuoca, aut ambigua, & similia: vnde se vendicabit ab apparente redargutione.

Cum nunc quidem minus quærunt. Aduertit, ꝙ modus percunctandi, num ita, aut nō ita sermonem propositū respondens accipiat ad alteram partem se determinando, apud antiquiores disputantes fuit magis in vsu, q̃ apud posteriores: vt qui ex occulta & latente interrogatione, qualis est non distincta, neq; determinata, a respondente occasionem redarguendi maiorem desumant, quàm si secus factum sit.

Si vero redargutionem. Docet hoc in loco, ꝙ si quis suspicetur, ex æquiuocatione pati se posse redargutionem, dari casum, in quo non euitabit respondens; quo minus redargutus videatur. Veluti, interrogante Socrate Lesbiam, num cognoscat Coriscum musicum: & respondente Lesbia, se cognoscere, & offerente deinde Socrate Coriscum opertum, & interrogante, num illum ipsum cognoscat, si respondeat non cognoscere, ita redargutus apparebit, vt qui & cognoscere musicum Coriscum, & non cognoscere simul enunciarit. Ideo aduertit Arist. quòd hæc cauillatio non pendet ex æquiuocatione; sed ex eo ꝙ Coriscus modo simpliciter, vt Coriscus est, sit acceptus; & modo secundum accidens, vt opertus est.

Sententias appellant. Nempe hoīes, nuncupant sententias illas opiniones, quæ sunt veræ, vti apparentes pluribus, vel sapientibus; prout de ijs in lib. 1. Top. *Aut totas negationes* Græce, κὴ τὰς ὅλας id est *vniuersales*, vt exponit Alex. Veluti, quod diameter non est commensurabilis. Etenim, si nō essent negationes in toto, non essent sententiæ: adeo ꝙ dicendæ essent opiniones negatiuæ scd'm quid, & non absolute sententiæ.

li. 1. Top. c. 3. Alexan.

Sectio Decimasexta.

De vera solutione afferēda circa quasq; redargutiones.

QVod aūt attinet ad veram solutionē afferendā, id primo aduertendum rōcinationem habitam ab interrogāte, aut esse apparentem syllogismum peccantem in forma syllogistica, & nil propterea concludentem; aut quidē concludentem esse, sed cum falsitate assumpta, aut in propositionibus, & conclusione simul; aut solum in propositionibus, cōclusione vera existente. Quo circa a rn̄dente ita occurrendum est interroganti, vt syllogismum non concludentem interimat, nullitatem eius demonstrando; concludentis vero falsitatem tollat, opponendo aut quòd conclusio sit falsa, existentibus simul propositionibus falsis ambabus; aut harum altera, aut qm̄ ꝓpositiones sint falsæ, ex q̄bus colligi pōt vera conclusio. Est autem aduertēdum quòd multum interest, si q̄s hæc habeat præstare interrogatus, aut ociose sese habēs, quippe in ocio longe facilius est prȩuidere, & prȩnoscere syllogismorū peccata, & illis occurrere, q̃ si ab alio ex tempore quis præueniatur, & præoccupetur.

Circa vero redargutiones ex æquiuocatione, & ambiguitate sermonis cōtingentes, si tantūmodo in fine sermonis in ipsa conclusione sit aliquid multiplex, & non in prȩcedentibus sit contradictio, nō habebit locum redargutio, quæ absq. contradictione non astruit. Cum aūt fuerit in interrogationibus multiplex significatio, nō couenit ante negare, qm̄ nō ad hoc, sed ꝓ hoc affertur rō: sed oportet in principio ante conclusionem dicere, illud tale duplex quodā modo admitti, & alio modo non admitti, non aūt penes hoc est distinctio afferēda. Quòd si simpliciter duplex colligatur, tunc obluctandum, quòd non sit negata res, sed nomen, qđ sufficit ad explodendum ꝙ non sit habita redargutio.

Circa redargutionem inductam ex cōposita, seu diuisa oratione, si fuerit inducta ex cōpositione, tollenda erit per contraria, nempe per diuisam orationem, & è conuerso, redargutionem inductā ex

diuisa oratione conuenit auferre ꝑ cōpositionē orationis. Oīno aūt & in ijs quodā modo locū habet duplex, & ambiguitas sermonis.

Circa redargutionem inductam ex accentu, cuius generis perpaucæ orationes tum scriptæ, tū pronunciatę inueniuntur, si fuerit inducta redargutio penes accentū grauem, erit tollenda subintelligendo acutum, & ē conuerso.

Circa vero redargutiones inductas ex nō simili modo seruato in sermone, neq. in eadem figura, cū determinata habeantur genera p̄dicamētorum, hinc patere potest quō sit ijs occurrendum, dum si (exempli gratia) ex interrogatione deductum sit aliquid de substātia, occurrere debet rńdens, quòd non ipsum quid & substantiā dedit, sed Quantum, aut Quale, qđ perficiet, qui recte tenuerit prædicaméta. Et in genere penes redargutiones ex dictione inductas occurrendum per oppositā interpretationem, vt dictum est de composita oratione, & de diuisa.

Adnotationes.

B*Ifariam vero dicitur ratiocinatio falsa.* Aut quia sit Assyllogistica non secundū rectos modos figurarum constructa: aut quā falsæ sint propositiones assumptæ. Et contra primum perimenda est ratiocinatio, opponendo q̄ non sit seruata recta forma syllogismi. Contra secundum adducenda est distinctio circa propositiones, vt falsitas earū illucescat, ex qua cauill⁹ deductus sit.

Amplius quoniam orationum. Supposito q̄ ratio syllogistica recta sit adhibita, sed falsitate existente in assumptis propositionibus, cum possit cōclusio, ex falsis & vera & falsa colligi; ideo in ijs hæc erit obseruanda regula: vt cum cōclusio detegatur falsa, possit rōcinatio bifariam interimi, tū impugnando conclusionem vti falsam, tum impugnando propositiones, aut ambas, aut alteram tanquam falsitate præditas. Si autem propositiones sint falsæ, at vera conclusio, per oppugnationem falsarum propositionū erit interimenda ratiocinatio.

In quibuscunq; interrogationibus. Vbi fuerit duplicitas in interrogationibus, non conuenit negare absolute, cum non sit vniuersum falsum contentum in interrogatione: sed erit dicendum, concedi propositum in hac quidem parte, in alia autem non concedi. Et id præstandum vel in principio interrogationis; aut, si latuerit in principio, corrigere conuenit in fine sermocinationis duplicitatem nominis, vel sermonis.

Cum habeamus genera prædicamentorum Hinc patet requiri notitiam prædicamentorum ad hoc, vt possit occurri redargutionibus inductis ex figura orationis: quæ præcipue locum habet ex eo q̄ oratio aut iuxta vnū genus prædicamentorum proferatur, aut iuxta aliud. Veluti aut secundum substantiam; aut secundum Quantum; aut Quale, & ita de alijs: dum, quod conuenit rei scd̄m vnum prædicamentum, assignatur scd̄m figuram alterius prædicamenti; circa quæ affert Arist. plura exempla: quæ, vt percipiantur, notitiam requirunt prædicamentorū. Vnde colligitur, librum Prædicamentorum huic libro Elenchorum esse anteponendū, & consequenter ad Organum pertinere.

cōtra Anton. Mir.

Sectio decimaseptima.

Modus obseruandus in dissoluendis cauillationibus extra dictionem inducendis.

PEnes redargutiones extra dictionem inducendas, quod attinet ad eam, quę astruitur ex accidenti, cum perspicuum sit accidentis eam esse naturā, vt non eodem modo in oībus rebus se habeat, adeo quòd nil ex necessitate hinc inferri potest, idcirco ad oēs huiusmodi rōcinationes cōcinna erit rńsio, opponendo quod propositū est, in oibus nō esse necessarium, & aliquid afferēdo, de quo inducta oratio non verificetur.

Circa cauillationes vero iuxta huiusmodi terminos, quodam pacto, alicubi, quomodo, ad aliqd, & non simpliciter. Cum manifestum sit, non posse & affirmari, & negari absolute idem vere: ideo respiciēdum ad interrogationes, & ad conclusionem. Nam si accepta fuerit propositio secundum quid, & conclusio simpliciter sit inducta, tolletur redargutio, instādo q̄ petitio facta ab interrogāte sit concessa scd̄m quid, & nō simpliciter, aut simpliciter sit cōcessa, & nō secundū quid, & ita de alijs.

Ad cauillationes circa definitionem redargutionis perperam

acceptæ occurrendum erit, prout antea in ꝓprio tractatu de redargutione explicatum est: si non sit idem deductum, quod interrogatum est, & secundum idem, & ad idem, & eodem modo, & eodem tempore, qm̃ si aliqua harum conditionum in redargutione requisitarum defuerit, instando de ea, respondens interimet redargutionem. Idem si in principio orationis de aliquo sit facta huiusmodi interrogatio, num possit idem esse duplum, & non duplum, cautus erit ne simpliciter respondeat negatiue, quia ad hanc responsionẽ induci potest redurgutio, sed inquiet in aliquo hoc esse nõ posse, vtputa quattuor ad tria, non posse esse duplicia, licet sint ad duo.

Ad cauillationes autem attinentes ad petitionem principij, si in initio orationis patuerit petitio, tunc nullo pacto est concedenda, etiam quod de re probabili existat. Si autem latuerit ob prauam interrogationem, tunc occurrendum erit instando, quòd interrogans non est ratiocinatus, quoniã redargutio secundum rectam definitionem excludit petitionem principij. Aut rñdens inquiet, sese illud petitum dedisse, non vt eo interrogãs vteretur. sed vt ad eius contrariũ rõnẽ cõstitueret, aut ad ea quæ sunt præter redargutionẽ.

Ad cauillationes ex consequenti, cum perspicuum sit vniuersale in toto acceptũ cõsequi ad minus vniuersale, & id ĩ quadã parte tm̃ cõsequi ad vniuersale: idcirco instando ꝙ non sit obseruata rõ consequentię, tolletur redargutio.

Ad cauillationes illas, qm̃ addita sit vt causa, quæ non est causa, considerandum erit, num, sublato eo, quod additum est, nihilo minus sequitur impossibile. ita.n. instando infingitur redargutio. Addi etiam potest a respondente, ꝙ illud cõcessit, nõ vt eo vteretur interrogans, sed gratia sermonis, & qđ adhibuit interrogans, nihil ad ꝓpositũ disputationẽ attinere.

Ad cauillationes ex pluribus interrogationibus coaceruatis in vnam, siue sit multiplicitas in propositionibus, siue in nominibus ęquiuocis, & ambiguis, occurrẽdũ erit, ꝙ non est dãda vna respõsio, nisi simplex fuerit interrogatio.

Ad cauillationes inducentes ad idem sępius enunciandum, cũ pateat has astrui penes illa, quæ ad aliqd dicũtur, veluti est duplum, dum dr̃ aliud esse duplum secundum se acceptum, & aliud vt dicitur duplum dimidij (nam si dicendo duplum, intelligitur etiã correlatiuum, quod est dimidium, ita fieret, vt idem sępius diceretur.) Idcirco occurrendum est in ijs, quòd nõ sit idem significatum nominis, & definitio, in qua comprehenditur alterum etiam correlatiuum. Aut dicendum erit, quòd nomen duplum seorsum a dimidio nil significat.

Ad cauillationes deniq. solęcismum inducentes, cum scilicet sermo a fęmineo significatu ad maris significatum transfertur, vel è contra, vel secundum neutrum genus, ad euitãdam igitur huiusmodi cauillationem, cauendum erit ne improprie nomina, & horum articuli concedantur: sed in oĩbus congrua locutio erit obseruanda.

Adnotationes.

A*D cauillationes vero ex accidenti.* Plura affert Arist. exempla cauillationũ, quæ ex accidenti astruuntur: veluti inter alia esset hæc. Num quidem hic equus? nempe num albus? certe: hic igitur albus. Quid vero album, bissyllabum? equidem: equus igitur bissyllabus: & hoc quidem verum de accidente penes equum, cuius nomen ex duabus syllabis constat. At non de Socrate erit

verum, de quo pōt verificari, ꝙ sit albus; & ꝙ etiam huius vocis *album* binæ sint syllabæ; non aūt Socrates, hoc est eius nomē, erit bissyllabum, sed trissyllabum.

Sed non omnis erroris ostensio solutio est. Vult Arist. ꝙ ad cauillatiões allatas occurramus, non afferendo ꝙ ad inductam deductionē consequantur impossibilia: sed soluendo vim ratiocinationis in cauillo factæ; & negando, quæ interrogans assumpserit in sua argumentatione.

Sunt vero einsmodi omnes. Circa cauillationes peccantes, qm̄ secundum quid acceptū sit aliquid, & simpliciter postea inductum; aut vice versa factum sit, plurima afferuntur exempla in contextu: veluti inter alia est hoc. Num quod non est, esse contingit? Non: Quid, non ens opinabile ne non est? Certe: non ens igitur est. Atqui soluitur; qm̄ datū est, non esse simpliciter, quod non est; Conclusio autē de ente opinabili, ꝙ sit ens simpliciter inducta est; cum tamen opinabile non sit simpliciter ens, sed secundum quid nempe, quatenus est opinabile.

Cauillationes circa redargutionis definitionem. Circa cauillatiões ex defectu definitionis, quæ concernit redargutionem veram, cum multa requirantur ad perfectam redargutionem; idcirco in quacunq; parte ostendatur defectus, tolletur cauillatio: vt in hoc exemplo. Num cognoscis Coriscum, quia Coriscus est? vtiq; noui. Num ignoras Coriscum musicum? ignoro: ergo idem cognoscis, & ignoras. Soluitur cauillus, qm̄ nō est ad idem, & de eodem redargutio, cum accipiatur in vna parte orationis Coriscus, vt Coriscus est; in alia vero, vt musicus est.

Et cauillationes per consequens probantes. In cauillationibus iuxta ea, quæ se inuicē consequuntur, cum debeat magis vniuersale consequi ad id, quod est in parte; veluti animal ad hominem, & non è conuerso; ideo redargutio tollitur, si non fuerit hæc obseruata ratio consequentiæ. Huius cauilli exēplum est ratio Melissi: dum ex eo, qm̄ quod factum est habet principium, accipit etiā, quod ingenitum est, non habere principiū. Verum non conuenit hunc in modum inducere consequentiam, sed ita: si factū habet principiū, ergo nō habēs principiū nō est factum, cum hoc ad aliud consequatur.

De deducentibus vero vt idem sæpius dicatur. Circa cauillationes deducentes nugationē, duo potissimum aduertit Arist. obseruāda pro euitanda nugatione. Vnum est, vt in nominibus, quæ ad aliquid dicuntur, non concedatur, ꝙ per se, & separatim aliquid significent; sed dicendum, ꝙ hoc nomen, exempli gratia, *duplum* non significat duplum dimidij: vnde dicēdum, ꝙ aliud est esse duplum, & aliud duplū dimidij. Et cum dicit Arist. quòd duplum forte non significat aliquid, intelligit quòd duplum non significat dimidium: dicens *forte*, quoniam saltem potētia, si non actu duplum significat, & includit dimidium. Et si significat, non idem significat diuisim & coniunctim, vt idem significet duplum seorsum acceptum, & coniunctum cū dimidio. Aliud vero obseruandum penes prędicata, per quæ declarantur prædicta nomina; istud est, quòd non idem est quod separatim, & quod in oratione declaratur. Nam cauum separatim confuse cauitatem significat; additum vero cruri curuitatem denotat; additum naso simitatem: vnde nō idem cauum, & cauus nasus. Accedit quòd non dicendum proprie in recto casu, sed in obliquo, vt non sit dicēdum nasus simus, sed simitas nasi; adeo vt non sit dicendum inferre, quòd nasus simus est nasus cauitatem habens nasi; vnde cōcluait, falsum esse dicere, ꝙ simus sit nasus cauus; cum sit dicēdū ꝙ sit nasi cauitas, vt eius quædam affectio.

Sectio decimaoctaua.

Quæ facile, quæue difficile conspiciantur ratiocinationes: & quæ sint acutissimæ tam apud ratiocinantes probe, quā apud paralogizātes cōtētiose.

NOn ignorandum est etiā, ex ratiocinationibus aliquas esse faciles vt conspiciantur quo tēdāt, & quid importent; alias vero esse difficiliores cognitu in eodē genere cauillationum, tam in habitis penes dictiones, quā in alijs. Etenim tunc erunt faciles, si constet iuxta quid sit constructa cauillatio. Veluti, si appareat quòd circa æquiuocationes, aut circa ambiguitatem, aut circa accidēs, aut penes alios modos sit conflata. Difficiles autem sunt illæ rōnes, (exempli gratia) cum sint constrictæ ex æquiuocatione, id latet, & videntur pendere ex diuisa, seu ex composita oratione.

Ad hæc pernoscendū est, quòd acris, & valde pungens est illa ratiocinatio, quæ maxima incutit dubitationem. Huiusmodi.n. maxime mouet & exagitat animum: vno quidem modo, cum penes ratiocinationes ambiguum sit quidnam ex interrogatis eligatur, vt ideo ratiocinationes acutissimæ maxime conferant ad veritatem detegendam atq; venandā. Alio vero modo ambiguitas contingit penes contentiosas ratiocinationes ob cauillationes ex cauillis confectis. Verum acutissima pręcipue est oratio illa ratiocinās, in

qua ex maxime apparentibus opinabilibus aliquid maxime probabile quispiam tollit, aut probat. Siquidem, cũ sit vna oratio, transposita contradictione, omnes similiter conflabuntur syllogismi. Semper enim similiter ex opinabilibus, vel tollitur opinabile, vel confirmatur: vnde maxima hinc infertur ambiguitas.

Alia etiam ratiocinatio inducit dubitationem, quæ astruitur ex omnibus similibus. ita.n.ambiguum erit, quęnam ex interrogationibus sit tollenda; cum omnino aliquid est auferẽdum, ne redargutio locum habeat.

Ex contentiosis autem rationibus existit acutissima, quæ primo non apparet, num syllogismo sit deducta, nec ne: neq; perspicuum est, num sit oppugnanda, instãdo quòd falsa sit conclusio; an potius sit tollenda aliqua ex propositionibus. Adhuc modus difficilis, & acutus penes ratiocinationes contentiosas exurgit, cum ratio apparet perspicue quo ad formam syllogisticam; at dubium est, num sit soluenda, interimendo conclusionem, aut aliquam ex interrogationibus per distinctionem: sunt aũt aliquę ratiocinationes ita stultę, cũ aut valde inopinabilia, aut falsa sint accepta, vt penitus sint despiciendæ. Interdum autem nõ est perspicienda oratio; sed quia aliquid desit extrinsecum ad probandas propositiones, hinc erit infringenda; quoniam interrogans perperam interrogauerit. Qua in re modo solutio facienda est aduersus orationẽ; modo aduersus interrogantem, seu interrogationem: quemadmodum etiam similiter licet interrogare, & ratiocinari, tum ad positionem, tum ad respondentem, & ad tempus, qñ plus tẽporis ad solutionem requiratur, q̃ vt præsenti tẽpore ad solutionem disputare conueniat.

Actum est ex quot, & qualibus fiant apud disputantes paralogismi, & quomodo falsum ostendatur, & inducatur respondens ad enunciandum inopinabile. Amplius ex quibus contingat, & sequitur syllogismus; & quis ordo in interrogationibus sit seruandus; & ad quid conducant hi omnes sermones. Amplius & de respõsione similiter & in genere, & qũo soluendi sunt sermones, & syllogismi hacten⁹ explicatũ est.

Adnotationes.

Oportet intelligere. Aduertit Arist. rõnes reddi faciles, vt dissolui possit cauillatio, si appareat respondenti penes quid, & iuxta quem modum sit constructa. Nam si (exempli gratia) fuerit confecta ex æquiuocatione & id cognoscat respondens, facile rationem dissoluet, cum per præcedentia fuerit instructus, quomodo ad æquiuocationem sit occurrendum.

Dubitatio duplex. Nẽpe alia in sermonibus locum habet, in quibus ordo syllogisticæ concludendi adhibetur. Alia versatur circa sermones contentiosos. Ac quidem in primis acutissima ratio (quæ & concludit maxime ad veritatem detegendam) est illa, cũ per opinabilia tollitur opinabile, vt ita reddatur æqualis conclusio ꝓpositionibus: transpositaq. contradictione, similiter omnes rationes reddentur probabiles: vnde cui nam parti sit adhęrendum, cognitu difficile redditur.

Sectio Decimanona.

Epilogus affertur vniuersæ Dialecticæ, & Sophisticæ perscrutationis.

FVit nobis scopus venari facultatem, qua ratiocinando valeremus de quaq; re proposita disputare per ea, quæ forent probabilissima: quod munus perfecte spectat ad Dialecticum, & ad tentatiuum. Et quoniam ad hoc opus prestandum, apparatus construitur iuxta modum sophisticæ (cui est proxima prædicta facultas, vt non solum dialecticæ, verũ etiam scienter sumere experientiam va

leat) hinc iure negotiũ hoc ita eſt
a nobis expoſitũ, vt ꝑ ipsũ poſſit
hõ non ſolum deſumere rõnes ad
differẽdũ de quaq. re; verũetiã di
ſputationẽ ſuſtinẽs ſuã tueri poſi-
tionẽ per ꝓbabiliſſima. Qđ quidẽ
munus pſtitum a nobis, a nemine
fuit ante pertractatũ. Siquidẽ So-
crates profitens ſe nihil ſcire, ſuis
in dialogis atq; diſſertationibus,
tantũmodo interrogatiões, nullas
aũt rñſiones adhibebat. Hinc in
ꝑcedentibus Topicis ſermonibus
explicatũ eſt a nobis, quę nã præ-
dicta facultas extẽdatur; & ex q-
bus, & qualibus cõſtituatur propo
ſitionibus, & vnde horum fieri poſ
ſit adinuẽtio. Præterea qũo, & quo
ordine ſint habẽdę interrogatio-
nes: nec non & de reſponſionibus,
atq; ſolutionibus ad ſyllogiſmos
afferendis, & de reliquis ad hanc
methodũ attinẽtibus peregimus,
& de paralogiſmis inſuper ſophi
ſtarum, vt ita propoſito noſtro ſco
po conueniens, ſit appoſitus finis.

In oĩbus aũt artibus atq; ſciẽtijs
ita cõtingiſſe cõſtat, vt, ad inuẽta
priorũ plurima addiderint poſte-
riores, incremẽtũq; fecerint; ma-
ximi tñ momẽti exiſtẽtibus illis
rebus, q̃ primo ſint adinuentæ. Si-
qdẽ principiũ eſt mole quidẽ exi
guũ, at ſua virtute atq; potẽtia ma
ximũ, vnde & inuẽtu difficilimũ;
ex quo deinde maxima vtilitas po
ſteris cõparetur: qđ eueniſſe pſer-
tim eſt aĩaduertere in ſermonibus
de rep. cõfectis. At qui præſentis
negotij, nẽpe facultatis dialecticę
Tentatiuæ, atq. Sophiſticę nil pe-
nitus ante has noſtras lucubratio-
nes traditũ extabat: ſed ſolũ, iuxta
Gorgię diſciplinã nõnulli penes
cõtẽtioſos ſermones mercedẽ q̃-
rẽtes, partim orationes rethoricas
a diſcipulis addiſcẽdas exhibebãt:
partim interrogatiuas ad cauilla-
tiones ſpectãtes: de arte aũt nihil
penitus tractarũt, aut docuerunt:
vt ita horum velox, ꝑteruolanſq.
fuerit doctrina. Veluti, ſi quis ꝓfi
teretur artẽ, qua pedes nõ lædere-
tur, & plurimos traderet calceos:
nõ ãt doceret, qũo eſſet incidẽdũ
coriũ; neq. vnde corij ſumeretur
copia & vnde calcei cõparãdi. Ac
de rethoricis quidẽ multa extabãt
antiquitus, de rõcinandi aũt facul
tate nil prorſus explicatũ, vt ideo
cũctũ hoc opus, ex proprij noſtri
ingenij viribus, atq. ſtudio emana
rit, ex quo alij (ſi forte quę tradita
ſunt non ſufficiant) facile ad hãc
methodum, ex explicatis a nobis
addere poterunt incrementum.

Adnotationes.

P*Reparatio fit ad hanc per vicinitatem dialectica.* Inſinuatur his verbis, quòd dialecticam æmulatur Sophiſtica, ſicuti etiam profitetur ſcientiam, non habens verã ſciẽtiam, ſed falſam: hincq; conſtructa eſt facultas dialectica, non ſolum ad differẽdum, de quaq. re propoſita, vt dr̃ etiã in initio lib. 1. Top. verum etiã ad ſuſtinendã poſitionẽ. li. 1. Top c. 12.

Cauſa huius. Vt hæc de facultate dialectica traderentur, cauſam extitiſſe ait, qm̃ Socrates nil de reſponſionibus egerit, vt qui ſolum diſputando interrogaret; vt ideo omiſſa ab ipſo fuerit cõſideratio penes perfectum modum diſputandi: de quo etiã eſt mẽtio in lib. 8. Top. penes modos rñdendi. li. 8. Top. c. 2.

Et de paralogiſmis examinauimus. In ijs tangitur præſens tractatus Elenchorum.

Principium. Ait de principio circa artes componendas, ipſum eſſe paruum mole, & magnitudine; at maximum, & valde potẽs in virtute: vnde & difficillimum eſt vt inſpiciatur. De hoc eſt etiam mentio in lib. 2. Met. & in lib. 1. Eth. in quo aũt cõſiſtat hoc potẽs principiũ, forte ad rei definitionẽ ꝑtinet, ex qua alia deducũtur; prout tãgitur in eodẽ lib. 1. Eth. & principiũ quidẽ ideo validũ in potentia, qm̃ extẽditur ad oĩa. Vnde & illud effatum emanauit; paruus error in principio maximus euadit in progreſſu. li. 2. Met c. 1. li. 1. Eth. c. 8. li. 1. Phyſ.

Quaſi velox. Græce habetur *ταχεια*, & inſinuatur, quòd doctrina ab antiquis procedens, quæ conſiſtebat, vt diſcipulis traderentur aut ſermones Rethorici, aut illi, qui cauillationes continerent, erat velox, & facile pertranſiens, vt quæ cum arte firma non traderetur, cum tamen ars regulas conſtantes contineat, ac permanentes, quibus inſtrui diſcipuli poſſunt, vt qui traditas ex arte regulas poſſint ſemper inſpicere, & inde omnia firma ſtatuere.

Finis totius operis.